

IOAN·ALBERTUS FABRICIUS

aet. A. LXVI

Johann Albert Fabricius

JO. ALBERTI FABRICII

(LIPSIENSIS

S. THEOLOGIAE INTER SUOS D. ET PROF. PUBL.

BIBLIOTHECA LATINA

MEDIÆ ET INFIMÆ AETATIS

CUM SUPPLEMENTO

CHRISTIANI SCHOETTGENII

JAM A P. JOANNE DOMINICO MANSI

CLERICO REG. CONG. LUCENSIS MATRIS DEI

IN PATRIA DEMUM ARCHIEPISCOPO)

E MSS. editisque Codicibus correcta illustrata aucta

POST EDITIONEM PATAVINAM AN. 1754.

NUNC DENUO EMENDATA ET AUCTA, INDICIBUS LOCUPLETATA

Accedunt in fine vetera plura monumenta

TUM A FABRICIO OLIM TRADITA, CUM A CL. MANSIO PRIMO ADIECTA

TOMUS I. — II

A — CYR

1754

FLORENTIAE

TYP. THOMAE BARACCHI ET F.

MDCCCLVIII

Apud J. Molini

NOBILISSIMO PRINCIPI

BALTHASARI BONCOMPAGNO

LITERARUM PATRONO MUNIFICO

SUIS AC ALIORUM EDITIS OPERIBUS

OMNIGENA ERUDITIONE PRAECLARO

JO. ALBERTI FABRICII

BIBLIOTHECAM LATINAM

QUAM

GUSTAVUS CAMILLUS GALLETTUS

NOVIS ADDITAMENTIS AUCTAM COMMENTARIISQUE

VIVENS INSCRIBERE DECREVERAT

UXOR ET FILII

EGREGIAE DEFUNCTI VOLUNTATI OBSEQUENTES

LIBENTER DEDICANT

EAMDEM SIBI COMITATEM POLLICITI

AC SI AUCTOR OPERIS EDENDI

VIRO BENE MERENTISSIMO

DE MANU SUA REDDERET

MDCCCLXVIII.

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO

VIRO

NICOLAO STAMPEEL

J. U. D.

ET REIPUBL. HAMBURGENSIS SENATORI

S. D.

JO. ALBERTUS FABRICIUS.

Ne, rogo, invitus feras, vir amplissime, Nomen Tuum cultum ac nobile exstare in proaulio hominum Latinobarbarorum, et qui gustatu delicato sapis per scriptorum meliorum familiaritatem, indigneris latus Tibi claudere viros, quos tempora quibus vixerunt, non potuere ab agresti verborum, atque interdum a sentiendi fortasse ruditate vindicare.

Etiam in his, Te ipso judice, cum propius illos inspicere dignatus es, Dii sunt, et non ignota eruditioni Tuae magna ingenia, facile latura omne punctum, si melioribus aetatibus contigissent: Praeclare quoque meriti de majorum nostrorum memoria, animum Tuum advertent Anscharii, Adami, Alberti Crantzii, aliique. Neque ita rupices atque hirti sermone plerique eorum, neque tam inficeta sunt quae miserunt in litteras, ut animum legentis non afficiant amoenitate sententiarum, dignitate, acumine et pondere.

Praecipue autem necessarios constat esse illos, nomenclatores temporum suorum quibus vixerunt: et historia ab iis scripta utcunque, tamen oppido delectat nos ac docet de rebus maximis, non minus ac quum superstionibus suae aetatis litantes garriunt de rebus medioxumis minimisque, quae non curae valde solent esse Hippoclidi, nec mentis bene sanae lectoribus.

Quos porro et quantos ex illis detur fructus colligere ad omnem, mille et trecentorum amplius annorum memoriam, de rebus usque quaque per grande illud spatium in Republica, in Ecclesia, in litterario Orbe gestis, cui magis perspectum esse potest quam Tibi, qui Archivo s. Tabulario patrio primus praefectus An. 1710 eoq: munere per multos annos perfunctus summo cum plausu Amplissimi Ordinis, caliginem temporum superiorum ex ejus aevi scriptoribus disjecisti libenter, atque ad hocce institutum quovis illos non Crantore solum ac Chrysippo, sed Liviis omnibus ac Tacitis aptiores esse cognovisti coram atque expertus es?

Adscriptum vero Te exinde ab An. 1721. Nobilissimo Patrum Ordini, non minus oblectant adhuc illa studia quibus jucundum Tibi est, ubi fert occasio, perinde ut sollerti juris peritia, ut fide constanti et integritate, prudentique dexteritate ac vigilantia bene semper de Patria promereri. Quod ut quam diutissime ac quam felicissime facias sospes ac laetus, laetis Tuis omnibus, ac Republica florente et incolumi, ex animo DEUM precor, et precantur mecum omnes, qui suae, qui hujus Civitatis saluti bene cupiunt.

Quam igitur jam pridem circumspexi occasionem testandae publice meae in Te observantiae, eam in his ratus me reperisse mediae aetatis scriptoribus, amplexusque libenter, notitiam illorum horis subsecivis in studiorum usus a me digestam Amplissimo Tuo consecro Nomini, et benevolentiae Tuae me commendatum esse cupio.

Hamburg. X. Cal. Maj. An. C. CIↃ IↃ CCXXXIV.

**

AD LECTOREM

Possit videri improbum fortasse, mihi sexagesimum jam sextum agenti annum aetatis, venire potuisse in mentem, ut scriptorum mediae et infimae Latinitatis notitiam tradere, et quod CANGIUS in praeclaro suo Nomenclatore scriptorum mediae atque infimae aetatis fieri ab aliquo optabat, quodammodo perficere aggrederer. Sed cum vellem eam navare operam studiosis, atque hanc veluti mantissam Bibliothecae Latinae, ante duodequadraginta annos in hac Urbe a me editae adjungere, *mantissam*, quae, ut ait Lucilius, *obsonium*, ferculi mole facile *vincat:* vidi multa me habere in mundo, per tantum temporis observata mihi, quae perire nollem, et quibus possit forsan aperiri via ad noscendos scriptores annorum mille amplius quamplurimos, de quibus in plerisque Bibliothecarum scriptoribus vel nulla vel hiulca aut minus accurata notio habetur. De utilitate hujus cognitionis et de usu scriptorum, quibus pernoscendis hic labor destinatus est, nihil dicere est animus, quoniam ἴσασιν οἱ μεμνημένοι: caeteros quibus cura nulla harum rerum est, incassum monuero. Praecipuam historicis impendi operam, atque id dedi mihi negotii, ut VOSSIUM suppleturus, quam brevissime notarem, quae certa potui comperire de aetate cujusque, de conditione, de argumentis operum, ubi quodque incipiat, ubi desinat et de editis ubi et quando lucem viderint, in qua collectione veterum scriptorum, quae exstant quamplurimae, alibi recensendae, singula reperiantur. De quibusdam volui tractare paullo diligentius, ut de Alano Insulensi, Anselmo, de Aventino, Beda, Bernardo, Berengario, Bertramo, Campano, Carolo Magno, Clemange, Cusano etc. saepe etiam ut in Alcuino simul remittere ad alios scriptores, quia auctum agere, et describere bene ab aliis tradita nolui. Ordinem secutus sum alphabeticum potius quam chronologicum, quem Indici servavi: Alius supplementis etiam recipiendis oportunus erit. Non paucos omissos, multa praeterita esse a me, quanquam conato addere aliquid priorum industriae, minime dubito, ob innumerabilem scriptorum multitudinem, et fugientem oculos multorum obscuritatem: verum ut ait in Topicis Cicero, *non est vitiosum in re infinita praetermittere aliquid;* addam ego, et *peccare atque offendere, praesertim in tam obscuris.* Itaque ab humanitate aequorum lectorum non timeo, candidiorem etiam in superioribus Bibliothecis meis calculum eorum expertus: et spero illud me attulisse studium, eos consuluisse fontes ac scriptores, ut minus difficile jam futurum sit praetermissa admissaque vel supplere vel emendare. In Ordine alphabetico servando haesitavi subinde, quem locum scriptori tribuerem, duplici appellatione vel triplici solito laudari. Interdum nomina unius scriptoris tam varia sunt et tam diversis modis efferuntur, ut necesse esset non modo tribus, vel quatuor, sed nonnullos scriptores locis sex vel septem collocari: itaque donec huic defectui index, ut confido medebitur, loco quem putavi promtiorem ad inveniendum posui: interdum, altero sub nomine ad alterum, ubi de scriptore tractatur, lectorem remittere duxi satius. Alia hinc inde etiam inserta Lector reperiet parvae digressionis loco, ut elenchum itinerariorum mediae aetatis pag. 112 et scriptorum recentium qui itinera sua vel aliorum versibus descripsere pag. 113. Tabularum Astronomicarum notitiam pag. 68. Breviariorum pag. 254. De computo Ecclesiastico pag. 376. De Musica Ecclesiastica mediae aetatis scriptores pag. 219. De Benedictinis eruditis pag. 187. De Cisterciensibus pag. 353. De Epistolis Pontificum et bullariis pag. 273. De Concordantiis Biblicis pag. 377. seq. 382. De Poëtis extemporali facultate carmina fundendi pol-

lentibus p. 289, seq. et 318, etc. Denique brevia quaedam passim inserta fragmenta vel apospasmatia, ut Alberti de Eyb pag. 139. Amalarii Chorepiscopi Lugdunensis pag. 73. Berengarii tres palinodiae pag. 196. Versus Bernhardi Carnotensis pag. 204. Thomae Bradwardini sententiae pag. 249. Ex Poenitentiario asini pag. 135. Lini Coluti Salutati Epistola ad Innocentium VII. pag. 269. Johannis Burgundionis Epitaphium pag. 282, et Ægidii Carlerii p. 309. Argumenta Capitum Philobibli Richardi de Bury pag. 284. Apocryphus libellus Pseudo-Caecilii pag. 287. Caroli Bovilli Epistola pag. 312. CAROLI Magni Carmina pag. 319. Epitaphium S. Germani scriptum a CHILPERICO pag. 345. Cadoaldi Regis Saxonum a Crispo Archi-Episcopo Mediolanensi pag. 404. Joannis Cuspiniani pag. 408. Petri Comestoris Decastichon in laudem Beatae Mariae pag. 374. Johannis Mariae Catanaei descriptio bombardae majoris pag. 335. Epistola Cornelii Papae ad Cyprianum pag. 409 et Cypriani ad Plebem Carthaginens. pag. 410 quae Epistolae in editionibus prioribus S. Martyris, excepta Baluziana desiderantur. Postremo p. 414 adjunxi Wipponis Presbyteri Proverbia, qui Conradi II. Salici, et hinc filii ejus atque An. 1039 in Imperio successoris Henrici III, sacellanus proverbia haec ad Henricum misit. Idem hic Wippo, qui vitam Conradi a Pistorio editam et panegyricum carmen ad Henricum a Canisio vulgatum composuit.

Plura praefari ad primum praesens Bibliothecae hujus Volumen, minus esse necessarium existimo: Numine optimo autem vitam et vires, quod hactenus benignisme fecit, firmante mihi ac producente, animus est ad reliquos tomos absolvendos non minus studii afferre, ut quam propositam habeo telam, sine dilatione exequar et absolvam.

IN MORTEM FABRICII

(*Quae incid. d. 30 Aprilis 1736. aet. suae LXVII.*)

Fabriciis nomen fuit heic per saecula magnum
Dixeris extinctum nunc moriente viro !
Omnem cui marem Deus et natura negarunt
Cui gentis magnae nulla propago fuit.
Ast cogites gnatos sexcentos quos dedit ille
Perdoctos, nomen crede perenne dabunt;

M. J. L DIEZII. Aulae et Urbis Nordhus. Diaconi

Fabricius fatis succumbit, noster Apollo
Ah! sic plangentes audio Maeonides
Noster amor! cur nos tam durus linquis amantes ?
Nestorea dignus vivere sorte senex ?
Te tua Teutonie, Te doctus, qua patet, orbis
Delicias revocat voce dolente suas.
Perculsi ingeminant juvenum tua numina coetus,
Atque horret Phoebum Pindus abesse suum
Mòx Patrem, mox rursus Avum domus orba requirit
In te quisque suum funus amicus habet
Ite pii testes tanti, mea carmina, luctus
Ite; sed et tantum tollite ad astra virum.
Non alio nostrum superatur vulnere vulnus :
Nam neque FABRICIUS, quo superetur, habet.

JO. NICOL. BULT

Hamb.

EXCELLENTISSIMO JUVENI OPTIMO, ATQUE EXIMIO

CAROLO SPINELLIO

EX PRINCIPIBUS CARIATI

JOANNES DOMINICUS MANSI

S. P. D.

Quae me ratio persuaserit cur ad te potissimum Carole, juvenum optime atque doctissime, opus istud alterius quidem scriptoris industria elaboratu, mei tamen vigiliis atque studio expolitum direxerim, etsi tu fortasse ignoras, quem unum eximiae anim tui dotes, ac decora fugiunt; viros tamen scientia et probitate summos plerosque agnituros, meumque hoc consilium magno consensu approbaturos arbitror. Quantae doctrinae atque eruditionis vir fuerit. JO. ALBERTUS FABRICIUS, cui opus istud acceptum referimus, nemo in literaria historia hospes est adeo, ut nec ipse experimento id suo, aliorum relatione non intellexerit. Sive enim de recudendo Authore aliquo Latino subeat cogitatio, sive casu Latini alicuius scriptoris liber venerit in manus, continuo *Fabricius*, nec frustra, consulitur; eoque doctore quae prima fuerit eius editio, quae postrema, cujas author ille extiterit, qua vixerit aetate, quos produxerit ingenii sui foetus adiicitur. Eam rem cum saeculorum praecedentium scriptores ignoraverint quam miserabili errore decepti sint vel hoc uno exemplo, quod mihi haec scribenti primum succurrit demonstro. BENZONIS Albensis Episcopi panegyricam Henrici III Imperatoris historiam se primum evulgasse *Ludevvigius* in suarum Reliquiarum vol. IX. opinatus est. Tamen ante annos ultra decem lucem aspexisse in collectione Germanicor. Historicorum cl. *Menkenii* opera evulgata et reipsa constat, et *Fabricio* indicante cernimus. Qui vero de re Latina literaria bene meruit *Fabricius*, in literaria Graeca se praebuit egregium. Si enim GRAECAM eius BIBLIOTHECAM totius Helladis musaeum in quo pictas et per saeculorum ordinem Orientalis imperii scriptorum imagines spectare licet, appellarim, te in primis approbatorem, atque opinionis huius meae vindicem nanciscar.

En tibi, Carole Spinelle, juvenis doctissime, paucis hisce omnia consilii mei abdita reclusa. Graecis dives et latinis mercibus onustus *Fabricius* In Italiam mea invitatione inducendus ad te potissimum dirigendus fuerat; qui et Graeca amas et ad Latina tibi comparanda sub *Fabro* tuo praeceptore, atque incentore optimo tanto anhelas desiderio. Quamquam enim multa possides, erit fortasse tamen aliquid novi, quo ab illo accipias in *literatura* praesertim *latina Medii Aevi*, quam aetate nondum provecta juvenes, qui ad optima formare se student, qualem te novimus, vel parum adhuc, vel nihil penitus attigerunt. In coeno huius latinitatis multae occultantur gemmae, sedulo ac diligenter, nec sine tuo fructu colligendae, illigatisque illis aureo sermoni tuo ad *Ciceronis, Livii, Sallustii*, ac *Caesaris* lectionem comparato, splendidiorem ac multiplici ornamento variatam orationem efficies. Sed nec deerunt in tanta scriptorum multitudine a *Fabricio* digesta aliqui, quos vel purioris eloquii cultor nequaquam fastidiat. LACTANTIUS, *Cicero* ille *Christianus* palatum utcumque delicatum mellea illa sua ac lactea eloquentia jucunde afficit ad delectat; HIERONYMI epistolae et opuscula Latini aurites dulce sonant; nec SEDULII carmina iis displicent, quibus nihil nisi probata placent. SEVERI SULPICII historiam Ecclesiasticam dignissimam iudicavit *Sigonius*, latinitatis cultor superstitiosus, ut commentario suo illustraret. Quin nec in ipsa saeculorum barbarie barbare omnes scripserunt. Exem-

plo tibi sit LAMBERTUS SCHAPNABURGENSIS historicus optimi saporis et pro aetate ad miraculum cultissimus. Praetereo renascentium literarum Latinarum patres PIUM II Pontificem maximum, alias Aeneam Sylvium, Joannem Antonium CAMPANUM, Franciscum PHILELPHUM, GUARINUM Veronensem, Joannem Albertum PIUM, Joannem Antonium FLAMINIUM, quorum in scriptis non quidem raras, non multo in luto dispersas gemmas scruteris, sed inter consertas gemmas luti residuum detergeas. Haec tibi plenis scyphis *Fabricius* propinat nec alteri offerenda erant cum a me proferrentur: etsi enim comperi aliquot esse in Italia juvenes tui non dissimiles optime ad studia literarum dispositos, tu semper tamen mihi menti observatus es ex tunc, cum Venetiis agens ab Excellentiss. avunculo apostolico ad Remp. illam Ampliss. Nuncio (quanto viro!) ut de profectu studiorum tuorum specimen exibituro judex cum viris aliquot selectis, et doctissimis assisterem jussus sum. Admirati tunc sumus omnes latini sermonis in prolatis a te scriptis puritatem, et elegantias, carminum pangendorum felicitatem, et harmoniam ac super omnia in explicandis Graecis *Homeri* carminibus, quae ego casu designavi, eorumque syntaxi facilitatem. Concepta tunc de te opinio alte inhaesit menti, ut toto hoc intercurrente biennio cum de juvene docto cogito, tu ante omnes et ex omnibus succurras. Quae cum ita se habeant optime consultus de Mecaenate *Fabriciano* huic operi censeo; simul vero et mea res acta est egregie. Cum etenim Bibliothecae eidem illustrandae perficiendae, elimandae vigilias et meditamenta contulissem providendum mihi erat de patrono, qui authoritate sua me regeret, et favore gratiam compararet. Haec vero omnia in te uno nactum me esse confido. Avita enim nobilitas tua, quam vetustas et gloria maiorum commendat, et auget, cum morum suavitate et doctrina tua praesenti magna, atque futurorum expectatione majori coniuncta, summam tibi authoritatem et benevolentiam apud omnes jam nunc conciliat. Accedit avunculi tui maximi sane momenti patrocinium, qui cum te ea qua par est nepotem ex sorore adeo optime moratum dilectione depereat, in clientelam tuam adscito homini favere non dedignabitur. Avunculum hunc tuum cum appello probitatem ipsam, prudentiam, benignitatem et totum quidquid est optimum, tum in moribus tum in virtute, tum in arduis omnibus prudenter feliciterque tractandis appellare me arbitror. Id ego partim ex fama, quae de illo mira praedicat, partim ex meo ipso experimento didici. Moram enim agentem me Venetiis per dies aliquot, quali non officio prosecutus est? Hospitium obtulit, recusantemque coegit, ut saltem conviva pro meo arbitrio semper venirem; me familiari alloquio ad horas detinuit, me apud suos, me apud externos celebravit. Ea occasione te novi, juvenis optime, ac vix agnitum amavi. Amori huic tribuas, si quid est in hoc meo consilio audaciae, te nempe atque avunculum tuum tantae dignitatis virum, rebus meis implicando, cogendoque, ut vos ambo vestra omnia mihi impenderetis. Est virtutis, est dignitatis inferiorum commodis inservire; quod dum praestiteris juvenis eximie, id tunc ages, ut conceptam de te expectationem praecoci, ac felici acceleratione adimpleas. Vale.

Haec olim scripseram dum Excell. *Innicus Caracciolus* Nuncium Apostolicum ad Venetos agebat; nunc vero triste nuncium ad nos devenit virum istum clariss cum Hispanicam legationem pro sede Apostolica fungeretur, acerbo nimis et luctuoso casu interiisse, quod me et omnes quotquot eius virtutem meritumque norant moerore summo affecit.

JO. DOM. MANSI

PRAEFATIO

Jo. Alberti Fabricii Lipsiensis in historiam litterariam magna sunt merita; melius tamen de Graeca quam de latina literatura promeruisse illum et docti omnes norunt et res ipsa demonstrat. GRAECA enim XIV. non exiguae molis et formae voluminibus vix tandem complexus est; LATINA vero omnia tum felicioris cum sequioris aevi intra VIII. tantummodo minoris formae contraxit. Cum tamen in Graecis diligenter laborasse illum scripsi; haud ita tamen immaculatum opus illud velim credant lectores, quin interdum et saepe errasse arbitrentur. Unum alterumve exemplum obiter indicabo. Cum scribit *Libanii* Epistolas e Graeco iterum versas a *Joanne Sommerfelt* Cracoviae editas in libros distingui tres, in eo equidem bono dormitanti Homero obreptum constat; ibi enim librorum partitio nulla est, sed epistolae omnes in una seriem ad finem usque continuantur. Sunt insuper epistolae omnes in numero 446 non 447. ut Fabricius supputavit. Inter Lexica Graeco-Latina recentiorum locum priorem asserit Vocabulistae *Joannis Chrestoni* Carmelitae Placentini, quem ait editum Regii Lepidi An. 1497, in 8. tum recusum a *Bono Accursio Pisano* dicatumque *Joanni Francisco Turriano* Ducali quaestori Mutinae An. 1499. Vera sunt haec omnia; sed et addendum erat praeter hoc Graeco Latinum *Chrestoni* Lexicon extare et aliud Latino Graecum eiusdem authoris ab eodem *Bono Accursio Pisano* productum dicatumque *Antonio Bravello* JCto primario et Ducali (Mediolanensi) Senatori. Huius operis tres habeo codices diversis typis sed antiquis absque loco et anno excusos in 8. maiori; quamquam tertium paulo recentioris est aetatis et formae minoris. Longius fortasse quam institutum meum postulat, haec diducta videri cuiquam possent; nisi quo simul tempore menda nonnulla Bibliothecae Graecanicae detegunt, emendando pariter huic ipsi *Fabricii* operi V. JOANNES *Chrestonius* valerent. His tamen nequicquam obstantibus, GRAECA Fabricii Bibliotheca opus est insigne, dignissimum plane quod Italicis typis recusum manibus Italorum familiarius redderetur.

Post GRAECAM secundo gradu constitit Bibliotheca LATINA semel iterum et tertio ab authore limata atque expolita. Quamquam et illud opus est dignum authore suo, eique nominis famam illam insignem tuetur, quam sibi inter doctos rei literariae viros promeruit; adhuc tamen multis parasangis a perfectione distat. Id demum illi sentiunt et agnoscunt, qui authoris cuiuspiam Latini novam editionem suscipiunt. Cum enim in praefatione historiam praecedentium editionum contexunt, deseri se in via a Fabricio non semel experiuntur. Multa sunt tamen in eo opere praeclara scitu jucunda, et frustra alibi quaerenda.

Declinantem authoris sui aetatem sentit Bibliotheca MEDIAE et INFIMAE LATINITATIS cuius recudendae consilium modo inivi. Ab authore suo per partes concinnata est; tantum enim per singulas vices dabat, quantum typi properantes quotidie exposcerent. Operi nondum perfecto immortuus est; nec nisi annis aliquot ab eius obitu *Christiani Schoettegenii* opera integro adiecto volumine, totius Bibliothecae VI, absolutum est. Multa in eo erudite scripta, multaque vicissim imperite; obreptum est interdum viro bono; saepe immeditata scribenti excidit quod secundis curis, si vitam longiorem dedisset sors, delevisset. In eo scribendi tumultu unus idemque scriptor bis; ac vicissim multi ne semel quidem venerunt ad calamum. Quis anachronismos ferat intolerabiles? Quis libros geminos in uno male confusos, vel ex uno dissectos in geminos? Haec tamen quaecumque fuerit Bibliotheca placuit eruditis, tantoque studio conquisita est, ut jam tandem venalis raro prostet apud bibliopolas. Nec immerito id quidem; vel sic enim multa docet alioquin ignota, non pauca

e media antiquitatis caligine, qua obsita delituerunt, in apertam lucem proferuntur. Prodest Bibliotheca haec novas scriptorum veterum editiones molientibus, priores operis illius evulgationes indicando: quae addi quae detrahi, unde nova accipi commode possent suggerendo. Cautos etiam eruditos efficit ab ea deceptione, quam nominum similitudo persaepe inducit. Aetatem, professionem, causamque scribendi singulorum authorum definit, quod commodum et periucundum, immo et necessarium quandoque legentibus accidere solet.

Id ego peraeque cum aliis rei litterariae studiosis intelligens amore quodam et voluptate trahi me in hunc librum sensi, dolensque tot tantique praetii gemmas luto quodam infici, colligendas seu potius detergendas illas primo quidem ad privatum commodum meum suscepi. Tunc, rem mihi succedere pro voto expertus, cogitare serius de communicando labore meo cum eruditis coepi. Continuo manus ad opus admovi; iisque usus adiumentis, de quibus inferius disseram id demum perfeci ut Bibliotheca haec novo ornata paludamento in Italiam nostram maiori gratia atque doctorum virorum favore procederet.

In his igitur adornandis quam mihi praestituerim rationem nunc paucis exponendum est. Quamquam scriptorum turbam plane ingentem in opere hoc suo *Fabricius* instruxit; longe tamen multo plures praetermissi sunt, quos sive ex vetustis editionibus, sive ex MSS. Codicibus adsciscere mihi pronum fuisset. Ab iis tamen fere omnibus abstinere satius duxi, utpote cui nulla satis idonea ratio succurrebat, quam aliis admissis alios repudiarem; indiscriminatim vero omnes invehens pro eo quod moderato additamento Bibliothecam Fabricianam ornassem, nimietate gravi illam potius oppressissem; neque tunc ad *Fabricii Bibliothecam* additiones meas, sed ad meam potius Fabricianas dedissem. Eo igitur consilio augendae scriptorum familiae in praesens omisso (nisi quod uni vel alteri id gratiae datum est idonea aliqua ratione suadente) rejectoque eo additamento ad supplementum, quod ad tempus aptius reservo; me totum intra hos fines contraxi, ut catalogum librorum a singulis scriptoribus editorum, si quem forte mancum apud *Fabricium* nactus sum (nactus autem sum non infrequenter) quam accuratissime perficerem atque supplerem. Certum tempus quo scriptores illi floruerunt definirem; distinguerem nomina et libros ibi confusos; menda corrigerem, quae utique menda si brevibus indigebant vel in ipso textu, vel addita ad marginem brevi nota correxi; quae vero se latius proferebant adnotatione ut reliqua omnia emendavi.

In primis vero rationem habendam judicavi de loco quo recudenda erat, et de authore qui sibi eam provinciam Bibliothecae huius expoliendae assumpserat; de me ipso scilicet; ac de Italia. Heterodoxorum sacris addicto *Fabricio* nonnulla exciderunt in Ecclesiam Catholicam, in sacros homines, atque in summos Romanae Ecclesiae hierarcas iniqua et iniuriosa; haec si unico verbo expediebantur, authori heterodoxo indulgenda censui. Potuissem haec in ipso opere expungere, utpote quae ad rei summam minime pertinerent; religioni tamen duxi ne quid huiusmodi molirer, invidiae apud heterodoxos declinandae gratia; ne mihi apud illos doli mali suspicionem crearem. Caeterum velim credant eruditi me illa omnia petulantius in res nostras dicta ex corde detestari. Quin et in opere jam tandem Italico et ab homine Catholico curato aliter haec accipi volo; ac olim in opere scriptoris heterodoxi Hamburgensibus typis exprompto sonabant. *Papalis tyranni,* in ore Protestantis, nunc perinde valere jubeo ac juxta et moderata Ecclesiae gubernatio; *Catholicorum superstitio* sit sacrorum rituum Apostolorum et veteris Ecclesiae auctoritate probatorum religiosum et constans obsequium. Si forte tamen interdum non verbis tantummodo sed rationibus nobiscum agendum *Fabricius* censuit; tunc in adnotationibus meis rationes rationibus opposui; exultantemque adversarium scriptorem coercui. Fatendum est tamen moderata consilia *Fabricium* plerumque sequi; qui vero Bibliothecam eius absolvit *Schoettgenius*

in nos licentius excurrit: eadem de illo ac de Fabricio habita ratio est. Haec de me additamentisque meis ad Fabricii Bibliothecam lectores docendos curavi.

Nunc de fontibus unde mea hausi, quaedam praemonenda sunt. Praeter veteres editiones, quas in Bibliothecis insignioribus rimatus sum, praeter Catalogos MSS. codicum typis evulgatos non incuriose a me inspectos, Bibliothecarum etiam pluteos invisi, unde plura extraxi quae gratissima eruditis fore, non vane, ut spero, mihi assentatus blandior. Horum ope rimas quasdam editorum voluminum, insertione eorum quae deerant, sanavi. Ita in ordine Romano *Joannis Gaitani,* a Mabillonio jam edito, ex meo MS. codice lacunas opplevi. Variantes maximi praetii inde deprompsi. testibus variantibus illis in carmine *Henrici Septimellensis* ex codice olim D. Marii Florentini, nunc Francisci M. eius filii, Lucensis patritii, extractis. Hinc librorum quorundam tituli aucti sunt. In eam rem maxime profuit usus mihi liberalissime concessus Bibliothecae dudum FELINI SANDEI Lucensis Episcopi, inter scriptores Juris Canonici aetate sua facile principis; nunc vero eiusdem *Felini* largitione Canonicorum Maioris Ecclesiae Lucensis. Thesaurus haec est librarius e MSS. plerumque codicibus, admixtis pauculis excusis vetustae editionis voluminibus, refertus. Grandia hic nactus sum clarissimorum infimae aetatis Jurisconsultorum volumina *Baldi, Bartoli, Accursii, Jasonis, Panormitani, Felini, Bellamerae, Barbaciae, Pauli de Castro* velut nusmismata maioris moduli; minora hic pariter opera deposita sunt, *Durandi, Joannis de Lignano, Calderinorum, Bertacchini* ceu mediae magnitudinis numismata; minima etiam non absunt; *Cataldini, Corsetti, Lancelloti, Cumani, Tancredi, Hostiensis,* quae thesauri huius aera minora merito dixeris. Augent codicum illorum praetium. JCtornm quorundam opera ipsa eorum manu vel scripta vel subscriptione probata, cuiusmodi *Ancharani* et *Francisci Zabarellae* sunt quaedam; *Felini* vero pleraque. Alia *Felinus* crebris doctisque adnotationibus suis ornavit. Sunt et alii aliarum disciplinarum MSti Codices, quos sibi describendos Felinus curavit, velut *Aretini, Campani, Cyriaci Anconitani* aliorumque Epistolas, *Aeneae Sylvii* opuscula nonnulla, *Ottonis Frisingensis, Anastasii Bibliothecarii, Antonii Panormitae* scripta historica. Speciminis gratia haec pauca ex multis adnotavi. His ergo omnibus usus *Fabricii Bibliothecam Mediae et infimae aetatis* ornavi, supplevi, emendavi, ac pro viribus illustravi. Fave, lector huic meo molimini, et plaude.

IN OBITUM J. D. MANSI LUCENSIUM ARCHIEPISCOPI

(N. an. 1692. 16. Febr. ob. 27. Sept. 1769.)

Spiegò morte il fatal vessillo nero;
E nol temeo l'eroe, ma disse vieni:
Già più non son per me questi terreni
Affannosi soggiorni, ingrati al vero.
D'onde l'alma partì torni al primiero
Etereo albergo. Oh di quai cure pieni
Far miei mortali dì! Sien or sereni
E più morte su lor non abbia impero.
Tacque e lo spirto dal suo fral disciolto
Tra l'eterne s'immerse aure di vita
Ciascun lasciando in alto lutto involto;
Ma a confortar la greggia sua smarrita
Tal di scienza lasciò tesor raccolto
Che estinto ancor le vie del ver le addita.

Abb. Dom. Fel. LEONARDI.



IOAN·DOMINICUS MANSI

Archiep. Lucensis aet. LXXVII

IOANNIS DOMINICI MANSII

VITA

ANGELVS FABRONIVS

PHILIPPO SARDIO ARCHIEPISCOPO LVCENSI

S. P. D.

Nemo te, Praesul amplissime, melius novit, quanta vis ingenii, doctrinae, et elegantiae insit in Dominico PACCHIO, cujus opera sic uteris, ut Seminarii tui alumni divinis litteris imbuantur. Ego quoque pro jure emicitiae exigere me ab illo posse putavi, vitam ut Latine exponeret Jo. Dominici MANSII, qui istam Sedem, quam singulari opinione prudentiae atque innocentiae meritissimo occupas, per annos quinque et amplius sic tenuit, ut vita atque scriptis praeclarissima posteris exempla ad imitandum reliquerit. Fuit quidem semper laus propria Lucensium Antistitum, ut decus omne sapientiae cum religionis, sacrarumque caeremoniarum studio jungeretur, in quo non modo populorum, sed et Reipublicae ipsius salutem atque felicitatem sitam esse rectissime judicarunt. Quo enim referuntur omnia Christi praecepta, nisi ut sobrie, juste, et pie vivamus, ut appetitus sint tranquilli, atque omni perturbatione animi careant, utque utilitates nostras iis in rebus quaeramus, a quibus abest turpitudo, quae si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et foeditas turpificati animi debet videri? Extiterint licet multi, qui in hac infelicissima rerum omnium conversione atque eversione traducere conati sunt animos a divinis institutionibus, et a sanctissimis majorum exemplis ad turbulenta consilia, ii quidem effugere vituperationem minime potuerunt vel eorum, quos sperabant fore libidinum suarum patronos. Virtus, ut praeclarum est Ciceronis dictum, in tempestate quieta est, et lucet in tenebris, et pulsa loco manet tamen atque haeret in patria, splendetque per se se semper, nec alienis unquam sordibus obsolescit.

Porro quid est, quod ab illis non metuas, qui religionem, patriam, et omnia honesta ludibrio habent? Si pacem, uti speramus, habebimus, rectores civitatum rerum praeteritarum commonefacti exemplis intelligent, quantum sua, quantum Reipublicae intersit, munire communem arcem bonorum, et abstruere perfugia improborum, et qui sacris praesunt magis magisque elaborabunt, ut non hic noster, sed antiquus mos vigeat, atque ea studia colantur, quae ad bene beateque vivendum, quanquam iis multi perverse et ingrate abutantur, sunt instituta. Ad id opus erit magistris, quorum nota sit doctrina, facultas etiam et dexteritas in ea ceteris tradenda, et quod caput est, morum probitas; nihil enim dicere et facere debent, quod malum oleat. Nec probatis tantum erunt moribus, sed prudentes quoque, et ingenium habebunt accomodatum ei, quam profitentur, arti atque ei generi auditorum, quos in disciplinam recepere, quo melius et ii tradant, et hi percipiant. Non rabiosus sit Grammaticus, non ineptiarum, sed germanae eloquentiae laudator Rhetor, non pertinax ullique sectae addictus Philosophus, non rixosus Theologus, omnes denique caveant intempestiva, odiosa, atque inefficacia praecipere. Ad id filiorum loco habeant discipulos, nec pecuniae nimium sint avidi; nunquam enim bene traditur disciplina, quae venditur, quod in primis vitavisse Socratem auctor est Xenophon in Commentariis. Gratulor tibi quod hujusmodi plures habeas adjutores, qui non patientur quidem optima studia a Mansio, et a te summis curis culta

. . . in pejus ruere, et retro sublapsa referri

et subsidia industriae atque instrumenta virtutis in libidine audaciaque consumi. Vale.

Florentiae Non. Oct. MDCCCI.

DOMINICUS PACCHIUS ANGELO FABRONIO S. D.

Quod invitatu hortatuque tuo confeci commentariolum, qualecumque est, tibi offero, Vir Clarissime, ne tamen pro desiderio tuo satisfecerim, admodum vereor, qui ne mihi quidem ipsi videor satisfecisse. Quoties enim cum Latinis scriptoribus me oblecto, perplacet germana illa linguae elegantia et munditia, et aequabiliter molliterque fluens sermonis concinnitas, in qua mirifice tu quoque excellis. At cum scribo ipsemet, et quae scripserim recognosco, duriusculum nescio quid offendo, Latinitatis vestigia video, effigiem et formam non video. Eundem, ut a te audivi, in rhetoricis studiis praestantissimum sane doctorem alius alibi uterque nostrum habuit; (1) *verumtamen sicuti non omnibus eadem ingenii habitudo, neque idem discendi ardor, ita non idem omnium profectus; serius autem me non profecisse poenituit, quam ut mederi dies posset. Pro meo tamen sensu haud mediocriter doleo effluxisse jam illud seculum, quod Facciolatum tulit, Lagomarsinium, Bonamicios, Mazzolarium, Ferrarium, Corduram, Cunichium, aliosque ejus notae scriptores elegantissimos. Ut vero nunc est, non parum sane verendum, ne Latina lingua (quam repentina rerum conversione facta plurimi prorsus immerentem negligunt, quodque probrosum magis est, eam negligendam existimant) brevi apud nos pene sine honore jaceat; nisi forte contra quam fas est conjicere volumus, quae tristia habuerunt initia, bonos exitus habitura. [Sed mirum profecto domesticas ab Italis laudes minimi plerumque aestimari; quasi vero Latina lingua una propemodum reliqua aviti patrimonii pars non esset, qua nos spoliare nunquam externi sunt ausi. Licet enim in eo scriptionis genere illorum aliquot excelluerint, hanc tamen laudem Italiae acceptam retulerunt semper libentissime, aut Italiae primas candide et meritissimo detulerunt. Quanquam multo illud etiam turpius, quod linguae ipsius Italicae cultus oblanguisse jam plurimum apud nos videtur, ac praeter modum refriguisse. Nimium profecto in dies invalescit fucata quaedam et insolens et inepta peregrinitas vocum, et scriptionis genus externarum gentium stylo absurde interpolatum tam frequenter auribus nostris atque oculis inculcatur, ut Italicae linguae suavitatem, nitorem, gravitatem a plerisque recentiorum scriptis abesse fatendum sit. Quo quidem loco non id reprehensione dignum dixerim, quod exterorum sapientiam et elegantiam plurimi nostrates praedicant, et externa legant cupidissime atque admirantur; quae autem excellentem habent pulchritudinem, quis non admiretur? Sed quidquid in cæterorum scriptis concinnum ac venustum inconsiderete videtur, idem prorsus ipsum a nostris in Italica scriptione temere liberrimeque usurpari, et peregrinitati quasi civitatem dari id probro et crimini profecto est. Ut enim illud praetercam Italicae linguae injuriam fieri tanquam inopi, dum ad externa nulla ratione confugitur, suos quaeque lingua flores habet, sua lumina, colorem suum; at si haec ipsa, et eorum formis ad alienam linguam licentius traduxeris, flores intereunt, sordescunt lumina, turpatur color; siquidem unaquaeque lingua in suis veluti aedibus se esse dominam vult. Nihil porro de iis dico, penes quos, nec immerito, Italicae linguae arbitrium antea fuisse videbatur; nata enim apud eos fuerat atque accuratissime nutrita. Nunc vero vel pura ipsa et emendata patrii sermonis syntaxis fere in oblivionem penes illos venit; adeo ipsam cum Gallici praesertim sermonis syntaxi permiscendo pessundant, atque etiam creberrimis inquinant solaecismis, et licet cetera eruditi tam impolite ac mendose scribunt, ut in hoc emendatae dictionis genere reliquarum Italiae urbium scriptores plerumque longe plurimum praestent. Quam merito Mazzolarius oratione illa sua ad Florentinos* de Italorum in Litteris Principatu *sexaginta jam annis scripserat* « Nolite pati pulcherrimam linguam per vestram incuriam atque socordiam exoticarum hibridarumque vocum frequentia insolentiaque dehonestari. *Verum de ista quoque temporum inclinatione ac tristitia, in quam tenebro-*

(1) *Jos. M. Mazzolarium, Pisaurensem Jes. qui nomen sibi Jo. M. Parthenius fecit.*

sissima nostra aetas incidit, tecum qui idem sentis, conqueri diutius nolo, eo vel maxime, quod atrociora alia in oculos incurrunt; quae, licet non satis commode ac libere, defleantur. Ad Commentariolum redeo, quod Mansio dignum esse voluissem quam maxime; sed praeter voluntatem ac diligentiam nihil praestare aliud potui; si autem his, quae praestiti, contentus eris, mihi ipso minus displicebo, qui parum semper mihimet placui. Ut Latinis atque Italicis litteris diu vivas, auguror et exopto.

Lucae Idibus Sextil. MDCCCI.

Quamquam praeclara eruditionis monumenta, quae viri doctissimi pubblicis literis prodierunt eos ipsamet ad omnem memoriam commendant, quiddam tamen insigne est tum ad eorum laudem, tum ad historiae utilitatem et posterorum incitamentum, si litteratos istiusmodi hominum labores, studiorum rationem vitam moresque lucide ac breviter describendo expressa aliqua illorum veluti imago accuratius proponatur. Hac enim vero mente Ioannis Dominici MANSII Vitam declarare aggredior, illius nempe hominis cui gravissimum et multiplex sacrarum disciplinarum genus quantum debeat vix dici profecto potest.

Natus ille est anno millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo XIV. Kal. Martias Lucae, quae civitas praecellentium ingeniorum laude atque scriptorum insignium copia numquam non eminuit. Parentes fuerunt Joseph Mansius et Rosa Torria, coniuges genere et nobilitate cum primis eius civitatis illustres. Etsi vero Jo Dominici puerilis aetas in ea tempora incidit, quibus latinae litterae squallebant plurimum (siquidem et Grammaticorum et Rhetorum maximae plerumque erant ineptiae et insulsitas non mediocris) ea tamen mentis sagacitas in illo eluxit, ut cum primum ex Grammaticae tricis sese potuit explicare, ad latinos praesertim historicos scriptores legendos meditandosque incubuerit avidissime. Ita porro sensim non sine acri animi contentione eam sibi latine scribendi rationem comparavit, quae satis et nitida et gravis et accommodata esset, qualem universa ipsius scripta praeseferunt. At quoniam praeter celeres ingenii motus, et memoriae vim prope singularem, ardoremque mirificum addiscendi inerant in adolescentulo magna quaedam morum suavitas atque ingenuitas, et pietatis egregia indoles, idcirco temporum officiorumque momenta diligenter perpendens, licet major natu inter fratres esset, sexto decimo aetatis anno Congregationis quam Clericorum Regularium Matris Dei nominant, ineundae consilium coepit. Re impetrata Neapolim alacriter petiit, ibique in tyrocinium ingressus est; quo post triennium confecto, votisque solemnibus emissis, Lucam revertit, ut Philosophiae operam daret. Fastidiosum admodum erat adhuc atque horridulum id studii genus, quippe inanibus omnino disputationibus nimis permixtum. Mansius itaque, qui validam utilitatem atque scientiam natura admonente maximopere appetebat, haesit primum aliquantisper; mox tamen se omni molestia expedivit, hoc sibi uno proposito, ut quae inutilia essent, secum ipse respueret, utiliora ac veriora sedulo arriperet, cetera tantummodo delibaret. Quidquid interea sibi erat otii, optimorum sacrae potissimum eruditionis librorum lectioni id omne tribuebat, quod quidem et vero studiosius praestitum ab eo fuit, postea quam ad Theologicas disciplinas se libentissime applicavit. Ingenita enim, qua incensus erat, Ecclesiasticae Historiae scriptores perlegendi cupiditas satiari minime poterat; quam ad rem graecas etiam litteras sibi subsidio comparavit. Nec vero antiquitatem solam annalibus consignatam ei libebat evolvere, et cognitione assequi et memoria sepire, verum etiam quaecumque id genus emitterentur in lucem, percupide conquirebat, ut animadversiones, si quae antiquitatem illustrarent, et emendationes aut factorum aut temporum acriter introspiceret, ac recto criticae artis usu de genuinis, de suppositis, de incertis prudenter cognoscere assuesceret. Studiorum curriculo de more absoluto, eum Philosophiae primum, deinde Theologiae tradendae sui praefecerunt, quo item tempore nihil a privati studii instituto recessit; neque imbecillitas corporis et virium infirmitas, qua laboravit aliquandiu, commentandi plurima, plurima indagandi meditandique aviditatem in juvene incredibilem retardabat. Sed posteaquam satis roboris habuit, id ei muneris commissum fuit ut illam publice interpretaretur Theologiae partem quae circa mores versatur. Isthaec sane scientia innumeris quaestionibus obsita, sententiarum varietate per-

saepe anceps, legum ac decretorum pene infinita serie undique referta d stabat longe plurimum ab eo doctrinae genere, quod Mansius prae caeteris adamabat. Paruit tamen minime invitus, et traditum sibi munus ea laude ac dignitate vel ab initio explevit, ut auditorum quorum frequenti corona stipatus erat, desiderio cumulatissime satisfecerit.

Ne vero quempiam in posterum obscuritas remoreraretur earum rerum, quae circa RESERVATOS CASUS aut difficiles aut ambiguos habebant explicatos, satis copiose dilucideque ipsas perutili libro exposuit, cum vix trigesimum secundum attigisset aetatis annum. Quae prima ipsamet lucubratio ut in lucem prodiit, in sua facultate jam egregie versatum hominem declaravit, et mentis intelligentiam gravitatemque judicii. Et vero iterum postea discentium commodo impressus liber fuit (decuisset autem fortasse recudi etiam tertio, potius quam in epitomen redigi, prout non ita pridem factum est.) Dici vix potest quantum Mansii opera Clericis et Sacerdotibus profuerit Lucensis Dioaeceseos, ad quos in scientia morum instituendos non modo patienti, sed etiam libenti animo per complures annos incubuit. Neque enim ulla unquam ei cura defuit ut et rudiorum et exercitatiorum commodis industriam attemperando serviret, atque optimam quandam quasi formam omnium ingeniis imprimeret. At si in una hac longe operosa provincia elaborare cuivis alteri poterat esse permagnum, Mansio non item, qui reliquas munere vacuas diei horas abditus in cubiculo, et librorum multitudine circumfusus alia prorsus meditabatur, eaque non minus gravia atque utilia.

Et vero annus unus ab eius libri de quo dixi, confectione intercesserat, cum latine a Mansio redditus in lucem prodiit peramplum eruditissimumque GLOSSARIUM BIBLICUM, quod praestantissimus omni litterarum genere CALMETIUS sermone suo Gallico concinnarat. Pari autem deinceps studio atque celeritate (quam ut adhiberet, aliena etiam opera usus nonnunquam est) eiusdem auctoris Prolegomenorum et DISSERTATIONUM in singulos S. Scripturae libros itemque litterarium in universa Biblia COMMENTARIORUM latinam versionem feliciter adornavit, complexusque est totum Opus XIV grandioris molis voluminibus,

Minime ideo mirum videri debet, si tam uberes celeresque ipsius studiorum fructus, qui ad universos permanabant jam tum maximam laudem et nominis celebritatem apud doctos ei conciliarint. Calmetius ipsemet cum primum egregiam illius industriam, et exquisitum judicium perspexit, datis honorificentissimis litteris eum quamplurimum commendavit, et facultatem fecit praeterea conformandi (1) quae minus placuissent (quod parcius sane quam par erat praestitum fuit).

At Mansius ingens aliud, et novi generis, diuturnumque opus adorsus continuo est, cuius primum volumen eodem ipso anno evulgari coepit, quo Biblicorum commentariorum postremum volumen emissum e proelo fuerat: curandam nimirum susceperat novam Ecclesiasticorum ANNALIUM editionem, quos adversus turpissimas et temeritatis plenas Magdeburgenses Centurias olim a Caesare BARONIO docte, et super quam credibile est laboriose digestos, ab anno MCXCVIII ubi iste desierat, ad annum usque MDLXV Odericus RAINALDUS fuerat persecutus. Apparatum itaque eruditissimum amplissimumque, qui universo operi praeiret, Mansius confecit: deinde vero quoniam in Baronii libris non pauca erant aut minus vero conformia aut minus criticae artis studio consentanea (quemadmodum perfacile accidere potuit in tanta et tam difficili praeteritorum temporum historia scribenda, eo vel maxime quod antiquitatis monumenta, quae in promptu esse tunc poterunt judicium delectumque maximum postulabant, innumera vero alia in tenebris adhuc delitescebant) opportunissimas ad paginarum calces subiecit Antonii PAGII adnotationes. Decebat tamen hasce ipsas ad trutinam revocare, ut ad veritatem quam maxime congruerint, nam in istis non ita raro aut falsa opinione et errore, aut partium studio peccatum fuerat. Quamobrem praeter recentiores Dominici GEORGII emendationes in Consulares fastos, adiectae fuerunt a Mansio creberrimae animadversiones, emendationesque, quibus chronologia ac series historica confirmaretur et complurium etiam Conciliorum nova omnino notitia quamdiligenter inserta. Longe tamen plura

(1) Eruditissimus Calmetius nulli labori pepercit ut cuncta, queis possent Biblia quoquo modo illustrarf congereret, at plurimorum doctorum judicio magnum tum in rebus, tum in opinionum delectum neque adhibuit, neque reliquit.

ipse contulit ad Rainaldi libros recognoscendos.

Cum enim frequentiora in istis occurrerent, quae modo castigari, modo illustrari, modo suppleri necesse erat, doctorum hominum, qui ad medii aevi antiquitatem discutiendam et monumentis confirmandam sedulo incubuerant, commentarios, disquisitiones naviter pervestigavit, et quae aut ad conditionem, aut ad historiae ordinem maximopere pertinerent, non tumultuaria rerum permixtione, sed severiori judicio excerpta ac retractata sagacissime appositeque in universo ingenti opere (nempe voluminum triginta quinque) distribuit singula. Quo sane permagno et conatu et studio id perfectum fuit, ut Ecclesiasticae historiae, quae Baronii veluti a parentis sui nomine merito gloriatur, permultum quoque dignitatis ex singulari Mansii industria et doctrina accessisse eruditi omnes vere et proprie asseveraverint.

Cum talis tantusque vir ipse fuerit in Ecclesiastica historia illustranda, mirari satis eorum negligentiam non queo, qui cum in Dictionario Theologico Encyclopedico Bergerii Italice reddito et Romanis typis non ita pridem edito) articulum de *Cardinali Baronio* addiderunt, huius Annales emendatos atque exornatos fuisse affirmarunt a Pagio, a Fleuryo, ab Ursio, a Becchetto, a Saccarello; Mansium vero ne quidem nominarunt; cuius tamen ex studiis atque vigiliis, quoniam in hoc genere fructus cepimus amplissimos, eum nimis indiligenter. aut nimis illiberaliter praeteritum silentio fuisse quisque fatebitur. Sed hac re obiter attacta, neque enim visa est dissimulanda, ad propositum redeamus.

In Annalibus, itaque tum Baronii tum Rainaldi peropportune exornandis Mansii ingenium, acumen, diligentia, conatus maximopere enituerunt, suoque ipse labore eorum, qui quidquid simile aggredi vellent, laborem profecto plurimum allevavit. Quod si id minime assecutus est, ut a laboriosis perpetuisque animadversionibus, quas tanto studio concinnavit, naevus prorsus omnis abesset (cavere autem omnino maius est quiddam, quam quod ab homine postulandum sit, cui aliquoties honesto et probabili nomine error objici potest) non aliquibus tamen naevis, sed corpore omni totum hominem cognosci oportere nullus ignorat. Minime vero omnium ignorare id debuisset (*Mamachius*) qui in Romanis litteratorum Ephemeridibus acrius nec semel, Graeca loquacitate, nec sine contumelia Mansium perstrinxit nemini infensum, et de se modeste sentientem, non erroris solum sed etiam levitatis ipsum coarguendo.

(Neque hic reticebo quid ad eum tam acriter lacessendum hominem coeteroqui doctum et eruditum commoverit.) Vetustissimo Codici ex insigni canonicor. Veronensium tabulario excerptus innixus Mansius Concilii Sardicensis epocham triennio citius quam vulgo putabatur statuendam esse affirmaverat. Nova quidem prorsus opinio, et non ea tamen quae adeo graviter notari ac vituperari iniuriose deberet; honorifice enim de ea senserunt scriptores eruditissimi Ephemeridum Amstelodamensium, et Muratorio item doctissimo illi viro, minime est improbata; qualiacumque tandem esset, contumeliarum aculeis numquam debebat insequi (sed dicacitatis quaenam est temperantia?) Recenti isthac ingentis moliminis editione pertinaci conatu et sine intermissione ulla inter ceteras scholae occupationes confecta, ad quietem aliquam remissionemque revocare se posse Mansius videbatur. Sed quaedam ingenia sunt ad egregia studia ita a natura ipsa comparata, ut et contentione nunquam defatigentur et quae doctrinarum studiosis prodesse possint, solerter vestigent. Tantum itaque abfuit, ut de laboris levamine cogitaret Mansius, totus jam in eo erat ut CONCILIORUM collectionem non mediocri accessione ditaret.

Labbeus inter ceteros et Cossartius iis undique colligendis pridem adlaboraverant; Coleti deinceps cura ac labore admodum opus accreverat. Mansius tamen sexcenta usque nova Concilia in lucem protulit, et plurimas item epistolas et Decreta Romanorum Pontificum tunc primum ex insignoribus qua graecis qua latinis codicibus non temere hausta. Praefationes singulis praefixit, adnotationes criticas, chronologicas, dogmaticas sapienter distributas apposuit, varias etiam variorum codicum lectiones, quod in ea re magni interest, quam diligenter recensuit. In hoc maximarum vigiliarum opere praesto ei quidem fuerunt recentissimae Collectiones Conciliorum Angliae a Wilkinsio, Hungariae a Peterfejo adornatae, et vetera etiam monumenta in novum Anecdotorum Thesaurum a Martenio congesta. Percommode etiam factum est ut ei pateret liberrime ad suam rem Canonicorum Lucensium majoris Templi Bibliotheca, quae et vetustissimorum Codicum et antiquarum editionum tum numero tum praestantia est maxime illustris. At quanta sagacitate et solertia opus fuit et quam exi-

mio delectu, ac sedula commentatione, ut quae perlustranda erant, scrutaretur atque excuteret, et accurate perpenderet? Obtigit tandem ut earum rerum, quae veritate magis commendatae essent recensione et bene structa collocatione tantam segetem appararet, quae sex omnino grandioribus voluminibus lautissime struendis edendisque suppeteret. Errarent porro turpissime, qui seu in novo hoc praediviti conciliorum supplemento conficiendo, seu in Ecclesiasticis Annalibus, quos antea memoravimus, diligentissime expoliendis maximum et assiduum tantummodo Mansii laborem in praetio habendum esse censerent.

Quasi vero Lunigius, Ludovigius, Dacherius, Martenius, Mabillonius, Muratorius, Tiraboschius ceterique omnes impigri antiquitatis conquisitores, a quibus tantas doctrinarum utilitates accepimus, industrii dumtaxat et laboriosi homines appellandi essent, litterati et docti non item, contra quam consensu omnium et pro rei veritate judicatum fuit. Qui enim fere infinitam librorum et monumentorum multitudinem acutioribus mentis oculis inquirere, temporum et rerum latebras peragrare, falsa a veris decernere, optima deligere, atque apte illuminateque disponere sciat (quemadmodum a Mansio factum fuisse novimus) non nisi praestantissima esse in eo potest ingenii et memoriae vis et intelligens gravissimumque judicium, atque eruditio perfecta. Verum reliqua Mansii opera (neque enim ita pauca sunt, aut minus elaborata) persequamur.

Occurrit autem statim nova editio ab eo concinnata Ecclesiasticae illius historiae quam Natalis ALEXANDER conscripserat, et doctis aeque ac luculentis dissertationibus illustraverat. Enarrationum ope, quas postea Constantinus *Roncaglius* ad ea capita, in quibus vitium erat perdocte apposuit, a censurae nota, quae universo operi ab Innocentio XI fuerat non semel inusta (2) eam prorsus liberari ex sententia successerat.

Operae tamen praetium erat complura addere, quae post Alexandri obitum evulgata ad historiam exornandam potissimum conducebant: nec pauci insuper erant loci, quos a novis haereticorum et Basnagii praesertim criminationibus vindicari plurimum interfuisset. Haec vero diligenter praestita esse a Mansio perspicue declarant selectissimae animadversiones eruditione doctrinaque plenae, quas peropportune et frequenter addidit non mediocri et ad historiae veritatem, et adversum perpetuos religionis hostes praesidio.

Sed ut tyronum etiam, eorumque praesertim qui tenuiores essent, commodo consuleret, de nova quoque editione cogitavit brevioris Ecclesiasticae historiae, quam Hyacintus GRAVESONIUS perutiliter contexuerat. Neque vero solum et attentius recognita a Mansio ipsa est, et cumulatius adornata; sed recentiorum quoque temporum historica appendix ad Gravesonii normam adiecta.

Dum et religionis et litterarum bono tam sedulam numquam defessus navavat operam, nihil sane inopinatum adeo atque inespectatum, quam ut ante Romanum Tribunal, quod *Congregationem Indicis* nuncupant, vocaretur. At cuipiam (*Concina*) non infimi loci Theologo (qui in naevis Probabilistarum rimandis aut mendis exaggerandis contentioni plusculum et acerbitati naturae, quam veritati largiri assueverat) liberiora quaedam et censoria notatione digna forte visa sunt contineri in eo libro, quem suorum omnium primum editum a Mansio fuisse dictum suo loco est. Eiusmodi praeterea criminationem ut ut severioris doctrinae tenacissimus Theologus ille esset veritus minime fuerat Venetis typis in suo quodam opere (3) pervulgare.

Verum aliter res cecidit ac putaverat, nam Epistolis ad Romanum tribunal a Mansio missis factum brevi est, ut nomini suo aspersa iniquissima labes perfacile evanesceret, si quidem planissime ostendit, quam detorta atque indigna fuisset accusatoris interpretatio, ita ut et Ricchinius, qui illius congregationis a secretis erat, et Cardinales Besozzius atque Gentilius (4) qui eximiam Auctoris doctrinam summo in

(2) Primum die 10 Julii 1684 deinde 26 Febr. 1687. Vide Aloysium Mozzium vol. I. op. inscripti Compendio Storico cronologico di più importanti giudizj portati dalla S. Sede Apostolica Rom. sopra il Bajanismo, Giansenismo e Quesnellismo.

(3) Liber erat inscriptus *Esplicazione di quattro paradossi* ibique pag. 47 legebatur. *Il libro del P. Mansi fu denunziato alla S. Congr. dell'indice è stato meritevole della proscrizione. E quando non lo stampi spurgato da molte proposizioni false e scandalose, s'intende (come è notorio in Roma) sia stato condannato.*

(4) *Entrando, a misura della particolare stima che nutrisco per la persona di V. P. a parte di ogni sua letteraria sodisfazione e inconvenienza, ho provato molto piacere che non sia per farsi più la motivata relazione del suo libro, per cui e per il benemerito Autore goderò del pari di poter sempre con frutto impiegare ogni più ef-*

honore habebant, felicissimum causae exitum gratulati per litteras eidem plurimum fuerint.

(Nec tamen idcirco aut apertam ullam aut obscuram simultatem eum postea cum accusatore gessisse credas: huic enim ipsi cum dein ad Lucenses balneas valetudinis curandae causa venisset, nullum a Mansio officium defuit; nec vero aliter se gessit dum Romae fuit, cum illo altero a quo male mulctatum fuisse eum diximus circa epocham Sardicensis Concilii).

Qui tot et tam egregia hactenus scripserat, atque in lucem protulerat, eorum unice oblitum fortasse videri poterat, qui illum antea per compluros annos in morum scientia praeceptorem optimum habuerant atque amantissimum; sed ut iis quoque prodesset sibi proposuit, ea tamen lege, ut non minus brevitati quam eruditioni serviret. Ad quam rem sane nihil excogitare potuit accomodatius, quam ut in accuratissima EPITOME conficienda elaboraret. qua strictim et enuncleate atque apto ordine recensitum fuit quidquid Canonicae et Moralis Doctrinae complectuntur sapientissimi Pontificis Benedicti XIV, aurei libri doctrinae atque eruditionès praeclarissimi uberrimique fontes. Quam postea Epitomen, quoniam et ratione disposita et admodum utilis visa est, non paucis item illorum operibus qui de morum disciplina antea scripserant aut scripserunt postea, illustrandis perbelle veluti appendicem accessisse in recentioribus eorum editionibus novimus.

Non mediocre praeterea in eo genere illud Mansii beneficium fuit quod LAYMANNII gravissimi peritissimique hominis Theologiam, jam alibi in compendium scite redactam instructiorem atque ornatiorem Patavinis typis prodire voluit, peropportunis nempe et probatissimis ad praxim regulis ditatam, quas ipse e nitido fonte delibatas in sua certa genera coegit, suisque singulas capitibus attribuit. Cuius rei maximam utilitatem fatebitur, quisquis intelligat quantum in studiis adiumento sint praecepta cum brevitatis et deligentiae laude sapienter et perspicue congesta.

At non minus utilem operam iis quoque praebuit, qui philologicis rebus summopere delectantur. Huc nimirum prae ceteris iisque huius generis non paucis, exquisita potissimum pertinet diligentia quam contulit ad LATINAM MEDIAE et INFIMAE AETATIS BIBLIOTHECAM castigandam atque locupletandam. Jo. Alb. FABRICIUS, praeclara eruditione vir, jam senescens eam elaboraverat; imperfectam ideo reliquit, sed deinde Christiani Schoettgenii studio opus fuit absolutum et perutile illud quidem, nisi vitiosum fuisset; superfluebant enim errata, et quamplurima insuper erant, quae desiderabantur. Voluminum propterea, quibus continebatur, mille usque capita summa cura a Mansio emendata sunt, anachronismi correcti aliaque complura menda ablata; qui in scriptorum operibus enumerandis praetermissi negligenter fuerant libri, suis quisque sedibus accurate attributi accesserunt; postremo quae hac illac heterodoxi Bibliothecae auctores adversus Romanam Ecclesiam tela clanculum conjecerant, scite repulsa sunt. ne quis unquam pravarum opinionum error eruditionem, cui unice toto opere indultum fuerat, perdere posset atque corrumpere. Quod si nihilominus id Mansio non obtigit, ut Bibliothecam hanc absolutissime expoliret perficeretque, hoc ex eo factum est, quod cum id negotii susceperat, nil dum allatum in lucem fuerat et Mazzuchellii, et Foscarenii et Augustini operibus, quae sane plurimum valuissent et ad Fabricii errores penitus eripiendos, et ad scriptorum quos ipse praetermiserat seriem longe uberius adaugendam.

Praecipua tamen Mansii consilia et maximi conatus alio prorsus spectabant; namque sex illa volumina, quibus CONCILIORVM collectionem eum diximus locupletasse, totius operis dignitati minus quam par esset respondere ratus (siquidem alia quam plurima quae aut adderentur, aut emendarentur certe supererant) collectionem universam retractare atque instaurare strenue deliberaverat. Ad laborem itaque et studium impiger, nec de contentione quidquam remittens vel longa et difficilia itinera ingredi minime dubitavit, ut Bibliothecas nobilissimas praesens perlustraret, et quae ad suam rem pertinerent inedita, aut varias codicum lectiones recognosceret ac recenseret. Perinsigne Cassinense Monasterium ea mente petiit, ibique probatissima monumenta inquisivit; dissitam petit Vindobonam, ut quidquid esset ibi reconditum in Caesareae Bibliothecae

ficace e dovuta assistenza. Sic ad Mansium scripsit Card. Gentilius IV. Kal. Aug. an. MDCCL. *Deve V. P. attribuire al suo merito e al concetto che qui si ha della sua virtù, e non ai miei uffici, li quali per altro ho intrapreso molto volentieri, l'esito felice della sua causa intorno al libro* De Casibus reservatis. Haec Card. Besotius Kal. Sext, eiusd. an.

codicibus, scrutaretur; iterato se Romam contulit, et Vaticana Manuscripta excussit, atque consuluit, facta sibi ubique indagandi ac seligendi maxima facultate; tanta erat in eo et doctrinae commendatio et famae celebritas (5).

Amicissimi praeterea iidemque docti viri ex suarum civitatum lectissimis bibliothecis alia complura suppeditarunt, ita ut dives jam affatim, et magnifica supellex adesset. Omni igitur cura atque industria continenter versari, ut tantam novarum rerum copiam ordinate in ingenti opere distribueret, quae ceteri antea in colligendo peccaverant, emendaret, quae adiicienda erant, aut supplenda opportune dispositeque proferret, annotationes et dissertationes eruditius instrueret. Ut vero primum ipsum retexti operis volumen in lucem prodiit, summo illud plausu litterati homines merito exceperunt; quapropter mirifice animus est ei additus, ut rem tantam et tam salebrosam vehementer urgeret.

Molestissimum tamen interea illud ei accidit, quod se apud Clementem XIII. P. M. quidpiam praeter voluntatem offendisse intellexit. Offensionis porro ea causa fuit, quod praegrandes Gallicae ENCYCLOPAEDIAE libros (quorum altera editio Lucensibus praelis minus fausto omine curabatur) in iis quae ad religionem spectabant, expurgandos, quaemadmodum prorsus necesse erat, notandosque aliorum hortatu, forsitan minus caute, susceperat. Quod factum graviter adeo atque acerbe Pontifex tulit, ut Sarteschio, qui id temporis Congregationi Matris Dei praeerat, non semel affirmaverit Mansium ob eam causam sibi rebusque suis quamplurimum nocuisse (fortassis enim ut multorum gravis opinio erat, de eo quem omni doctrina et virtute commendatissimum noverat, in Cardinalium collegium cooptando antea cogitarat). Purgare se se Pontifici legitime potuisset, quippe haud ingratum laborem putaverat fore si Gallici operis errores emendare pro sua et religione et virili parte studuisset. Quamquam tamen satis justa et sapiens erat excusatio, ab ea se abstinuit, atque ut primum de Pontificis querela audiit, manum ab incepto libens removit. Re autem vera orbiculata illa disciplinarum series licenter et calamitose tot voluminibus ab eo externorum hominum genere consignata, qui etiam cum errant suspiciuntur a multis et nescio quo fato laudantur (6), tanta plerumque labe ac caeno redundabat, ut facilius sane Herculi fuerit, quaemadmodum feruht, foedissimum Augiae stabulum Alpheo fluvio immisso repurgare.

Soluto itaque et liberiori animo industriam suam omnem convertit ad ingens quod aggressus fuerat opus de nova CONCILIORVM editione acri cura et diligentia quam maxima persequendum. Quoniam autem nec vigiliis nec curis parcebat unquam, alia jam atque alia operis volumina ad typographum Venetum transmissa fuerant; et vero: etiam pro grandi mole, atque editionis dignitate non nimium lente prodibant. Sed ut reliqua item, quae succedere deinceps debebant, rite et copiose illustrarentur, non mediocri sedulitas atque assiduitas postulabatur; inventa enim erant in ordine redigenda, animadversiones atque enarrationes, ubi oporteret adhibito judicio dispensandae, recentius observata cum superioribus editionibus perdiligenter conferenda, librariis tandem, ne exscribendo errarent, accuratius necesse erat adesse. Nullus tamen eum deterruit labor, difficultas eum nulla retardavit aut impedivit, quominus constanter atque enixe in incoepto perseveraret, et acutius omnia inspiceret, nec quidquid negligeret, quo in suo genere perfectum absolutumque reddi opus posset.

Quae hactenus de litteratis Mansii laboribus etsi breviter vere tamen et historice dicta sunt, tot ac tanta profecto esse cuique

(5) *Lubet hac de re Italicam epistolam subjicere, quam clarissimus doctissimusque Cardinalis Passioneus ad Antonium Zattam Venetum Typographum dedit, cujus impensis tantum opus procurabatur. Quippe eximium atque honorificentissimum tum praeconium tum testimonium Mansii doctrinae in ea epistola tribuitur.* L'unico consiglio (*sic scriptum fuit a Passioneo*) che avrei da suggerirle, si e che procurasse che il P. Giandomenico Mansi della Congreg. della Madre di Dio si disponesse a qui venire. Questo solamente io considero capace di dissotterrare dalla gran gran Biblioteca Vaticana cose degne delle fatiche, che ha impreso. Ed a lui piucchè ad ogni altro accorderò l'accesso in ogni tempo ed ora alla medesima. La consiglio a valersi di lui, siccome quello, il cui nome essendo cospicuo, può accedere ad ogni altra Biblioteca sì d'Italia che d'Oltramonti, senza che per lui sia bisogno di veruna raccomandazione.

(6) Apposite ad hanc rem in Vita Joannis Castilonei haec egregie scripsit Fabronius: *Fortasse tum non videbat Gallia multos esse in sinu suo, qui dum gloriabantur se jura sua reddere philosophiae, tamquam furiae ad funus reipublicae convolabant.*

videbuntur, ut totos sine intermissione, dies eum in libris fuisse, litteris studiisque prorsus vixisse, et in bibliothecis quasi tabernaculum collocasse dicendum sit. Secus tamen oppido fuit, idque propemodum singulare. Nam praeterquamquod Regularis instituti legibus et praescriptis numquam illum defuisse, dum inter suos vixit, testatissimum est, neminem praeterea vidisses alium, qui et civibus et externis se in omni vita faciliorem praeberet. Illius cubiculum haud difficulter patebat omnibus, vocatus alio comiter aderat, qui eum consulerent (erant autem frequentissimi) ipsos excipere numquam recusabat, ita ut vel inchoatum apicem in scribendo haud gravate, relinqueret; non feriatis solum, ut moris est, sed reliquis etiam diebus, qui ad animae labes Christiano ritu expiandos accederent, requisitus in templo audiebat; catecheses ibi et conciones ad populum persaepe habebat. Huc vero accedit, atque istud potissimum debet animadverti, quod illius opera, quam sedulam ac perutilem, et prae tanta hominis doctrina ac sapientia sibi pene etiam necessariam noverant, usi sunt assidue Guinisius, Colloredus et Palma qui in Lucensi Archiepiscopatu administrando alter alteri successerunt. Quacumque enim in Dioeceseos fere singulis negotiis expediendis accurrerent, seu ad minora Sacerdotia, seu ad clericos, seu ad mores atque disciplinam pertinerent, iis semper Mansium interesse volebant, seu potius praeesse, et eius sententia vel opinione audita dubitatio omnis aut controversia sine ullo erroris metu tollebatur. Illud igitur multo magis mirum tam variis curis distentum distractumque hominem tot et tam egregia et salutaria ad Religionis praesidium ac decus, et ad Ecclesiastici ordinis utilitatem perpetuam scripsisse atque edidisse, ut nulla unquam posteritas eorum immemor futura sit. Scripsisset vero etiam licet jam senex esset, alia non minus profutura et praeclara, atque edidisset (1) nisi a litteris et studiis eum cives sui amantissimi plane atque omnino adversantem ac repugnantem abstraxissent. Vincentio enim Torrio, qui Lucensium antistes designatus fuerat, praepostera morte erepto, cum Senatus inter eos, quos facultatem habet nominandi, Mansium quoque vel invitum recensuisset, hunc ipsum Clemens XIII. elegit, atque Archiepiscopum pronuntiavit. Quo loco illud minime videtur silentio praetereundum, quod cum Mansius in eo esset, ut coram Summo Pontifice sui periculum de more faceret, audita illius est honorificentissima ea vox: *Luculentum jam scientiae doctrinaeque tuae testimonium habemus*. Apertissima istahaec significatio et tantum Pontificis Summi de Mansio judicium, ejus qui honore auctus fuit, honoratam fuisse dignitatem profecto declarant. Quam vero diligenter atque eximie omnes aegre suscepti muneris partes, impleverit, qui suos in eodem munere decessores tam accurate assiduusque juverat, nihil est cur multis, qui haec legent moremur. Quam enim maxima tributa illi fui dignitas, eam in majorem commissi gregis utilitatem, et religionis dignitatem contulisse illum dum vixit, nemini dubium fuit. Et si devexa aetas ac virium imbecillitas gravitatem rerum sustinere non posse videbatur, animi tamen ardor et virtus naturam quodammodo roborabat; nec vero recusavit, ne totam ipsemet praesens Dioecesim, quae laboriosa admodum est, studiosissime, sanctissimeque lustraret.

Ut pro pastoralis officii onere tempori et necessitati serviret a scriptione et studiis ipsum cessare oportuit, subcisivas tamen aliquoties, cum licuit, horas, ut ne quo forte casu grandius illud Conciliorum collectionis opus, quod praecipuas eius curas sibi vindicaverat, intercoeptum restaret, iis quae reliqua erant conficiendis perficiendisque raptim impertivit. Quapropter re tandem tota ad exitum feliciter adducta, volumina ad unum omnia prorsus absoluta Venetias item ipse transmittere commodum potuit, ut antea proposuerat (3). Nec sane tanta in iis deinceps edendis oscitantis Typographi negligentia, quantam vidimus, turpiter intercidisset, (nec dum enim post triginta et amplius annos cuncta prodierunt) si ad aliquot annos studiosissimus ipsemet Praesul et auctor, quod boni omnes optabant, superfuisset. Sed plurimis sui muneris curis,

(7) *Dictionarium historicum Conciliorum* Gallica lingua exaratum constituerat non solum Latine reddere, sed et multo rectius digerere, et additionibus uberrimis locupletare.

(8) Testatus hoc ipsum fuit Venetus Typographus Antonius Zatta in sua ad Ganassonium Cassinensem S. Georgii Abbatem Epistola nuncupatoria, cum haec scripsit: *Conciliorum Collectionem jam omnimodis absolutam ad me Mansius transmisit, adeo ut nil amplius desiderandum sit.*

***

quas multum jam immutata valetudine graviores acrioresque expertus est, magis quam senio confectus, pie sancteque quemadmodum perpetuo vixerat, decessit anno MDCCLXIX V. Kal. Octob.

Ingens sui desiderium cunctis reliquit: comis enim semper erga omnes fuit, omnisque officii diligentissimus; victu parcus, cultu modestus, vultu hilaris, ingenuus moribus, a quavis vel minima ambitione alienus, erga pauperes liberalis; de omni hominum ordine, de omni sacrarum praecipue disciplinarum genere optime meritus.

Eius mortem lectissimi cives, populusque luxerunt plurimum, tulerunt eam item acerbissime suae Congregationis praesertim Lucensis Collegae, quorum Bibliothecam perampla atque eximia librorum supellectili suis sumptibus auxerat. Exequiis solemni pompa in majori Templo celebratis laudatus e suggestu fuit pro brevitate temporis erudita et docta oratione. Quod idem illi officium postea egregie persolvit Lucensis Obscurorum Academia; deinde vero, idque merito et cumulatius Academia Ecclesiasticae historiae, quam in sua civitate Mansius tam provide instituerat, ut scriptis suis et exemplo ad sacra studia excitaret omnes, ut experrectae potissimum nobilitatis ingenia vehementius inflammaret (atque utinam quae a maioribus sapienter instituta sunt perdiu retinerentur; sed ea humanarum rerum conditio est ut diutius ipsis consistere aut etiam existere fere non liceat). Qui in majori S. Martini templo nonnulla viderit monumenta erecta atque insculpta elogia, MANSIVM huius generis monumento caruisse forsan mirabitur; sed monumentum aere perennius, neque ullo unquam tempore interiturum extant tot et tam praeclari libri, quos ipsemet aut perdocte scripsit, aut pererudite illustravit. Subiiciam tamen hic inscriptionem, quae in plumbea theca inclusa cum eius cadavere fuit in tumulo apposita.

D. O. M.

Joannes Dominicus Josephi Mansii filius
Patricius Lucensis
Morum suavitate innocentia castimonia
Effusa in pauperes liberalitate
Praeclarus
Eruditione praestantissimus
De Rep. Litt. Optime meritus
Archiepiscopali tandem dignitate auctus
Senio et labore confectus
Obiit Lucae
V. Kal. Oct. MDCCLXIX.
Vixit Ann. LXXVII. Mens VIII. Dies XII.

(9) In inscriptionem error sane circa Mensium numerum irrepsit, scribi enim debuisset VII; nisi vero potius errasse Venetum typographum dicendum sit, qui peramplum Commentarium edidit de Mansii vita a FRANCESCHINIO Congr. Matris Dei exaratum, ex quo Commentario allatam inscriptionem excerpsimus.

I. Tractatus de casibus etc. reservatis. Lucae Capurri 1724. et Ibid. 1730. 8.

II. Dictionarium etc. S. Scripturae Aug. CALMET ex Gallico sermone in Latinum conversum a J. D. Mansio Lucae 1725. Tomi II. fol.

III. De veteri et nova Eccl. Disciplina op. L. THOMASINII. illustratum. Lucae T. III. fol.

IV. Prolegomena et Dissertationes in omnes S. Scripturae Libros Aug. CALMET Latinis litteris traditae Lucae 1729. fol.

V. Supplementum ad Dictionarium A. CALMET latine conversum. Lucae 1731.

VI. Commentariorum Litteral. in omnes lib. V. et N. T. Aug. CALMET quae Mansius latine vertit. Lucae 1731 et segg. Tom. VIII. vol. IX.

VII. Annales Ecclesiastici Caesaris BARONII una cum critice Ant. Pagii singulis paginis adiecta ac Annalium continuatione Oderici Raynaldi. Lucae Venturini fol. 1738. 57 Vol. XXXIII.

VIII. Rerum a Castruccio gestarum series chronologica ex editis ineditisq. monumentis etc. cum Nic. TEGRIMII Castruccii Vita. Lucae 1742. 4.

IX. De Epochis Conciliorum Sardicensium et Sirmiensium qua occasione rerum S. Athanasii Chronologia restituitur. Lucae 1746. 8.

X Pro Dissertatione sua de Epochis etc. Apologia. Lucae 1747.

XI. SS. CONCILIORVM Decretorum Collectio nova, seu collectionis Labbei, Cossarti et Coleti Supplementum omnia ex editis et MSS. Codicibus collegit, digessit illustravit. J. D. Mansi. Lucae typ. Juntini 1748 et seqq. Vol. VI. fol.

XII. Nat. ALEXANDRI Hist. Ecclesiasticae nova editio a J. D. Mansio concinnata et adaucta. Lucae Salani 1749. Tomi IX. et iterum Venet. Bettinelli 1759. et Iterum Bassani Remondini. 1778. fol. et Supplem. F. Ant. Zachariae 1779. 91. vol. II. fol.

XIII. Pro sua de anno habiti Sardicensis Conc. sententia ad V. P. F. Th. Mamachium assertio altera. Lucae 1749. 8.

XIV. Jo. Alb. FABRICII Bibliotheca Latina mediae et infimae aetatis cum supplemento Schoettgenii etc. Patavii Typ. Manfrè 1754. Tomi VI. in-4.

XV. Diario Sacro ant. e moderno delle Chiese di Lucca, composto già ec. riveduto e accresciuto dal P. G. D. Mansi. Lucca 1753. 8. postea vero *accomodato all' uso dei tempi presenti e accresciuto dall'Ab. Dom. Barsocchiai. Lucca Giusti.* 1856. 8.

XVI. PII II. P. M. Orationes politicae et Ecclesiasticae ex MSS. Codd. fere omnes recensuit, exornavit atque appendice aliarum lucubration. ineditarum auxit. Lucae Benedini 1755. 4. v. II.

XVII. Vita di Caterina Biagetti contadina Terziaria Francescana. Lucca 1755. 8.

XVIII. Memorie della gran contessa Matilda di Francesco FIORENTINI. illustrate, con note e aggiunte di Documenti. Lucca 1755. T. II. 4. pag. 468. e 347. Jo. Lamius. (Nov. Lett. 1756. col. 647.) Documenta plura quae erant addenda designat.

XIX. SS. CONCILIORUM nova et amplissima collectio editio novissima favorem et opem praestante Em. Card. Passioneo aliisq. accedunt notae etc. quamplurimae Venetiis Ap. A. Zattam 1759. et seqq. Vol. XXX. in fol.

XX. Theologia Moralis etc. Auctore Paulo LAYMAN S. J. in epitomen redacta et expolita, castigata, aucta et illustrata. Accedunt regulae in praxi observandae ex Theol. Morali R. P. Constantini Roncaglia. Patavi 1760. fol.

XXI. Epistola adm. R. P. Danieli CONCINAE ord. Praedicator. data Lucae 1759 in-8.

XXII. Steph. BALVTII Tutelensis Miscéllanea novo ord. digesta ineditis monumentis et animadversionibus aucta. Lucae 1761. 64. t. IV. fol.

XXIII. Historia Ecclesiastica per interrogationes et responsiones auctore F. Ignatio Hyacinto Amat De GRAVESON Ord. FF. Praedicatorum additionibus illustrata et continuatione usque ad ann. MDCCLX locupletata. Venetiis Remondini. 1762 fol.

XXIV. De insigni Codice (Miscellaneo XXV. Opusc. varia referente) Caroli M. aetate scripto et in Biblioth. Maior. Eccl. Lucensis servato Commentarius. in Opuscoli racc. dal P. Calogerà T. XLV. p. 73, 123.

DE VITA ET SCRIPTIS

JOANNIS ALBERTI FABRICII

Celebratissimi Joannis Alberti FABRICII Vitam multi et eo adhuc in vivis scripserunt. Plenior autem generi suoi Herm. Sam. Reimari Hamburgi 1737. in 8. pag. 354 (et 154. ubi Epicedia in Fabricium) prodiit Commentarius, Auctor inter eos operis cui tit. *Biblioth. Eruditorum praecocium Hamburgi* 1717. 8. ei meritissime ibi locum aperuit. Octo insuper Reimarus enumerat, inter quos *Ioannem Fabricium* in *Historia Bibliothecae* suae Tomo VI. 1724. Quibus inter veteres Petrus Baelius e Niceronius sunt addendi. Ipse autem modestia retentus nihil de vita sua commentatum esse sane dolendum.

Ipse, prope passim ut Reimari verbis utar, suas ignorare virtutes visus est, idque agere semper, ut laude se dignum praestaret potius, quam ut laudaretur.

Lucem vidit anno 1668. 11. Novembris, quem diem natalem anniversarium sibi semper laetum habuit, divinorum in se beneficiorum memoriam repetens. Ita docens frequenter solebat monere *vitam nobis divinitus concessam esse velut praesentis felicitatis fundamentum et futurae occasionem*: ita humani esse officii arbitrabatur hunc diem sine laeta tanti beneficii celebratione non praetermittere. Nec solebat vocatis ad coenam exteris epulari sumptuosius et magnificentius, sed tamen instructa lautius aliquanto mensa, post labores consuetos paterfamilias cum suis in concordi et laeta familiaritate cibum capere, sermonibus jucundis utilibus miscere, divina beneficia in se suosque praeter spem ac meritum omne collata, de vita futura benesperare, ominari, precari, partem grati animi haud infimam arbitrari, ut gratiam Dei animo laeto et sua sorte contento atque fiduciae pleno exciperemus, nec tristitia ac querelis, aut intempestivo metu futurorum, exprobrare Deo, aliquam quasi iniuriam nobis jam factam videremur.

Hoc animo gratulabatur sibi quoque patriam divinitus contigisse Athenas illas Saxonicas, LIPSIAM, quae urbs suis civibus singularem sermonis suavitatem, morum elegantiam et praecepta omnis doctrinae impertit. Pater illi Wernerus FABRICIVS Itzehoa-Holsatus Musici Chori in templo Paulino Academico directore et in aede Nicolai Organoedo satis celebri, cuius exstant *Deliciae Harmonicae* Lipsiae 1657. 4. et imago aeri incisa.

Et Paterni quidem generis in Centuria Fabriciorum prima meminit, cum ipse plurimorum gloriam superaverit.

Matre anno 1674. Patre autem An. 1679. amisso celeberrimi Theologi ac Philosophi, *Valentini Alberti* in tutelam venit, curam educationis per quinquennium suscipienti *Wenceslao Bublio*, magistro dein *Io. Gothefredo Herrichen*, cuius Poemata velut grati animi tesseram *Hamburgi* anno 1717. Fabricius noster vulgari curavit.

Deinde an. 1684. transactus est Fabricius Quedlimburgum ad *Samuelem Schmidium* Rectorem Gymnasii, quem *Praeceptoris sui bene de se meriti* elogio celebravit. Post biennium Lipsiam reversus *Valentini Alberti* tutoris sui per annos septem se totum commisit. Neque tamen sibi defuit quod celeberrimos alios sedulo audiret. Ipse tamen se plurima *Thomae Ittigio* debere professus est, ab eo ad Historiam Ecclesiasticam tractandam excitatus.

Scimus a Reimaro quod nec morum

castitatem nec sedulitatem discendi ulla in parte passus est desiderari. Iam tum cum in schola versaretur multos libros utiles legere et ex iis annotare ac commentari coepit: ex ipso scimus quomodo Barthii adversariis et Polystare Morofii Quedlimburgi anno 1685 ad majora audenda animum inflammari senserit.

Caepit hinc incredibili celeritate complures et eosdem utilissimos in omni genere disciplinarum libros et in his veteres non postremos, percurrere et jam jam ad certum quemdam scopum magnum et pulchrum nec ante satis tractatum, *Bibliot.* puto in primis *Latinam Graecamque*, singula dirigere. Hinc consilia studiorum exemplo tanti viri sibi eruant juvenes et exequenda proponant non languide, sed cum ardore, cum serio et magno conatu, ac piis precibus accedere ad studia litterarum, legere multa et meditari, legere optimos: lecta ne diffluant memoria ad suos singula locos adscribere, scripta mature ad argumentum aliquod utile et intactum intendere, quod tandem aliquando elaboratum perpolitumque cum insigni laude et fructu oculis eruditorum sistatur. Certe non omnes *Columbi* sumus aut *Vesputii*, ut regiones ultra visum proiectas mente cernamus, aut per vastum et invium oceanum adire audeamus. Cum tamen et ipsi aliorum naufragiis moniti dicantur, ita multos eruditorum ad aliquod utile propositum credendum incendi posse, si a viro experto moneantur quem cursum debeant tenere aut quibus uti instrumentis. Fabricius certe ipse sibi potissimum dux et auctor consiliorum fuit, eoque maturius et intentius elaboravit. Hinc admodum juvenis magistris et coeteris viris doctis innotescere, probari atque in admiratione esse coepit.

Scripta eius edita id luculentur testantur, cuius elenchum ut viri literati vitae partem potissimam hic admodum opportune legendum. Acer tantisper in Decade Decadum se ostendit, at dein per omnem vitae cursum censuras in se jactatas aliis facile condonavit, monita aliorum aequo animo admisit, nec scriptis contentiosis bonas horas elaborandi tot monumenta aetatem latura eripi sibi passus est.

Ab anno 1694. die 13 Iunii per majus quinquennio spatium Hamburgi in aedibus *B. Mayeri* substitit et studiis literarum graviter dedit operam. Habebat ibi contubernales et commensales viros doctos, atque hic in primis *Bibliothecam* suam *Latinam* et alia edidit. Mayerus anno 1696 comitem sibi in Sveciam adiunxit, ubi affatus est Regem Carolum XI. et celeberrimos eius nationis viros. Post reditum mortuo eodem anno die 6. Aprilis celebri Vincentio Placcio, Eloquentiae et Philosophiae practicae professore, Fabricius d. 13. Iunii in eius locum suffectus est, et paulo post summos in Theologia Hilonii honores suscepit, patrono suo Mayero urgente, qui in disputatione quadam Fabricio amplissimum Eritraei in Pinacotheca p. 81. de Francisco Panicarola judicium convenire dicit.

Hamburgi hinc ornamento maximo esse coepit, ubi formandae ad humanitatem juventuti admodum sedulo dedit operam adeo, ut per septem et triginta annos vix unquam, nisi morbo impeditus, horulam suis praelectionibus detraxerit. Quae tanta tamque continua exercitatio, vix credibilis videatur exteris, in tam diffusa librorum lectione omnis generis persequta, in tanta multitudine laboriosissimorum librorum ab ipso scriptorum. De quo recte Io. Fabricius Abbas in *Historia Bibliothecae* suae Tomo VI. magnopere miratur. In sui muneribus obeundis, in amicis epistolis colendis aeque diligentissimus, quomodo pietatis virtutisque et bene compositae mentis indoles fructum in omne vitae genus diffundat uberrimum, exemplo suo ostendit.

Nam profecto qui aliud quidvis quaerunt in litteris, quam ut se et alios meliores ac sapientiores reddant, gloriamque adeo Dei promoveant, ne illi in ipso

illo literarum studio impedimenta sibi obiiciunt gravissima et proposito tamen scopo excidunt; sic quos ambitio, aemulatio, invidia vexat, aut qui aliorum famam prae livore lacerant, aut quasi summa omnia promeriti essent sua sorte minus contenti vivunt, aut ira denique aliave mentis vehementi commotione perturbantur proh quantos sibi adhibent cruciatus, quibus animus sua tranquillitate motus, a placido musarum consortio avocatur, nec exsatiari tamen desideratis potest.

Fabricius contra pietatis in Deum vivo imbutus sensu, bene cupere omnibus et singulis, publica commoda promovere sedulo, privatim inservire cuique, benefactis aliorum et gloria impetrata laetari, suam sortem cum tot infelicioribus contendere, nullum se beneficiorum Divinorum promeritum existimare, de providentia summi Numinis optima quaeque sperare, omnia moderate ferre. Unde quid mirum est, quod nulla sollicitudine impeditus, libera et hilari mente sectari suavitatem studiorum potuerit contentius et laudem vel non quaesitam simul assecutus sit abundantius?

Vicissim praedicanda est magnopere Dei benignitas, quae illum prospero et aequabili vitae cursu nullo graviore casu turbatae sivit esse usque ad extrema. Nam gaudebat primum per naturam valetudine corporis adeo inconcussa; ut prope intra triginta vitae postremos annos eum aegrotasse non accidit. Quae tamen sanitas partem suam traxit a placida mente, a moderata exercitatione corporis, denique a temperatione cibi potusque, inter remedia tuendae valetudinis numerans, quod a medicina omni nisi in morbis acutis abstinendum sibi duxerit. *Margareta Io. Schultzii* Scholae Rectoris f. anno 1700 d. 22 Aprilis in Matrimonium ducta, quae prudentia morumq. elegantia totam vitam Marito amoenam reddidit, nisi morte sua, cum paulo ante (scil d. 16. Ianuarii) illi amantissimo erepta fuisset; ex ea duas masculo amisso, suscepit filias. Domum nactus vix decem passibus a Gymnasio seiunctam, facile ad publicas praelectiones obeundas ire et redire posset, et in hac ipsa domo Bibliothecam suam omnem per quinque continua conclavia explicatam ad manus habebat. Discipulorum opere in literariis laboribus, praesertim in indicibus librorum suorum faciundis sedulo adiuvabatur

Hanc tandem laudem nemo Fabricio nostro invideat, nec si invidet eripiat, quod excellenti ingenio et incredibili diligentia studioque toti humano generi sine cuiusquam laesione profuerit, per omnem vitam iis subsidiis, quae ad alendos pascendosque animos, ad inventa totius antiquitatis cum omnibus communicanda, ad veri rectique iudicium, ad debellandam barbariem, superstitionem, atheismum, denique ad artes, sapientiam, virtutem, pietatem, religionem propagandas pertinent.

Sincerae pietatis in Deum tanta illi lux et vis Evangelii Christi videbatur, ut diceret, si sibi ab improbis sententiis et concertationibus temperassent homines, sique magis pie et sancte vixissent, nullum se dubitare quin totus terrarum orbis factus esset Christianus. M. Lutheri doctrinis addictun in *Bibliotheca Mediae Latinitatis* vix dignosci Fabricium, multo magis Schoetggeninm, jam e Mansio observatum est.

Se omni momento quo Deo placuisset lubentem laetoque animo ex hac vita excessurum adhuc sanus dicere solebat. Atque ita integro ad extremum sensuum et rationis usu, placide obdormivit die 30 Aprilis A. 1736. assecutus annos 67 menses V. dies 19 funere pubblico d. 7. Maii in D. Petri et Pauli Aedem elatus, publiceque concione laudatus.

1. SCRIPTORVM RECENTIORUM DECAS. Hamburgi (Lipsiae) 1688. 4. sine nomine auct. Rariss.

Argumentum. Complectitur judicia (acria persaepe) de Decemviris inter eruditos clarissimis 1. Dan Georg. Morofius. 2. Christophanus Cellarius. 3. Henningus Witte. 4. Christian. Thomasius. 5. Guil. Seldenus. 6. Abraham Berkelius. 7. Servatus Gallaeus. 8. Jacobus Tollius. 9. Georg. Matth. Konig. 10. Christian. With. Eyhenius.

2. DEFENSIO Decadis etc. in 4. Sine loco et anno.

3. DECAS DECADUM sive Plagiariorum et Pseudonimorum centuria. Access. exercitatio de Lexicis Graecis Lips. 1689. 4.

4. GRAMMATICA GRAECA Jacobi Welleri emendata et aucta Lips. 1689. 8. et deinceps saepius recusa.

5. BIBLIOTHECA LATINA sive notitia auctorom veterum Latinorum etc. Hamburgi. 1697. 8. Londini 1703. 8. Hamb. 1708. 8. Ibid. 1712. 8. cum Supplem. Ibid. 1721. 8. vol. III. cum alio Supplem. Venetiis 1728. vol. II. in 4. « Supplementa suis quibusque locis inserta, pauca quae Pontificii ferre non poterant, omissa » accessiones Fabricii MSS. praesto erant quibus nova editio ornari queat. *Melius delecta* et *aucta diligentia* J. A. *Ernesti Lipsiae* 1773. 74. Vol. III. 8. Vol. quartum Auctores Christianos et indices referens nunquam paruisse dolendum.

6. VITA PROCLI Philos. Platonici, scriptore Marino Neapolitano etc. Hamburgi 1700 in 4. ded. Rich. Bentleio, Recusa ad calcem Biblioth. Latinae. Lond. 1703.

7. CODEX APOCRYPHUS N. T. illustratus. Hamburgi 1703. 8. T. II. in 8. Recusus an. 1719. Tomo III. auctior.

8. BIBLIOTECA GRAECA vol. I. (Lib. I. et II.) Hamburgi 1705. 4. ded. Gerhardo Scroedero. Secunda editio auctior Ib. 1708. 4. III. Ibid. 1718. 4. — Vol. II. (Lib. III.) Hamburgi 1707. Ibid. 1716. 4. — Vol. III. (Lib. IV. cap. 21.) Hamb. 1708. 1717. 4. — Vol. IV. (Lib. IV. p. 2.) Hamb. 1711. et Ib. 1722. 4. — Vol. V. (Lib. V.) Hamb. 1712. 1722. 4. — Vol. VI. (Lib. V. pars altera) Hamb. 1714. 1725. 4. — VII. (Lib. V. p. III. Hamb. 1715. 1726. 4. — VIII. (Lib. V. p. IV.) Hamb. 1717. 1729. 4. — IX. (Lib. V. p. V.) Hamb. 1719. 4. — X. (Lib. V. reliqua pars.) Hamb. 1721. 4. — XI. (Lib. VI. c. IV. priora) Hamb. 1722. 4. — XII. (Lib. VI. c. V. VII.) Hamb. 1724. 4. — XIII. (Lib. VI. c. 9. 10.) Hamb. 1726. 4. — XIV. (Lib. VI. c. 11. 12.) Index Generalis Hamb. 1728. 4.

Curante Harles, acced. supplementa Heumanui. Hamb. 1790. 1811. et Index 1838. in 4, Vol. XIII. Mortuo Harles anno 1815. operis IV ultima volumina adhuc desiderantur.

9. CENTVRIA FABRICIORVM Scriptis clarorum qui jam diem suum obierunt. Hamb. 1700. 8. — Centuria II. Ibid. 1727. 8.

10. MEMORIAE HAMBVRGENSES sive Hamburgi et virorum b. m. Elogia et Vita Hamburgi 1710. 8.—Vol. II. 1710. 8.—Vol. III. Ibid. 1711. 8. — Vol. IV. Ibid. 1715. 8. —Vol. V. Ib. 1723. 8.—Vol. VI. Ib. 1730. 8.

11. CODEX PSEVDEPIGRAPHVS V. T. illustratus Hamb. 1713. 8. Recusus an 1722. Ibid. Adiecto vol altero 1723. 8.

12. MENOLOGIVM sive libellus de mensibus, centum circiter populornm, Menses recensens etc. Hamb. 1712. 8.

13. BIBLIOGRAPHIA ANTIQVARIA sive introductio ad notitiam Scriptorum etc. 1713 et ibid. 1716. 4. a Paulo Scaffshausen locupletata. Hamb. et Lipsiae 1760. 4.

14. MATHEMATISCHE REMONSTRATION (in Christoph. Sturmium) Hamb. 1714. 4.

15. S. HIPPOLITI EPISC. et MARTYR. OPERA Graeca et Latina. Hamb. 1716. 18. vol. II. fol.

16. BIBLIOTHECA ECCLESIASTICA in qua continentur de Script. Ecclesiasticis. S. Hieronymus, Gennadius, Trithemius Miraeus etc. Hamb. 1718. fol.

17. SEXTI EMPIRICI. Opera Graeca et Latina cum Henr. Sthephani versione et notis etc. Lipsiae 1718. fol.

18. D. ANSELMI BANDVRII BIBLIOTHECA NVMMARIA. Hamb. 1719. 4.

19. S. PHILASTRII *Ep. Brixien.* DE

HAERESIBUS LIBER. Hamb. 1721. 8.

20. *Delectus argumentorum et Syllabus Scriptorum* qui VERITATEM RELIGIONIS CRISTIANAE *Adversus Epicureos etc. lucubrationibus suis asseruerunt.* Hamburg. 1725. 4.

21. Imp. CAES. AUGUSTI *Temporum notatio, genus et scriptorum fragmenta. N. Damasceni liber de institutione Augusti* etc Hamburgi 1727. 4.

22. CENTIFOLIUM LUTHERANUM *sive notitia litteraria Scriptorum de Luthero* etc. Hamb. 1728. 1730. Tom. II. 8.

23. Villiam DERHAMS, ASTROTHEOLOGIAE. Hamb. 1728. et 1732. 8.

24. VOTUM DAVIDICUM « cor novum crea in me Deus » a CL. amplius methaphrasibus expressum Hamb. 1729. 4.

25. Conspectus THESAURI LITTERARII ITALIAE Hamb. 1730. 8.

26. HYDROTHEOLOGIAE SCIAGRAPHIA germanice. Hamb. 1730. 34. v. II. 8. —PIROTHEOLOGIAE Sciagraphia. Hamb. 1732. 8. — AEROTHEOLOGIAE in X libros, dividendae sciagraphia est in Praefat. ad LESSERI Lithotheologiam.

27. *Salutaris* LUX EVANGELII toti orbi per divinam gratiam exoriens, sive notitia propagatorum etc. Hamb. 1731. 4.

28. BIBLIOTHECA LATINA MEDIAE et INFIMAE AETATIS Hamburgi 1734. 1735. Vol. V. cum Supplem. Christ. Schoettgenii. Ibid. Vol. VI. 1736. et cum supplementis Jo. Dom. Mansi. Patavii 1754. vol. VI. in 4 Quae locupletior nunc prodit.

Innumeros pene diceres, praeter manuscriptos, labores alios Fabricii a Reimaro recensitos, scilicet: *Scripta libris aliorum inserta, Dissertationes, Programmata, Vitae eruditor. virorum. Orationes et* (XXXVIII. doctas Juppiter) *Praefationes.*

BIBLIOTHECA

MEDIÆ ET INFIMÆ

LATINITATIS

Petrus ABAILARDUS. Vide PETRUS.

Petrus de ABANO. Vide APONENSIS.

Petri de ABARIO *Genealogia Regum et Comitum Angleriae* MS. memoratur a Labbeo p. 217. Biblioth. MSS.

Joannes ABBÆVILLANUS sive *Jo. Algrinus de Abbatisvilla* ex Decano Ambianensi Archiep. Bisuntinus et R. E. Cardinalis, scriptor Sermonum et Commentarii in Cantica, defunctus A. C. 1257. Vide Henricum Gandavensem cap. 38. Trithemium de S. E. cap. 441.

* Praeter opera hic enunciata scripsit etiam *Sermones in Evangelia et Epistolas*, quae duo extant in MS. Cod. Regio Parisiensi, ut est apud Montfaucon Bibliotheca MSS. pag. 747 et 1180. In Bibliotheca Sangermanensi extat Summa eiusdem. Ibid. pag. 1135.

ABBAS *Panormitanus* infra NICOLAUS *de Tudesco.*

ABBAS Urspergensis infra CONRADUS *a Licthenau.*

ABBAUDUS Abbas circa A. C. 1130. *De fractione Corporis Christi*, contra Petrum Abailardum brevis Tractatus editus a Mabillonio. Tom. 3 Analect. pag. 442 et edit. novae in fol. pag. 52.

ABBERTUS Gemblacensis. Vide ALBERTUS.

ABBO Canonicus *Antissiodorensis* in Burgundia, Alani Episcopi Clericus. Apud Labbeum Tom. I. Bibl. MSS. pag. 465. Eius Testamentum A. C. 1191. Nihil ibi de Abbone. Vide Cangium in *Madrinus* et Continuation des Memoires de Litterature et d'Histoire Tom. 8, pag. 123, 129.

ABBO Jac. Philippo Bergomati, Trithemio, Busaeo allisque perperam ALBO, *Abbas Floriacensis*, cui Historiam Francorum Aimoinus dedicavit, qui et vitam eius scripsit. Interfectum constat a Wasconibus A. C. 1004 13 novemb. unde *Martyris* nomine venire solet. (1) Immo vix. an. 970. Mabillon Analetc. II 248. Baluz. Miscell. I 409 Hist. Acad. Parisiens. I 543. (prope Ducange Glossar. edit. Parisiens. 1850 VII 367). Vide Epistolam Encyclicam Monachorum Floriacensium de caede Abbonis ap. Baluzium I Miscell. pag. 441. Vitam scriptam ab Aimoino in qua etiam cap. 13. *Versus exametri ad Othonem Imp.* pleni artificii quale in carminibus Porphyrii Optatiani, et quibusdam Bedae carminibus observare licet. Eosdem exhibet Polycarpus Leyserus ὁ μακαρίτς in historia Poetarum Latinorum Medii Aevi pag. 302 unde repetii etiam in Bibliotheca Latina IV. 1 § 12. Epitomen de *Vitis Pontificum Romanorum* XCI. a Petro usque ad Gregorium II, ex Anastasio Bibliothecario excerptam edidit cum Luitprando Jo. Busaeus Moguntiae 1602, 4. *Apologeticus* integer ad Hugonem Francorum Regem pro immunitatibus Monasterii Floriacensis prodiit ad calcem codicis Canonum Ecclesiae Romanae e Bibliotheca Pithoei, Paris. 1687 fol. pag. 395 et *Epistolae* XIV ad Gregorium V et alios pag. 402 seq. *Praefatio* ad Commentarium in *Victoris Canonem Paschalem* edita ab Edm. Martene T. 1 Anecdot. pag. 118 seq. *Liber Canonum* capitibus LII ad Francorum Regem Hugonem, filiumque Robertum, in analectis Mabillonii Tom. 2

pag. 248 et edit. in fol. 133 qui etiam de hoc Abbone videndus seculo sexto Annalium Benedictinor. et Caesar Egassius Boulaeus Tom. I. Academiae Paris. pag. 543 Jo. a Bosco in Bibliotheca Floriacensi etc. De caeteris Abbonis scriptis nihil habeo, quod praestantissimorum virorum, Cavei industriae Oudinique adiungam.

ABBO, Cernuus sive humilis * patria Neustrius *Monachus* Parisiensis *S. Germani de Pratis*, Ord. Benedictini clarus circa A. C. 892 et cum Floriacensi Abbate male confusus a quibusdam. Scripsit carmine *obsidionem*, cui ipse interfuit, *Parisiorum a Normannis* A. C. 886 887 factam, *libris duobus*, in Pithoei XII. Scriptoribus Francorum pag. 435 in Duchesnii Tom. 2 pag. 499 in Normannicis eiusdem pag. 35. et ad calcem Aimoini. recensente Jacobo Breulio Paris. 1603 fol. pag. 400 et in Johannis de Bouchet Originibus primae et secundae stirpis Regum Francorum Paris. 1642 fol. *Liber Tertius, ad Clericos*, quia nihil historici continet, a Pithoeo omissus fuit. *Sermones* V. editi a Luca Dacherio Tom. IX. Spicilegii pag. 79 et Tom. I editionis novae pag. 336.

ABDIAS supposititius scriptor librorum X. *Historiae Apostolicae*, de quo abunde dixi in Codice Apocrypho Novi testamenti, ubi eosdem notis illustratos exhibui. Hamburgi 1703 1719 8. Eruditam ejus censuram vide, si placet, in Blondelli libro de Papissa Johanna pag. 218 seq. Ad initia seculi X. refertur ab Oudino Tom. 2 commentariorum de S. E. pag. 418 seq. Laudat Vincentius Bellovac. speculi histor. VIII. 4 5 IX. 12 Antoninus Archiepiscopus Florentinus etc. Posse Abdiam e Philalethe (de quo infra) aliquoties, si tanti, emaculari, notavit Christianus Danius Epistola ad Nicolaum Heinsium Tom. 5 Sylloges Burmannianae pag. 254.

ABEDOC Clerici vetus Canonum collectio scripta, *Haelhucaro* Abbate Hiberuo dispensante MS. in Bibliotheca S. Germani de Pratis Cod. 572 teste Cangio. Ex Hiberna hac veteri Canonum Collectione, quae seculo VIII. Libris LXV. digesta fuit, capitula selecta vulgavit Lucas Dacherius Tom. IX. Spicilegii Patrum pag. 232 (Edit. novae Tom. I. pag. 492.) Nonuulla a Dacherio, uso duobus Codicibus MSS. Sangermanensi et Corbejensi omissa supplevit ex MS. Bigotiano Edmundus Martene Tom. 4 thesauri anecdotorum sub initium.

Joannes ABGILLI inter Scriptores Frisiae, qui Caroli M. aetate vixere, celebratur a Suffrido Petri Dec. V. cap. 9 traditurque scripsisse de expeditione Caroli Francorum Regis in Terram Sanctam, atque alia, sed tamquam commentum explodit Vossius Lib. 2 de Historicis Latinis pag. 299 seq.

ABLAVIUS sive ABLABIUS descriptor Gothorum gentis egregius, laudatus a Jornande de Reb. Geticis Cap. 4 14 23 Vide Vossium de Hist. Lat. Nullum e scriptis huius Ablavii ad nos pervenit.

ABSALON ex Canonico S. Victoris Parisiensi Abbas ord. Canonicorum Regularium S. Augustini Spinchirbacensis, sive potius Springkirchbacensis (Caesario Sprekirisbach) in dioecesi Trevirensi circa A. C. 1120 vel 1210 ut rectius, ni fallor, Caveus et Oudinus e Caesario Heisterbacensi. Absalonis *Homilias* LI. festivales vulgavit Daniel Schillingius Colon. 1534 fol. e quibus recudi nonnullos fecit Petrus de Alva et Astorga in suo Mariali. Extat et editio Mediolanensis anni 1605 in 4 a Basilio Sorenio curata. Vide Oudinum.

ABSOLON qui *vitam Guthlaci* scripsit vide infra, *Felix Monachus*, et Epistolam Cambdeni CCLXXXV.

Laurentius ABSTEMIUS Maceratensis clarus circa A. C. 1500 de cuius *Hecatomythio*, sive CXCIX fabulis post edit. Argentinensem 1522 8 saepius recusis dixi in Bibliotheca Latina. Eiusdem *Annotationes* quorumdam locorum obscurorum in priscis Auctoribus, ad Principem suum Guidum Ubaldum, repetitae in Gruteri lampade artium Tom. 1 pag. 878 893. *Praefatio in Aurelium Victorem de Caesaribus*. Argent. 1505 Basil. 1530 8. * Scriptor iste fabularum longe antequam hic indicatur a Fabritio opellas suas vulgaverat. Nam in editione Hecatomythi secundi, quae prodiit an. 1505, ut ex Praefatione eiusdem ad Angelum Grifonem disco, intelligimus ante illos annos produxisse priorem

* Adde Barthium adversar. XXXIII. 14. XXXVI. 19.

Hecatomythum. Prior haec editio nondum a me detecta est, sicut nec secundi Hecatomythi priorem editonem vidi. Habeo secundi Hecatomythi Editionem Venetam anni 1520 in 8. Habeo et priorem eodem pariter anno excusam ibidem in cuius fine est libellus eiusdem Abstemii *de verbis communibus*, *quae nunc male appellantur deponentia;* quem libellum dicavit Sigismundo Secretario Apostolico, illi scilicet Sigismundo Fulginatensi, de quo suo loco agemus. In praefatione pariter adnotat se jam scripsisse vitam Epaminondae, quae an prodierit nullibi adnotatum scio. Est pariter eius libellus in 4 sine adscriptione loci et temporis impressionis *De locis obscuris.*

* Scripsit etiam Praefationem in libellum continentem Cornelii Nepotis vitam Catonis Senioris, Sextus Aurelius de Vitis Caesarum, et Benvenuti Imolensis augustalem, qui prodiit Fani an. 1514 typis Hieronymi Soncini in 8.

ABULENSIS Vide Alphonsus TOSTATUS.

ABUNDIUS *Comensis* Episcopus, S. Leonis ad Theodosium Imp. Legatus, ad quem Theodoriti Epistola scripta A. D. 450 vide auctarium Theodoreti Garnerianum pag. 106 De Abundio isto Acta Sanctorum 2 Aprilis.

S. ABUNDIUS Diaconus et Martyr sub Diocletiano. De illo Historia edita Romae 1620 4 ab Africano Ghirardello Fidardensi.

ACARDUS Vide infra ACHARDUS.

S. ACCA Hagustaldensis in Anglia Episcopus, cui Beda libros IV. in principium Geneseos inscripsit, editos ab Edm. Martene Tom. V. anecdotor. pag. 115 Obiit Beda A. C. 735 Acca 740. Episcopatus 24 teste Lelando Cap. 76. Accae *Epistola ad Bedam*, qua eum ad illustrandas sacras litteras hortatus est, occurrit inter Bedae opera ante commentarios in Lucam Tom. V. pag. 213 Alia Accae legit Cangius in Codice 141. Bibliothecae S. Germani de Pratis. Ex iis et quae Baleus 1. 90 Pitseusque memorant, nihil lucem vidit, memorant autem *de vitis et passionibus Sanctorum, quorum reliquiae in Ecclesia sua recondebantur. De Ecclesiasticis sui chori officiis. Carmina varia. Epistolas ad diversos.*

* *Franciscus de* ACCEPTANTIBUS de Aretio cuius tractatus *de Sententia interlocutoria et definitiva* antiquis typis excusus absque expressione loci et anni in Bibliotheca Felini.

Angelus ACCIAIOLUS, Episcopus et Cardinalis qui A. 1407. Pisis diem obiit. Scripsit *Apologeticum* de *Urbani* VI. *electione.* Vide Ludovici a S. Carolo Bibliothecam Pontificiam pag. 253. * Obiit Pisis 12 Junii 1409. Vide Mazzuchelli Scrittori d' Italia I. 38.

Donatus ACCIAIOLUS sive ACCIEVOLUS Florentinus eloquentiae laude clarus obiit Mediolani in legatione A. C. 1473 Vide Vossium de Historicis Latinis, ubi de scriptis eius aliis et de *vita Caroli* M. ab A. 1470 cum Plutarchi vitis saepius edita et recusa in Hagiologio Georgii Wicelii, et in Freheri corpore historiae Francicae. *In Cod. MS. Bibliothecae Canonicor. Majoris Ecclesiae Lucensis extat *Donati Acciaioli Florentini oratio habita coram Sixto IV.* obedientiam praestiturus nomine Reip. suae habita die 3 Octobris an. 1471. Incipit: *cum omnes Respublicae Principes nationesque.* Additur et epistola eiusdem ad Pandulphum de Pandolphinis, consolatoria de funere patris. Incipit. *neminem esse arbitror.* Data est die 23 Novembris 1456. Vertit etiam e Graeco vitam Annibalis et Scipionis, quas versiones in Ms. Codice Riccardiano extare scribit Lamius in Catalogo Biblioth. Riccard. ex quo *Epistolam* eiusdem Acciaioli *ad Petrum Medicem* profert. Additur ibi oratio ad Xystum IV. Papam habita Romae 1471 cum nomine Populi Florentini religiosum obsequium Pontifici praestaret. Obiit anno 1478 ut docet Fontius in annalibus et monet Mazzuchellus de Scriptor. Ital. T. I pag. 41. Vitas Annibalis et Scipionis an ipse ex Graeco verterit vel de suo scripserit ambigunt multi: quin et multo probabilior est eorum sententia, qui primum ab ipso cusas arbitrati sunt. Vide ibid. pag. 44. Ex Tom. VI 344. Edit. Patav.

Nicolai ACCIAIOLI vitam scripsit Mathaeus Palmerius editam Tom. XIII. Muratorii. Italice versa a Donato Acciaiolo (juniori) prodierat Florentiae 1588 4.

De *Zenobio* ACCIAIOLO Ord. Praed. qui A. 1520 ex vita discessit clarus egregiis ingenii monumentis et bonorum Scriptor. Graecor.

versionibus Latinis, nihil habeo quod addam Jacobi Echard industriae Tom. 2 de Scriptoribus Dominicanis pag. 45 seq. Multa etiam de eo Iacobus Gaddius de Scriptoribus non Ecclesiasticis.

* Praeter indicata ab Eccardo scriptoris huius opera Codex MS. Bibliothecae Riccardianae conservat epigramma eius ad amicum. Vide Catalogum MSS. Codd. eiusd. Bibliothecae pag. 5.

* Vitam absolvit die 27 Julii 1519 ut ex Codice MS. Vaticano Mazzuchellus emendat. (Scrittori d' Italia I. 51.)

ACCOLDUS Florentinus Ord. Praed. Vide infra RICOLDUS, qui defunctus traditur A. C. 1309.

Benedictus ACCOLTUS Aretinus diem obiit Florentiae 1466 aet. 51 cuius vita praemittitur eius dialogo *de praestantia virorum sui aevi*, qui ex Bibliotheca illustris Magliabechii editus est Parmae 1689 et deinde Augustae Vindelicor. 1691 8 (2) (et Florentiae 1847 una cum op. Philippi Villani de famosis Civibus) Idem est Accoltus, cuius exstant Libri IV. *De Bello contra Barbaros gesto* pro Palaestina recuperanda, qui novissime recusi sunt ex recensione Henrici Hofsnideri, Groningae 1731 8. De aliis editionibus dixi in libro de propagatione Evangelii pag. 534. De hoc Accolto et de aliis huius nominis juvabit consulere Diarium eruditor. Italiae T. XI. pag. 329 seq. Arisii Cremonam literatam II. 63 seq.

Franciscus de ACCOLTIS, Benedicti frater JCtus qui subtilitatum princeps quibusdam est visus apud Guid. Pancirollum libri 2 de vitis JCtorum cap. 103. Obiit A. 1470 * Huius viri extant typis editi commentaria sup. tit. *de accusat. inquisit. et denunt.* in 5. Lib. Decretal. Impressa sunt Pisciae, quae Urbs est Florentinorum in finibus Lucensis ditionis, absque annotatione anni. Extant etiam *Consilia cum repertorio eorundem* ibidem pariter impressa an. 1482 (3) et Venet. ap. N. Bevilacquam 1572 f. necnon scriptum *in lib. 2 Decretal.* impressum Bononiae an. 1481 in fol.

* Mazzuchellus in Op. De Script. Italiae recte monet e vivis excessisse JCtum hunc post coniurationem Pazzianam, quae in an. 1478 incidit. In Bibliotheca Felini extat liber eius in *tit. Digest. solut. Matrim. de testib. de liberis et posth. de vulg. et de acquirenda haered.* Quae omnia simul impressa sunt Senis an. 1486 die 15 Julii in fol. Extat insuper eius *lectura in primam partem Infortiati*, edita Pisciae per Jacobum de Orlandis sine anno, insuper eius commentarius *de acquir. haered.* editus Pisciae die X Decembris 1489. Item eius consilia, ibidem an. 1486. In alio codice Felini chartaceo signato n. 489 continetur manu eiusdem Felini Sandei descripta lectura, seu *lecturae super Decretales* Francisci Aretini in cuius codicis fine haec scribit Felinus: *Solemnissimi rarissimique JC.ti Francisci Aretini commentaria, quae in ultimis suis congressibus Ferrariae gestis sapientissime edidit; demum quinquennio vixit sub imperio Ducis Mediolani secretorum eius fidelissimum scrinium.* Cui Duci defuncto successo Galeacio filio *abiit tantus doctor vocatus a populo Senensi Leges Romanas isthic commentaturus. Quo tendens per Ferrariam transitum fecit 5 Octobris 1466 quo die forte haec commentaria scribere complevi Felinus ego, studiorum meorum anno finito nono, aetatis 22. iniuncto mihi lecturae Decreti onere pro sequenti anno, quum alio anno habueram.* Ex hac annotatione constat de certo anno lecturae Senensis. Discimus etiam moram Mediolanensem Aretini per annos plures. Discimus pariter consedisse illum diu Mediolani, quod Mazzuchellum fugit. In fine voluminis legitur epistola Felini ad eumdem Franciscum. Iste vero commentàrius dein prodiit excusus Bononiae an. 1481 fol. In Cod. 292 MS. eiusdem Felini legitur eiusdem Francisci *consilium* in *causa Testamenti.* In cod. 312 est Repetitio in *L. si fratris* C. de jure delib. edita Papiae an. 1494 f. In altero eiusd. Bibliothecae Cod. MS. eius oratio gratulatoria ad Paulum II. pro adito Pontificatu, habita nomine Francisci Sfortiae Mediolanesis Ducis. Est etiam in eadem Bibliotheca n. 181 liber typis impressus Francisci Aretini super *tit. de Accusat. Inquisit et denunciat, in 5. Decretal.* in fine vero operis legitur. *Completa est lectura ista in civitate Senarum videlicet die*

23 *Junii* 1469. Excusum est opus Pisciae an. 1486 die 21 Octobris. Alterum est eiusdem Bibliothecae volumen signatum n. 182 continens. *Consilia Francisci Aretini de Accoltis cum repertorio eorum quae in istis consiliis praescripta sunt edita per Simonem de Octavianis de Aretio V. J. D. Jus canonicum ordinarie legentem, ac eiusdem D. Francisci sororis filium. edita Pisis an. 1482 die vero 23 mensis Martii.* Valent haec ad perficiendam genealogiam familiae Accoltorum ab eodem Cl. Mazzuchello ibidem pag. 60 deductam, in qua haec Francisci soror minime signatur. In eodem pariter volumine cum superiori opere compacta sunt eiusdem *Francisci elegantissima in Lib. 2. Decretalium scripta* excusa Bononiae an. 1481 die 20 Decembris. Vertit etiam ex Graeco Chrysostomi homilias LXXXVIII. in Joannis Evangelium editas Romae an. 1470. Sunt qui in ea Romana editione excusas homilias non quidem omnes, sed ex iis nonnullas tantummodo Aretinum tulisse interpretem ferant, cum aliae ad alium antiquiorem pertineant; sed falsi illos redarguit editoris monitum, quod in priori pagella legitur: *Francisco huic nostro, cuius translationem hoc praesens continet volumen.* Praeter hos commentarios in Joannem in Cod. 59. MS. Bibliothecae Felini sex aliae leguntur homiliae S. Joannis Chrysostomi ex Aretini huius interpretatione, quarum nonnullas ille direxit *Archidiacono Valentino SS. Domini nostri Datario*, praefatiuncula de suo adiecta. contextae sunt homiliae istae ex excerptis S. Jo. Crhysostomi et fere respondent eclogis S. Joannis Chrysostomi in tom. XII. editionis Montfauconii legendis; quamquam et interdum, sed raro, ab illis discrepant. Has puto a Facio de viris illustribus pag. 15 designari, cum ab authore nostro versa scribit ex Origenis philocalia quaedam; constat enim scriptum illud eclogas ex multis Patribus continere.

Persuasum huc usque omnibus et mihi etiam fuit versionem Epistolarum Diogenis ex Graeco Francisco huic Aretino deberi. Nunc vero novum mihi accidit didicisse ex inedita historia M. Attilii Alessi de Antiquit, Aretinis, cuius fragmentum vulgavit cl. Lamius in catalogo MSS. Riccardianor. in eo etenim haec lego: *Francesco Grisolini (Aretino) in Greco et Latino doctissimo infelicissimo giovine, il quale nella cittá di Napoli cascando morì di subito essendo già stato esaminato e in disputa publica provato, allora quando tradusse l' epistole di Diogene in Latino a Papa Pio II. Pontefice Massimo.* Quis non videat designari hisce verbis versionem illam Francisco Accolto tributam, quaeque Pio II. Pontifici inscripta est? Florebat Attilius iste seculo XVI.

Jacobus ACCONENSIS. vide infra, JACOBUS.

Franciscus ACCURSIUS Florentinus, discipulus Azonis, JCtus, coryphaeus glossatorum Juris Civilis universi celeberrimus, diem obiit Bononiae A. C. 1259 * aetatis 78. De eo Nicolaus Hieronymus Gundlingius in historia posthuma eruditionis, edita germanice Tom. 2 pag. 1786 seq. et Julius Niger in Historia Scriptor. Florentinor 181 qui diversum ab hoc *Accursium* Azonis discipulum fingit (ex. Tomo II. 192 Edit. Patavinae)

Franciscus ACCURSIUS. Francisci, de quo jam dixi, filius, JCtus et ipse et glossularum in Leges civiles auctor, quem ad A. C. 1300 pervenisse scribit Trithemius de Scriptoribus Eccles. cap. 529. Vide de eo Seldenum dissert. ad Fletam cap. 8. Tom. 2. Operum pag. 1097 seq. Ab Eduardo I. sollicitatum in Angliam ut veniret An. 1276 notavit Seldenus ad Fletam pag. 526. Sed Bononiae obiisse constat eodem cum patre tumulo conditum. Dedit etiam orationem pro Anglis coram summo Pontifice dictam, quam olim ego dum Viennae agerem in Codice quodam Biblioth. Vindobonensis offendi. Nihil tamen ex ea mihi descripsi, cuius negligentiae nunc me poenitet. Ex. Tom. VI. 344.

Cervettus ACCURSIUS, Francisci iunioris frater, praecoci ingenio JCtus et ipse, et auctor glossularum, quae ab ipso *Cervettinae* appellantur.

ACERBUS *Morena* Vide infra, MORENA.

ACHARDUS Monachus Cisterciensis in

* Male excusum 1229. in Taissandi Vitis JCtorum Gallice editis et in Ephemeridibus eruditorum Parisiensibus A. 1722. Jan. pag. 91. edit. Amstel.

Coenobio Claraevallensi director Novitiorum sub S. Bernardo circa A. C. 1140. Scripsit *Vitam S. Gotselini* eremitae ab Arnoldo Raisio editam Duaci 1626 12. *Sermones* ejus *breves*, ad Novitios, nondum editi quod sciam. De hoc *Achardo* sive *Acardo* vide Herbertum lib. 1 de miraculis Cisterciensium Monachorum cap. 5 in Bernardo Mabillonii Tom. 2 pag. 1140 Paris. 1719 fol. et Carolum de Visch in limine Bibliothecae Cisterciensis. * Sermones huius duo indicantur a P. Montfaucon Bibl. MSS. pag. 1299. Horum unus est *de septem desertis* in illud *ductus est Jesus in desertum.* Alius est *de omnibus sanctis.* Incipit: *magnorum et spiritualium virorum.*

ACHARDUS Pitseo *Acardus*, Arnoldo Wioni *Archardus*, Bridlingtonensis, Anglus, Canonicus Regularis S. Augustini ex Abbate ab A. 1155 S. Victoris Paris. factus A. 1162. Episcopus Abrincensis. De *opusculis* ejus *Theologicis et sermonibus* MSS. consulendus Oudinus, ex quo constat falli Cangium qui Abbatem S. Victoris à Bridlingtonensi distinguit: nec minus Vossium qui Pitseum secutus Episcopo Abrincensi tribuit Vitam Gotselini, sive ut alii scribunt, Geseleni, Gezelini aut Getselini.

ACHEDUNUS, vide infra, ACTONUS.

ACHELNOTUS qui est Baleo II. 46 Pitseo Cangioque, sive *Egelmotus*, Cantuariensis Archiepiscopus sanctis adscriptus: Joanni Lelando c. 94 aliisque Anglis scriptoribus, verius est AETHELNOTUS sive ETHELNOTHUS. * Diem obiit A. C. 1038. Vide H. Warthoni Angliam sacram Tom. I. pag. 5 et 106. Acta Sanctorum Tom. II. April. pag. 642. Baleus ejus librum de D. Mariae laudibus, et alium ad Leofricum de Augustino, et Epistolas ad diversos commemorat.

ACHOLIUS, sive ACOLIUS Magister admissionum *Valeriani Imp.* fuit, cujus scripsit *Acta*, ex quorum libro nono quaedam affert Vopiscus in Aureliano cap. 13 nec non *Alexandri Severi vitam* teste Lampridio, tribus locis quae jam attulit Vossius II. 4 de Historicis Latinis. Sed nihil ejus scriptoris ad nos pervenit, nec aliam hic ob causam a me memoratur, quam quod Cangius eum inter scriptores mediae Latinitatis nominavit.

Joannes ACTONUS Anglus, Canonicus Lincolniensis clarus circa A. C. 1290 glossator in Constitutiones Legatinas, sive Legatorum Pontificis Romani in Anglia, de cujus variis scriptis adhuc ineditis vide Oudinum Tom. 3 p. 647 seq. sed et p. 1170 ubi quaedam ejus perperam refert ad juniorem Actonum.

ACTONUS, sive *Archedunus* Anglus, Ord. Praed. circa A. C. 1400 contra schisma scripsit *de pace Ecclesiae restituenda*, ut conciones, lectionesque Pitseo memoratas omittam. Vide Lelandum cap. 492.

Libri Medicinarum *Placidi* ACTORIS ex animalibus, pecoribus bestiisque et avibus MS. apud Londinum inter libros Henrici Worseley in hospitio Lincolniensi, num. 49.

ACUTHEIS *de gestis Spalatinorum, sive Spalatensium in Dalmatia* usque ad A. C. 1452 quo tempore auctor vixit. Prodiit in Joannis Lucii Dalmatae opere de regno Dalmatiae et Croatiae, quod in sex libros distributum, vidit lucem Amstelodami 1666 fol.

ADALARDUS sive ADELHARDUS Abbas Corbejensis, defunctus est A. C. 825, Scripsit *statuta Corbejensis Ecclesiae* edita a Dacherio Tom. IV. spicileg. p. 1 et Tom. I. edit. novae p. 586. Ex ejus *libello de ordine palatii* profert quaedam Hincmarus Remensis Tom. 2 pag. 206 seq. Plura vide sis apud Pagium A. C. 826 num. 22 et Carolum le Cointe Tom. 7 annal.

ADALBERO qui et *Ascelinus*, Episcopus Laudunensis (*Laon* in Picardia Galliae) ab A. C. 977. Ejus carmen ad Robertum II. Regem Francorum editum ab Hadriano Valesio Paris. 1663 8 cum notis, et Anonymi veteris Panegyrico in Berengarium. Regnavit Robertus ab A. 988 ad 1017.

ADALBERO sive *Adelberus*, à Dilingen, duodecimus Abbas *Elvvangensis* sive *Elephantiaci* Ord. Bened. in Svevia, et postea ab A. 887. Episcopus Augustanus A. 909 28 April. obiit ut notatur in antiquis Catalogis Episcoporum Augustanorum: scriptor

* Similia nomina Æthelredus, Æthelstanus, Æthelwoldus, Æthelwardus, Æthelwulfus etc.

vitae S. Heriolphi, primi A. 757. Abbatis Elvvangensis, et Lingonensis (in Gallia, *Langres*) Episcopi. Vide Pantaleonem Tomo 2. Vossium de Histor. Lat. Et de Hariolfo Martinum Crusium in Annalibus Svevicis, Sammarthanos etc. Ejus vitam et miracula ante Adalberonem scripsit etiam Ermenricus, de quo infra. Vide Molanum addit. ad Usuardum 13 Augusti.

ADALBERO Frisius. Vide infra, ADELBODUS.

ADALBERONI Treverensi Episcopo Chronicon suum dedicavit Regino Prumiensis.

ADALBERTUS Levita sive monachus et sacerdos scripsit *flores ex moralibus B. Gregorii Papae in Jobum*, eosque dedicavit Herimanno presbytero. *Prologum ad Herimannum* edidit Edmundus Martene T. I. Anecdotorum pag. 84 testatus depromtum ex Codice annorum circiter 600. Pitseus notat monachum Benedictinum fuisse congregationis Cluniacensis in coenobio Angliae *Spaldingensi* circa A. C. 1160. *Speculumque status hominis, et homilias* ejus memorant: Patet hinc Adalbertum Spaldingensem non esse distinguendum ab Adalberto Diacono auctore Speculi ex moralibus S. Gregorii.

De ADALBERTO *Augustano*, de *Floriacensi*, de *Pragensi* aliisque hoc nomine, infra in ADELBERTUS.

ADALDAGUS, infra, ADELAGUS.

ADALGISUS, Monacus Benedictinus Coenobii S. Theodorici montis Or apud Remos in Gallia: scripsit circa A. C. 1150 ad Patres ejusdem Coenobii *de miraculis S. Theodorici Abbatis Remensis* defuncti A. 523 quorum partem edidit Mabillonius in Actis Tom. I. saeculi Benedictini p. 622. Vitam hujus Theodorici, Anonymo scriptore habent Surius et Acta Sanctorum 1. Jul. Acta Ord. Benedict. Tom. I. p. 614 et Tom. I. Annal. Benedictin. pag. 681.

ADAMANUS, sive ADAMNANUS Benedictinus Abbas in insula (Hu, sive Hey) Hyensi vicina Scotiae, octogenario propior defunctus A. C. 704 IX. Cal. Octobr. Ejus *libri III. de vita S. Columbae* cum notis Francisci Baërtii exstant in Actis Sanctorum 9 Junii Tom. II. pag. 197 seq. ut Canisii, Surii, Mabillonii Sec. I. Benedict. Stephani Vici in triade Sanctorum Hiberniae, Thomae Messingani in florilegio Hiberniae Sanctorum, Benedicti Gononi in Vitis Patrum Occidentis, Lugduni 1625 fol. pag. 420 aliasque editiones omittam. Prologum et epilogum ad Columbae vitam vulgavit Usserius in Epistolarum Hibernicarum sylloge pag. 42 una cum adjuratione ad librarios. Prologum ad *libros III. de locis terrae sanctae* ex ore dictantis Arculfi Episcopi, gente Galli ex Palaestina reducis acceptos edidit Labbeus Tom. I. Bibliothecae novae MSS. pag. 667 libros ipsos post Jacobum Gretserum * Ingolstad. 1619 4. Joannes Mabillonius Sec. III. Benedict. Parte 2 pag. 502. Laudat Beda V. 16 de gestis Anglorum et in Marci XV. 46 et ad calcem libelli de locis sanctis Tom. 3 pag. 371 ubi Arculfi et Adamani vestigia legisse se non diffitetur. *De legitimo Paschatis tempore* num scripserit aliquid, et *Canones* in litteras miserit, ex Bedae V. 16 de gestis Anglorum non adeo firmiter colligitur, nec ex loco Matthaei Monasteriensis ad A. C. 701 quam adduxit Vossius pag. 272 de Historicis Latinis. Tertiam syllabam in nomine Adamani corripit Alcuinus in his versibus, qui pag. 1756 ejus operum leguntur:

Patricus, Cheranus, Scotorum gloria gentis,
Atque Columbanus, Congallus, *Adamnanus*, atque
Praeclari Patres, morum vitaeque magistri.
Hic pietas precibus horum nos adjuvet omnes.

ADAMUS *Alderspacensis* in Bavaria Monachus circa A. C. 1250 cujus *Theologiam moralem versibus descriptam hexametris* laudat Joannes Caramuel in Epistola dedicatoria primae partis Theologiae suae Regularis, editae Francof. 1646.

ADAMUS *Anglicus*, vide infra, *Wodheamensis.*

ADAMUS *Barchingensis*, Shirbornensis sive Clarofontanus in Anglia Monachus Ordin. Benedicit. qui circa A. C. 1217 vixit, *rhythmos* et *carmina* à Pitseo traditur scripsisse. Ejus *commentarios in IV. Evangelia* ad Joannem Canonicum Severianum, libellumque *de Natura Divina et humana*, alterumque *de serie sex aetatum*, carmine rhy-

* Non Serarium, ut Caveus.

thmico, Lelandus c. 208 commemorat. *Postillae breves super Vetus et Novum Testamentum* MStae Cantabrigiae in Collegio S. Benedicti.

ADAMUS *de Basseja*, Canonicus Insulensis, cujus ludum rhythmice compositum super Mag. Alani de Insulis Anti-Claudianum laudat Sanderus in Bibliotheca Belgica MSta pag. 138. Anti-Claudiani auctor diem obiit A. C. 1294.

ADAMUS *Berchingensis*, vide supra *Barchingensis*.

ADAMUS *de Bockfeld*, Lelando *Buccenfeldus*. Anglus, Ordinis Minorum Philosophus, Sec. XIV. cujus Commentarios in Aristotelis Topica, libros de Coelo et Mundo, de generatione et corruptione, nec non Meteororum MStos se habere testatus est Waddingus. Ejusdem in Philosophi Metaphysicam MSti Oxonii in Collegio Balliotensi, teste Pitseo.

ADAMUS, qui ex Misnia, a) ut videtur, cum Adalberto Bremam venit, *Bremensis* inde ab A. C. 1067. Canonicus, post defunctum A. 1072. Archiepiscopum Hamburgensem Adalbertum, successori ejus Liemaro dedicavit *Historiam Ecclesiasticam* libris quatuor digestam de Religionis Christianae propagatae gestis a Caroli Magni temporibus ab Anno 755 usque ad 1076 subjuncto appendicis in vicem *libro de situ Daniae et reliquarum trans Daniam regionum natura*, qui obvius in reliquis, in prima Hafniensi editione desideratur. Parachronismis scatere hunc Adamum notavit *Lambecius* Tomo II. Rerum Hamburgensium pag. 577. seq. 345 502 etc. Idem in eo ipso opere pluribus Adami locis non inficiandam lucem attulit, quemadmodum *Nicolaus Staphorstius* quoque noster ὁ μακαρίτης in Historia Ecclesiastica Hamburgensi, quam Germanice vulgatam ab eo habemus, in cujus Tomo primo pag. 358 seq. quoque extant quaedam non contemnendae notae *Friderici Lindenbrogii*. Habeo praeterea Clarissimi Viri *Arnae Magnaei* castigationes quasdam, comperirique Hafniae servari commentarium MS. *Othonis Sperlingii*, b) quem proferri in lucem optabunt mecum harum litterarum studiosi.

Edita primum Adami Historia Ecclesiastica est ab *Andrea Severino Velleo* Hafniae, 1579 4 ex MS. Coenobii Sorensis, additis capitum argumentis, scholiisque, et nonnullis etiam ex eodem Codice MS. depromtis annotationibus Postea emendatiorem integrioremque multis locis et libro de situ Daniae auctum vulgavit *Erpoldus Lindenbrogius* ex Codice MS. illustrissimi Producis Cimbrici Henrici Ranzovii, Lugduni Batavorum 1695. 4. Haec editio repetita est in Scriptorum Septentrionalium sylloge, eodem Erpoldo curante typis Francofurtensibus An. 1609 et repetita An. 1630 fol. Ab eo tempore non sine auctario veterum monumentorum, Adami Historiam librumque de Daniae situ recudenda dedit *Joachimus Johannes Maderus*, Helmstadii 1670 4 Hanc editonem tanquam meliorem sequi malui, cum scriptores septentrionales Erpoldi Lindenbrogii curarem recudi Hamb. 1706 fol. quibus Lambecii Origines Hamburgenses et alia quaedam aliorum adjunxi. Si scriptores illos, quod brevi sperare licet futurum, iterum praelis subjicere mihi contingat, dare operam est animus sedulo, ut in illa nova editione longe melior Adamus lectori offeratur. Non omittendum denique *Svecicam* c) ejus versionem adornatam esse a viro antiquitatum septentrionalium peritissimo *Johanne Friderico Peringskiöldio*, editamquae Holmiae 1719 4. Helmoldus, Albertus Stadensis et alii juniores libenter Adami auctoritate utuntur, Albertus praecipue Krantzius eum secutus est in sua Metropoli: et Lambecius, ubi Adamus desiit, ibidem et ipse praeclaris libris suis de rebus Hamburgensibus voluit finem imponere, cum non videret, quem deficiente Adamo tam bonum ducem ad telam pertexendam sibi posset proponere.

ADAMUS *Bucfeldus*, Anglus, Mathematicus, quo jure apud Cangium ab *Adamo de Bucfeld*, de quo jam memoravi, tamquam diversus laudetur, non possum dicere.

a) Vide Meibomium Tom. III. scriptorum Germaniae pag 57.

b) Memoires de Trevoux A. 1717. pag. 854.

c) Acta Litteraria Sveciae A. 1720. pag. 25.

ADAMUS *Bavarus* idem cum Monacho *Alderspacensi* in Bavaria, Ordinis Cisterc. circa A. C. 1250 cujus ut dixi, *Theologiam Moralem versibus hexametris* adhuc ineditam legit in Bibliotheca Alderspacensi, laudatque Joannes Caramuel in dedicatione partis primae Theologiae Regularis, sive commentariorum in regulas SS. Benedicti, Augustini et Francisci.

ADAMUS *Burlaeus*, Anglus, vide *Burlaeus.*

ADAMUS *Caroli loci Abbas*, vide mox *Adamus de Chamilli.*

ADAMUS *Carthusianus*, Anglus Theologus circa A. C. 1340 cui a Pitseo tribuuntur Scala coeli, de patientia tribulationum et de sumtione S. Eucharistiae. De *vita S. Hugonis*, quae ad eum tanquam auctorem refertur, videndus Vossius II. 65 de Histor. Lat. de Hugone Baronius ad Martyrolog. Rom. 17 Nov.

ADAMUS *Cathanesiae* in Scotia Episcopus, Ord. Cisterc. quod decimas acerbius exigeret, a suis crematus A. C. 1222 de quo Thormodus Torfaeus rerum Orcadensium lib. I. pag. 155 Buchananus VII. rerum Scoticarum pag. 128 A Dempstero, quem Joannes Hallervordus suspicatur talia interdum fingere, traditur scripsisse Chronicon, Historiae Scotiae libros tres, Insularum descriptionem, excerpta Bibbliae, Epistolas etc. Vide Caroli de Visch Bibliothecam Cisterciensem.

ADAMUS *de Chamilli*, Ord. Cisterc. ex Abbate Caroli loci Episcopus in Gallia Silvanectensis ab A. C. 1230 al 1250 Ejns opus insigne *Sermonum* vidisse se MStum testatur Oudinus Tom. III. pag. 156 quod incipit: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas.* Carolus de Visch in Bibliotheca Cisterciensi *Lecturas Evangelicas* appellat, scriptas videlicet in Evangelia, quae per annum in Ecclesia leguntur.

ADAMUS *Clarofontanus* Monachus, supra in *Barchingensi.*

ADAMUS, *Clericus Claromontani Episcopi*, scripsit *Chronicon* adhuc ineditum, ab An. C. 1218 ad 1270 MS. in Bibliotheca Carmelitarum Claromontana. *Flores Historiarum* ex speculo Historiali Vincentii Bellovacensis, ad Gregorium X. vide Jacobum Echardum de scriptoribus Dominicanis Tom. II. pag. 240.* Si recte ad notavit P. Montfaucon in Biblioth. MSS. pag. 1013 in Cod. 5416 chronicon Adami huius, et flores historiarum usque ad Gregorium X. unum idemque sunt opus; nam in eodem Codice Biblioth. Reg. Paris. contineri scribit *Adami clerici Claromontensis* chronicon ab initio Mundi usque ad Gregorium.

ADAMUS de *Corlandon*, sive *Corlandonensis.* B. Mariae Laudunensis Decanus, Ord. Cisterc. circa A. C. 1190 qui scripsit: *Ordinarium Ecclesiae*, sive *Ordinem Divini Officii in in Ecclesia Laudunensi*, editum cum prolixis commentariis Antoni Belloti, Parisiis 1662 fol. 2 Volum. Vide Oudinum, ubi etiam de ineditis ejus *quaestionum in Sacram Scripturam solutionibus* ad Michaelem de Corbolio, Senonensem Archiepiscopum.

ADAMUS *de Domersham*, cujus *historiam de rebus gestis Glastoniensibus* ab A. C. 1126 ubi Wilhelmus Malmesburiensis desinit, ad 1290 edidit Thomas Hearne ex MS. Codice Cantabrigiensi Collegii SS. Trinit. Oxon. e Theatro Sheldoniano 1726 8 vide sis Acta Eruditorum 1729 pag. 183 Journal des Sav. 1728. Maj. pag. 133. *Historiam Controversiae inter Episcopos Bathonienses et Monachos Glastonienses* ediderat Henricus Warthonus Tom. I. Angliae sacrae pag. 578-583. Scripta est post A. 1290 quo Abbatem Glastoniensem Joannem tradit Domershami diem supremum obiisse.

ADAMUS *Dorensis*, in Anglia, Coenobii Ord. Cisterc. Monachus et Abbas circa A. C. 1200. Scripsit carmen acerbum adversus *Sylvestrum Giraldum* Cambrensem, qui in speculo suo Ecclesiae Cistercienses perstrinxerat. Vide Baleum III. 40 et Johannem Prince in Devoniensibus illustribus, ubi *Giraldi* in hunc Adamum invectivae, quarum specimina habes etiam in Actis Eruditorum An. 1702 pag. 283. Hujus Adami rudimenta Musices Carolus de Visch e Pitseo memorat.

ADAMUS *Eliensis* Episcopus, infra, *Adamus de Marisco.*

ADAMUS *Eoreshamensis*, in Anglia Coe-

nobii Abbas. Ord. Benedict. medio Sec. XII. Ejus exhortationem ad sacras Virgines Godestovensis (alias Glaustonensis, vel Gostovensis) Coenobii, et Epistolas et de Miraculo Eucharistiae ad Rainaldum in Eoveshamensi Bibliotheca vidit Lelandus, ut refert c. 193.

ADAMUS *Esthonus*, Londinensis et Herefordensis in Anglia Episcopus circa A. C. 1390 quem Hebraice ac Graece peritum plura scripsisse, et Vetus Testam. ex Hebraico vertisse: Aristotelis quoque meteorologica ex Graeco, scripsisseque librum de diversitate translationum Sacri Codicis, Postillam Hebraicam, aliaque multa refert Pitseus, quae apud eum pag. 549 videantur.

ADAMUS *Eveshamensis*, Anglus, circa A. C. 1160 vide *Eoveshamensis*.

ADAMUS *Goddamus* circa A. C. 1320 vide infra *Adamus Wodheamensis*.

ADAMUS *Hemelendunus*, sive *Hemlingtonus*, Anglus, Norfolciensis Carmelita, Theologus. Ejus *Conciones Sacras et Quaestionum ordinariarum* librum Lelandus cap. 494 memorat. Pitseus etiam librum *de*, nescio quo, *Actu Parisiensi*. Diem obiisse Norvici A. C. 1420 praeter alios tradit etiam M. Antonius Alegre de Casanate in paradiso Carmelitici decoris pag. 332.

ADAMUS *Hibernicus*, Ord. Minorum Theologus, circa A. C. 1320 cujus *Quaestiones Quodlibetales et Commentarios in libros sententiarum*, Gregorio Ariminensi saepe laudatos refert Waddingus.

ADAMUS *Insulensis*, vide supra, *Adamus de Basseja*.

ADAMUS *Laudunensis* Decanus. Vide *Corlandonensis*.

ADAMUS *Loci regii* in Anglia non procul Oxonio Abbas, Ord. Cisterc. circa A. C. 1368 scripsit *contra Wiclefistas* ad Simonem Langhamum Archiepiscopum Cantuariensem, et *Soliloquium pro animae institutione*, nec non *Defensorium exemtorum*, *et pro Ordine Monastico*, atque *Epistolas etc.* Vide Pitseum pag. 501.

ADAMUS *de Marisco*, Anglus, Eliensis Episcopus, circa A. C. 1257. Alius hoc nomine Rogeri Baconi amicus, Franciscanus circa A. 1308 qui Oxonii docuit, et cujus *Elucidarium*, sive: *Commentarii in sacras litteras* a Lelando cap. 248 memorantur. plura a Waddingo, ut *Epistolae ad Robertum Capitonem*, Episcopum Lincolniensem: *Paraphrases in Dionysium Areopag. Commentarii in Magistrum sententiarum, Quaestiones* Thèologicae, *Lectiones* ordinariae etc. Sed illa ad priorem referri a Pitseo pag. 335 seq. video.

ADAMUS *de Montaldo*, scripsit Passionem Christi, heroico carmine, quod MS. servatur Lipsiae in Bibliotheca Paulina, teste B. Fellero pag. 297 num. 23.

ADAMUS *Muremuthensis*, aliis *Merimuth*, *Myrimuth*, *etc.* Ord. Cisterc. Londinensis Ecclesiae S. Pauli Canonicus, de quo Caveum ad An. 1342 consulere juvabit. Scripsit *Chronicon* sive *Historiam sui temporis*, sive, ut Carolus de Visch vocat, *Tomos duos annalium rerum Aaglicanarum*, ab A. C. 1302 * ad 1336 continuatum deinde, ut Viri doctissimi notarunt, ab alio auctore ad An. 1380 Edidit primum *Antonius Hallius*, Oxonii e Theatro Sheldoniano 1722 8. una cum Anonymo Nicolao Triveti annalium continuatore, aliisque Vide Acta Eruditorum Tom. IX. Supplementi pag. 181.

ADAMUS *Nizardus*, sive *Nutzarde*, Anglus, magister Oxoniensis, Grammaticus, circa A. C. 1340 cui praeter librum de Verborum significatis a Baleo V. 63 et Pitseo pag. 447 in Codicibus quibusdam tribuitur *Carmen de speciebus lapidum*, quod ad Marbodeum communiter referunt, quodque incipit: *Evax Rex Arabum legitur scripsisse Neroni*. Deinde aliud *Carmen Neutrale* cujus initium: *Aspirans precibus vestris persaepe etc.*

ADAMUS *Odohamus*. infra, *Wodheamensis*.

ADAM *Orientalis*, sive Abbas Monachorum Orientis, cujus scriptum de Conciliatione fidei Orientalium cum fide Ecclesiae Romanae edidit Bzovius ad An. C. 1330 num. XXV. seq.

ADAMUS *Parvus*, aliis *Pontuajus*, Alexaudri Neccami discipulus, medio Seculo

* Ita recte Carolus de Visch in Bibliotheca Cisterc. pag. 4 nam apud Lelandum cap. 459 perperam excusum ab Anno 1520 et apud Oudinum Tom. III. pag. 915. ab Anno 1595.

XIII. cujus librum super dictionibus Bibliorum et tractatum Logices, Pitseus memorat.

ADAMUS ex *Praedicatorum* Ordine, cujus Commentarii in Magistrum Sententiarum circa A. C. 1355 compositi.

ADAMUS Abbas *Perseniae*, sive *de Persenia*; non Benedictinus, ut visum Trithemio cap. 343 de S. E. et Il. 79 illustr. Benedictin. sed Ord. Cisterciensis in Episcopatu Cenomanensi, circa A. C. 1190 de quo adeundus Oudinus. Ejus *Epistolae V.* ad Osmundum Monacum mortui maris in Normannia, apud Baluz. Tom. I. Miscell. pag. 423. Aliae *Epistolae XXIII.* in anecdotis Edmundi Martene Tom. I. pag. 669 Adae Abbatis Perseniae Mariale, sive. *Sermones de B. Virgine* cum notis editi ab Hippolyto Marraccio. Romae 1652 8. Alia ejus memorat Carolus de Visch in Biblioth. Cisterc. pag. 4.* In Bibliotheca S. Victoris Claravallensis extant codices duo ad hunc Adam pertinentes quorum alter exhibet *Sermones et epistolas domni Adam* abbatis de Persenia; alter vero eiusdem abbatis *epistolas alias* numero 35. Vide P. Montfaucon Biblioth. MSS. pag. 1368.

ADAMUS *de Pomeran* a V. C. Thoma Hearne edendus promittitur in Diario nobili, Biblioheque Angloise Tom. XIV. pag. 282 Sed legendum *Adamus de Domeran*, de quo supra.

ADAMUS *Pontigniacensis*, Monachus Cisterc. scripsit Conciones et Meditationes plures, quas prelo dignissimas vocat Carolus de Visch.

ADAMUS *Praemonstratensis*, vide mox *Adamus Scotus.*

ADAMUS *Saxlighamus*, Anglus, Carmelita Theologus, circa A. C. 1350 cujus *Disputationes* Theologicas et Philosophicas, *Sermonumque* sive Concionum librum memorant.

ADAMUS *Scotus*, Canonicus Regularis ex *Praemonstratensi* Ordine, defunctus in Gallia A. C. 1180. Vide Georgium Mackenzieum in vitis scriptorum Scotorum Anglice editis Tom. I. pag. 141 seq. Ejus tractatus *de triplici tabernaculo Mosis*, Liber *de triplici genere contemplationis*, *et sermones XIV.* de ordine et habitu Praemonstrantium, viderunt lucem Parisiis 1518 fol. Hisce *sermones alii XXXIII. et commentarius in Regulam D. Augustini* accesserunt in editione opusculorum Adami Antwerpiensi, quam curavit Godfridus Ghiselbertus 1659 fol. Denique *Soliloquiorum* de instructione animae pro Religiosis, sive Monachis *libros duos* vulgavit Bernardus Pez Tom. I. anecdotorum Parte II. pag. 336. De aliis Oudinum, si placet, consule, Tom. II. pag. 1544 seq.

ADAMI *Senioris* itidem Killosensis in Scotia Monachi *Strenae*, sive *Conciones Capitulares* e MSto vulgatae, Parisiis 1558 4.to.

ADAMUS *Shirbornensis*. vide supra, *Adamus Barchingensis.*

ADAMUS de Chamilli, Episcopus in Gallia *Silvanectensis*. Vide supra, *Adamus de Chamilli.*

Magister ADAMUS *de S. Sulpitio*, cujus commentarium in librum Jobi MS. memorat Sanderus Parte II. Bibliothecae Belgicae MS. pag, 171.

ADAMUS *Victorinus*, sive *de S. Victore*, Canonicus Regularis S. Victoris Paris. defunctus A. C. 1177 8 Julii. Ex ejus *Dialogo de instructione discipuli*, ad Canonicos Ecclesiae Archiepiscopalis S. Andreae in Scotia, nonnulla affert Joannes Picardus ad lib. I. Epist. 29 Anselmi Cantuar. ubi et S. Bernardo positum ab eo *Epitaphium* testatur. Dialogum illum et *Consequentias*, seu *Prosas* quasdam hujus Adam MSS. servat Bibliotheca S. Victoris Paris. ut ab Oudino annotatum.

ADAMUS *Goddamus*, sive *Wodheamensis*. Anglicus, Gvil. Occami discipulus, Ordinis Minorum, Theologus Oxoniensis, defunctus A. C. 1558 Praeter Commentarios in librum Canticorum, aliaque Baleo V 98 memorata scripsit librum contra Richardum Wethersetum, et Commentarios in Magistrum sententiarum editos Parisiis 1512. Apud Pitseum, Cangiumque tanquam duo distincti recensentur Goddamus et Wodheamensis, quod praeter rem fieri existimo, sicut etiam Typographi errorem non dubito esse, quod Wodheamensis traditur obiisse A. 1338 pro 1358. Similiter idem cum Wodheamensi est *Adamus Odohamus* apud Lelandum cap. 248 et 424.

ADELAGUS, sive ADELDAGUS, ADALDAGUS, Bremensis, ab A. 936 ad 988. Archiepiscopus, cujus *Epistola ad Flodoardum*, hujus quatuor libris Historiae Remensis Ecclesiae praemittitur Tom. XVII. Bibl. Patrum edit. Lugd. pag. 503.

ADELARDUS, sive ATHELARDUS, Anglus, Ord. S. Benedicti Monachus Badunensis, sive Bathoniensis, cujus praefationem ad *Dialogum de rerum*, sive *naturalium compositorum causis* inter ipsum et nepotem suum, ad Richardum Bajocensem Episcopum edidit Edmundus Martene Tomo I. anecdotorum pag. 292. Richardus ille Bajocensi Ecclesiae praefuit ab An. C. 1098 ad 1133. Plura hujus Adelardi memorat Pitseus, Librum *de septem artibus*, alium *de sic et non sic*, alium *de astrolabio*, et librum *problematum*, sive *Naturalium Quaestionum LXXVI.* quod opus dignum Philosopho Joannes Lelandus c. 171 appellat. Etiam scripsit librum *de doctrina abaci*: et libros *Euclidis* de Geometria ex Arabico in Latinum transtulit, aliumque, nescio cujus auctoris, *de septem Planetis*, fortasse *Japharis* Mathematici, cujus isagogen minorem in Astronomiam ab Adelardo versam ex Arabico memorant. Vide Oudinum Tom. II. pag. 1017 seq. Ægyptum et Arabiam peragrasse narrat Baleus II. 69. * In Bibliotheca MSS. P. Montfaucon occurrit Adelardi commentarius in sex priores libros Euclidis, eosque servari in Biblioth. Florentina ibidem legimus: id vero siquidem veritati cohaereat, longe aliud est opus quam pura versio libri Euclidis de geometria ex Arabico in latinum.

ADELBERTUS, sive ADILBERTUS, Ord. S. Benedicti, Prior *Augustanus*, cujus libellum *de vita et miraculis S. Simperti*, Episcopi duodecimi Augustani a Carolo M. constituti, edidit Bernardus Pez Tom. II. thesauri anecdotorum Parte III. pag. 355 Adelbertus ille vixit circa An. C. 1240 Vide Pezii Dissertationem Isagogicam p. LXI.

ADELBERTUS Abbas *Heidenheimensis*, qui sub Eugenio III. circa An. C. 1150 vixit, scripsitque *vitam S. Willibaldi* editam a Jacobo Gretsero ad calcem Philippi Eystetensis, Ingolstad. 1617 4 pag. 318.

ADELBERTUS, sive ADALBERTUS, Episcopus Pragensis, cujus homilia de S. Alexio Confessore Tom. IV. Act. Sanctor. Julii 17 pag. 257 seq.

ADELBOLDUS ex Duce exercitus Canonicus Laubiensis, sive Lobiensis in Hannonia, et ab Anno 1008. Episcopus Ultrajectinus, defunctus A. 1027. Huic in Codicibus quibusdam et a Sigeberto Gemblacensi cap. 138 tribuuntur libri duo *de vita S. Imperatoris Henrici II.* quem constat obiisse 14 Julii A. 1024. Vita illa obvia apud Surium et in Actis Sanctorum 14 Julii, Tom. III. pag. 744. Canisium Tom. VI. pag. 383 et Tom. III. Parte II. edit. novae pag. 25. Gretserum in Sanctis Bambergensibus, Ingolstad 1611 4 et illustrem Leibnitium Tom. I. Scriptorum Brunsvicensium, pag. 430. Joannem Petrum Ludewig Tomo I. Scriptorum Bambergensium pag. 790. Libellum *de ratione inveniendi crassitudinem sphaerae, ad Silvestrum II. Papam*, vulgavit Bernardus Pez Tom. III. thesauri anecdotorum Parte II. pag. 86. *Vita S. Walburgis* in Actis Sanctorum 25 Febr. Tom. III. pag. 542. Alia ejus memorat Trithemius de S. E. c. 312 et illustr. Benedictin. II. 64.

ADELERIUS. vide infra in ADREVALDO.

ADELGERUS. infra ALGERUS.

ADELGORII, sive ADALGOTI, Archiepiscopi Magdeburgensis, *Epistola* A. C. 1110 *pro auxilio* adversus Paganos (Slavos) Tomo I. monumentorum Edmundi Martene pag. 625.

ADELHARDUS Abbas Corbejensis, defunctus An. C. 825. Ejus *Capitula LII. admonitionum in congregatione*, vulgata a Mabillonio, Saeculo IV. Benedictin. ad calcem Partis I. De hoc Adelhardo Carolus le Cointe Tom. VII. annalium Francorum pag. 767 seqq.

ADELHELMUS et ADELMUS, vide ALDHELMUS.

ADELHERUS. infra, ALGERUS.

ADELINUS de Virginitate laudatur ab Alberico Monacho trium fontium pag. 66 107 etc. vide *Aldhelmus.*

ADELMANNUS, sive ut Sigeberto c. 153 ALMANNUS, Berengario per jocum AULUS MANNUS, Grammaticus, ex Scholastico Le-

odiensi Episcopus Brixiensis ab A. C. 1048 defunctus non ante A. 1061 ut probat Ughellus Tomo IV. Italiae Sacrae pag. 540. Ejus *rhythmos de viris illustribus sui temporis* edidit Mabillonius Tom. I. Analect. pag. 420 et edit. novae pag. 382. *Epistola de Veritate Corporis Christi* ad *Petrum* Primicerium Metensem, Adelmanno ipsi et Sigeberto memorata, nondum lucem vidit, quod sciam: altera *ad Berengarium* (suum quondam sub Fulberto condiscipulum) sed extrema parte mutila prodiit primum Lovanii 1551 atque 1561 8 cum Lanfranci et aliorum auctorum vetustorum de eodem argumento, et in Bibliothecis Patrum: Lipsiae etiam 1710 4 in Urbani Gothofredi Siberi schediasmate de illustribus Alemannis; novissime emendatior et cum notis praeclari viri Pauli Galeardi, qui etiam *rhythmos* supra memoratos ex Mabillonio adjunxit, ad calcem sermonum S. Gaudentii, Patav. 1720 4 Berengarii purgatoriam Epistolam contra Alemannum vulgavit Edmundus Martene Tomo IV. anecdotorum pag. 109.

ADELMUS, sive ADELHELMUS *Sagiensis* (Seez in Normannia Galliae) Episcopus circa A. C. 880. Vide ALDHELMUS.

ADELMUS Anglus, et alius Gallus, vide ALDHELMUS, et mox ADEMARUS.

ADELPHIUS Episcopus in Africa, qui cum S. Cypriano A. C. 254. Epistola scripsit, in edit. Pamelii et Baluzi 68. Joannis Felli 67.

Vita S. ADELPHII, Confessoris, Abbatis Montis S. Romarici, edita a Labbeo Tomo I. Bibliothecae novae MSS. p. 683.

ADELPHUS Abbas Ord. Benedectin. circa A. C. 1180 de quo Trithemius cap. 383 de S. E. et illustr Benedictin. II. 16 ubi *sermones* ejus ad fratres, et librum *contra Saracenos* memorat.

ADEMARUS, (*Adhemarus* aliis, vel *Autmarus*) Monachus Benedictinus Caroli Magni aetate, a) cui Aimoinus in extremo libri IV. ait in acceptis se referre, *quae scripserit usque ad tempora Imperii Francorum.*

a) Vide Vossium lib. II. de Historicis Latinis cap. 31 et Jacobum le Long Bibliotheca Historicorum Galliae pag. 331.

Huic igitur Petrus Pithoeus et Marquardus Freherus (Papirius Massonus et alii ADELMUM vocant, sive ADELINUM) tribuunt *Annales Carolinos* ab A. C. 741 ad 829 qui aliquibus dicuntur etiam Annales *Laureshamenses.* b) Hos cum Eginhardo de vita Caroli M. primum vulgavit, sed sine auctoris nomine Hermannus Comes Nuenarius, Colon. 1521 4. Deinde Justus Reuberus inter Veteres Scriptores pag. 15 seqq. addita appendice usque ad A. 842 ex *Nithardo* repetita, tributos *cuidam ejus aetatis Astronomo Ludovici Regis domestico.* Petrus Pithoeus autem in scriptoribus coaetaneis, Francofurti 1594 8vo, et Freherus Tomo II. scriptorum de rebus Francicis pag. 381 adscriptos, ut dixi, Ademaro, sive Adelmo. Denique Andreas du Chesne Tomo II. scriptorum Histor. Francorum pag. 233 sub nonomine *Eginhardi*, qui apud Odilonem citatur nomine *Agenardi, cognomine Sapientis.* Du Chesnii exemplum secuti sunt Johannes Michaël Heineccius, ac Johannes Georgius Leuckfeld in scriptoribus rerum Germanicarum. Francofurti 1707 fol. et Gallicae versionis auctor Ludovicus Cousinus, Parisiis 1683 12. Etiam Caroli M. vitae ab Eginhardo scriptae leguntur in MS. Codice, qui servatur in Bibliotheca Caesarea, unde Lambecius Tom. II. pag. 401 auctorem illum esse horum Annalium nihil dubitat. Vicissim tamen in nonnullis hos annales a vita Caroli Eginhardiana dissidere notavit Carolus de Cointe ad Annum 774 num. 128 seqq. Praecipue vero contra du Chesnii sententiam facit, quod in his annalibus ad An. 827. Eginhardus *sui temporis prudentissimus virorum* appellatur. Confer. Pagium ad Annum 826 num. XI. et XII.

b) Ad Annum 774 *in monasterio nostro Laureshamensi.* Sed fortasse Karoli haec verba sunt, non auctoris, quamquam du Chesnio Eginhardus *suum* videtur appellare, in quod magna ejus erant beneficia ac merita. Aliud plane Chronicon Laurishamense, cujus fragmentum ab Anno 761 ad 895 exhibet du Chesnius Tom III, pag. 490 atque integrum usque ad Annum 1179 ediderat Freherus Tomo primo Scriptorum Germanor. et Burchardus Gotthelf Struvius in nova Freheeri editione etiam notis illustravit.

ADEMARUS, ex nobili familia *Chabannensi* Monachus in *S. Eparchii* Coenobio, *Engolismensis*, auctor *Chronici Aquitani*, a principio Monarchiae Francorum ad annum, quo scripsit 1029. Ex hoc fragmentum *de S. Adalberto et de S. Brunone* ejus coapostolo, temporibus Ottonis III. Imperatoris, post An. 1000 quod vulgaverat Canisius Tomo III. antiqu. lect. pag. 45. (edit. novae Tom. III. pag. 66.) locum *de Concilio Aquisgranensi* An. 816. Sirmondus Tomo IV. Operum pag. 647 ex ineditis Ademari Collectaneis Historicis. Alia ex hoc Chronico edita a Pithoeo, du Chesnio, sed praecipuam partem ab Anno 829 ad 1029 dedit Labbeus Tom. II. Bibliothecae novae MSS. pag. 151 seq. De caeteris vide Vossium III. de Histor. Latin. pag. 773 et Jacobum le Long. pag. 777 et pag. 341 ubi etiam de epitome Petri a S. Romualdo. Fragmentum ex *Historia de gestis Pontificum et Comitum Engolismensium* edidit du Chesne in Normannicis pag. 19 sed illa in MSS. *Hugoni* Engolismensi tribuitur, e qua etiam loca produci a Johanne Beslyo in Historia Comitum Pictaviensium pag. 391 417 442 460 475 476 notavit Jacobus le Long pag. 157. Ejusdem Ademari *Commemoratio XIII. Abbatum Lemovicensium Basilicae S. Martialis Apostoli* ab Anno 848. quorum ultimus ille *Hugo* est, vulgata ab eodem Labbeo Tom. II, pag. 271. Neque audiendus Vir laudatus, Jacobus le Long, qui p. 249 hunc Ademarum a superiore distinguit, et An. 1110 scribit vixisse. *Epistola* post Concilium Lemovicense A. 1029 habitum scripta *de Apostolatu Martialis Lemovicensis*, apud Baluzium una cum sermonibus ejusdem argumenti in illo Concilio habitis, quos eidem Ademaro Baluzius tribuit. Vide Dupinium Bibl. Eccles. Sec. XI. Tomo VIII. edit. Amst. pag. 108. Ejus *acrostichon* ad Rohonem, Episcopum Ecolismensem, sive Engolismensem, (Angoulesme in Aquitania) edidit Mabillonius Tomo I. Analect. pag. 418. (edit. novae in fol. pag. 432.)

ADENULPHUS, sive *Athenulphus*, ab A. C. 1008 per quinquaginta annos Archiepiscopus Capuanus. *Sacrum S. Martyris Marci, Episcopi Atinensis officium versibus Leoninis complexus est: inventionem quoque ejusdem hexametris et pentametris, vitamque ejusdem ad Clerum Atinensem conscripsit, quae MSS. exstant apud me.* Haec Ughellus Tomo VI. Italiae Sacrae pag. 322 edit. novae, qui Vitam illam S. Marci I. Altinensis in Campania, ut ajunt, Episcopi, et sub Domitiano Martyris, edidit pag. 407. obviam quoque in Actis Sanctorum 28 April. pag. 548.

ADEODATUS ab A. C. 672 14 Martii ad 18 Maji 677. Pontifex Romanus, cujus exstat *Epistola ad universos Episcopos Galliae* de privilegio concesso Abbati S. Martini Turonensis, edita a Papyrio Massono in gestis Pontificum Romanorum, Parisiis 1586 4.to Baronio ad An. C. 676. Sirmondo Tom. I. Conciliorum Galliae pag. 507 et in Conciliorum Tomis Binii Tomo II. pag. 542. Regia Tomo XV. pag. 493. Labbei Tom. VI. pag. 523. Harduini Tom. III. pag. 1007 et in novissima Coleti Veneta Tomo VII. Habetur etiam in Radulphi Monsuyerii juribus Ecclesiae S. Martini Turonensis propugnatis, Parisiis 1663 8.

ADILREDUS, *Ælredus, Æthelredus, Ailredus, Ealredus, Eleredus, Aluredus, Edilredus, Ethilredus,* educatus cum Henrico, Davidis Scotorum Regis filio, deinde Abbas ab Anno Christi 1150. Rievallensis, sive Rhienvallensis (*Riedval*) in Angliae dioecesi Eboracensi, Ordinis Cisterciensis, defunctus A. 1166 de quo Carolus de Visch pag. 9 seq. Bibliothecae Cisterciens. et Georgius Mackenzie Tomo I. Operis de vitis Scriptorum Scotorum, Anglice editi pag. 123 seq. Acta Sanctorum 12 Januarii Tom. I. pag. 748 et qui diligentius de hoc Ælredo Oudinus Tomo II. pag. 1487 seq. Edita historici argumenti sunt, quae in Rogeri Twisdeni decem Scriptoribus Anglis extant Londini 1652 fol. *De bello Standardii* A. C. 1138 tempore Stephani Regis, sive de virtute *Gvalteri Espec*, Scotos profligantis, p. 337. *Genealogia Regum Anglorum* pag. 347. et *Historia de vita et miraculis S. Eduardi*, Regis, et Confessoris, (integrior quam apud Capgravium et Surium 5 Januarii) pag. 369. *Historia de Sanctimoniali de Watthun.* pag. 415. *Vitam S. Margarethae*, Reginae Scotiae, sed decurtatam habet Surius 10 Jun.

integriorem Acta Sanctorum ad illam diem. Fragmentum ex opere *de rebus Angliae* ad Ducem Normannorum Henricum II. postea Regem, continens Eadgari Regis Orationem ad Episcopos et Coenobiorum Praefectos, in Nic. Harpsfildi cap. 3. Saeculi X. Historiae Anglicanae, et Tom. XXIII. Bibl. Patrum A. 1677 pag. 164 seq.

Inedita memorantur apud Johannem Lelandum cap. 199. Pitsenm pag. 229. Baleum II. 99 et alios, liber *de miraculis Hagustaldensis Ecclesiae*: Vita *S. Niniani* Episcopi: Vita *S. Eduardi* scripta versu elegiaco ad Laurentium Abbatem Westmonasteriensem: De Vita *Davidis* Scotorum Regis libri II. ad Henricum II. Regem Angliae: quorum posterior perstringit *vitas Regum Anglorum* ab Edelwulfo, Alfredi magni patre ad Henricum II. *Chronicon* ab Adam ad Henricum I.

Quae a Richardo Gibbono, S. I. edita Duaci 1631 et in Bibl. Cisterciensi Tom. V. et in Bibliotheca Patrum edit. Lugd. 1677. Tom. XXIII. recusa moralis et ascetici argumenti haec sunt: *Sermones XXXI. in Esaiae XIII. XIV. XV. XVI.* ad G. Lundoniensem Episcopum de onere Babylonis. Ex his sermo primus *de Adventu Domini* Tom. II. Operum Bernardi pag. 568. Parisiis 1719 fol. *Speculum Charitatis,* compendio primum, deinde libris III. uberius expositum. *De spiritali amicitia* libri III. ad quos componendos testatur Laelii Ciceroniani lectione se fuisse invitatum. *De JESU duodecenni* * ad Luc. II. 42 ubi quinque paginarum lacuna suppleta editionis Parisiensis 1609 inter *Bernardi* opera, et in Davidis Camerarii III. 41 de Scotorum fortitudine. ibid. 1631. Homiliarum volumen ad Gilbertum Episcopum Londinensem, sive XXV. *Sermones* de tempore et de Sanctis, in Bibliotheca Patrum omissi, sed obvii in Duacensi edit. et in Bibliotheca Cisterciensi Bertrandi Tissierii, Bonofonte 1662 fol. Tom. V. pag. 162. *Regula ad inclusas Moniales* ad Sororem, in Holstenii Codice Regularum Parte III. pag. 110. Romae 1661 et Parisiis 1663 4 et in Appendice ad Tomum primum Operum S. Augustini Benedictinorum. edit. Amstelod. pag. 640 sub titulo: *De vita eremitica ad Sororem.* Pars etiam inter Anselmi Cantuar. opera meditatione 15 16 17.

* Tom. II. Bernardi pag. 590.

Memorantur praeterea ex ineditis: *Sagitta Jonathae, De tribus hominibus, De diversis virtutibus, Super Cantica Canticorum, De vinculo perfectionis, Dialogus da natura et dotibus animae libris II. De XII. abusibus claustralium, De lectione Evangelica ad Ivonem, Dialogus inter hominem et rationem, Epistolae CCC. Sententiarum flores, De Praelatorum moribus, De officiis Ministrorum, Centum sermones synodales. De militia Christiana, De virginitate Mariae, De fundatione Monasteriorum S. Mariae Eboracensis et de fontibus.* Apud Lelandum p. 200 et Baleum p. 209 *de oneribus Isaac* male excusum pro *de oneribus Isaiae.*

ADMONIUS apud Ptolemaeum Lucensem et alios intelligitur *Aimoinus* Floriacensis.

ADMONTENSIS Monasterii in Stiria Codex Diplomaticus, vulgatus est a Bernardo Pez Tom. III. Thesauri Anecdotorum Parte III. pag. 659 - 807. Diplomata CLVIII.

ADO *Treverensis*, cui Martyrologium Lipomannus et Bellarminus tribuunt, nullus fuit, neque illud fas est abjudicare Adoni, de quo mox, Viennensi, aut referre ad *Udonem* de Nellenburgo, qui Treverensi Ecclesiae praefuit ab A. C. 1067 ad 1078 vide Labbeum.

ADO *Viennensis*, in Gallia Episcopus, ab A. C. 859 ad 874 16 Decembr. Igitur quae in *Chronico* ejus *de sex Mundi aetatibus* postrema ab A. 874 ad 880 leguntur, ab alia manu addita fuisse oportet. Confessor vocatur in Martyrologio Rom. 16 Decembr. Sed praeter rem notat Baronius Bedam hujus Adonis in Martyrologio suo meminisse. Beda enim centum annis amplius Adonem aetate antecessit. *Martyrologium* Adonis ex quatuor Codicibus recensitum a *Jacobo Mosandro*, Carthusiano Coloniensi, lucem vidit in Tomo septimo Surii, Colon. 1581 fol. deinde ab *Heriberto Rossweido* S. J. ex aliis tribus antiquioribus emendatum, illustratumque notis ad calcem Martyrologi veteris Romani, Antwerp. 1613. Parisiis 1645 fol. et ex Rosweidi editione in Tomo XVI. Bibliothecae Patrum edit. Lugdun.

1677 ubi etiam pag. 823 ex Rosweido: *libellus de festivitatibus Apostolorum successorumque eorum.* Vide Labbeum, Carolum le Comte Tom. IV. pag. 472 seq. Sammarthanos etc.

Chronicon prodiit cum Gregorio Turonensi, Parisiis 1512 1522 1567. Basileae 1568 et in Laurentii Barrii Historia Christiana Veterum Patrum, Basileae 1583 fol. et in Bibliothecis Patrum, Parisiis 1589 1644 1654. Tomo VII. Colon. 1618. Tomo IX. et Lugduni 1677. Tomo XVI.

S. Desiderii, Viennensis Episcopi, *Martyrium* in Canisii antiquis Lectionibus Tomo VI. pag. 441. et Tomo II. editionis novae Parte III. pag. 1 et apud Surium atque in Actis Sanctorum XI. Febr.

S. Theuderii Vita, Abbatis Viennensis, apud Mabillonium in Actis Benedictinis Sec. I. pag. 678.* Martyrologium Adonis post duplicem recensionem Mosandri, et Rosvveidi novarum adhuc curarum indigum non ante multos hosce annos resumpsit in manus V. C. Dominicus Georgius Rhodiginus et ad veteres tres Vaticanos Codices antiquos comparavit additis etiam ex vetustissimo Adonis apographo Bibliothecae monacorum S. Mauri Sangermanensis variantibus lectionibus, eaque omnia perpetuis notis suis illustravit. Adiecit appendicis loco martyrologium Fuldense; martyrologium Ottobonianum, Kalendarium Palatino-Vaticanum, Kalendarium Cisterciense, Kalendarium Mediolanense I. Kalendaria Mediolanensis II. prodiit opus Romae An. 1745 Tom. 2 in fol. Consilium viri huius docti, mihique dum viveret amici, juvisset codex Lucensis Bibliothecae Canonicorum S. Martini saeculo XII. scriptus, membranaceus, qui praeter Martyrologium illud vetus quod Florentinius ex illo acceptum vulgavit, Adonis Martyrologium continet. Contuli illud cum edito Georgii, et in nonnullis brevius esse deprehendi, cum ea omnia ferat resecta, quae a probatissimis Adonis codicibus abesse Georgius notavit; et alia etiam in aliis visenda minime repraesentet. Unum vel alterum exemplum proferam.

Libellus de *festivitatibus apostolorum* in codice hoc titulum nullum praefert, et desinit cum S. Agatha, cuius elogio absoluto subditur. Finit libellus I. tum subiungitur: de *nativitate* S. Joannis *Baptistae, et de eius decollatione, seu corporis inventione*; quae sane narratio absolvitur in haec verba; *eiusdem* urbis *episcopum completur*; reliqua, quae his attexuntur in edito, non comparent. In Martyrologio ad III. non Januarii in S. Antheri Papae commemoratione legitur. « Hic « res gestas martyrum diligenter a Notariis « exquisivit, et in Ecclesia recondidit *pro-* « *pter quendam Maximum presbyterum*, « *qui martyris coronatus est* » Verba haec a me distincta in aliis codicibus non leguntur, quamvis sunt in antiquis editionibus. Caetera in hunc modum vel resecat interdum, vel adiungit.

ADREVALDUS, Ordinis Benedictini Monachus Floriacensis, quem Ludovici Pii temporibus vixisse probat Ruinartus in apologia missionis S. Mauri, Gallice edita pag. 52 seqq. *Historia translationis S. Benedicti et S. Scholasticae*, in Johannis a Bosco Bibliotheca Floriacensis, Paris. 1605 8vo, pag. 1. et in Actis Sanctorum 21 Martii, et in Mabillonii Sec. II. Actorum Benedictin. pag. 253. *Historiae miraculorum S. Benedicti*, librum *primum* hic *Adrevaldus*, appendicem ad eum *Adelerius*, Monachus itidem Floriacensis, librum *secundum* et *tertium Aimoinus*, A. C 1005. *quartum Anonymus* composuit, obviae apud eundem Joannem a Bosco pag. 13 et in Actis Sanctorum, et apud Mabillonium pag. 80 et 369. *Liber de corpore et sanguine Domini, contra Joannem Scotum*, vulgatus a Dacherio Tomo XII. Spicilegii, ex Tom. I. editionis novae pag. 150. *Vita S. Aigulfi*, Abbatis Lerinensis et martyris occisi A. 675 sine nomine auctoris apud Surium 3 Septembr. et restituta auctori suo integriorque in Sec. II. Actorum Benedictinor. pag. 656.

ADRIANUS. vide HADRIANUS.

ADSO *Dervensis*, in Partensi Campaniae pago, Coenobii Monachus, diem obiit A. C. 992. Scripsit *Passionem S. Bercharii*, Abbatis Dervensis, extincti ex vulnere A. 685 sed adhuc inedita est ejus lucubratio memorata a Nicolao Camusato in promtuario Antiquitatum Dioeceseos Tricassinae. Quam enim

habet Mabillonius Seculo II. SS. Ord. Benedicti pag. 831 ea non est Adsonis, sed Anonymi, qui post annum millesimum scripsit, obvia quoque apud Camusatum pag. 63 et Surium ad 2 Oct. Vide sis Pagium ad Annum 685 num. XIV seq. Caetera Adsonis hujus sunt, *Gesta S. Bassoli* Confessoris, A. 567 apud eundem Mabillonium Sec II. pag. 67 et translatio ejus ac miracula: Sec. IV, 2 pag. 137. *Vita S. Frodoberti*, Abbatis primi Cellensis, prope Trecas, sub Clotario III. id. Sec. II, pag. 626 et translatio reliquiarum ejus Sec. IV, 2 pag. 243. His accedit *Vita S. Mansveti* Scoti, Britannorum Episcopi, qui A. 461. Concilio Turonensi interfuit, vulgata a Francisco Bosqueto Narbonensi in Ecclesiae Gallicanae Historia, in parte secunda, inter Acta et vetera monumenta pag. 283 Parisiis 1636 4to. Ejusdem *Mansveti miracula* in Tomo III Thesauri Anecdotorum Edmundi Martene pag. 1013.

* In Bibliotheca Sangermanensi teste P. Montfauconio Biblioth. MSS. pag. 1209 extat Adsonis sive Assonis monachi *liber seu epistola de Antichristo* ad *Gerbergam reginam Ludovici transmarini coniugem.*

ADSO *Hermiricus*, sive *Hemericus*, dubium an diversus a superiore, Abbas Luxoviensis in Burgundia, Saeculo decimo, scripsit *Compendium vitae et miracula Waldeberti*, Abbatis Luxoviensis, defuncti A. 665 obvia in Actis Sanctorum 2 Maji, et apud Mabillonium Sec. III Benedictin. parte II, pag. 455.

ADTO, *Atto, Haito, Hetto*, Agnetis Imperatricis, Henrici III Conjugis, Cappellanus, circa An. C. 1070 dicitur ea, quae Constantinus Africanus ex variis linguis utcunque transtulit, elegantiore, atque ut cap. 24 ait Petrus Diaconus, *cothurnato sermone in Romanam linguam descripsisse.*

ADTO Pacensis Lusitanus, Abbas *Vallumbrosanus*, et deinde Episcopus ab A. 1133, *Pistoriensis* in Hetruria. Vide Ughellum tomo III Italiae Sacrae pag. 294. *Vita S. Johannis Gvalberti* extat in Actis Sanctorum 12 Julii tom. III, pag. 365. At *Vita S. Verdianae* perperam ad hunc Adtonem An. 1151 defunctum refertur, cum Verdiana non sit mortua ante An. 1220. Vide Diarium Eruditorum Mutinense, Giornale de' Letterati d'Italia An. 1692 pag. 315 ubi refertur vita ejusdem Verdianae scripta Italice circa A. 1440 a Laurentio Jacomini, Dominicano, editaque cum notis et observationibus P. Badii, Florentiae 1692, 8.

ADTO II. Episcopus *Vercellensis*, A. C. 945 *doctissimus Theologus et Canonista praeclarus, plura sui ingenii doctrinaeque monumenta reliquit, quae continentur in antiquo Codice MS. in Vaticana Bibliotheca, ac Vercellensi Archivio. Plures* sermones *ab ipso habitos pro opportunitate temporum scripsit, tum et* Epistolas: *librum item cui* Perpendiculum *titulum fecit, cum quo noxia redarguere et honesta sancire docet*: Canones *rursus, statutaque Vercellensis Ecclesiae eruta Conciliis epistolisque Decretalibus, quod opus in* centum capita *apte distinxit. Item de* pressuris Ecclesiasticis, *opus in tres partes divisum, quarum prima est de judiciis Episcoporum, secunda de ordinationibus eorundem, tertia de facultatibus Ecclesiarum.* Haec Vghellus Tomo IV. Italiae Sacrae pag. 796. Ex illo Codice Vaticano descripsit Joannes Bona et communicavit cum Luca Dacherio, qui edidit Tomo octavo Spicilegii. (editionis novae in folio tom. I, pag. 402 seq.) *Capitulare, capita centum. Libellum de pressuris Ecclesiasticis* pag. 414 et *Epistolas* novem pag. 431 unamque *Gunzonis*, Levitae Novariensis pag. 437 et alteram *Ambrosii* Mediolanensis Presbyteri ad Attonem.

ADVENTIUS *Metensis* Episcopus, cujus *Epistolam ad Theutgandum*, Archiepiscopum, et alias binas *ad Nicolaum Papam* exhibet Baronius ad An. C. 862 num. 60 et 863 num. 51 et 864 num. 6 qui de illo plura tom. X. Annalium. Obiit Adventius A. 875. Vide Sammarthanos tomo III. Galliae Christianae p. 713.

ÆDILWULPHUS. vide ETHELW.

Chronica S. ÆGIDII in Brunswig. infra inter Anonymos, *Pistorianus.*

ÆGIDIORUM CXLII recentioris maximam partem aetatis, sed in his etiam plerorumque. ex his quos jam percensere instituo, notitiam promittit lectoribus, et offert Ægidius Hochmuth, Pastor Muhlbacensis,

in schediasmate historico-litterario de ritu ὀνομαθεσίας, sive Nominum impositione et mutatione, Witebergae 1725, 8. Sed levi nimis brachio et minus accurate illo labore defungitur, ut actum me non putem acturum.

ÆGIDIUS *Abbas* in Gallia Narbonensi, cujus brevis libellus *pro privilegiis Ecclesiae Arelatensis* Symmacho Papae A. C. 514 oblatus cum Symmachi responso ad Caesarium Arelatensem exstat in Sirmondi Conciliis Galliae Tom. I, pag. 187 in Conciliis Labbei Tom. IV, pag. 1310. De hoc Ægidio Baronius ad Martyrolog. Rom. 1 Septembris.

ÆGIDIUS *Assisias*, S. Francisci socius, defunctus A. C. 1262 de quo Acta Sanctorum 23 Aprilis, tom. III, pag. 218 seq. Ejus *Collationes* et aliae asceticae lucubrationes feruntur MStae exstare in Bibliothecis Belgii. *Aurea verba* collecta a discipulis, luci data Antwerp. 1534 8.

ÆGIDIUS *Atheniensis*. infra, *Corboliensis*.

ÆGIDIUS, *Aureae Vallis Monachus* in Ducatu Luxemburgensi, circa An. C. 1251. Scripsit continuandis Harigerii et Anselmi lucubrationibus *gesta Pontificum Leodiensium* a Theoduino Wasonis successore usque ad Henricum ab A. C. 1048 ad 1251 in tomo secundo sylloges Joannis Chapeavillii pag. 1-270. Leodii 1613, 4. Ex eisdem petita *Vita et martyrium S. Alberti* A. 1192 quae edita a Miraeo et aliis.

ÆGIDIUS *Aurifaber*, Carthusianus, qui Anno 1466 diem obiit. Ejus *opus exemplorum*, liber *de laude Carthusiana, et sermones de tempore et de sanctis* a Petro Sutore cap. 26 et ab aliis Carthusianae Bibliothecae scriptoribus memorantur. Fuit Vicarius domus montis Sion apud Zirizaeam Zelandiae opidum.

ÆGIDIUS *Aurifaber* Vossio, aliis *Fabri*, Carmelitanus, Brusellae patriae suae multorum beneficiorum auctor ab Imperatore Maximiliano, apud quem gratia floruit, obiitque An. 1506. Praeter *Commentarios in IV libros Sententiarum, Commentarios in Ruth, Job, Evangelia et Pauli Epistolas, Sermones, Orationes, Quaestiones, Collationes et Determinationes* varias, scripsit *Brabantiae Historiam et Chronicon Ordinis Carmelitici*, nec non librum *de Origine Religionum*, atque alium *contra Proprietarios*, librum item *de Testamento Christi in Cruce*. Vide Alegrium in paradiso Carmelitici decoris pag. 380. Valerii Andreae et Francisci Sweertii Bibliothecas Belgicas etc.

ÆGIDIUS *de Bellamera*, Doctor Decretorum ex Rotae Romanae Auditore praecipuo, Episcopus Avenionensis, defunctus A. 1392. Ejus *Consilia*, sive *Responsa*, ac *Decisiones*, nec non *in Decretum, et Decretales Epistolas, Commentaria*, sive *Jus Pontificium*, aetate illa pro Delphici Apollinis oraculis aestimata fuisse testis Marcus Mantua in Epitome de illustribus JCtis cap. 90. Vide Hendreichii Pandectas pag. 491.* Praeter hos commentarios dedit et alterum in Clementinam, qui MS. servatur in Bibliotheca Felini Cod. 99 et 401 ibidem collegit *Decisiones Rotae Dominorum* Sacri Palatii Apostolici causarum Auditorum de anno 1374 et citra de 75 76 77. Impressa est collectio ista Romae an. 1474. Diem vero emortuale Doctoris huius componens Fabricius cum anno 1392 profecto errat: nam inter caetera consilium eius extat 118 pro re quapiam, quae anno 1402 contigit; quia et ex consilio 135 deducimus ad annum usque 1405 vitam suam prorogasse. Opera omnia septem voluminibus in fol. comprehensa prodierunt Lugduni an. 1548 et in Bibliotheca Husiana commemoratur opusculum eius de permutatione beneficiorum seorsum editum in 4 typis Gothicis, et incerto anno et loco impressum. Sed in ea collectione non omnia eius consilia comprehenduntur: est enim in Biblioth. Felini duplex MS. Codex omnium consiliorum Bellamerae; sunt vero illa num. 138. inter quae maxime spectanda se offerunt consilia 79 et 99 quaestiones resolventia occasione magni Schismatis inter duos Pontifices exortas. Totus est pro Benedicto XIII cuius jura defendit. Totidem numero consilia in Codice Bibliothecae Palatinae Romae reperisse Joannem de Nevizanis testatur Jo. Baptista Ziletus Venetus in indice librorum juris Pontificii, et civilis pag. 56. Consilia vero Aegidii edita numerum 48 non excedunt.

ÆGIDIUS de Fuscariis, sive Foscherarius, *Bononiensis*, Doctor Decretorum a Joanne Bumaldo in Bibliotheca Bononiensi

traditur claruisse, circa An. C. 1289. Ejus *librum de Judiciis* in quinque Partes divisum Gvido Pancirollus commemorat, non diversum credo ab ejus *Ordine Judiciario in Foro Ecclesiastico*, quem in Bibliotheca Sangermanensi MStum evolvisse se testatus est Cangius, in aliis etiam Parisiensibus Bibliothecis Oudinus. Praeterea Trithemius cap. 428 etiam ejus *Quaestiones Juris* varias, et librum *de Officio Tabellionis* memorat. *In cod. Mellicensi, ut lego in descriptione eiusdem Bibliothecae edita Viennae in Austria extat MS. eiusdem Authoris opus sub hoc titulo: *Ordo judiciarius Advocatorum et notariorum secundum usum Romanae curiae,* quod sane scriptum haud diversum judico ab eo hic indicato. Praecedit opus illud opusculum eiusdem authoris cum titulo *liber fugitivus*. Incipit: *Cum plures libelli.*

ÆGIDIUS Bredeyck, ex Canonicis Regularibus S. Augustini, Brabantus, fundator monasterii septem fontium, cui *Statuta* XIV capitibus distincta praescripsit, et tractatum *de quinque punctis,* ex dictis potissimum S. Chrysostomi.

ÆGIDIUS *Albornotius de Carrino*, Archiepiscopus Toletanus et Cardinalis Sabinensis, defunctus Viterbii An. 1377, 24 Augusti. Auctor *Constitutionum*, quae ab eo *Ægidianae* appellantur, variorumque *Commentariorum in Jus Canonicum*. Vide Nicolaum Antonium tom. II. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 112. *Gratum, nuntium lectoribus eruditis nolo invidere, idque forte ex me primum recepturi sunt. Hoc ipso quo scribo, vel praecedenti anno Bononiae in collegio majori Hispanorum repertum est commercium epistolare Aegidii huius Cardinalis, quod per annos suae in Italia legationis detinuit. Hinc historiam totam legationis illius eruere licet; hinc de episcopis Italiae ad corrigendum Ughellium certiora discimus; ex his nova plura ab historia frustra petenda docemur. Superest ut communi eruditorum nomine eruditos collegii illius alumnos, quique illis praeest, Rectorem doctissimum, rogemus ne communi eruditorum utilitati tantum thesaurum occludi diutius patiantur. Aegidii huius constitutionum pro marchia Anconitana codicem MS. membranaceum Saeculi XIV ego apud me servo, easdemque an. 1372 scriptas legimus. (ex t. VI 345)

ÆGIDIUS *Carlerius*, Collegii Navarrei Paris. socius, et ab An. C. 1431. Cameracensis Ecclesiae Patriae Decanus, defunctus Anno 1473, 23 Novembr. de quo Joannes Launojus in Historia Gymnasii Navarrei, tomo quarto Operum, nuper Genevae recusa part. III. lib. 1 cap. 4 ubi et scripta ejus inedita: *Commentarios in quatuor libros Sententiarum, Collationes, Sermonesque, et Sportam, Sportulamque* fragmentorum varii argumenti, auctiores *Consultationibus Casuum*, editis Brusellae 1478 fol. 2 Vol. Hanc editionem puto intelligi in libro: *Voyage literaire de deux Religieux Benedictins*, tom. II, pag. 107. Ejus *Scutum Veritatis* exstare MS. Lovanii in Valle maritima, testatur Miraeus in auctario de scriptoribus Ecclesiasticis pag. 86. *Narrationem de morte Juliani Caesarini Cardinalis*, edidit Baluzius tom. III. Miscell. pag. 301. *Oratio* ejus contra Nicolaum Taboritam, habita in Concilio Basileensi Sess. XV ad articulum secundum Bohemorum *de corrigendis peccatis publicis*, exstat apud Bzovium ad A. C. 1433 num. 194 pag. 184 seq. edita primum a Canisio tom. III, Lect. antiqv. pag. 289 et novae editionis Basnagianae tom. IV, pag. 566. Etiam inde recusa in tomis Conciliorum, ut Binii tom. IV, p. 301. Labbei tom. XII, p. 1159, Harduin. VIII, pag. 1759 etc. *In MS. Regio Bibliothecae Parisiensis extat *Positio de punitione peccatorum notoriorum facta ante adventum Bohemorum ad Concilium Basileense; tum disputatio super praedictorum punitione peccatorum sub dialogo coarctata*; quae omnia ipsius Aegidii manu scripta ibidem servantur, cum aliis eiusdem auctoris de eodem argumento. Vide recensionem actorum consilii Basileensis apud Schoepflinum in Comment. histor. critic. Huius etiam auctoris esse arbitror lucubrationem alteram inscriptam: *Positio de auctoritate Conciliorum generalium decani Cameracensis* tom. I, pag. 38. (Ex tom. VI, 345).

ÆGIDIUS *de Columna*, Romanus, discipulus Thomae Aquinatis, ex Ordine Fratrum

Eremitarum, primus cum Petro de Tarantasia Parisiis Doctor Theologiae creatus, *Doctoris fundatissimi* titulo notus inter Scholasticos, Episcopus ab Anno 1294 Bituricensis, defunctus An. 1316, 22 Dec. De illo praeter Sammarthanos tom. I, pag. 179 seq. Galliae Christianae, et Bulaeum tom. III. Acad. Paris. pag. 671 seq. Labbeus tom. II. Biblioth. MSS. pag. 121 seq. Prosper Mandosius in Bibliotheca Romana pag. 145 seq. Cornelius Curtius in Elogiis Augustinianorum pag. 61. Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano pag. 15 et Caveus, qui diligenter etiam de scriptis ejus disseruit. Tantum addo *Orationem ad Regem* Galliae *Philippum* Pulchrum exstare apud Bulaeum Latine tom. III, pag. 475 et Gallice pag. 477, et libros III *de Institutione Principum* versos etiam Hebraice, de quo Rev. noster Wolfius tom. III. Bibliothecae Hebraeae p. 1206. Gallicam praeterea versionem MS. memorat Morlierius, qui hoc opus valde commendat, Essais de Litterature tom. II, pag. 189. Liber *de Regimine Principum,* et *quomodo Civitates regendae tempore belli,* MS. fuit Helmstadii apud Polycarpum Leyserum τὸν μακαρίτην. *Opus eius *de regimine Principum* Hahnius in collectione Veter. Monum. tom. I in praef. quod editum a se frustra quaesitum fuerit, se daturum proposuit in principio monumentorum suorum; quod autem non totum opus daret, sed eius tantummodo partem postremam, causam hanc affert, in parte illa operis haud mediocriter illustrari antiquitates majorum suorum, nempe Germanorum. Dedit autem illam ex MS. Codice membranaceo.

Capitula fidei Christianae composita ab Aegidio *de consensu et mandato SS. P. D. Bonifacii Papae VIII. transmissa ab ipso D. Papa ad Tartarum majorem volentem Christianam colere fidem.* Catal. Bibl. Ricardianae pag. 7.

ÆGIDIUS *Corbejensis*, sive *Corboliensis*, Parisiensis Monachus Ord. Benedict. * idem quoniam Athenis per aliquod tempus versatus est dictus *Atheniensis*, et Trithemio *natione Graecus*, idem Archiater sub Philippo Augusto, Rege Francorum. De hoc alter Ægidius Parisiensis, qui circa An. C. 1198 scripsit in Carolino lib. V.

Nominis ille mei celeberrimus arte medendi,
Cum sit et hic (*Parisiis*) ortus, cujus facundia grata est
Et nunquam laudanda satis, nec in agmine vatum
Nominis extremos sortiri debet honores.

Hexametris versibus scriptus ejus liber *de Pulsibus*, et alter *de Urinis,* Gentilisque de Fulgineo in eum commentaria post primam editionem Venetam 1494, 8 saepius lucem viderunt, ut notatum Polycarpo Leysero τῷ μακαρίτῃ in Historia Poetarum medii aevi pag. 500 seq. Hic etiam primus e Codice Gudiano in Bibliotheca Guelpherbytana vulgavit ejus *libros IV. de antidotis*, sive *de compositione medicamentorum*, pag. 505 538 573 626. similiter scriptos carmine. Hujus Ægidii meminit Guilelmus Brito in extremo Philippidos. Vide Barthii notas pag. 755. Bulaeum tomo II, pag. 718. Naudaeum de antiquitate scholae Medicae pag. 35 et quae notavi in Bibliotheca Latina IV. 12. §. 12.

ÆGIDIUS *de Dammis*, Ord. Cisterc. Monachus Dunensis, defunctus est A. C. 1463. Scripsisse traditur versibus: *Regulam Confessoris Monialium,* nec non *Vitam Christi*, et *Vitam S. Bernardi.* Praeterea composuisse *Collectaneum Martyrologii Sanctorum*, cujus initium: *Pauper ego Monachus*, tum *Lecturas super triplicem quinquagenam Psalterii* et super *Pauli Epistolas*, tum *Malogranatum* et *Collectaneum Divinorum Eloquiorum*, *Directorium Originalium B. Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, Bernardi*: et *Dialogum inter animam et hominem religiosum.* Vide Carolum de Visch in Bibliotheca Cisterciensi.

ÆGIDIUS *Delphensis*, Clericus Parisiensis, una cum Ægidio Corboliensi laudatus tertio Ægidio Parisiensi libro V. Carolini, apud du Chesne tom. V, pag. 323 Hic circa A. C. 1198 interpolavit ac supplevit auroram Petri de Riga, a quo totam fere Sacram Scripturam versibus elegiacis redditam suo loco dicemus. Huic operi Ægidius praefatus ita de se ipse:

* Trithemius cap. 241 de Scriptoribus Ecclesiasticis et II. 2 illustrium Benedictinorum.

Petrus et Ægidius me conscripsere: sed ille
Auctor, correctors ultimus iste fuit.
Ille prior Rhemus, hic Parisiensis alumnus,
Hic Levita gradu, presbyter ille manens.
Simplex Clericus hic, sacri Ordinis ille professor,
Ambo graves annis, hic vir et ille senex etc.

Vide Barthium ad Britonem pag. 755 et Polycarpi Leyseri Historiam Poetarum medii aevi pag. 736 seq. ubi etiam ex Codice MS. Helmstadiensi *Praefatio* praemissa Novi Testamenti libris ab Ægidio ad Odonem Parisiensem Episcopum, et pag. 739 *Epilogus* et *de numero librorum utriusque Testamenti et de modo legendi*, nec non pag. 743-747 Carmen *de poenis apud Inferos* sintne aeternae, quod in utramque partem disceptatur, Matthaeo Laudunensi aeternas esse negante, et contra affirmante Ægidio. Idem carmen ex Leysero exhibuere etiam Auctores Diarii Theologici: *Fortgeschte Sammlung von Alten und Neuen*, Anno 1723 pag. 160. *Mysterium* autem *de Agno Paschali* per Magistrum Ægidium, quod MS. servatur in Bibliotheca Bodlejana, Leyserus excerptum quoddam ex Aurora esse existimat, sane enim Petrum de Riga quoque in illa sua sacrorum librorum Metaphrasi sensum non modo historicum, sed allegoricum quoque breviter expressisse jam olim notavit Henricus Gandavensis cap. 22. * D. Lambecker, in notis ad Bibliothecam antiquam Civicam Vindobonensem tom. I, pag. 63 monet in eadem Bibliotheca extare codicem membranaceum saeculi, ut ipse putat XIII, in quo est Petri de Riga *Aurora*. Repraesentantur vero in hoc opere scripti carmine libri veteris Testamenti usque ad librum Ruth; Novi vero Evangelia tantummodo: ex quo inferendum sibi censet, nec immerito, libros reliquos veteris novique testamenti, qui in *Aurora* Petri de Riga aliis in Codicibus recentioribus comparent, auctorem forte habere, non quidem Petrum de Riga, sed Aegidium Delphensem, quem constat in libris Petri de Riga operam suam impendisse. Vide illum ibidem pag. 63, ubi opportune monet Henricum Gandavensem scriptorem eiusdem aetatis ac Petrum de Riga in libro de Script. Eccles. cap. 22 de hoc Petro scribere, laborasse illum in Heptateucum, duos libros Regum et Evangelia, quae sane huic MS. codici congruunt.

ÆGIDIUS *Delphus*, Italus, Sorbonicus apud Parisios Theologus primarius clarus circa A. 1507. Cujus miram in pangendis carminibus facilitatem laudat Gyraldus de Poetis sui temporis, et Erasmus in Ciceroniano virum vocat eruditionis variae, versificatorem non malum, si facilitati nervos addidisset. Et lib. 2 Epist. 10. *Quis in jus vocat eximium Theologum, Ægidium Delphum, qui totum ferme Divinae Scripturae corpus carmine complexus est.* Ejus *Metaphrasis Psalmorum septem poenitentialium, Litaniarumque* praeter editionem sine loci nota et anni, recusa Erfordiae 1515 4to. laudat idem Erasmus responsione ad Albertum Pium tom. IX Operum pag. 910 edit. Basil. Metaphrasis heroica *Epistolae ad Romanos* prodiit Paris. 1507 et cum Gilberti Cognati commentario in hujus operibus, Basil. 1562 fol. tomo II, pag. 168. *Defensio pro Cleri Flandriae libertate*, quum Brugis peteretur subsidium, Paris. 1507. *Commentarius in Ovidium de remedio amoris*, Paris. 1495 4.

ÆGIDIUS *de Foeno*, Philosophus Anglus, circa A. C. 1350. Cujus librum *de vegetabilibus et plantis*, alterumque *contra flagellatores* Pitseus pag. 568 commemorat.

ÆGIDIUS *de Fuscariis*, supra *Bononiensis*.

ÆGIDIUS *a Gandavo*, Theologus ac Philosophus, cujus *Quodlibeta* XXXIV de variis Quaestionibus Logicis, Physicis, Metaphysicis ac Moralibus MSta Lovanii ad S. Martinum.

ÆGIDIUS *Graecus*, vide *Corboliensis*.

ÆGIDIUS *Guilelmus Missalius*, Aquitanus, Ord. Minor. abbreviator *Joannis Scoti*, cujus Opera in articulos secuit et contraxit: MS. in Bibliotheca Vaticana teste Waddingo.

ÆGIDIUS *Hispanus*, Ord. Minor. cujus *Sermones Sanctorum* Waddingus laudat hoc initio: *Philosophia est Divinarum rerum speculatio.*

Joannes de S. ÆGIDIO, Dominicanus, in arte peritus Medicinali, et in Theologia Lector, qui Roberto Lincolniensi Episcopo An. 1253 morienti adfuit. Vide Bulaeum Tom. III Historiae Academiae Parisiensis p. 260

262 et quae de hoc Ægidio viri doctissimi Jacobus Quetif et Jacobus Echardus de Scriptoribus Ord. Praedicatorum tom. I, pag. 100 seq. qui inter scripta ejus referunt lecturas *de laude Sapientiae Divinae, de productione rerum*: nec non *experimenta*, et Tractat. *de formatione corporis, prognostica* et *practicas medicinales*. Joannes Lelandus pag. 230 etiam *homilias* et *morales Theologiae interpretationes*. Idem memorat vidisse se Ægidii, *de cognitione* et *de mensura Angelorum, de esse et essentia, de formatione corporis humani, de Praedestinatione et Praescientia DEI, de Paradiso et Inferno, de Resurrectione mortuorum, de materia Coeli*. Non dubium tamen est pleraque horum, sicut etiam scriptum *de formatione corporis humani, et de peccato Originali, et breviloquium super libros Sententiarum*, auctorem habere Ægidium de Columna. Vide B. nostri Nicolai Staphorsti Historiam Ecclesiasticam Hamburgensem Tomo III, pag. 403.

ÆGIDIUS *de Leodio*, supra *Aureae Vallis*.

ÆGIDIUS *de Lovanio*, Canonicus Regularis S. Augustini, cujus *Sermones per annum* scriptos in membrana, Lovanii ad S. Martinum servari, Valerius Andreas retulit.

ÆGIDIUS *de Lugnaco*, sive *Luniaco*, Ord. Minor. Doctor Parisiensis, cujus Commentaria in primum Sententiarum a Waddingo memorantur.

ÆGIDIUS *Luscinus*, Ordinis Praed. Theologus, aliis *de Lascinis*, sive *de Lessinia*, Hannoniae opido. Ejus *de Concordia temporum* liber cum *Chronico* a nato CHristo usque ad Annum 1304 MS. Parisiis in Bibliotheca Sorbonica, quod luce dignum esse ait Jacobus Echardus tom. I, pag. 372. Liber *de usuris* inter Thomae Aquinatis opera prodiit. Librum *de unitate formae* absolvit Ægidius Anno 1278. Omitto alia, quae ab laudato Echardo memorantur.

ÆGIDIUS *Magister*, cujus versus leonini *ad claustrales* MSti Lipsiae in Bibliotheca Paulina teste B. Joach. Fellero p. 166. Catalogi.

ÆGIDII *Mucidi*, Gallice *Muisis*, (apud Sanderum pag. 128. Bibliothecae Belgicae MSS. *Li Mussis*) Ord. S. Benedict. Abbatis S. Martini Tornacensis *Chronicon* a nato Christo usque ad Annum 1348 needum editum Vossius et Valerius Andreas memorant. Miraeus laudat *Chronicon de gestis Comitum Flandrensium* ab Anno 972 ad 1343. Valerius Andreas etiam Tractatum: 1) *De his, quae temporibus suis, ante et post promotionem suam in dicto Coenobio Martiniano acciderunt*. 2) *de consuetudinibus approbatis, antiquitus in eodem Coenobio observari solitis*. 3) *de rebus gestis ad A.* 1349 *ad* 1352, *ubi prolixa narratio de destructione Judaeorum, de secta flagellantium* etc.

ÆGIDIUS *Nettelet*, Decanus Cameracensis circa A. 1494 cujus libros IV. ex Epistolis S. Hieronymi congestos laudat Trithemius cap. 943.

ÆGIDIUS, *Parisiensis* Diaconus a Corboliensi et Delpho, quorum ipse meminit, diversus, versibus hexametris ad Ludovicum, Philippi Augusti, Francorum Regis, filium, ante An. C. 1223 scripsit *Karolinum* libris quinque, in primoribus quatuor celebrans Caroli Magni Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem et Temperantiam, in quinto autem Ludovicum hortatus ad fugienda vitia virtutibus illis contraria, et Caroli exemplum strenua industria imitandum. Fragmenta pauca ex libro quarto et quinto vulgavit Franciscus du Chesne Tom. V. pag. 323 324. Vide et M. Antonium Dominicum in familia Ansberti rediviva pag. 273, Joannem Picardum ad S. Bernardi Epistolas pag. 2252 2259, Labbeum tom. II Miscellan. Integrum Karolinum edere promisit idem Labbeus pag. 56 Bibliothecae novae MSS. Hunc proxime spero, luci daturus est V. C. Hermannus Sminke in nova, quam parat, Eginhardi editione, cum illo enim lubens communicavi Codicem MS. quem mihi redemeram ex sectione Gudiana.

ÆGIDIUS *Presleris*, Ord. Cisterc. Abbas Alnensis Coenobii in ditione Leodiensi, obiit A. C. 1484. Ejus memorantur tomi tres Concionum super Dominicas et festa Sanctorum totius anni: nec non Oratio Romae coram Pontifice Sixto IV. habita, qua mitrae usum sibi successoribusque suis obtinuit.

ÆGIDIUS *Romanus*, supra *de Columna*.

ÆGIDIUS *Rotomagensis*, Archiepiscopus,

cujus Epistolam ad Ludovicum X. Francorum Regem, edidit Dacherius tom. IV. Spicilegii pag. 270 (tom. III editionis novae pag. 708). In illa excusat se Regi, quod vocatus, non possit interesse Concilio Sylvanectensi, quod habitum fuit An. Christi 1315. Alius *Ægidius Rotomagensis* non a) Archiepiscopus, sed Archidiaconus, et postea Episcopus *Ebroicensis* ab A. C. 1170 ad 1180 ad quem Epistola prima Arnulfi Lexoviensis.

ÆGIDIUS *de Roya*, ex Abbate B. Mariae in Monte Regali Galliae, Monachus in Flandria Dunensis, Ord. Cisterc. Auctor Chronici Dunensis, sive Annalium Belgicorum, quibus ab Anno 1292 Joannis Brandonis Chronodromum misit in compendium, et ab Anno 1414 per Bartholomaeum de Beka ad 1431 continuatum produxit usque ad Annum 1463. Adrianus vero de Budt, Monachus et ipse Dunensis, b) qui in praefatione operi praemissa testatur, Ægidium hunc Magistrum suum An. 1478 obiisse, continuavit Chronicon hoc ab An. 1463 ad 1480, inde Judocus Badius Gandensis. Eruit ex MS. Andreas Schottus, vulgavitque cum Joanne a Leidis et Reinero Snojo Franciscus Sweertius, Francofurti 1620 fol. in tomo primo annalium rerum Belgicarnm.

ÆGIDIUS *Viterbiensis*, ex Priore Generali Augustinianorum, Cardinalis, defunctus An. 1532. Vide Cornelii Curtii Elogia Augustinianorum pag. 93 seq. Scripsit *Historiam XX Saeculorum*, MS. Romae in Bibliotheca Angelica Augustinianorum, ut refert Ludovicus Jacobus a S. Carolo in Bibliotheca Pontificia pag. 242 ubi testatur in ea tractasse inter alia *de Romanis Pontificibus*. Alia ejus scripta refert Ciacconius, in eadem Bibliotheca ea vidisse se testatus, in vitis Cardinalium pag. 1423. *Librum I Sententiarum usque ad dist.* 17 *ad mentem Platonis. Epistolarum* familiarium ad Gabrielem Venetum librum, et diversarum ad diversos, libros VI *Eclogas Sacras* tres. *Dictionarium*, sive librum radicum Hebr. et Latinam versionem libri *Taghin*. Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano pag. 14 memorat praeterea *Annotationes in tria primora capita Geneseos. Commentaria in Psalmos* ad Leonem X et *Libellum de Ecclesiae incremento*. Librum *Dialogorum* et *Orationem*, quam in principio Concilii Lateranensis A. 1512 habuit. Haec obvia in actis illius concilii atque in tomis Conciliorum, ut tom. IX edit. Harduini pag. 1576. *Epistolae* ejus selectae nuper prodiere in tomo tertio collectionis novae Edmundi Martene pag. 1234 seq. in quibus videnda, quae de vita ipse sua tradit, Epistola XI ad Mannium Capenatem pag. 1249 seq. Libri *de saeculorum dispositione* mentio pag. 1268 quem non alium esse existimo, quam Historiam illam XX saeculorum, supra a me memoratam. Idem est, a quo librum Zobar versum fuisse et Eliam Levitam cum tota familia nutritum scribit Josephus Scaliger Epistola 136.

* Praeter opuscula haec Aegidii addendum succurrit illud, quod indicatur in epistol. XX eiusdem ex collectione P. Martene. Scribit enim se jussum a Cardinali Sanctorum quatuor ea collegisse loca, quae sapientes Hebraeorum de industria commutaverunt. Addit: *scripsi ea, quae non iniuria abscondita voluisse intelliges, quippe quae omnia nostri Salvatoris mysteria complectantur. Mitto ea ad te eo consilio, ut vel legas, vel fido alicui tradas legenda.* In Bibliotheca Aegidii huius, quae transivit in Regiam haec sunt opuscula alia Aegidii. *Informatio contra Lutheranam sectam pro sedis Apostolicae auctoritate.* Ad quem librum authoris nomen haud praeferentem haec adnotat P. Montfaucon in Biblioth. MSS. tom. 2 pag. 779 · *puto esse opus Aegidii Cardinalis Viterbiensis.* Est ibi n. 37 *liber* de revolutione XXIII *literarum Haebraicarum secundum viam Theologicam, in lingua Hebraea, versus per RR. Cardinalem Aegidium.* Item alius *Neconia ben-Achana versus per RR. Cardinalem Aegidium.* Forte opus illud, quod supra commemoravi de locis ab Hebraeis commutatis, idem illud est, quod in eadem Bibliotheca n. 53 inscribitur: *opus contra Hebraeos de adventu Messiae, et de nominibus divinis contra eosdem.*

a) Vide Sammarthanos Tom. I. pag. 530, et Tomo II. pag. 575.

b) Adde Sandii Observationes ad Vossium p. 224 et Caroli de Visch Bibliothecam Cisterciensem pag. 8.

ÆGIL, sive EIGIL, Benedictinus, Abbas Fuldensis Monasterii S. Salvatoris ab Anno C. 808 ad 822 quo defunctus Rabanum Maurum successorem habuit. Scripsit, et Virgini Augildruth dicavit, fratribusque, teste Candido, ad mensam recitari praecepit *Vitam* sui per XX annos praeceptoris *Sturmii*, sive *Sturmionis*, primi Abbatis et Fundatoris Fuldensis coenobii, qui Anno 780 teste Sigeberto, est defunctus. Apud *Surium* ad 17 Decembr. hanc vitam reperiri scribit Caveus: sed incassum illam quaesiveris, nisi in postrema Sanctorum Surii editione Moguntina An. 1618.— Primus e MS. Bambergensi edidit *Christophorus Browerus* inter sidera illustrium et sanctorum Virorum, Moguntiae 1616 4. Deinde *Joannes Mabillonius* Saeculo IV Benedictin. Parte I, pag. 266 qui pag. 242. *Ægilis* quoque vitam a *Candido*, Monacho Fuldensi, scriptam, post Browerum adjunxit, nec non pag. 260. *Epitaphium*, quod Ægili condidit successor *Rabanus*, obvium etiam inter Rabani poëmata a Browero vulgata Moguntiae 1617 4 et tom. 6 Operum Rabani pag. 229.

ÆLFREDUS, Joanni Lelando cap. 183. *Alvredus Anglicus*, quo teste, Rogerus Bacon, qui An. 1248 obiit, libro de utilitate linguarum, hunc numeravit inter linguarum politarum interpretes, qui infinita in Latinum converterunt, ut fuere Gerardus Cremonensis, Michaël Scottus, Alvredus Anglicus, Hermannus Alemannus. Scripsit libellum *de motu cordis*, quem vidi, inquit Lelandus, aliquando Londini in Bibliotheca Dominicanorum, et Gvantae Girviorum in Bibliotheca Petrina. Erat et Duroverni (Cantuariae) in Bibliotheca fani Servatoris, Alvredi libellus *de educatione accipitrum*. Praeterea *Aristotelis* Vegetabilia (*de plantis*) doctis illustravit commentariis.

ÆLFREDUS, *Alphredus, Alverdus* Beverlacensis, (*Beverley* non longe ab Eboraco) Sacerdos et Thesaurarius, a Baleo, Pitseo et Vossio traditur scripsisse: *Deflorationes Galfridi libris V. De gestis Regum Britanniae lib. I. Historiam ampliorem lib. I. et Vitam S. Johannis Beverlacensis*, Archiepiscopi (neutiquam Beverlacensis, ut scribit Vossius, nunquam enim sedes Beverlacum Episcopi, aut Archi-Episcopi.) Caeterum omnia illa scripta reperiuntur in Ælfredi hujus *Annalibus*, sive *Historia de gestis Britanniae*, ab adventu Bruti usque ad A. C. 1129 libris IX. quam e Codice Thomae Rawlinsoni Armigeri edidit Thomas Hearne. Oxon. 1716, 8. Vide Acta Eruditorum 1717 p. 388.

ÆLFREDUS, *Alfredus, Alphredus, Ealfridus*, *Alvredus* Magnus, Æthelwolphi Occidentalium Saxonum Regis quatuor filiorum natu minimus, ipse ab A. C. 871 post tres fratres defunctos Rex, et An. 895. Conditor Academiae Oxoniensis, * virtute atque eruditione admirabilis, diem obiit An. 900. Hoc loco a me non est praetereundus, quia multa ex Latinis vertit Saxonice *Boëthium* de Consolatione Philosophiae, editum a Christophoro Rawlinson, Oxon. 1698, 4. *Bedae* Historiam Ecclesiasticam Anglicanam, quam vulgavit Abrahamus Whelocus, Cantabrig. 1644 fol. atque inedita adhuc *Orosium, Gregorii M.* Pastorale, de quibus vide Caveum, qui etiam *Historiam Regum West-Saxoniae*, ab Ælfrico scriptam commemorat Saxonice et Latine. Plura de hoc Ælfredo Lelandus cap. 115 qui res gestas ejus ab *Asserio* Menevensi familiari ejus accurate perscriptas testatur. De Asserio hoc infra suo loco.

ÆLFRICUS, *Elfricus*, sive *Alfricus*, Dorobernicus, sive *Cantuariensis Archiepiscopus*, defunctus An. 1006 male confunditur a multis cum *Ælfrico Grammatico*, Abbate Malmesburiensi, qui *Archiepiscopus* deinde *Eboracensis*, centenario propior obiit An. 1051. De utroque accurate Henricus Warthonus in dissertatione de duobus Elfricis tomo I. Angliae Sacrae pag. 125 seqq. Bene etiam distinguendos viderat Usserius de successione Ecclesiarum pag. 53. Grammaticum auctorem habet *Grammatica Latino-Saxonica*, quam cum glossario ejus edidit Gvil. Somnerus adjunctam Dictionario suo Saxonico Latino Anglico. Oxon. 1659 fol. Praeter *Sermones* quosdam sacros Latine scriptos, plurima idem Ælfricus ex latino

* Vide Bulaeum Histor. Academ. Paris. tom. I, pag. 211 sqq. 228. Brianum Twynum in Apologia Antiquitatis Oxon. Thomam Cajum in Vindiciis antiquitatis Academiae Oxoniens. etc.

vertit Saxonice, ut *Donati* ac *Prisciani* nonnulla, et *Gregorii Magni* Dialogos, etiam suos et aliorum sacros Sermones, Vitasque Sanctorum, ut alia ejus scripta Saxonico idiomate elucubrata minime contemnenda omittam, de quibus praeter Caveum consulendi laudatus Warthonus in auctario ad Usserium de Scripturis et sacris vernaculis pag. 377 seq. et Humfredus Wanleius in Catalogo Historico-Critico Librorum veterum septentrionalium, qui extat in tomo secundo Thesauri Litteraturae septentrionalis V. C. Georgii Hickesii.

Ab his duobus Ælfricis diversus *Ælfricus*, sive *Alfricus*, Croylandiae Monachus, qui circa An. C. 740. Vitam S. Guthlaci e Latino Felicis Monachi vertit Saxonice, ut infra in Felice dicetur.

ÆLIUS *Junius Cordus*, Capitolino saepe laudatus, *Vitas* scripserat *Imperatorum* quorundam, Clodii Albini aliorumque: de quo vide Vossium II, 3 de Historicis Latinis.

ÆLIUS *Donatus*, Grammaticus, S. Hieronymi Praeceptor, de quo in Bibliotheca Latina.

ÆLIUS *Lampridius*, Historiae Augustae Scriptor, de quo in eadem Bibliotheca.

ÆLIUS *Maurus* laudatus a Spartiano in Vita Severi cap. 20.

ÆLIUS Sabinus, qui citatur a Capitolino in Maximino juniore cap. 6.

ÆLIUS Spartianus, Historiae Augustae Scriptor, de quo dictum in Bibliotheca Latina.

ÆLNOTHUS, Monachus, Canticis s. Cantii Anglorum Metropolitana Urbe editus, s. Cantuariensis, deinde in Daciae, sive Daniae partibus, quatuor quinquenniis et bis fere binis annis, ut ipse refert, commoratus scripsit *de vita et passione S. Canuti*, Daniae ab Anno 1080 Regis et An. 1086 Martyris, ad Regem ab Anno 1107 Nicolaum Canuti fratrem. Hanc vitam notis illustratam primus vulgavit Haraldus Huitfeld, Hafniae 1602 8. Deinde libris suis tribus Historiae Danicae subjecit Johannes Meursius, addito etiam Anonymo veteri de passione S. Caroli, Comitis Flandriae, S. Canuti Daniae Regis F. Sorae 1631 et Hafniae 1657 4. Exstat praeterea in Actis Sanctorum 10 Julii tom. III. pag. 127 cum notis Joanni Baptistae Solerii S. J. Capite XVI et XXII hic Ælnothus versibus leoninis in occisores Canuti invehitur, quem capite XI *Protomartyrem* Danorum gentis appellat. Ex Ælnotho Italice, la Vita e miracoli di S. Canuto martire, re della Dania, Rom. 1667, 4 per Andream Angelettum.

ÆLREDUS, vide ADILREDUS. Hujus sermo *de JESU puero duodecenni* locupletior in Bibliotheca Concionatoria Combefisiana.

ÆMILIANUS Parthenianus, cujus historicum opus de affectatoribus tyrannidis laudat Vulcatius Gallicanus in vita Avidii Cassii cap. 5.

Q. ÆMILIANUS Cimber, Comes Palatinus, cujus *Encomiastica quinque ad Fridericum Imperatorem et Maximilianum I* tom. II Scriptorum Germanicorum Freheri p. 419. Primum incipit: *Asteridos carmen tenui praelusimus orsu.*

Paulus ÆMILIUS Veronensis, Canonicus Ecclesiae Parisiensis, qui An. 1529 diem obiit, auctor nobilis Historiae de rebus gestis Francorum usque ad An. C. 1488 libris X, quam deinde alii continuavere. Vide Jacobum le Long n. 7459 et Hendreichii Pandectas pag. 49.

ÆNEAS ex Notario sacri Palatii *) *Parisiensis* ab Anno 854. Episcopus, scripsit circa An. 868 librum *adversus decem objectiones Graecorum* (Photii) capitibus CCX Edidit Lucas Dacherius tom. VII Spicilegii, Parisiis 1666 4 et tom. I editionis novae in folio pag. 113. Praefatio obvia in tomis Conciliorum Labbei VIII, pag. 476 et Harduini V, pag. 314. Coleti tom. IX etc. Inter formatarum veterum Epistolarum Canonicarum exempla XI, quae vulgavit Sirmondus tom. II Concil. Galliae p. 665 seq. etiam pag. 670 et apud Labbeum Tomo VIII, pag. 1898 exstat initium *Epistolae* Æneae *ad Hincmarum Remensem*, ut ei Bernonem acolytum in parochia sua retinere et ordinare liceat. De Æneae hujus ordinatione Lupus Ferrariensis Epist. 98 et 99 cujus etiam exstat ad eum Epistola 119. *Privilegium* ab Ænea, Ecclesiae *Fossatensi* An. 868 datum, edidere Sammarthani tom. I Galliae Christianae p. 409 editionis primae.

*) Hincmarus Tom. I. Operum pag. 21.

ÆNEAS *Sylvius*. ab Anno 1450 a) Episcopus Senensis, et mox Cardinalis, inde inter Pontifices Romanos clarus sub *Pii II* nomine ab Anno 1458 Aug. 19 * ad 1464 14 Aug. quo diem obiit supremum. De illius ingenio et scriptis operae pretium est adire Joannem Antonium Campanum libro et epistola prima. Eloquentiae praecepta et exercitationem hausit a Francisco Philelfo, cujus itidem Epistolae consulendae XXVI, 1, XXIII, 1 et XXVII, 24. Opera Æneae Sylvii junctim edita Basileae b) 1571 fol. diligenter recensentur ab Henrico Warthono in appendice ad Guil. Cavei Historiam Litterariam. Idem et de aliis quibusdam Pii II. lucubrationibus memorat, quae in Operibus illis non leguntur. Ejus observatis pauca haec habeo, quae adjungam. *Historia rerum Friderici III. Imperatoris*, praemissaque ei *Austriae ac Viennae descriptio:* cum specimine annotationum Joannis Henrici Boecleri, lucem vidit curante Joanne Georgio Kulpisio, Argentorati 1685 fol. subjunctis variis Diplomatibus et Documentis, integrisque aliorum scriptis ad Historiam Germanicam facientibus. Vide Acta Eruditorum tom. II, Supplementi pag. 73-81. W. E. Tentzelii Dialogos menstruos editos Germanice An. 1694 pag. 100 seqq. *Historiae Austriacae* opus imperfectum MS. duplex ἀυτόχαφον, non mediocriter inter se discrepans servari in Bibliotheca Caesarea testatur Lambecius tom. II, pag. 972. Ex iisdem Annalibus Austriacis locum profert pag. 473 *Orationem adversus Austriales* An. 1452 habitam Mediolani, vulgavit clarissimus Muratorius tom. II Anecdotorum Latinorum pag. 121-176. Mediolani 1698 4to. Idem alias decem Orationes memorat pag. 185 earumque argumenta et initia refert. *Pentalogum de rebus Ecclesiae et Imperii*, in quo colloquuntur quinque, Fridericus III, nondum XXVIII annos natus, Æneas, Caspar Schlick Friderici Cancellarius, Sylvester, et Nicodemus: dedit Bernardus Pez tomo IV Thesauri Anecdotorum parte III pag. 639-744. Inter alia pag. 680 suadet Æneas, *ut semper Concilium instet aliquod, nec unum dissolvatur, quin aliud ad quinquennium, vel decennium indicatur. Namque Concilium timentes Pontifices Romani magis cavebunt, et praesertim cum Concilia magna ex parte intra Germaniam fieri oporteat propter libertatem.* Novissime *Historiam Gothorum* ad Iohannem de Carvagial, Cardinalem Diaconum, scriptam ab Ænea Senensi Episcopo, et in temporibus Justiniaui desinentem edidit Joannes Carolus Néwenus, Francofurti 1730 4.to Exstat etiam editio Operum Æneae Sylvii curata Helmstadii, et duobus voluminibus in quarto An. 1696 1700 in lucem data post Casparis Corberi, praeclari viri et Professoris Helmstadiensis, obitum a D. Joanne Adamo Schmidio, qui etiam Praefationem de Æneae vita scriptisque c) praemisit. In illa Helmstadiensi editione occurrunt: 1) *Cosmographia*, 2) *Historia Bohemica*, 3) *in Antonium Panormitam de dictis et factis Alphonsi* Sapientis 4) *de statu Europae sub Friderico III.* usque ad Annum 1458 ad Antonium Cardinalem Ilerdensem. 5) *Libri III de Concilio Basileensi.* et 6) *Epitome Decadum Blondi.* Haec omnia etiam obvia in editione Operum Æneae Basileensi, praeter librum de statu Europae sub Friderico III. quem ediderat Freherus tomo II rerum Germanicarum, in quo etiam occurrit ejusdem *Oratio gratulatoria ad Alphonsum, Regem Siciliae, super Connubio Friderici et Leonorae* An. 1458 et altera *pro Coronatione Friderici III* ad Nicolaum V *cum petitione pro Concilio generali*; tertiaque ad eundem Nicolaum, *ut Fridericum in Turcos passagium parantem adjuvare velit.*

Adde quod Anno 1441 Poetica laurea ornatus fuit à Friderico Imperatore, ut constat ex diplomate quod exstat apud clariss. Menckenium tom. 3 Scriptor. de rebus German. pag. 2039 Plura ipse de se Æneas lib. 1, Epist. 188 pag. 756, seq. Opp. et *Joannes* GOBELINUS, de quo infra, suo loco

a) Ughellus Tom. III. Italiae Sacrae pag. 374.

* Vide Gvinif. Barzizii Epistolas 144 seq. ubi novo Pontif. gratulatur, et historiam creationis Pii II in celeb. Jo. Ger. Meuschenii cerimoniali electionis et coronationis Pontificis Rom. Francof. 1731, 4, 411, 421.

b) Hanc editionem tanquam emendatiorem sequi se profitetur Launojus f. 356. Epist. et alibi.

c) Journal der Sav. 1708 Octobr. pag. 35 seq.

Opera Basileae 1571 fol. junctim edita recensentur in diario eruditorum Italiae tom. XIV p. 359, seq. De aliis editionibus Lud. Jacobus pag. 187, seq. Biblioth. Pontificiae. *Epistolae* ad diversos, quarum editionem ab illustri Jo. Petro Ludewig exspectamus, prodierant Lovan. 1483 Norimb. 1481, 1486, 1496, 4 cum *Oratione Mantuana et descriptione Viennensi*. *Orationem* de obitu *Eugenii IV* Papae An. 1447 et coronatione *Nicolai V* dedit Baluzius tom. Misc. pag. 334 t. I ed. novae *Orationes duas* responsorias ad Orationes Regis Francorum, Dacherius spicileg. tom. IX, pag. 310 et tom. VIII, pag. 292 (edit. novae tom. 3 pag. 807, 811.) *Epistolas* ad Carolum VII Regem Francorum tom. 7 pag. 311 et tom. 4 pag. 460 seq. (edit. novae tom. 3 pag. 806 822,) alias item ad illos tom. 7 pag. 305 et pag. 312, tom. 8 pag. 325 (edit. novae tom. 3 pag. 788, 823, 824,) *Historiam Gothorum* sive epitomen Jornandis ante Jo. Carolum Newenum publicaverat vir praeclarissimus Raymundus Duellius a) in biga librorum rariorum, Lips. 1730 fol. *De puerorum educatione* ad Regem Bohemiae Ladislaum, in 4 vetus editio sine loco et anno. Liber *de miseriis curialium* itidem in 4 cum historia de duobus amantibus. Praefationem ad historiam *de Pyramo et Thisbe* ex Manuscr. Helmstadiensi vulgavit Polycarpus Leyserus in historia Poetarum medii aevi p. 1086, versibus elegiacis. Historia ipsa hexametris partim, partim elegiacis scripta et Æneae Sylvio tributa in Manuscr. Thoruniensi, b) incipit: *Narratur Babylon urbs dicta duos aluisse*. Denique *historiam amorum Euryali et Lucretiae*, seu arcanam narrationem illorum quae Caspari Schlickio Senis acciderunt, (5) post plures Sacc. XV editiones) vulgavit V. C. Simon Frid. Hahnius tomo I collectionis monumentorum, Brunsvic. 1724, 8 sed vulgavit Germanice non Latine. (Ex t. V, ubi PIUS Secundus).

* Si in additamentis ad historiam litterariam Aeneae Sylvii longius excurrero quam pro modulo scriptionis huiusce, veniam profecto dabunt aequi lectores, qui norint me jam inde ab aliquot annis collectionem orationum atque opellarum quarundam Aeneae huius ex editis pluribus collectionibus, et MSS. codicibus acceptam meditari. Ex hac igitur, quae jam proelo paratam servo, ea excerpam quae huc conferre judicavero. Pii II. orationes non illas omnes tantummodo quarum indicem dedit Muratorius, atque hic a Fabricio indicantur, sed et alias plures in meam collectionem invexi, additis e meo marte adnotationibus. En illarum catalogum.

1 *Coram Patribus Basiliensibus pro eligendo loco futuri Concilii.* Laudat Muratorius, sed hucusque latuit manuscripta: ego primum eam vulgavi in volumine IV. suppl. mei Conciliorum.

2 *Oratio in D. Ambrosii celebritate.* Latuit Muratorium; ego dedi in tom. V. meorum supplementorum.

3 *Oratio ad plebem de Haspach* hucusque inedita; sed pluribus nota.

4 *Pro restituenda Germanorum obedientia Pont. Eugenio IV.* ex edito Martenis vet. monum. tom. VIII. pag. 980.

5 *Ad Mediolanenses* hucusque inedita, et a Muratorio indicata.

6 *Ad Alphonsum de connubio Friderici et Eleonorae.* Habet Freherus Rerum Germanicarum Tom. II.

7 *Ad Nicolaum V. pro Caesaris coronatione.* Datur ex MS. cod. Lucensi, et ab ea plurimum discrepat, quam Freherus ex Vindobonensi cod. protulit.

8 Ad Nicolaum V. Pontificem, quae plus vice simplici excusa est. Incipit: *Moyses vir Dei.*

9 *Ad Austriales;* haec ipsa est oratio quam Muratorius in anecdotis dedit; a me tamen variantes ex codice Lucensi adduntur.

10 *Oratio in Ratisponensi conventu* ex MS. datur.

11 *De Constantinopolitana clade, perorata in coetu principum Francofordiae.* Extat inter opera Pii II.

12 *In conventu Viennensi*, et altera *in conventu Novae civitatis*; utraque ex MSS.

13 Callisto III. in Pontificem assumpto Aeneas nomine Ferdinandi obedientiam pol-

a) Acta Erud. 1730 pag. 367.

b) Vide notitam Bibliothecae Thoruniensis pag. 26 de alia historia de Pyrame et Thisbe, scripta leoninis versibus, idem Meyserus pag. 2088.

licetur, qua occasione habita est Oratio: *solent plerique*; et a me ex edito repraesentatur.

14 *De Bohemorum compactatis*. Ex anecdotis Muratorii iterum excudenda cum variantibus ex MS. Codice.

15 *Pro pace civibus suis reddita*. Emendatior editur ex codice Lucensi quanquam antea prodivit in collectione operum Pii II. Basiliensi. anni 1551.

16 *Responsio I. Hungaris data*. Ex eodem.

18 *De Rosa aurea* ex MS. Codice.

19 *Orationes in Mantuano conventu dictae* IV. Quarum III. sunt in collectione Conciliorum Labbeana; sed a me cum MS. Codice collatae sunt. Postremam ego dedi in tom. V. supplem Conciliorum.

20 *Ad Cardinales de novis promotis Cardinalibus*. Ex Raynaldo ad an. 1459 n. 28 cum variantibus ex. MS. codice.

21 *Responsum datum Bohemis pro compactatis*. Edidit Leibnitius in Codice juris gentium; datur a me ex MS. Codice.

22 *De Pragmatica sanctione sublata*. Ex MS. codice; edita est tamen in catalogo MSS. Bibliothecae Universitatis Taurinensis, ex quo variantes dantur.

23 *De S. Catharina inter SS. adscripta*, cuius fragmentum dederunt Bollandiani socii in Actis SS. ad vitam S. Catharinae. Ego integram dabo ex MS.

24 *Ad caput S. Andreae allocutio*; ex edito Gobelini cum variantibus ex MS. Codice.

25 *Orationes II ad Quirites*; quorum alteram tantummodo Cardinalis Papiensis in suo commentario dederat.

26 *Responsum datum Oratori Venetorum postulantium parci Sigismundo Malatestae* ex edito Gobelini cum variantibus ex MS. Codice.

27 *Responsum datum Oratoribus Regis Renati Senis*. Haec cum sequentibus e MS. Codice dantur.

28 *Oratoribus* *Imperatoriae Maiestatis.*
29 *Castellae Regis.*
30 *Regis Hungariae.*
31 *Portugalliae.*
32 *Aragonum et Siciliae Regis.*
33 *Francorum Regis.*
34 *Regis Britanniae.*
35 *Oratoribus* *Ducis Burgundiae.*
36 *D. Archiepiscopi Trevirensis.*
37 *Ducis Sabaudiae.*
38 *Marchionis Montisferrati.*
39 *Bavariae Ducis.*
40 *Ducis Sabaudiae in conventu Mantuano.*
41 *Ad eosdem* *In eodem conventu.*
42 *Ad conventum Mantuanum.*
43 *Ad Oratores* *Imperiales in eodem conventu.*
44 *Venetos in eodem conventu.*
45 *Regis. Castellae.*
46 *Ad Albertum Marchionem Brandeburgensem.*

Atque hic demum clauditur eius operis pars prima. In altera vero habetur opusculum Aeneae Sylvii historicum nondum editum. *De Diaeta* Ratisponensi, quae fuit A. D. 1454. Opus hoc Aeneas dicavit Joanni Varadinensium praesuli, et Hungariae Regni cancellario. Additur ingens fragmentum operis Aeneae in Laurentium Vallam *De Donatione Constantini,* quod pariter e MSS. primo producitur.

In meo Conciliorum supplemento tom. VI. pag. 598 Aeneae prolixam epistolam de rebus in concilio Basiliensi turbatis ad Patrum (de Noceto arbitror) scriptam e MS. Cod. Bibliothecae Vindobonensi evulgavi.

Aeneae Sylvii epistolam de actis per certos annos in concilio Basileensi in codice quodam Bibliothecae Mellicensis servari legimus in Historiam eiusdem Bibliothecae pag. 50 vulgata Viennae in Austria paucis ab hinc annis in 4.

In Biblioth. Caesarea Vindobonensi nactus sum pariter epistolam alteram, quae licet nomen in titulo nullum praefert, in indice tamen codici illi praefixo, alterius quidem a toto codice, sed paulo recentioris manus, Aeneae Sylvio adscribitur. Legi illam avidus et rescripsi; sed diligentius illam per otium expendens intellexi tandem alterius esse ab Aenea authoris. Scripta est enim e concilio Basileensi, quo tempore e vivis subducto Eugenio Pontifice in eius locum Nicolaus V. successerat, quem addictus concilii partibus scriptor idolum vocat; quamvis se cogitare serio ait de deserendis eiusdem concilii par-

tibus, ut rebus suis, quibus alioqui male consultum esset, provideret. Quis credat proficisci haec ab Aenea potuisse, qui author fuerat Germanis, ut concilio abiecto Eugenium agnoscerent; et legationis ea de causa missae caput extiterat, ac demum Eugenio Pontifici luculenta oratione suo et Germanorum nomine obsequium palam restituerat, ac juraverat?

Aeneae Sylvii carmen in Christi passionem prodiit Viennae in Austria in 4 an. 1516. una cum aliis aliorum poematibus, aliisque sacris opusculis.

Eiusdem carmen in S. Augustinum legitur in Sanctuario Papiensi Jacobi Gualle lib. 3. pag. 50.

Epistolae eius septem ad Petrum de Noceto, quarum duae tantum ibidem vulgatae sunt, indicantur in catalogo Bibliothecae Riccardianae cum carmine ad B. Virginem, cuius etiam portio ibi legitur.

(6) Prodierunt revera *Pii II olim Aenaee Sylvii Piccolominei Senen. Orationes (LIII) politicae et ecclesiasticae etc. argumentis, adnotationibus et praefatione exornavit atque appendice aliar. lucubrationum ineditar. auxit J. D. Mansi.* Partes III. Lucae. 1755. *Ex Typ. Benedini* in 4. Dolendum autem vitam Pii II ab eximio, acris ingenii viro P. J. *Nicolao Bandiera* Senensi conscriptam, et jam ab anno 1734. Romae excudi inceptam lucem videre non potuisse. Vide *Mazzuchelli Scritt. d'Italia* II. 214. Eruditissimum Tergestinum bibliophilum vero, ampla supellectili operum Pii II tum editarum tum MSS. patriae suae relicta, auxilium haud spernendum cuiquam optatissimum opus scripturo suppeditasse non erat hic praetereundum. Vide: *Catalogo della raccolta che per la bibliografia del Petrarca e di Pio II è già posseduta e si va continuando dall'Avv. (Domenico) De' Rossetti. Trieste, Marenigh 1834. 8.* (Obiit an. 1842).

ÆTHICUS, Cosmographus, de quo in Bibliotheca Latina.

AFFLEGEMENSIS, sive *Afligeniensis*, Monasterii S. Petri in Brabantia fundatio Anno 1083 et Historia tom. X Spicilegii Dacheriani, et tomo II editionis novae pag. 769-776.

AFFLEGEMENSIS Chronographus continuatus per Odonem Camberium ab Anno 1122 usque ad Saeculum XVI ibidem pag. 776-779.

AGAPETUS I. Episcopus Romanus ab Anno Christi 535 29 April. ad 536. 17 April. et AGAPETUS II. ab Anno 946. 2 Junii ad 956. 11 Januarii, quorum nihil exstat praeter *Epistolas, octo* quidem Agapeti primi, et secundi *Epistolas II*, in tomis Conciliorum saepius editas, de quibus videri potest Ludovicus Jacobus a S. Carolo in Bibliotheca Pontificia. Epistola Agapeti primi ad Anthimum Cpol. spuria viris doctis judicatur. Agapeti secundi *Epistolam tertiam* ad Gerardum, Lauriacensis ecclesiae Archiepiscopum, edidit Christophorus Gewoldus cum Chronico Reicherspergensi, Monachii 1611 4 et Lambecius II. pag. 651.

* Agapeti II. epistolas tres ego in meo supplemento ad concilia vol. I. pag. 1123 adieci. Earum primam accepi ex Menkenio Rerum Germanicar. tom. I, pag. 585, qui illam ex MS. Bremensi chronico dedit; eaque Pontifex junctionem ecclesiae Bremensis cum Hamburgensi confirmat Altera datur ex Gallia Christiana tom. IV nov. edit. pag. 278, in qua ecclesiae Matisconensi privilegia quaedam conceduntur. Tertiam denique suppeditavit Ughellius Ital. Sac. tom. VIII, pag. 51 nov. edit. eademque in ecclesiam Triventinam, et Tremolensem intrusi quidam episcopi excomunicantur.

AGAPITUS, Episcopus Rhodiorum, cujus Epistola ad Leonem Imperatorem pro Concilio Chalcedonensi Latine, sed ex Graeco versa, exstat in parte ultima Actorum Concilii Chalced. tom. IV Labbei pag. 910. Harduini tom. II pag. 736 etc.

S. AGATHO, Episcopus Romanus ab anno C. 679 29 Maji ad 2 Decembr. 681. Cujus *Epistolae III* in Actis Concilii sexti Cpol. An. 680 seq. saepe editae, et apud Baron. ad An. 680 n. 6. 29 et An. 682 n. 50. *Concilia Romana* sub eodem habita An. 679 et 680. *Cantus et Cursus Romanus* ab Agathone missus in Britanniam, vide Spelmanni Concilia Britannica tom. I, pag. 175 seq. qui Agathonis *Epistolam ad Æthelredum*, et alios pag. 163 affert Latine et An-

glo-Saxonice. Et de Concilio Romano ad res spectante Britannicas disserit pag. 157 seq.

* Concilia Romana duo sub Agathone convenisse certum est; incertum vero, ad quod potissimum referatur canon, quem ego ex MS. cod. in meo supplem. vol. I, pag. 115 vulgavi. Mandat in eo Pontifex ut accusatus a populo presbyter seorsum ab episcopo duobus, vel tribus testibus adhibitis corripiatur. Nisi resipiscat, suspendatur ab officio.

AGGENUS *Urbicus* inter Agrimensorios scriptores, de quibus in Bibliotheca Latina.

AGNELLUS, Episcopus XXVII Ravennatensis, tempore Justiniani Imperatoris circa A. C. 553. De cujus vita, praeter Hieronymum Rubeum libro tertio Historiae Ravennatensis, consulendus Agnellus junior, (de quo mox) in Pontificali Ravennatensi, parte II pag. 119 seq. Ejus *Epistola ad Armenium* Arianis opposita *de ratione Fidei* in Johannis Sichardi antidoto adversus haereses, Basileae 1528 fol. et in Joannis Heroldi haeresiologia, ibidem 1556 fol. atque inde in Bibliothecis Patrum, et novissima Lugdunensi tom. VIII pag. 666.

AGNELLUS, qui et ANDREAS, Abbas S. Mariae ad Blachernas et S. Bartholomaei Ravennae circa An. C. 842. Scripsit *Librum Pontificalem*, sive *Vitas Episcoporum Ravennatium*, a S. Apollinari usque ad Petronacium, et qui ei circa An. 836 successit Georgium. Primus ex Codice Bibliothecae Estensis edidit, dissertationibusque, observationibus et appendice monumentorum veterum illustravit Benedictus Bacchinus, Abbas S. Mariae de Lacroma Ordinis Benedicti Congregationis Casinensis, Mutinae 1708 4 et tomo secundo Scriptorum rerum Italicarum eruditissimi Muratorii. Mediolan. 1723 fol. Confer Journal des Sav. 1710 Novembr. pag. 563. *Neuen Bücher —Saal* tom. I, pag. 216. Acta Eruditorum Anno 1710 pag. 330 et An. 1724 pag. 49 etc. *Vitam S. Apollinaris* exhibent etiam Acta Sanctorum tom. V Julii p. 350.

AGNES *Assisias*, Virgo, soror et discipula S. Clarae, quae Anno CHristi 1254 diem obiit. Ejus *Epistolas* ad eandem Claram et Collegium sacrarum virginum Lucas Waddingus edidit tomo I Annalium Ordinis Minorum. Vide sis etiam Henrici Willoti Athenas sodalitii Franciscani.

AGNES *Blanbekia*, defuncta Viennae anno 1315. Ejus Vitam et revelationes ab Anonymo Ord. Minorum digestas vulgavit Bernardus Pez, Viennae 1731. 8 una cum Pothonis libro de Miraculis B. Mariae Virginis, de quo infra.

AGNETIS Virginis *Romanae*, et sub Licinio Martyris, S. Ambrosio, Hieronymo, aliisque celebratae passionem versibus elegiacis descriptam Caspar Barthius XXXI, 13 Adversar. Francofurti 1624 fol. et Andreas Rivinus Lipsiae 1637. 12 edidit sub nomine *Hildeberti* Cenomanensis, una cum hujus decem homiliis. Sed *Alexandri* Essebiensis esse videtur Christiano Daumio in syllabo Poëtarum Christianorum num. 63. De illa Agnete vide Baronium et Acta Sanctorum 21 Januarii.

De Actis AGNETIS in *Montepolitiano*, idem Baronius et Acta Sanctorum 20 April.

AGOBARDUS, Episcopus ab An. C. 816. Lugdunensis, defunctus A. 840. De quo egregio Viro diligenter in Historia Litteraria S. E. Caveus, cui jungi possunt Sammarthani tom. I. Galliae Sacrae pag. 301 seqq. Carolus le Cointe tomo octavo Annalium Francorum, Theophylus Raynaudus indiculo Sanctorum Lugdunensium tom. VIII, Operum pag. 25 seq. 599 seq. Dominicus de Colonia Historiae Litterariae Lugdunens. quem Gallice nuper edidit, tom. II pag. 93. Acta Sanctorum tom. I. Junii pag. 748 seq. ubi etiam disquiritur, num Sancti nomine sit afficiendus, qui tam diserte scilicet imaginum cultum ac venerationem confutavit. Scripta Agobardi felici fortuna servata sunt a Papyrio Massono. Cum enim Lugduni in vico mercium libros quaereret cum Stephano Verdiero, et apud compactorem librorum versarentur ejus rei causa, illeque Agobardi Codicem in membranis perscriptum veteribus notis, dilaniare paratus esset, cultrumque ad eam carnificinam manu teneret, vitam illi Papyrius redemit, Codicemque postea in Regiam Bibliothecam intulit Papyrii frater Joannes Baptista Massonus. Prodiit Agobardus Papyrio Massono curante Parisiis 1605 8. et deinde ex meliore editione

Stephani Baluzii, 1666 8vo, qui non modo Regium illum Codicem novo studio contulit, et non pauca ex eo castigavit, sed etiam addidit ineditum antea librum, quem Agobardus Amalarii libris quatuor de Divinis Officiis opposuit, et Baluzius expressit ex veteri Codice Petri Marnaesii, Senatoris Grationopolitani, collato etiam apographo, quod Petrus Franciscus Chifletius cum eo communicavit. Massonii editio repetita in Bibliothecis Patrum Coloniensibus An. 1618. tomo IX. sed recognita secundum Indicem Hispanicum: tum Parisiensibus 1644 1654. t. IX. Editionem vero Baluzianam exprimit Lugdunensis A. 1677. tom. XIV. Singula Agobardi Scripta, post Cavei et Dupinii industriam recensere, esset actum agere. Tantum addo Goldastum in Monarchia Imperii, statim in limine primi tomi exhibere Agobardi *Epistolam de monarchia Imperii Francici et divisione regnorum Italiae, Galliae, Germaniae inter Ludovici Pii liberos;* quae est etiam apud Freherum et Andream du Chesne: tomo secundo autem, ejusdem scriptum: *de comparatione utriusque regni*, *Ecclesiastici et Politici*, obvium quoque in tomo secundo Bibliothecae maximae Pontificiae, quam Romae 1695 ad 1699. Volum. XX. in fol. edidit Joannes Thomas de Rocaberti. Versibus hexametris scriptum Epitaphium Caroli M. defuncti A. C. 814 et Carmen phalaeucium de translatis Lugduni reliquiis SS. Martyrum Cypriani, Sperati et Pantaleonis edidit Andreas Rivinus cum Psalmis et Hymnis Drepanii Florii et aliorum, Lipsiae 1653 8.

AGRIPPINUS, Carthaginiensis ante S. Cyprianum Episcopus, sub quo Concilium de rebaptizandis haereticis habitum, Cypriano eandem sententiam deinde tuenti praeivit, ut ipse testatur in Epistola 73 ad Jubajanum. Etiam ipsum Agrippinum eo de argumento librum unum vel plures edidisse, licet pridem deperditos, ex Augustini Epistola 48 ad Vincentium (editionis novae 93) colligit Caveus. Meminere Agrippini idem Augustinus II, 7 de baptismo contra Donatum, Vincentius Lirinensis in commonitorio cap. 9 et Facundus lib. X. cap. 3 tom. II. Operum Sirmondi pag. 725. De controversia illa adeundus Johannes Launojus lib. VIII Epist. 15.

AGROETIUS medio saeculo quinto Grammaticus, qui ad Eucherium Lugdunensem scripsit de Orthographia, et Fl. Capri Orthographiam fupplevit, de illo dixi in Bibliotheca Latina lib. IV. cap. 7.

AHYTHO, aliis *Haito*, *Heito*, *Haido*, *Hatto*, *Oto*, Episcopus Basileensis, et ab Anno 806. Abbas Augiae Coenobii, circa A. C. 820 publicavit *Capitulare*, capitibus XXV editum a Dacherio tom. VI Spicilegii pag. 691 et tom. I editionis novae pag. 584. Ab eodem Ahythone *visiones* Monachi Augiensis *Wetini* Anno 824 defuncti scriptas prosa, sicut heroico metro a Walachfrido, testatur Hermannus Contractus. Caroli M. testamento subscripsit An. 811.

AIDANUS Avuinas, Northumbriorum, sive Lindisfarnensis Ecclesiae in Anglia Episcopus primus, a Rege Northumbriorum Oswaldo constitutus, diem obiit An. 651. Hujus *Commentarios in Sacram Scripturam*, et *Homilias*, sive *Conciones* memorat Joannes Baleus Centur. I cap. 76. De hoc Aidano Beda III 14 seq. Eccles. Histor. Anglor. et in vita Cuthberti et Martyrolog. Rom. 31 August.

AIGRADUS, Vossio *Angradus*, Monachus in Normannia *Fontanellensis*, Benedictinus, scripsit ad Hilbertum Abbatem suum, qui An. 700 obiit, *Vitam S. Ansberti*, Rothomagenis Episcopi, defuncti A. 695. Exstat illa apud Surium et in Actis Sanctorum 9 Februarii, et in Mabillonii Saeculo secundo Actorum Ordinis Benedictini, pag 1048. Sed interpolatam vel junioris auctoris esse hanc vitam eruditi judicant, quoniam in illa mentio cladis, quam Provinciae intulere Agareni A. 737.

AILERANUS, aliis verius *Aireranus*, *Ereranus*, Scoto Hibernus cognomento Sapiens, Presbyter et Scholasticus seu Ludimagister Scholae Cluainerardensis in Hibernia, saeculo VIII. ut videtur. (post Columbam, Ultanum et Adamnanum,) scripsit *Gesta S. Patricii*, et quae sola aetatem tulit *interpretationem mysticam progenitorum CHristi*, quae cum Columbani scriptis edita a Patricio Flemmingo Ord. Minor. Lovanii

1667 et recusa tom. XII Bibliothecae Patrum edit. Lugdun. 1677. pag. 37.

AILMERUS, sive *Elmerus*, Monachus Cantuariensis Ordinis Benedictini, defunctus An. 1130, quem Pitseus pag. 201 praeter *Homilias* et *Epistolas, librumque scientialem et Sacramentalem* MS. Cantabrigiae, refert scripsisse *contra Mundi miserias*, et *Exercitia vitae spiritalis: Recordationes beneficiorum DEI, de inquisitione DEI, de absentia vultus DEI, et de bono vitae claustralis.*

AILREDUS, vide EALREDUS.

AIMARUS de Rossillon, Archiepiscopus * ab A. 1275 ad 1283 Lugdunensis. Ejus *Ordinatio*, ut more antiquo Archiepiscopus Lugdunensis, et Episcopus Eduensis, alter alterius Sedem vacantem administret, edita a Dacherio tom. VIII Spicilegii pag. 253 et edit. novae tom. III, pag 684.

AIMERICUS *de Peiraco*, Abbas Moissiacensis, qui *de gestis Caroli Magni* scripsit ad Joannem Ducem Bituricensem. Usus est Cangius ex Codice Regio Paris. 1344.

AIMERICUS *Picaudus*, sive *Picardus*, cujus rhythmum, sive versus rhythmicos de S. Jacobo Apostolo legit idem Cangius in Bibliotheca Sancti Germani de Pratis Cod. 608.

AIMO, vide HAYMO.

AIMOINUS, sive HAIMO, patria Petricorius Aquitanus, a librariis modo in AUMONIUM, modo in AIMONIUM, AMMONIUM, vel ANNONIUM, transformatus, Monachus ab An. C. 970 coenobii *Floriacensis*, sive S. Benedicti (de Fleury) ad Ligerim. Hic An. C. 1005 Vitam et miracula Abbatis sui *Abbonis* † (quem priore anno Wascones interfecerant) consignavit ad Hervaeum, sive Heriveum clericum Thesaurarium S. Martini. Vita exstat in Joannis de Bosco Bibliotheca Floriacensi, Lugduni 1605 8 pag. 299 in Pithoei XII. Scriptoribus pag. 428 et tom. VIII Actorum Benedictin. pag. 682. Eidem Abboni dicavit *libros IV. Historiae Francorum*, quam ad Pipini Regis inaugurationem sive in An. C. 752 deducere voluit, vel substitit in fundatione Monasterii Floriacensis circa A. C. 650 vel 660. Caetera igitur a libri quarti capite 42. in quo du Chesnii editio desinit, et liber quintus usque ad Annum 1165 addita a Monacho quodam S. Germani Paris. aliisque. Vide Labbei diatribam de Aimoino tom. II de S. E. pag. 829. Cointii Annales Francorum tom. I, pag. 842, tom. II, pag. 161 tom. III, pag. 401, tom. IV pag. 117 etc. Launojum inquisitione in chartam immunitatis pag. 77 seq. ejusque inquisitionis assertione pag. 620 seqq. quae utraque scripta recusa tomo Launoji tertio Operum. Nicolai Hieronymi Gundlingii *Frag. Stúcken*, XIV. Edita Aimoini Historia a Badio Paris. 1514 fol. sub *Annonii* nomine, et restituta Aimoino, recensitaque a Joanne Nicotio, Paris. apud Andream Wechelum 1567, 8 deinde a Jacobo Breulio ibid. 1603 fol. et in Joannis a Bosco Bibliotheca Floriacensi, Lugduni 1605, 8.vo nec non in Scriptoribus Francicis Marquardi Freheri, Hanov. 1613 fol. denique in tomo tertio Andreae du Chesne, Paris. 1641 fol. ubi etiam *Poëma de prima fundatione coenobii Floriacensis*, versibus hexametris, itemque alterum *De traslatione reliquiarum S. Benedicti in Galliam*, quod obvium quoque in Mabillonii Actis Sanctorum Ordinis Benedicti sec. II, pag. 359. *Sermo in festivitatibus S. Benedicti* cum versibus Mauri, Paulique, Casinensium Monachorum, Smaragdi Abbatis, Aldelmi Episcopi, aliorumque, in laudati Joannis a Bosco Bibliotheca Floriacensi pag. 270 in qua etiam pag. 79. *Historia Miraculorum S. Benedicti, libris II. ad Gauzlinum*, * sive *Gauslenum* Abbatem, postea Bituricensem Archiepiscopum, quos habent quoque Bollandus ad 21 Martii, pag. 324 et Mabillonius Saec. Benedictin. IV Parte II. pag. 366. Vide supra in *Adrevaldo*. Sigebertus Gemblacensis c. 101. Aimoini Historiam Francorum memorans, scribit *situm etiam Galliarum distinxisse.*

AIMOINUS, sive AYMOINUS, Notarius et Monachus *S. Germani* de Pratis in suburbio Parisiensi, qui subscripsit diplomati dato A. S. 872 regni Caroli (Calvi) 32. Ejus *libri II* ad Bernonem Abbatem, *De inventione et*

* Sammarthan. Tom. I Galliae Christianae pag. 525.

† Ex miraculorum libro unicum modo caput superest.

* Trithemius cap. 305 ad *Renáldun Monachum.*

translatione corporis B. Vincentii Levitae et Martyris, ex Valentia Hispaniae An. 864 ad Monasterium Castrum Dioecesis Albingensis in Gallia, versibus scripti hexametris una cum *Epistola ad Theotgerum Monachum* et *Carmine* versuum LX heroicorum de eadem translatione exstant, cum Breulii Aimoino Historiae Francicae scriptore, Parisiis 1603 fol. in Boscii Bibliotheca Floriacensi, Lugduni 1605, 8 et in Actis Sanctorum Januarii tom. II. pag. 405 nec non in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti Sec. IV. Part. I. pag. 652. Liber *de S. Germani, Episcopi Parisiensis, Miraculis* ab An. 846 ad 874 scriptus An. 892 in Jacobi Mosandri appendice ad Surium 25 Julii, in Actis Sanctorum 6 Maji pag. 801 et in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. Benedicti Saec. III. part. II, pag. 104. *De translatione SS. Martyrum Georgii Monachi, Aurelii et Nataliae liber*, et *libri II de eorum miraculis*, apud eundem Mabillonium Saec. IV, tom. II, pag. 45. Sunt etiam, qui huic Aimoino tribuunt libros miraculorum B. Mauri, et Historiam inventionis corporum Placidi Abbatis et sociorum ejus.

AINARDUS, AGENARDUS, infra EGINHARDUS.

AINWICUS, vide Eynwicus.

AIO Croilandensis, in Anglia, Monachus Ord. Benedictini An. C. 974 obiit, scripsitque Ingulpho Abbate ab Anno 1076 ejusdem Monasterii, et Pitseo pag. 821 teste Chronicon *de rebus memorandis Monasterii Croilandensis, et de statutis Turketuli Abbatis*. Illud Chronicon ab Anno 664 ad 974, Ingulphus, de quo infra, totum suo Chronico inseruit, quod inter Scriptores rerum Anglicarum post H. Savilim, Londini 1596 fol. longe integrius edidit Thomas Galeus, Oxoniae 1684 fol.

AITHONUS, Dominus Cuychi, aliis *Aythonus, Haithonus, Aytonus*, Armenius, Regi Armenio Aythoni, qui post XLV annorum regnum Monachus, Macarii adscito nomine A. C. 1270 idem obierat, junctus sanguine, ex Regulo ipse Monachus non Dominicanus, sed Praemonstratensis * ipse quidem Latine non scripsit, non fuit tamen hoc loco a me praetereundus, quia sub ejus nomine Latine fertur liber notissimus nec indignus lectu *Historiae Orientalis* atque *de Tartaris*, quem post A. 1305 ille scilicet, jussu Clementis Papae quinti, Gallice Pictavii dictavit *Nicolao Falconi* ** Pictaviensi, qui ex Gallico Latine se eum testatur transtulisse An. 1307. Praeter alia liber ille comparatus est ad suadendum passagium in terram sanctam cap. 49 et 55, ita tamen ut totum consilium suum correctioni Papae subjiciat cap. 57 58. Prodiit primum Menardo Molthero curante Haganoae 1529 4, tum Basileae 1532 1555 fol. inter Scriptores Novi Orbis: deinde in locis quibusdam emendatior, a Reinero Reineccio Helmstad. 1585 cum Paulo Veneto 4, tum Berolini 1671 4 cum Paulo Veneto et aliis, editore Andrea Mullero, Greiffenhagio, qui Basileensem editionem secutus, emendationes Reineccii ad calcem voluminis annotavit. Belgice etiam prodiit Amstelodami 1664 4. J. H. Glazemachero interprete, ut Italicam An. 1535. Gallicamque in Petri Van der Aa collectione: Recueil des voyages curieux, à Leide 1729, 4. tomo II et Anglicam plus semel excusam praeteream.

* Haitonus ipse cap. 46.

Bernardus ALAMAINY, * Doctor in Decretis, Caroli VI. Galliarum Regis Capellanus, et ab Anno 1371. Episcopus Condomensis. Scripsit Tractatum duplicem *de Schismate* tempore Clementis VII. Anti-Papae, cujus electionem improbavit. De his, quae MSS. in variis Bibliothecis feruntur, vide Bulaeum in Histor. Acad. Paris. ad annum 1392 et Oudinum tomo III, pag. 1176.

ALANUS *Albretus*, Anglus, Ord. Benedict. ex Monacho Cantuariensi Abbas Deoberberiensis, sive Theocicuriae, hodie Teukesburiensis, qui An. C. 1201 diem obiit. Ex libro ilius *de Vita et exilio Thomae Becket*, Archiepiscopi *Cantuariensis*, An. 1170 interfecti, pleraque inserta a Stephano Langtono quatuor libris, sive quadrilogo de Thomae Vita, qui ejus legitur praemissus Epistolis a Christiano Lupo, Brusell. 1682 4 quemque scriptor profitetur se collegisse ex quatuor Auctoribus, Johanne Severiano Sa-

** Male *Salconi* in Andreae Mulleri editione.

* Ita Sammarthani tom. II. pag. 551. rectius quam alii *Alamandi*.

risberiensi,* Magistro Heriberto de Bosaham, Wilhelmo Cantuariensi, et hoc Alano, cujus *Sermones* quoque et *Epistolas* Pitseus commemorat. Baleus III. 46 etiam *Acta Clarendonensia*, sive, ut Lelandus cap. 191 *de rebus gestis in Clarodunensi Concilio ac postea*, nec non *Problemata Sophistica*.

ALANUS *Beuclif*, sive Belloclivus itidem Anglus, Parisiis Lector publicus circa An. 1230 a Matthaeo Parisio inter eruditissimos celebratus suae aetatis, Johanni Lelando cap. 235. Sacrae Scripturae lucidus Interpres.

ALANUS *de Insulis*, sive ex Civitate Insulana, Gallo-Flandriae metropoli, Doctor Parisiensis, inde Monachus Claraevallis et ex Abbate *Ripatorensi (la Rivour)* Ord. Cisterciens. in Dioecesi Trecensi, ab A. 1151 post Hugonem Episcopus *Antissiodorensis*, denique ab Anno 1167 iterum Monachus Claraevallensis, defunctus An. 1202 aetat. 93. Ita enim de hoc scriptore sentire mihi placet, persuaso argumentis clarissimi Oudini in dissertatione de unico Alano Tom. II. pag. 1388 seq. ut nec iis accedam, qui duos Alanos de Insulis faciunt, cum Bulaeo Histor. Acad. Paris. tom. II, pag. 432 seq. tom. III. pag. 19. Lud. Jacobo a S. Carolo de Scriptoribus Cabilonensibus pag. 144 nixi mala fide commentitii epitaphii, quo Alanus ille, junior scilicet, dicitur An. 1294 obiisse: quod confutat etiam Jacobus Quetif tomo I. Bibliothecae Scriptorum Dominicanorum pag. 194: neque illis, qui cum Sammarthanis t. II. Galliae Christianae p. 280 contendunt, obiisse A. 1182 neque cum iis sentiam, qui Siculum faciunt, aut distinguunt vel Hispanum. vel Germanum etiam, sive Teutonicum, nisi Flandriam Germaniae accensere velis. Vide Leyserum de Poëtis medii aevi pag. 1012 seq. Scripta hujus Viri, qui in titulo Operum *Alanus Magnus* dicitur, et propter variam scientiam, cognomen *Doctoris Universalis* meruit, edita haec exstant: 1) *Commentarius in Cantica Canticorum* ad laudem beatae Virginis, editus primum Parisiis 1540 8.vo 2) *Summa de arte praedicatoria*. 3) *Sermones XII.* de variis argumentis. 4) *Liber sententiarum et dictorum memorabilium*. 5) *Liber de sex alis Cherubim*, qui minus integer legebatur inter *Bonaventurae* Opera. 6) *Poenitentiale*, sive *Corrector*. 7) Summa quadripartita *de Fide Catholica* [scripta post Concilium Lateranense III, habitum An. 1179.] libris IV. *contra Albigenses, Waldenses, Judaeos* et *Paganos*, seu *Mahometanos*, ad Wilhelmum, Montis Pessulani Principem: ex quibus Libri duo priores a Joanne Massono Paris. 1612. 8 et cum tertii initio a Carolo de Visch inter Alani opera editi: duo posteriores ab eodem ad calcem Bibl. Cisterciensis, Colon. 1656. 4 pag. 411 seq. 8) *De planctu Naturae*, prosa et carmine, [a] contra Sodomiae crimen. 9) *Anti-Claudianus*, [b] sive Encyclopaedia versibus Hexametris distincta in libros IX. certansque ingenio cum Claudiani poëmatibus, quod plerumque sine auctoris nomine, saepius prodiit Basileae, post primam editionem An. 1536 et Antwerpiae 1611 1621. Venetiis 1582. 12. 10) *Rhythmus de CHristi incarnatione*, qui incipit: *Exceptivam actionem Verbum Patris excipit*, aliusque *de fragilitate humanae Naturae*, cujus initium: *Omnis Mundi creatura quasi liber ac pictura*. Ambo primum in Gallo-Flandria Joannis Buzelini sacra et profana lib. I. cap. 7. Duaci 1625 fol. 11) *Parabolae*, aliis *doctrinale altum*, rectius *doctrinale mi-*

* In editione Quadrilogi Paris 1495. 4 *Joanne Carnotensi*, *Herib. de Hoschan.*

(a) Metra IX. ex tribus Helmstadiensibus Codicibus longe emendatiora exhibet B, Polycarpus Leyserus in Historia Poëtarum medii aevi pag. 1045 seq. qui et ex apibus Urbanis pag. 179. Allatium notat commentario voluisse scriptum illud illustrare Vide et Colvenerium ad formicarium Nyderi pag. 26.

(b) De hoc Alani poëmate diligenter idem Leyserus pag. 1016 seq, qui et pag. 1021 ineditos in illud Commentarios memorat *Adami de Basseya et Radulphi de Longo Campo*: de quo Baleus XII. 15 notatque editionem Vischianam multis locis meliorem dari posse ex Codice Helmstadiensi, quod adscripto speciminis in vicem libro primo integro ostendit. Ad suas in Alani Anti-Claudianum notas provocat Rittershusius ad Güntheri Ligurinum VII. 543 p. 146. Quoniam vero in MSS. quibusdam, ut Lipsiensi apud Fellerum pag. 436 num. 204 inscribitur: *Anti-Claudianus de Anti-Rufino*, inde non contemnenda fortasse Barthii sententia Tom. II. in Statii 2 Thebaid. 714 p. 639 esse *Anti-Claudiani* titulum datum ab auctore, quia disputat pro Providentia, quam dubiam in ingressu librorum in Rufinum facere videbatur Claudianus.

nus, vel *Compilatio Proverbiorum* versibus elegiacis. Incipit:

A Phoebo Phoebe lumen capit: a sapiente
Insipiens sensum quo quasi luce micat.

Prodiit Daventriae 1492. 4 Colon. 1497 Lipsiae 1499 fol. 1516. 4 Lugduni 1501 et Coloniae 1520. 4 cum Commentario *Matthaei Bonihominis*, inter auctores octo morales: Paris. 1536 et Lugduni 1536. 8, et cum notis Andreae Senftlebii, Vratislav. 1663. 8, etiam Gallice Paris. 1492 fol. et 1536 forma minore. Distinctione *prima*, unumquodque monitum disticho, *secunda* tetrasticho, *tertia* hexasticho, *quarta* octosticho, *quinta* decasticho, et *sexta* sive ultima dodecasticho absolvitur. Emendatius hoc doctrinale ad MS. Helmstad. atque editiones veteres recensitum occurrit in laudati Leyseri historia Poëtarum medii aevi pag. 1064 seq.

Haec undecim scripta Alani (exceptis duobus posterioribus libris summae quadripartitae num. 7) junctim edita sunt a Carolo de Visch, Antwerp. 1653 fol. Sed praeterea habentur etiam 12) *Vita S. Bernardi*, ad Pontium Claraevallis Abbatem scripta ab Alano Episcopo Autisiodorensi, et edita a Joanne Mabillonio post antiquiss. editiones plus vice simplici, et novissime tom. II. Operum S. Bernardi edit. Paris. 1719 fol. pag. 1252. 13) *Commentaria*, sive septem libri explanationum in *Divinationes Propheticas Merlini Caledonii*, a Galfredo Monemutensi Latino carmine redditas e Britannico. Francofurti 1608. 8. De Ambrosio MERLINO et illo altero vate, qui Arthuro Regi charus exstitit, ante mille claro annos, vide Lelandum cap. 27 et Baleum l. 65 et Pitseum p. 101. 14) *Rhythmi contra amorem Veneris* editi a Leysero pag. 1092–1097. 15) *Dicta de Lapide Philosophico*, Lugduni Batavorum 1600 in Theatro Chemico atque alibi, etiam versa Germanice. 16) Denique *liber de naturis quorundam animalium*, est liber secundus bestiarii Hugonis de S. Victore, tomo II. Operum pag. 418 seq. Rothomag. 1648 fol.

Inedita vel deperdita longe plura a Trithemio cap. 527. Vischio in Bibliotheca Cisterc. pag. 23 sq. et Oudino tom. II. pag. 1405 seq. memorantur: *Commentarii in Moysis quinque libros, in Prophetas, Evangelium, Apostolum et Apocalypsin. Oculus Sacrae Scripturae. Oculus moralis*, carmine. *Poenitentiale*, qui *Corrector* dicitur, seu *Medicus animarum*, ab edito diversus. vide Oudinum pag. 1407 seq. *De triplici Mundo*, carmine. Incipit: *Expugnant hyemem vernali* etc. *Libri quatuor de Poenitentia* ad Henricum Bituricensem Archiepiscopum. Summa *quot modis* ad Hermengaldum Abbatem S. Ægidii, sive *de aequivocis mysticis*, de diversis vocabulorum Scripturae significationibus, secundum ordinem alphabeti. *Doctrinale altum* de maximis seu axiomatibus Theologiae, sive *de doctrina liber. Summa de conflictu vitiorum et virtutum.* (Videndum sitne scriptum hoc titulo, quod Ambrosio Autperto tribuunt Benedictini tom. VI. Augustini edit. Amstelod. pag. 699.) *Gnomarum libri IX.* quos habuit Barthius et speciminis loco, inde Othonis, nescio cujus sententias edidit XXXI, 9 Adversariorum. *Quodlibeta. Sermones* plures et *Epistolae*. Libros quatuor super Sententias Trithemius primo loco nominat, sed Oudinus putat, eum falli, et summam quadripartitam, supra n. 7 recensitam pro illis accepisse.

* Huius scriptoris esse censeo duo haec opuscula, quae in Codice Saeculi circiter XII membranaceo in Bibliotheca Trivisanea contineri testatur vir in eruditione literaria princeps Apostolus Zeno in Epistola de opere Bernardi Trèvisani. Sunt vero: *Tractatus Magistri Alani contra haereticos.* Incipit: *Quoniam temporibus istis Manichaeorum haeresis pullulat.* Ex hoc exordio plene constat opus hoc esse diversum ab eo, quod haud dissimili in argumento scripsit Alanus *contra Albigenses et Valdenses.* Opus aliud comprehensus in Codice Trevisaneo est epistola eiusdem, *quod non est celebrandum bis in die.* Incipit: *Venerabili amico P. Magister Alanus salutem.*

Allucinatus est Fabricius, cum inter opera Alani a Vischio collecta omisit *dicta alia M. Alani* de insulis, communiter mirabilia nuncupantur. Putavit fortasse unum idemque esse opus cum libro *Sententiarum ac dictorum memorabilium.* Revera tamen duo sunt opera, et tamquam duo distincta in

Codice Monasterii Dunensis nactus est, et vulgavit Vischius.

ALANUS *Linensis* Nordovolgius Anglus Carmelita, Theologiam Grantae Girviorum circa A. 1420 professus, librum composuit, *de quadruplici sensu Sacrae Scripturae. Memini me etiam* inquit Jannes Lelandus cap. 370. *Grantae aliquando vidisse* Æquatorium Joannis de Linneriis, *quod nomen a Linensi non multum differt, opus eruditis dignum auribus.* Idem cap. 524 ejus *Elucidationes Aristotelis, Conciones*, et in omnes fere veteres Theologos, *Indices* commemorat. Theologos illos de nomine appellat Baleus VII. 54. ait enim Alanum indices adornasse in Antiquitates *Josephi, Hieronymum* in Josue, Quaestiones et Dialogum *Augustini, Basilii* Homilias, *Gregorii M.* Moralia, Homilias, et in Ezechielem: in *Bernardi* tria Opuscula et super Missus est, et super Cantica: in Homilias *Alcuini, Petrum de Aurora*, sive Auroram Petri de Riga: in *Gerardum* Laodicensem, in Officiarium *Joannis Beleth*, revelationes et prophetias *Brigittae, Hugonem de S. Victore, Petrum Blesensem, Richardum* super Threnos, Psalmos, et de somno Nabuchodonosoris et de XII. Patriarchis. In sermones *Gilberti*, in distinctiones *Parisiensis* et sermones ejusdem: in Cantica *Neckam*, in miracula Mariae, in Mariale majus et minus, in *Thomam* Aquinatem de perfectione, in Sententias ejusdem et *Scoti* et *Bacanthorpii*: in *Ægidium* de regimine Principum: in Compendium Theologiae, in sermones *Losani*, in chronicon Rogeri Hoveden, in Carmelitarum gesta, *Riboti*: in reductorium Bibliorum, in Stimulum amoris, in Threnos *Lathbery*, in *Gorham* super Matthaeum et Lucam: in Quadragesimale Voraginis, in *Costasy* * super Apocalypsin, in Sermones antiquorum propriosque: in conflictum vitiorum, in historiam Lombardicam, in proprietates *Bartholomaei.* Idem Baleus inter Alani hujus scripta refert *Moralia Bibliorum* et *Praelectiones Theologicas.*

ALANUS, *Abbas S. Mariae*, cujus *Homiliarium* MS. memorat Bernardus Pezius tomo III. Anecdotorum Parte III. pag. 630.

* Henricum de Costesey.

ALANUS *de Rupe*, sive *Rupensis*, Armoricus Gallus, Ord. Dominicani, defunctus in Conventu suo Zwollensi An. C. 1474 teste Trithemio cap. 850. de S. E. commendator (post Petrum Eremitam et Dominicum Ordinis Praedicatorum conditorem) praecipuus *Rosarii*, de quo plura dixi in indiculo Mariano. Vide sis Bzovium ad An. C. 1473 num. XXII. seq. A. 1476 num. XVII. An. 1478 num. XIII. et An. 1479 num XXVII. Scripta junctim edita sub titulo Alani redivivi, Friburgi 1619. 4. Coloniae 1624. 8 et Andrea Rovetta curante, Neapoli 1630. 1665. 8. De illis et de aliis ineditis non habeo, quae addam Jacobi Quetif industriae, cujus consulenda Bibliotheca Dominicanorum Tom. I. p. 850 sq. Idem t. II. p. 778 laudat Dominici Riera, Dominicani volumina, Alani de Rupe Psalterio Christi et B. Mariae illustrando et commendando destinata, unum Majoricae editum 1689 fol. et alterum Ibid. 1700 fol.

ALBERICUS *Aquensis.* infra, ALBERTUS.

ALBERICUS *Bergomensis*, infra *Albericus de Rosate.*

ALBERICUS Monachus, qui decem annorum puer *Casinense* Coenobium ingressus est circa Annum Christi 1120. Hujus librum de visione sua memorat Joannes Baptista Marus notis ad Petrum Diaconum p. 180 edit. a me curatae.

ALBERICUS, Monachus *Casinensis* idemque Diaconus *Cardinalis*, qui A. C. 1088 obiit nonagenarius. Scripsit pro Gregorio VII. adversus Henricum VII. nec non vitam S. Scholasticae, passionem S. Modesti, et S. Caesarii, librum de corpore Domini, SS. Patrum testimoniis roboratum adversus Berengarium, Epistolas ad Petrum Ostiensem Episcopum, aliaque multa tum prosa, tum versu, sive rhythmo, quae a Petro Diacono de Viris illustribus Casinensibus cap. XXI. recensentur. *Vitam S. Dominici* edidit Bollandus in Actis Sanctorum 22. Januar.

* Quo tempore vir iste obierit nemine indicante incertum est. Annus 1088 eruisse sibi visus est Fabricius ex adnotatione Mari ad libellum Petri Diaconi *De viris illustribus Casin.* cap. 21 sed ibi adnotator annum quidem emortualem, aetatemque nonagena-

riam signavit; at designatio haec temporis ad Berengarium de quo ibi, non vero ad Albericum pertinet. Mendum hoc Fabricii detexit vir cl. Mazzuchellus in op. *Gli scrittori d' Italia.* I, 47.

S. ALBERICUS inter primos Ordinis *Cisterciensis* fundatores, quem primas Cistercii constitutiones ab Apostolica sede approbatas A. C. 1101 publicasse, et A. 1109 defunctum, notat Carolus de Visch in Bibliotheca Scriptorum Cisterciensium, pag. 17.

ALBERICUS *Cisterciensis* Monachus, de quo Ludovicus Jacobns a S. Carolo in scriptoribus Cabilonensibus pag. 136. Vide infra *Albericus trium fontium Monachus.*

ALBERICI *Londoniensis* Metheologia (μὴ Θεολογία) MS. in Bibliotheca Hohendorfiana, quae accessit *Thesauro Librario* Augustissimi Imperatoris. Vide et infra, ALBRICUS.

ALBERICUS *de Rosate,* seu *Roxiati, Bergomensis,* JCtus, qui medio Saeculo XIV. scripsit commentarios in librum sextum Decretalium, Dictionarium Juris Civilis et Canonici, aliaque, quae apud Trithemium cap. 608 et Joannem Gottfridum Olearium referuntur. Alius *Albericus de Rosate,* de quo infra in ALBRICUS Londinensis.

* *Quaestiones statutorum* impressae Comi apud Baldassarem de Fossato an. 1477 die 15 Februarii. Dictionarium Juris Civilis et Canonici compilatum ex primo et secundo Dictionario quae separatim scripserat, impressum fuit antiquissimis typis absque loco et anno. Idem Dictionarium de *verborum et rerum significatione* impressum Bononiae 1481 in fol.

ALBERICUS, *Monachus* monasterii *trium fontium,* Ord. Cisterciensis, in dioecesi Catalunensi, quod conditum est circa An. C. 1117. Albericus ipse clarus circa An. 1241 in quo *Chronicon* ejus desinit, incipiens ab Orbe condito, editumque ab illustri Leibnitio tom. II accessionum historicarum, Lipsiae 1698, 4. In hoc Chronico, praeter Sigebertum et Anselmum Gemblacenses, Hugonem de S. Victore, Turpinum, Ottonem Frisingensem, Guidonem de Basochis, Helinandum, Gvilelmum Malmesburiensem, Luitprandum, et Baldricum, citatur pag. 341 et aliis pluribus locis ab Anno 1163 ad 1223 etiam Albericus. Confer, quae notavit Jacobus le Long in Bibliotheca Historicorum Galliae num. 7103 pag. 355 seq. Diligentem in eclipsibus annotandis observavit Chifletius de Anastasi Childerici pag. 25. Vide etiam Muratorium tomo V. Scriptorum Italiae pag. 137. Labbeus in Catalogo MSS. pag. 13 monet hoc Alberici Chronicon utile perquam esse digerendis nobilium Galliae ac Germaniae familiarum genealogicis tabulis. Carolus de Visch in Bibliotheca Ordinis Cisterciensis testatur Alberici hujus *poëticam* MStam extare apud Dominicanos Coloniae, adponitque hoc ejus initium: *Multa viri veteres.*

ALBERICUS *Veerus,* ex Comitum Oxoniensium familia, circa An. C. 1250 in Bonaclea villa Trenovantum tribus a fano Osithae milliaribus dissita scripsit libellum *de genere, vita et coenobio D. Ositae,* quem multis laudibus effert Joannes Lelandus cap. 247 ex eoque ait, se didicisse bonam partem antiquitatis Ostrosaxonici littoris, ac etiam Boccaniae, qua vallis Æilleburiana subsidet.

ALBERIUS, qui Petri Neapolitani Archi-Episcopi jussu circa An. C. 1230 scripsit *vitam S. Aspreni,* sive *Asprenatis,* primi, ut ajunt Napolitani, temporibus Apostolicis Episcopi, editam ab Ughello tomo VI. Italiae sacrae pag. 19 editionis novae Venet. 1717 fol.

ALBERTANUS, Caussidicus Brixiensis, Friderico Ænobarbo Brixiam An. C. 1162 obsidente scripsit librum *de doctrina dicendi et tacendi, deque virtutibus diligendis et vitiis fugiendis.* Prodiit Daventriae 1490. 4 et Lipsiae 1491. 4 Meminit et libri a se compositi *de amore et dilectione DEI aliarumque rerum, deque forma vitae.*

* Librum de *amore et dilectione Dei et proximi* scribebat Albertanus anno 1238 cum carcere detineretur Cremonae a Friderico II Imperatore Brixiam tunc obsidente. Ita legitur in adnotatione MS. adiecta Codici Taurinensi, in quo opus illud Albertani legitur. In alio Taurinensi Codice 762 servatur eius liber consolationis et consilii, quem scribebat ut ibi legitur *an. 1246 mensibus aprilis et maji.* Nevizanus in sylva nuptiali lib. V pag. 92 edit. Lugduni anni

1526 provocat ad Albertum *de uxore eligenda*: sed iste est titulus Cap. XXIII libri *de amore Dei et proximi*. Muratorius antiq. med. aev. tom. III, pag. 919 in codicibus Ambrosianis notat legi *Albertani de S. Agatha* vicus est Brixiensis) librum *de doctrina loquendi, et tacendi* an. 1245 mense Decembris composuisse. Denique eius operibus addit librum *de forma vitae. De amicis rebusque corporalibus. De amore rerum in corporalium* Tria illa opuscula *De dilectione Dei et proximi. De consolatione et consilio. de doctrina dicendi et tacendi*, sub ipsa auctoris aetate Italice versa typis vulgata sunt Florentiae 1610 et Mantuae 1732 in 4.

(5 Et denuo juxta MS. Cod. Pistoriensem. an. 1278. *Firenze, Allegrini e Mazzoni* 1832, 8 cur. cl. v. Sebastiano Ciampi.

ALBERTINUS *de Mantua*, Theologus Augustinianus circa An. C. 1400. Hujus *librum de corpore CHristi* laudat Philippus Bergomas libro sexto Chron. pag. 124, ubi de urbe Mantua.

ALBERTINUS Ord. Minor. cujus sermones quadragesimales et de Sanctis a Waddingo et aliis commemorantur.

ALBERTINUS *Mussatus*, sive *Muxatus*, Simlero *Mixtatus*, Patavinus, exercitum duxit in bello Patavino adversus Canem Scaligerum Veronensem An. C. 1318. Historicus et Poëta insignis, et lauro etiam Apollinari decoratus, quem digno elogio mactat Vossius libro III. de Historicis Latinis. Obiit exul An. 1329. Ejus Historia Augusta *de gestis Henrici VII.* Imperatoris, *libris XVI. et de gestis Italicorum post Henrici VII. mortem*, h. e. ab Anno 1313 ad 1329 *libri XII.* nec non *Ludovicus Bavarus* ad filium. Tum Tragoediae duae, *Eccerinis*, sive de tyrannide Eccerini, sive Acciolini de Romano castro Trevisano, Veronensis, funestoque ejus exitu An. 1259 et *Achilleis*, aliaque poëmata, *Epistolae* nimirum, *elegi, soliloquia, eclogae, Cento Ovidianus* ad filium, et fragmenta, prodiere Venetiis 1636 fol. recensiti a Felice Osio, et post eum A. 1631. Patavii defunctum vulgati cum ejus et Nicolai Villani notis, speciminеque Laurentii Pignorii: quae editio repetita in Thesauro Italiae, Lugduni Batavorum 1722 fol. tomo VI. parte 2 et (exceptis tragoedia Achilleide, caeterisque poëmatibus ab historia alienioribus) in tomo decimo corporis Scriptorum Italiae Mediolanensis tomo X additis etiam variis lectionibus Codicum MSS. Biblioth. Estensis et Ambrosianae. Mediolani 1727 fol. Caetera ejus, nescio an edita *liber de lite Naturae et Fortunae*, sive de ordine causarum fatorumque serie: *Libri III.* carmine heroico scripti *de bello*, quod a *Patavinis* gestum esse dixi adversus Canem Scaligerum.

ALBERTUS, sive ALBERICUS, *Aquensis* in Gallia Ecclesiae Custos, scripsit ex fide eorum, qui praesentes interfuere, Historiam accuratam Hierosolymitanae expeditionis, sive *de passagio Godofredi de Bullione et aliorum Principum* usque ad Annum secundum Balduini II. sive ab Anno C. 1095 ad 1121 libris XII. qui sine nomine auctoris primum editi, cum chronologia Henrici Meibomii, a Reinero Reineccio, Helmstadii 1584. 4 sub titulo: *Chronici Hierosolymitani de bello sacro.* Deinde auctori suo restituti, in Jacobi Bongarsii gestis DEI per Francos tom. I, pag. 184–381. Hanov. 1611 fol. Nomen auctoris primus prodidit David Hoeschelius praefat. ad Annae Comnenae Alexiadem scripta A. 1610.

ALBERTUS *Argentinensis*, Presbyter scripsit *Chronicon* ab An. C. 1270 ad 1378 sive a Rudolpho primo Habsburgico ad excessum Caroli IV. Imperatoris, editum usque ad Annum 1349. Basileae et cum Ottone Frisingensi 1553 1569 fol. et melius integriusque usque ad An. 1378. tom. II Urstisii p. 74. Francof. 1585 1670 in fol. Ejusdem etiam, ut videtur, *de rebus gestis Bertholdi e Comitibus a Buchek*, Episcopi Argentinensis, usque ad Annum 1353 apud eundem Urstisium tom. II, pag. 97.

ALBERTUS *Arnhemius, Carthusianus*, vide infra *Albertus Kivet.*

ALBERTUS a *Bonstetten*, Teutonicus Augustinianus, scripsit *Vitam Nicolai Tollentini*, Augustiniani eremitae, defuncti An. C. 1306 obviam sine auctoris nomine apud Surium 10 Septembris. Ejusdem, ni fallor, *Historiam utriusque Pannoniae*, sive Austriae et Styriae ad Caesarem Maximilianum I memorat Philippus Elsius in encomiastico

Augustiniano pag. 22. Haec est *Historia Austriaca* Anno 1491 composita et MSta in Bibliotheca Caesarea Viennensi. Vide Lambecium tom. II, pag. 4.

ALBERTUS *Brixiensis*, discipulus S. Thomae, cujus summam *de Casibus Conscientiae*, et alteram *de Sacerdotum instructione*, in quatuor partitam libros, et *sermones* varios memorat Possevinus in apparatu p. 22, usque ad A. 1314 superstitem Albertum hunc fuisse testatus.

De ALBERTO, Duce *Brunsvicensi* et Episcopo Halberstadiensi XIX circa An. C. 1349 narratio Historica tomo II Meibomii pag. 379.

ALBERTUS. *Carthusianus* Vide *Albertus Kivet*.

ALBERTUS, nescio quis, Monachus, qui ab Anonymo Mellicensi cap. 77. *Computista* incomparabilis exititisse, et libellum insignem *de computi regulis* scripsisse traditur.

ALBERTUS *Crantzius*, Magister Theologiae, Juris Canonici Doctor, Decanus et Syndicus Hamburgensis, doctrina, probitate et meritis inclytus, defunctus 7 Decembris An. C. 1517, de quo non repetam, quae dicta tom. II Memoriar. Hamburgensium pag. 785 sq. Effigies ejus praemittitur vitae scriptae a B. D. Nicolao Wilkens, Archivario Hamb. et Germanice editae 1722 et 1729, 8vo, cui etiam ex MS. subjunctum Crantzii *Defensorium Ecclesiae*. In eadem Vita de scriptis Crantzii eorumque editionibus diligenter disseritur, cui addi possunt Joannis Fabricii Helmstadiens. Bibliotheca tom. III, pag. 37, et Joannis Hubneri Bibliothecae Historicae Centuria I statim in limine. Scriptorum Historicorum Crantzii, post mortem auctoris demum vulgatorum, quae deinde *David Chytraeus* laudato studio continuavit, melior editio est Wecheliana, Francofurti 1575 fol. in qua *Wandaliae* libri XIV *Saxoniae* libri XIII. Regnorum Aquilonarium Historia *Daniae* libri VIII. cum *noni* initio. *Svediae* libri V cum initio *sexti*. *Norwegiae* libri VI. *Metropoleos*, sive Historiae Ecclesiarum Saxoniae vicinarumque regionum ab A. C. 780 ad 1504 libri XII una cum *Appendice* et *Confutatione Legendae de Benedicto IV* et *de Martyribus in Ebbeckstorp*. Singulare a Crantzio *de Vita S. Ansgarii* scriptum, praeter ea, quae de illo in Metropoli habet, compositum fuisse non crediderim. Caeterae ejus lucubrationes, praeter *Libellum Visitatorum* A. 1508 et 1514 qui calamo exaratus est in quorundam manibus, haec in notitiam meam venere: *Opusculum*, sive libellus *de instititione Sacerdotum ad Officium Missae*. Hamburgi et Rostochii 1506, 4. *Ordo Missae secundum ritum Ecclesiae Hamburgensis* Argentorati 1509 fol. *Formulae precum*, obviae in Cursu de Domina, edito Rostochii 1522, 12. et in tomo IV Memoriarum Hamburgensium pag. 127. *Consilium de Ordine et Privilegiis Creditorum in bonis suorum Debitorum*, in Laurentii Kirchovii tomo IV Responsorum Juris per JCtos Germaniae, Francofurti 1578 fol. *Institutiones Logicae*, Lipsiae 1517, 4 ut ineditos ejus in varia Aristotelis scripta commentarios, obvios in Paulina Lipsiensi praeteream.

ALBERTUS *Crummendiek*, Holsatus, Episcopus ab An. C. 1467 Lubecensis. qui septuagenario major An. 1489 diem obiit. Scripsit *Chronicon Episcoporum Aldenborgensium et Lubecensium*, a temporibus Magni Ottonis usque ad An. 1467, quod cum continuatione Anonymi usque ad Annum 1505 edidit H. Meibomius tom. II Scriptorum Germaniae pag. 389. In illa continuatione de Alberto hoc plura leguntur pag. 483 seq.

ALBERTUS *a Drepano*, Siculus, Carmelita, obiit Messanae An. 1307. Scripsit *Instructiones sacras*, *Regulamque Ordinis sui*, et *de ejusdem progressu*: nec non *de timore DEI*, *de potentia*, *de mundi contemtu*, *de fallaciis Diaboli* et *Homilias sacras*. Vide Marci Antonii Alegre de Casanate paradisum Carmelitici decoris pag. 278.

ALBERTUS *de Eiib*, J. U. D. et Pii II cubicularius, Bambergensis et Eystetensis Ecclesiarum Canonicus circa A. 1460. Scripsit *Margaritam Poëticam* in qua digessit praecepta et sententias ex Philosophorum, Historicorum, Oratorum, Poetarum veterum et recentium libris collectas, quae ad artem bene dicendi rectamque vivendi formulam conducunt. Prodiit opus non contemnendum et dicatum Joanni Monasteriensi Episcopo et Bavariae Duci. Norimbergae 1472 fol.

per Joannem Sensenschmid: tum Romae 1475 fol. per Udalricum Gallum, et Basileae 1495 per Joannem Amerbachium. Indicem Scriptorum, e quibus opus suum collegit, ab ipso auctore ad calcem libri descriptum, juvat apponere, cum singularia quaedam contineat, et loca quaedam veterum Scriptorum emendatius interdum in hac margarita referantur, ut contulisse sit quandoque pretium operae.

Pars etenim quae praeceptorum est, quinquaginta rhetoricae artis prae se fert documenta limatissima, quae ex clarissimorum oratorum Gasparini Barsicii *Pergamensis*, et Stephani Flisci *Soncinensis libris recepimus accommodata. In quibus demonstratur qua ratione litteras, qua syllabas, qua etiam dictiones in oratione observare debeamus, et qua denique ratione negligere moneamur, quo item ordine ornatam, concinnam, splendidam ac resonantem contexere, necessariis amplificationibus exaggeratam orationem efficere valeamus. Quas profecto adornandi stili rationes, ac multiplicandae orationis inventiones, per omnes octo grammaticae orationis partes, atque per ipsarum genera et species particulariter pertractavimus et inscripsimus diligenter. Partem autem quae clausularum est, in bina protendimus membra. Primum quidem membrum ex praedictorum* Gasparini et Flisci *clausulis desumpsimus, et juxta Rhetoricae orationis partes, quae sunt Exordium, Narratio, Divisio, Confirmatio, Confutatio, Conclusio ordinavimus congruenter. Reliquum vero clausularum membrum ex clarissimorum* Marci Tullii Ciceronis, *ejusdem* Gasparini, Leonardi Aretini, Poggii *Florentini*, Guarini *Veronensis*, Balthasaris Rasini *praeceptoris optimi*, Francisci Philelfi, Antonii Panormitae, Nicolai Perotti, *et aliorum nostra aetate oratorum, epistolarum libris accommodavimus: Et per Rubricas sive titulos quatuordecim nova quadam et laboriosa admodum terminavimus inventione, ubi sub Rubrica de Parenthesi, quam minus dotatam dedimus, nonnulla nonnullorum poetarum carmina* Virgilii, Juvenalis, Persii, Ovidii, Statii, Prudentii, Valerii Marcialis, Maximiani, Aviani, Pamphili, Tibulli, Æsopi, *et aliorum quae nonnunquam Parenthesis occupant locum, intermediavimus quam rectissime. Et his primam nostri instituti absolvimus partem. Nuncnunc secundam nostri Codicis partem, quae ex auctoritatibus constat et orationibus, in medium vocare necesse est. Et quidem pars auctoritatum, quae duo de viginti auctores prae se fert celeberrimos, hoc modo in nostram prorumpit palaestram. Nam imprimis sunt* Marci Tullii Ciceronis *ex libris officiorum auctoritates: Ejusdem de Amicitia, de Senectute, de Paradoxis, de quaestionibus Tusculanis*, de veteri Rhetorica, et de nova: *Et de libris orationum ejusdem. Deinde auctoritates* Lactantii Firmiani *ex novem libris divinarum institutionum, in quibus plus solito et profecto praeter spem fimbrias dilatavi, ut esset, in quo hic liber et Theologis et Philosophis suppeditare posset. Insuper* Macrobii *super somnium Scipionis, et de libris Saturnalium ejusdem. Item* Lucii Apuleji *de Magia, de Asino aureo, de libris floridorum, de Deo Socratis, de natura Deorum, de dogmate Platonis, et de habitudine mundi. Item* Pauli Orosii de Ormesta. Victurini de Architectura. Quinti Curtii Rufi *de gestis Alexandri.* Julii Celsi *de gestis Caesaris. Item* Valerii Maximi *historiographi.* Laertii *de vitis et moribus Philosophorum. Apophtegmata* Plutarchi. *Liber remediorum ejusdem* Petrarchae *adversae et prosperae fortunae. Item ex* Terentii *Afri comoediis quae sunt Andria, Eunuchus, Heautontimorumenos, Adelphi, Ecyra, et Phormio, familiares elocutiones. Item ex* Plauti Comoediis usitatis, *quae sunt Amphitruo, Asinaria*, duo captivi, *Curculio, Cassina, Cistellaria, Epidicus, et Aulularia, singulares dicendi commoditates. Et ex ejusdem* Plauti Comoediis inusitatis et noviter repertis, *quae sunt* Mustellaria, Persa, Rudens, Stichus, Trinummus, Truculentus, Miles gloriosus, Mercator, Pseudulus, Poenulus, Bacchis, Menechmus, *Sermones lepidissimi. Item ex tribus* Comoediis extraordinariis, *quae sunt* Philodoxios, Falsus hypocrita, Philogenia, *confabulationes risu dignissimae. Et postremo* Senecae *Tragici flores, qui hanc auctoritatum partem aptissime terminant atque claudunt.*

ALBERTUS *Engeschalc*, Theologus Pari-

siensis sub Gregorio XII circa A. C. 1407 Cujus *aureum speculum* laudat Theodoricus Engelhusius.

ALBERTUS *Floriacensis*, vide supra, ADREVALDUS.

ALBERTUS *Frisingensis*, Episcopus, qui An. 1359 obiit, Scriptor *Vitae* Sanctorum *Kiliani* Episcopi Wirtzburgensis, *Colomanni* Presbyteri, et *Totnani*, Martyrum An. C. 689. In Actis Sanctorum 8 Julii tom. II, pag. 966 in Joannis Petri Ludewig. Scriptoribus Witzburgensibus pag. 966 et in Canisii Lectionibus Antiquis tom. IV, pag. 628 et editionis novae tom. III, pag. 171. Canisium eam tribuebat *Egilwardo* Monacho Scriptori vitae S. Burchardi, quoniam qui vitam trium illorum composuit, etiam S. *Burchardi* vitam promittit. Sed a pluribus hanc scriptam ipse Canisius non diffitetur.

ALBERTUS *Galeotti*, sive *Galioti* Parmensis, JCtus, Mutinae docuit post Saeculi XIII initia, cujus *Summulam*, sive *Margaritam Quaestionum et Declarationem Judiciorum* celebrat Trithemius cap. 443. Harum declarationum ansam petitam ex Gvilelmi Droretae Tractatu de judiciorum Ordine, notat Gvido Pancirollus II, 39 de claris Juris Interpretibus, qui etiam II, 35 memorat ALBERTUM JCtum Bononiensem filium Odofredi JCti, defuncti Anno 1265.

* Non alium esse credo libellum hic indicatum a Fabricio, quam summam *de quaestionibus Canonicis* servatam in MS. Codice 208 Bibliothecae Felini.

ALBERTUS, Abbas *Gemblacensis*, vide infra *Lobiensis*.

ALBERTUS, *Gvilelmi* ex Duce Aquitanico magni Eremitae, discipulus, cujus Anno 1137 defuncti *vitam* scripsit, editam in Actis Sanctorum 10 Februarii. Conferenda Gvilelmi de Waha, Melreusii, S. I. explanatio vitae S. Gvilelmi Magni, edita Leodii 1693, 12. Acta Eruditorum 1694, pag. 164.

Anonymi narratio historica de rebus gestis ALBERTI ex Ducibus Brunsvicensibus Episcopi *Halberstadensis*. Vide supra, *Brunsvicensis*.

ALBERTUS de Bickmersdorf Saxo, ex Doctore Parisiensi *Halberstadensis* ab A. 1365 Episcopus, qui praeter commentarios in libros sententiarum et in quosdam libros Aristotelis, varias Divinae Scripturae quaestiones traditur enucleasse. Vide Possevinum.

ALBERTUS *Hierosolymitanus* Patriarcha, infra, *Vercellensis*.

ALBERTUS *de Horto Christi*, Carthusianus, cujus *Tractatum de Matrimonio* ad instantiam Oswaldi, qui Ducis Ernesti Consiliarius fuit, compositum, et *Sermones* capitulares de tempore et sanctis, MSS. commemorat Bernardus Pezius tom. III Anecdótorum parte III, p. 630.

ALBERTUS, *Joannis*, Harlemius Carmelita, defunctus An. 1496. Cujus *Lecturas in Ecclesiasticum, in Canonicam Joannis primam, Sermones, et in Magistrum Sententiarum Quaestiones* memorat Valerius Andreas, quem nescio, quare Valerium Taxandrum nuncupet Alegre pag. 373 paradisi Carmelitici.

ALBERTUS Arnhemius, cognomento KIVET, Carthusianus in Insula Reginae Coeli apud Wesaliam, defunctus An. 1444. Auctor *Referendarii Exemplorum* VII distinctionibus partiti. Vide Sweertium pag. 113 et Valerium Andream pag. 36.

ALBERTUS *Leodiensis*, Monachus, quem Cangius An. 880 notat vixisse, idem est cum Lobiensi, de quo mox, sed quem Saeculo integro juniorem Vossius recte annotavit. Alius ALBERTUS a Limborgh *Leodiensis*, Protonotarius Apostolicus et ad S. Paulum Decanus, qui teste Valerio Andrea A. 1627 obiit, panxitque heroico carmine fundationem Collegii S. Pauli, cum Decanorum continua successione ab Anno 1168 ad 1622. Leodi 1622, 4.

ALBERTUS, sive OLBERTUS, ex Monacho Benedictino *Lobiensi*, Leodinensis Dioecesis, Abbas Gamblacensis circa A. C. 980 praeceptor Burchardi Episcopi Wormatiensis, cui auctor fuit ad magnum Canonum Volumen componendum. Sigebertus Gemblacensis c. 143 eum ait *Nomen suum aeternasse, vitas Sanctorum Patrum describendo et cantus in honorem Sanctorum componendo*. Eodem ex Sigeberto haec Trithemius cap. 308 de Scriptor. Eccles. et II 71 illustrium Benedictinorum.

ALBERTUS *Grotus*, a) sive *Magnus*, Teutonicus, Lavingensis Svevus, Ord. Praedicatorum Doctor Parisiensis b) A. 1236 inde Coloniae docuit discipulum inter alios nactus Thomam Aquinatem. Episcopus ab Anno 1260 Ratisponensis, in Monasterium Coloniense rediit An. 1263, ibique inter litteras consenescens obiit An. 1280, 15 Novembris, aetatis 75. *Implevisse orbem octingentis Voluminibus, satis unum omnibus Bibliothecis,* scripsit in ejus Elogio Petrus Labbe. Ex his pleraque tulere aetatem, atque partem inedita adhuc feruntur, multa exstant in editione Operum Alberti, quam adornavit Petrus Jammy, Ord. Praedicator. Lugduni 1651 tomis XXI in fol. Quae in his tomis extant, referam adscriptis ad pleraque singula prioribus editionibus.

Tomo I continentur

Vita B. Alberti Magni.

De Praedicabilibus, Tractatus IX.

De decem Praedicamentis, Tractatus VII.

De sex Principiis Gilberti Porretani, Tractatus VIII.

In libros duos Aristotelis *de Interpretatione*, sive peri hermenias, Tractatus VII.

De Syllogismo simpliciter, id est, super Priorum Analyticorum, Tractatus VII.

De Demonstratione, id est, in Posteriorum Analyticorum librum, Tractatus X.

Super *Topicorum* libros VIII.

Super libros duos *de Sophisticis Elenchis.* Haec Alberti *Logicalia* lucem viderant Venet. 1494, 1500 fol.

Tomo II continentur:

In libros octo *de Physico auditu*, ex edit. Venet. 1488. fol. 1494, 1496.

De Coelo et Mundo lib. IV. Venetiis 1480 fol.

De Generatione et Corruptione libri II ibidem.

De Meteoris libri IV ibid.

De Mineralibus libri V ex veteri editione sine loco et anno, Augustana 1519. Argentinensi 1541 fol. ut Italicam Petri Lauri versionem omittam, editam Venetiis 1557, 8.

Tomo III

De Anima libri tres.

Metaphysicorum libri XIII ex edit Venet. 1494, 1498 fol.

Tomo IV

Ethicorum Nicomachiorum libri X.

Politicorum libri octo, ex edit. Venet. 1520 fol.

Tomo V

Parva Naturalia, ex edit. Venet. 1517 fol. hoc est:

1 *De sensu et sensato lib. I.*

2 *De Memoria et Reminiscentia lib. I* ubi Tractatus III agit de Divinatione et Prophetia.

3 *De Somno et Vigilia lib. I.*

4 *De Motibus animalium libri duo.*

5 *De Ætate, sive de Juventute et Senectute lib. I.*

6 *De Spiritu et Respiratione libri duo.*

7 *De Morte et Vita lib. I* ubi Tractatu 2 disserit de longitudine et brevitate Vitae.

8 *De Nutrimento et nutribili lib. I.*

9 *De Natura et origine Animae lib. I.*

10 *De unitate Intellectus, contra Averroen lib. I.*

11 *De Intellectu et intelligibili libri duo*, ubi tractatu II agit de naturali perfectione intellectus.

12 *De Natura locorum lib. I.* Viennae 1514. Neap. 1592, 4.

13 *De causis et proprietatibus Elementorum lib. I.*

14 *De Passionibus Aëris lib. I.*

15 *De Vegetabilibus et Plantis lib. VII* quod opus laudans Joannes Nyder IV, 6 fornicarii, Albertum *Naturae totius Secretarium* appellat.

a) Ita appellat Vives, unde nomen familiae fuisse suspicatur clarissimus Heumannus in Conspectu Reipublicae Litterariae editionis novae cap. IV. § 42 et in Actis Philosophorum XVII, pag. 756 ubi etiam Alberti Epitaphium.

b) Bulaeus tomo III. Historiae Academiae Paris. pag. 162 Iconem Alberti aere nitide sculptam exhibet Bullartius t. II. Academiae Scientiar. editae Gallice p. 145. Plura de eo post Altamuram Jacobus Quetif tomo I de Scriptoribus Dominicanis pag. 162 seq. Raderus in Bavaria Sancta etc.

16 *De Principiis motus progressivi lib. I.*
17 *De Processu Universitatis a Causa prima lib. I.*
18 *Speculum Astronomicum*, quod Rogero Baconi alii malunt tribuere, in quo de libris licitis et illicitis pertractatur. Prodierat Venet. 1571 et Lugduni 1615 fol.

Tomo VI continetur:

Opus insigne de Animalibus, libri XXVI qui lucem viderant Romae 1478 ad Sixtum IV. Mantuae 1479. Venetiis 1480, 1495 et ex M. Antonii Zimarae recognitione Venet. 1519 fol. et ex libro XXIII Tractatus de Falconibus, Asturibus et Accipitribus. Augustae Vindel. 1596, 8. Ex libro IX et X de formatione hominis in utero. Antwerpiae 1538, 8.

Tomo VII

Commentarii in Psalmos.

Tomo VIII

Commentarii in Threnos Jeremiae.
Commentarii in Baruch.
Commentarii in Danielem.
Commentarii in XII. Prophetas Minores. ex edit. Colon. 1536 fol.

Tomo IX

Commentarii in Matthaeum.
Commentarii in Marcum.

Tomo X.

Commentarii in Lucam.

Tomo XI

Commentarii in Joannem. Prodierant in IV Evangelia, Haganoae 1504, 1505, 1506 fol. 3 Voll.
Postillatio, sive *Commentarii in Apocalypsin*, ex edit. Bernardi de Lutzemburg. Basileae 1506, 4 per Magistrum Jacobum de Pforczen.

Tomo XII continentur:

Sermones de Tempore.
Orationes super Evangelia Dominicalia totius Anni.
Sermones de Sanctis. ex editione Reutlingensi, nec non Coloniensi 1474 fol. Mogunt. 1616, 8. Cracov. 1649, 4.
Sermones XXXII de Sacramento Eucharistiae. ex editione sine loco et anno, et altera Mogunt. 1477 fol. et 1615, 8. Hos partim sub falso *Thomae Aquinatis* nomine editos esse inter ejus Opuscula LVIII notat Natalis Alex. tom. VII pag. 141.
Liber de muliere forti, ad cap. 31 Proverb.

Tomo XIII

Commentarii in B. Dionysium Areopagitam.
Compendium Theologicae veritatis, libris septem digestum, et rectius referendum ad Hugonom Argentinensem.

Tomo XIV

Commentarii in librum primum Magistri Sententiarum.

Tomo XV

Commentarii in II et III libros Sententiarum.

Tomo XVI

Commentarii in librum IV Sententiarum. ex edit. Basil 1506 fol.

Tomo XVII continetur:

Prima Pars Summae Theologicae.

Tomo XVIII

Secunda Pars Summae Theologicae. ex edit. Basil. 1507 fol.

Tomo XIX

Summa de creaturis, divisa in duas Partes, quarum.
Prima est de quatuor coaevis, materia prima, tempore, Coelo et Angelo.
Secunda est de Homine. ex edit. Venet. 1498, 1519, fol.

Tomo XX

Mariale, sive *Quaestiones CCXXX super Evang.* Missus est ex editione Mediolan. 1489. Colon. 1507, 4.
De Laudibus Beatae Virginis libri XII. Argentin. 1493 sine nomine Auctoris. Colon.

1493 fol. Hos alii ad Richardum a S. Laurentio referunt, sub cujus nomine prodiere Duaci 1625, 4. Vide infra in Richardo, et Lambecium tom. II, pag. 776 seq.

Biblia Mariana, in quibus omnia fere, quae in sacris libris continentur, Beatissimae Mariae Virgini superstitiose adaptantur, primum impressa Coloniae Anno 1625 8.^ve, studio Vincentii Justiniani Ordinis Praedicatorum Theologi, ex Codice MS. Susatensi. Vide Diarium Theologicum *Unschuldige Nachrichten*. An. 1728, pag. 561 et quae notavi in Indiculo Mariano.

Tomo XXI atque ultimo continentur:

Miscellanea, sive.

De Apprehensione, et apprehensionis modis lib. I ex edit. Lond. 1515, 8.

Philosophia Pauperum, sive Isagoge in libros Aristotelis de Physico auditu, de Coelo et Mundo, de generatione et corruptione, de Meteoris, et de Anima. ex editione Brixiensi 1493 et Veneta 1496.

De Sacrificio, sive Officio Missae lib. I.

De Sacramento Eucharistiae lib. I ex edit. Mogunt. 1477 fol.

Paradisus animae, sive, de Virtutibus libellus. ex edit. Antwerp. 1489, 4 Colon. 1498, 4. Antwerp. 1602, 12, ut alias omittam et versiones memoratas Hendreichio pag. 186 b, pandect. Brandenb.

De adhaerendo Deo libellus. Antw. 1621, 8 et cum priore Antw. 1581 forma minore.

De Alchymia libellus. ex edit. Basil. 1516 et Ursellis 1602, 8.

Scriptum super arborem Aristotelis.

Omissa in hac editione Alberti scripta, nondum excusa maximam partem recenset Jacobus Quetif tom. I. Bibliothecae Dominicanorum pag. 179-183. Idem indicem Operum Alberti vulgatum a Petro Louvet, Divionensi, alterum juxta materiarum, alterum juxta litterarum ordinem Paris. 1642, 4 notat parum accuratum esse. Ex editis, quae separatim prodiere, sunt: *Dialogi sex de conditione creaturae rationalis*, et quae illi sunt ad DEUM, seipsam et alias creaturas cognoscendas necessaria. Ambergae 1705, 12 editio secunda auctior. *Liber de secretis secretorum*, sive, *de secretis mulierum* saepe editus, sed suppositus Alberto, qui plus simplici vice in eo citatur. *De origine et immortalitate animae*, Norimbergae 1493, 4. *De doctrina dicendi et tacendi*, Parisiis 1491. *Liber aggregationum*, sive, *secretorum de virtutibus herbarum, lapidum et animalium*, Neap. 1493, 4 et cum opusculo *de Mirabilibus Mundi*, Alberto supposito, Francofurti 1614, 12 etc. *De secretis naturae*, seu *de Physionomia*, libellus qui Michaelem Scotum potius habet auctorem. Commentarios Alberti in Lucam memorans Henricus Gandavensis cap. 43 qui exstant tomo X, adjungit: *Ut salva pace ejus dictum sit, sicut a quibusdam dicitur, dum subtilitatem saecularis Philosophiae nimis sequitur, splendorem aliquantulum Theologicae puritatis obnubilat.*

A Magiae tamen et Necromantiae crimine Albertus merito absolvitur, a Trithemio tom. II Annal. Hirsang. pag. 40, Jo. Francisco Pico Mirandulano, Gabr. Naudaeo aliisque: quanquam Johannes Gerson in Trilogio Astrologiae Theologizatae tom. I Operum editionis novae pag. 201 eum in approbatione quorundam librorum Astronomiae, nimis ad partem superstitionum ratione carentium declinasse arguit.

Quem Altamura in Bibliotheca Dominicana Anno 1677. Romae edita pag. 55 scripsit repertum esse alium tomum scriptorum Alberti, quamprimum dandum typis, is necdum in dias luminis auras prodiit.

Beatificati Alberti festum colitur die 15 Novembris in Ratisbonensi et Coloniensi Ecclesia, ut notavit Ludovicus Bertrandus Loth in Catalogo fratrum Ord. Praedicatorum, qui Sacram Scripturam illustrarunt, praemissa Gvil. Pepini expositioni in Genesin, Duaci 1634, 4.

* In MS. Cod. Bibliothecae Riccardianae extant *Excerpta de naturali historia ad medicinam pertinente*, in fine cuius opusculi haec leguntur: *Expliciunt scripta seu experimenta F. Alberti* (Magni, ut conjicio) *inscriptis eius super libros naturales compilata a Magistro Paulo de Limogiis.* Vide Catalog. eiusdem Biblioth. pag. 10. Liber eius *Philosophia pauperum* an. prodierit Brixiae an. 1493 ignoro. Illud profecto mihi oculato testi constat operis Alberti inscripti: *Phi-*

losophia naturalis, quod idem esse cum *Philosophia pauperum* vix dubito, editionem esse Brixianam anni 1490 in 4 presbytero Baptista de Farfengo impressore. Ex tom. VI, 346.

(6) Novit Audifredius pag. 165 pulchriorem et auctiorem editionem an. 1493 itidemq. Brixianam a Fabricio memoratam.

Alius ALBERTUS *le Grand*, Morlacensis (de Morlaix) Britanniae minoris opido, itidem Dominicanus, sed longe recentiori aetate, qui Nannetis An. 1637, 4. Gallice edidit Vitas et miracula Sanctorum Britanniae Aremoricae, recusa deinde auctaque ab aliis A. 1659, 1680.

ALBERTUS *Marchesius*, Cotoniolae in Æmilia, sive Romandiola natus et An. 1531 defunctus, a Possevino traditur scripsisse *Colloquium morale*, aliis *Centiloquium*, rectius *Coeliloquium* libris VIII distinctum. Prodiit Bononiae 1529.

ALBERTUS, Monachus (S. Symphoriani) *Metensis* Ord. S. Benedicti circa An. 1030 Scripsit ad Episcopum suum Historiam de gestis sui temporis, etsi brevem, tamen utilem, ut ex Sigeberti Gemblacensis c. 143. Trithemius cap. 329 et II, 78 illustrium Benedictinorum. Hoc esse puto Alberti, sive, ut titulus habet, Alperti de diversitate temporum ab Ottonis III obitu Anno 1002 ad Annum 1018 ad Burchardum Episcopum Wormatiensem, quod exstat in Joannis Georgii Eccardi Corpore Historico medii aevi pag. 91 - 132. Possevinus etiam ejus Chronicon ab initio Mundi usque ad An. 1038 commemorat, adhuc ineditum, ut existimo.

ALBERTUS *Monachus*, quem Computistam incomparabilem existitisse et de computi regulis libellum insignem scripsisse testatur Anonymus Mellicensis c. 77.

ALBERTUS *Narbonensis* circa An. 1489 Carmelita, quem Alegre pag. 367 notat scripsisse *in Magistrum Sententiarum* libros IV et *Determinationum librum*.

ALBERTUS *Nichtmann* de Lippia, cujus prosodia metrice scripta cum commentario exstat MS. in Bibliotheca illustris Abbatiae Quedlinburgensis, hoc initio:

De variis metris si littera prima notetur,
Albertus Nichtmann de Lipque pia retinetur.

Vide v. c. Tobiae Eckhardi notitiam Codicum MSS. Quedlimburgensium p. 37.

ALBERTUS *Patavinus*, Ægidii Romani, teste Trithemio cap. 531 discipulus, et ab Anno Christi 1293 Augustinianus, Parisiis et Patavii docuit, obiitque An. 1323. Ejus *Sermones* in Evangelia Quadragesimalia et de Tempore, prodiere Parisiis 1544, 1550, Venet. 1584. In Evangelia Dominicalia et Sanctos, Parisiis 1550, 8. Sermones in Festum Nativitatis et Purificationis B. Mariae, in Bibliotheca Virginea Petri de Alva et Astorga. Madrit. 1648 fol. *Commentarii in Pentateuchum, IV Evangelia, Paulique Epistolas* a Patavinis MSti servantur, qui marmorea statua memoriam ejus honorarunt, in qua etiam *Commentarii* ejus *in librum Sententiarum* celebrantur. Vide Philippi Elsii Encomiasticum Augustinianum pag. 23. Portenarii Patavium pag. 452. Scardeonium pag. 147 et Nicolai Comneni Historiam Gymnasii Patavini tom. II pag. 154, qui ex Portenario ei quoque tribuit *Commentarium de Paradiso terrestri*, nec non *libros de Praedestinatione et Reprobatione*.

* Alberti Patavini Augustiniani doctoris Parisiensis *in Evangelia totius anni Dominicalia inque Evangelia SS. aliquot utilissimae conciones* in 4 Taurini in aedibus Antonii Ranoti civis Taurinensis die XIX Februar. an. 1529. Editionem hanc curavit F. August. M. Perachinus Taurinus eremita Augustin. in congreg. Lombardiae, qui in praefatione adiecisse se ait singulis concionibus *Evangelicum textum, ac textui quaedam ex Batavi Ciceronis* (Erasmi credo) *in Novum Testamentum adnotationibus*.

Sermones in Evangelia Quadragesimalia prodiere primo Venetiis in 8 an. 1523 typis Jacobi Pentii de Leucho. Editionem curavit F. Valerius Bononiensis Ord. S. August. qui in praefatione testatur Albertum ortum duxisse an. 1282 sacras vestes Augustinianes induisse an. 1293. habuisse conciones ad Papam et principes, commentarios scripsisse in *Pentateuchum et Pauli epistolas omnes*, tum et commentarium *in librum Sententiarum*; obiisse tandem anno aetatis suae 46 adeoque an. 1328. Ibi pariter commemorat viros quosdam doctos Augustinianos eiusdem

aetatis, inter quos est Bonseblaum, et Bonaventuram ex Perusina familia Patavinos; quem Bonaventuram post supremos ordinis sui dignitates gestas tandem Cardinalem S. R. E. tit. S. Caeciliae renunciatum affirmat; denique cum strenue defendisset libertatem ecclesiasticam a Carrariensi domino sagitta confossum interiisse. Commemorat et quemdam Mag. Bartholomaeum de Rido eximium sacri eloquii praeconem, sicut et Augustinum Novellum primo Hebraeum, dein Hebraeorum flagellum; ac denique quaedam habet de Paulo Zabarella Archiepiscopo Parisiensi Theologo absolutissimo, de Peregrino et Ambrosio Patavinis itidem Theologia claris aetatisque recentissimae.

ALBERTUS *Patavinus*, cognomento *Novellus*, sive ex Judaeo Neophytus Christianus circa An. C. 1492 contra Judaeos *de Adventu Messiae* scripsit, eodem Elssio teste. Hunc cum superiore Alberto perperam confundi a nonnullis video.

ALBERTUS Bibius *Patavinus*, opus multiplicis historiae condidisse et de novissima origine Marchiae Tarvisinae, cui olim nomen Venetia fuit, scripsisse traditur.

ALBERTUS Monachus *Patavinus*, et montis Vinearum Patavii Prior, congregationis Cluniacensis circa An. C. 1230. Scripsit *Vitas* sacrarum Virginum B. *Beatricis Atestinae* et S. *Algundis*, et Vitam S. *Amandi* Episcopi.

Petrus ALBERTI. vide supra, *Albertus Cluniacensis.*

ALBERTUS *Pisanus*, quem cum *Stadensi* confundunt plerique, Franciscani Ordinis Minister Generalis, defunctus A. C. 1239. Hunc Lucas Waddingus *gesta suorum Fratrum in Anglia et Saxonia* scripsisse testatur.

ALBERTUS *Pius*, Carporum Comes eruditus et Caroli V in Romana curia Orator, libris XIII adversus Erasmum compositis clarus, qui post ipsum An. 1530 defunctum, Jo. Genesio Sepulveda Cordubensi curante prodierunt Parisiis apud Ascensium 1531 fol. Confer Historiam certaminis inter Erasmum et Alberum, quam in historia litteraria Reformationis dedit v. c. Hermannus ab Hardt, qui pag. 113 Erasmi ad Pium Epistolam, et pag. 163 priorem Pii responsionem An. 1526 scriptam exhibet. Sepulvedae etiam pro Alberto antapologia in Erasmum, legitur in Sepulvedae operibus pag. 127-163. Paris. 1541, 8.vo Illos autem quos dixi XXIII Pii libros intelligit Nicolaus Comnenus Papadopoli, cum de illo scribit tomo II Hist. Gymnasii Patavini pag. 38. *Edidit celeberrimum opus adversus Lutherum, in quo etiam Erasmum Roterodamum perstrinxit acriter. Hoc Theologis praeliaribus et dogmaticis notissimum est, doctum, efficax, eruditum, in quo tamen pacatum ingenium et criterium accuratius desideres.*

ALBERTUS *de Prusa*, sive de *Prussia*, Gymnasii Cracoviensis collegiatus, ab Astrorum peritia laudatur apud Trithemium cap. 949 de Scriptoribus Eccles. qui commentarios ejus in Georgii Burbachii Theoricam, et in Ephemeridas Joannis Regiomontani memorat.

ALBERTUS, *S. Remigii* Monachus in Dioecesi Remensi, non aliunde notus mihi, quam ex Vossio, qui notat inter nobiles Galliarum Historiographos referri ab auctore inedito Hierarchiae subcoelestis lib. IV cap. 9 suspicaturque Rupertum S. Remigii fortasse reponendum, de quo infra.

ALBERTUS *Sarthianensis*, e Sarthiana Tusciae opido, Ord. Minorum Vicarius generalis, defunctus A. 1450. Hujus eloquentiam Ferrariae A. 1447 miris laudibus celebravit Gvarinus Veronensis, Epistola ad Ugutionem Abbatiensem tom. III collectionis novae monumentorum Edm. Martene tom. III pag. 855 seq. Eidem Alberto inscripsit vitam S. Ambrosii Mediolanensis pag. 874. Idem Martene Epistolas XII hujus Alberti exhibet pag. 754 seqq. una cum *Oratione habita in capitulo generali Paduae* celebrato An. 1443 pag. 808. Mentio Epistolae *contra Martyrum vituperatores* ad Eugenium IV Papam pag. 796. Epistolas illas atque Orationem MStas apud se esse testatus fuit auctor diarii eruditorum Parmensis An. 1686 pag. 162 seq. Epistolam contra Martyrum vituperatores et tractatus *de poenitentia, de Eucharistiae sacramento, de conditione amicitiae et de malitia invidentiae · de insolentibus corripiendis, et quod nihil nocet ad*

virtutem, humili loco nasci, MSS. habuit Waddingus.

* *Albertus* de *Sartiano.* Praeter haec omnia scripsit opusculum *De laudibus Religiosorum in Poggium,* qui genus illud hominum vituperaverat. Exstat opusculum illud inter epistolas selectas eiusdem Alberti vulgatas a Martene. Vet. mon. t. III.

ALBERTUS de *Saxonia*, Augustinianus circa A. C. 1332. Hujus *Commentarios in Aristotelem de Coelo et Mundo* An. 1497 excusos: ineditosque *in libros de physico auditu, et in libros de generatione et corrúptione*, nec non *super tabulis Alphonsi Regis ad judicia Astronomiae*, memorant Philippus Elssius in encomiastico pag. 22 aliique. Apud Possevinum legas hunc Albertum A. 1031 commentarios astrologicos in tabulas Alphonsinas composuisse. Sed tabulae illae quae Regi dicuntur constitisse summa 400000 aureorum, non promulgatae sunt ante A. 1270: Itaque Possevinus scripserat fortasse 1301.

* Non dubito, quin ad authorem hunc referendus sit liber *De proportionibus*, quem F. Isidorus de Insulanis in epitomen redactum vulgavit sine ascriptione loci et anni in 8. Ibi tamen Isidorus authorem hunc Dominicanis, non vero Augustinianis asserit; totamque eius operis doctrinam acceptam ab Alberto ait ex Thoma Berduerdino. Hunc vero Thomam ut ibi lego in fine opuscoli *Raimundus de Suisethi Calculator in tractatu primo de intensione, et remissione vocat venerabilem magistrum.*

ALBERTUS *Sigebergensis*, apud Coloniam Agrippinam Coenobii Monachus Ordinis S. Benedicti circa An. C. 1450. Cujus inedita feruntur *Commentaria et Glossarium in utrumque Testamentum*, quod MS. exstat Lipsiae in Paulina: et *Historia Pontificum Romanorum* collecta e variis, et a Gregorio IX continuata ad Nicolaum V. Vide Lambecium tomo II Bibliothecae Vindeb. pag. 871 atque Oudinum tomo III de Scriptoribus Eccles. p. 2586.

ALBERTUS *Spaldingensis*, vide Adelbertus.

ALBERTUS, quem Pisanum Hetruscum alii, alii cum Luca Waddingo et Arnoldo Wion Germanum rectius faciunt, et a Pisano, Generali Ministro Franciscanorum, distinguunt: *Stadensis* vulgo appellatur, quia Monasterii B. Mariae in suburbio Stadensi Ordinis Benedictini Abbas fuit ab Anno Christi 1232 ad 1240 ex quo non ferens fratres religionis observantiam in postremis habentes, ad Franciscanos Stadenses accessit, illisque adscriptus vitam produxit ad Annum 1260 et fortasse longius. Ejus *Chronicon ab Orbe condito ad Annum CHristi* 1256 primus e Codice chartaceo illustris Henrici Ranzovii edidit Reinerus Reineccius, Steinhemius, Helmstadii 1587, 4, recusum Wittebergae 1608, 4 atque inter Scriptores Joanne Georgio Kulpisio curante cum Ænea Sylvio de rebus Friderici III editos Argentorati 1685 fol. pag. 123. — Editionem recognitam ab Arnoldo Wiono, cujus spem in apparatu suo fecit Possevinus, non puto lucem vidisse. Codicem membranaceum hujus Chronici, cujus apographum Ranzovianus videtur, servat Bibliotheca Helmstadiensis, ex quo non pauca possent in Reinecciana editione emendari, ut ostendit Andreas Hojerus, qui ex eodem Helmstadiensi Codice vulgavit *Continuationem Annalium Alberti Stadensis ab Anno 1264 ad 1324.* Hafniae 1720, 4, subjuncta disquisitione de origine Sophiae Langelandicae. Ut Albertus strenue usus est superioribus Scriptoribus, Orosio, Miscella, Eginhardo, Adamo Bremensi, Helmoldo, Gunrado Urspergensi, Arnoldo Lubecensi, Hermanno Contracto etc. ita Alberto hoc Albertus alter Krantzius in sua metropoli. De Stadensi vide sis Casparis Sagittarii introductionem in Histor. Ecclesiast. tom. I pag. 65 sqq. et Tobiam Eckardum in vita Alberti, edita Goslariae 1726, 4. Acta Eruditor tom. II supplementi pag. 429.

ALBERTUS *Suhovius,* Decanus Osnabrugensis circa An. C. 1445 cujus nihil memorari video praeter Commentarium in Hymnum: *Lauda Sion Salvatorem,* et in alterum: *Ave maris stella.*

ALBERTUS Riccus, Ordinis Minorum ab Anno 1255 Episcópus *Tarvisinus*, teste Waddingo *summam Pontificiàm* composuit. De hoc Alberto plura Ughellus tomo V pag. 545 sq

ALBERTUS *Teutonicus.* supra Albertus *Magnus.*

ALBERTUS Leontius, natione Ambianensis, Gallus, *Vercellensis* Episcopus, Pontificis in Syria Legatus et Patriarcha *Hierosolymitanus*, ab An. C. 1203 ad 1214 de quo Acta Sanctorum octavo Aprilis tom. I pag. 772 seq. Ughellus Italiae Sacrae tomo IV pag. 787 seqq. M. Antonius Alegre in Paradiso Carmelitici decoris p. 259. *Fratribus Ordinis Carmelitici* adhuc in terra sancta degentibus *Regulam* dedit, a Pontificibus deinde approbatam, quam exhibent Joannes Baptista de Lezana in Annalibus Ordinis Carmelitici ad Annum Christi 1205 et Daniel a Virgine Maria in Vinea Carmeli edita Antwerpiae 1662, 4.to pag. 25. Acta Sanctorum tomo I Aprilis pag. 777. Etiam *statum terrae sanctae* ad instantiam Innocentii III ab eo descriptum laudat Trithemius de Scriptoribus Eccles. cap. 406.

Bartholomaeus ALBICIUS, Pisanus Ordinis Minorum, qui An. C. 1399. Patribus suis Franciscanis plaudentibus et auctorem tunica detrita S. Francisci in praemium donantibus obtulit *Conformitates S. Francisci cum Domino nostro JESU CHristo*, specimen superstitionis illorum temporum non inficiandum, et nisi oculi fidem facerent, vix credibile. Typis exscriptae sunt hae conformitates primum Mediolani 1510 deinde 1513 fol. Excerpta ex illis Germanice edidit *Erasmus Alberus* sub titulo: *Ser Barfüsser Monch Eulenspiegel und Ulcoran*, cum praefatione D. *Martini Lutheri*, Witerbergae 1542, 4. 1543, 8. Recusa haec deinde sunt Gallice Genevae 1578 et Latine Daventriae 1651, 12 nec non Belgice quoque Dordraci 1589 non sine auctario. Liber ipse Conformitatum a *Jeremia Bruchio* Vtinensi correctus et illustratus sub titulo *libri aurei* lucem iterum vidit Bononiae 1590 fol. et excerpta Joannis Wolfii, Latine, tom I lect. memorabil. pag. 627 et *Lucae Osiandri* Germanice, Tubingae 1591, 4.to *Fin schèner mohlriechender Rosen-Srantz* etc. Confer Seckendorf. lib. III pag. 412. D. Joannis Fabricii Helmstad. Bibliothecam tom. IV pag. 210. Casimirum Oudinum Commentar. de Scriptoribus Ecclesiasticis tomo III pag. 1175 seqq. qui praefationem Lutheri Latine versam exhibet pag. 1175. W. E. Tentzelii *Monathliche Unterredungen* An. 1693 pag. 301 seq. ubi Mediolanensem editionem integriorem, et in recentioribus quaedam (ut de aranea, quam frater quidam Andreas inter bibendum deglutiverat, ex crure deinde sine noxa prorumpente) omissa annotat. Et Jo. Georgii Schelhornii amoenitates litterarias tomo II pag. 549 seqq. et tom. III pag. 160 seq. nec non *Unschutdige Nacyrichten* Anno 1717 pag. 174 seqq. ubi integer quoque *Erasmi Alberi* liber Germanice recusus exhibetur pag. 181, 205, 360, 916, et An. 1718 peg. 29, 48, 552, 725, seqq. Vide sis et An. 1729, pag. 703 seqq. et de historiola illa Nouvell. rep. lettr. 1688. Aout pag. 858. Apologeticum pro libro Conformitatum contra Alberum tribus libris composuit *Henricus Sedulius*, Franciscanus, Antwerpiae 1607, 4. cui responsionis loco esse potest M. *Matthaei Betuleii* Franciscus profano-redivivus, Halae Sax. 1615, 4.to de quo libro *Unschuldige Nachrichten* A. 1718 pag. 50 seqq.

* Non erat utique cur hic ex me adnotationem aliquam lectores expectarent; nisi religio qua teneor summa nihil immutandi in textu me coegisset admonere lectores ipsos meos ne offenderentur, si quid hic legerent, quod Catholicis typis exprimi minus deceret. Sciant igitur haec profecta esse ex homine etherodoxo, ea praesertim, quae S. Francisci Assiensis miracula superstitionis nota traducunt. Fateor utique multa in libro conformitatum S. Francisci imposita fuisse authori suo viro simplici, et ad credendum facili, neque omnia ad literae rigorem expendenda esse: multa tamen sunt religiosa veneratione excipienda, quae vir doctus catholicus non improbaret.

Addere juvat axcerpta illa quae ex edito Erasmi Alberi dein Gallice versa prodierant, lucem iterum axpexisse non ante multos annos duobus in 8 voluminibus cum imaginibus a Pichardo viro peritissimo aere incisis. Editio haec adornata est absque adnotatione loci et anni.

Qui vero opus istud Conformitatum recensuit non Bruchius ut hic Fabricius, sed *Bucchius* appellandus erat.

* Et ex tom. I. 176.

Bartholomaeus Albicius Waddingo *Albisius*, qui anno 1401 inter Franciscanos Pisis obiit. A Waddingo etiam aliae ejus lucubrationes memorantur, ex editis quidem *Sermones* quadragesimales De contemptu Mundi, sive de triplici Mundo, Mediolani 1488, 4 et Venetiis 1503. Sermones quadragesimales alii, in quibus resolutiones variarum quaestionum casuumque conscientiae, Lugduni 1519, 8. *Opus conformitatum* S. Virginis cum CHRISTO, sive de laudibus B. Virginis libri VI. Venetiis 1596, 4 Ex ineditis *Summa casuum conscientiae. Vita B. Gerhardi laici* an. 1353 defuncti: *Expositio regulae S. Francisci. De laudibus Sanctorum. De verbis DOMINI.*

ALBIGENSIUM Historia: vide infra PETRUS *Vallis Sarnaji.*

Flaccus ALBINUS, sive notiore nomine ALCUINUS, *(Alchwinus)* Anglus, Bedae et Egberti Discipulus, ex *Diacono Eboracensi* et Coenobii *Cantuariensis Abbate*, vocatus An. C. 790 in Galliam, ubi Consiliarius et deliciosus Caroli M. (ut ab Anastasio Bibl. appellatur) Scholaeque Palatinae Praefectus, praeclarissime de litteris promeritus, plurium peritus linguarum, Theologus, Philosophus et Poeta, denique postremos tres vel quatuor annos peregit *Turonis*, *Abbas S. Martini*, ubi diem obiit Anno 804, 14. Cal. Junii. Ejus Opera junctim edidit *Andreas du Chesne*, sive *Quercetanus* Turonensis, Parisiis 1617 fol. iisque praefixit vitam ex traditione *Sigulfi*, qui Alcuini discipulus fuit, scriptam ab Anonymo, quae incipit: *Superna CHristi rorante dextera.* Addidit etiam quamplurima veterum recentiumque de Alcuino testimonia, quibus addenda, quae de Flacco Theodulfus Aurelianensis, libro III et ad eum Sirmondus t. I Operum p. 1065 sq. et tom. IV Bibliothecae Patrum p. 64. De eodem Alcuino praeterea videndus Henschenius in Actis Sanctorum 19 Maji tom. IV pag. 333 sqq. Carolus le Cointe tom. VI Annalium Francorum ad Annum 793 tom. VII pag. 18 seq. ubi et de ejus discipulis, et tom. VIII pag. 12. Editionem Parisiensem Operum Alcuini recensere post Labbei, Ludovici Ellies Dupinii, Caveique diligentiam, esset actum agere. Quae autem in eadem non obvia lucem viderunt sub Alcuini nomine, plura sunt, e quibus

1 *Poema* versibus hexametris 1658 *de urbis Eboraci primordiis*, *deque primis ejus Ecclesiae Pontificibus ac Sanctis*, editum ex duobus Remensibus MSS. a Thoma Galeo tom. I Historicorum Angliae, Oxon. 1691 fol. et partem sub titulo *Anonymi Angli*, qui Ælberti Archiepiscopi Eboracensis discipulus fuerit, Joannes Mabillonius (qui integrum ad Galeum miserat) Saec. III Benedictin. parte II pag. 558. Non Alcuini, sed *Fridegodi* esse contendit Oudinus tom. I commentar. pag. 1923 et tom. II pag. 467 seq.

2 *Epistolarum* Alcuini collectionem MS. Colbertinam memorat Baluzius, et ex ea Epistolam *ad Candidum et Nathanaëlem* publicavit tom. I Capitular. Regum Francorum pag. 1442 seq. Epistola *ad Karolum* ab eodem Baluzio tom. II Misc. pag 365. *Capitulare admonitionis* ad eundem pag. 375. Epistola *ad Abbates et Monachos Gothiae* de Filio DEI non adoptivo pag. 377. Epistolae VII *ad Aquilam*, sive *Arnonem* antistitem Saltzburgensem, in Anecdotis Bernardi Pez tom. II pag. 4 seqq. Ad eundem Arnonem praefatio in expositionem VII Psalmorum poenitentialium, Psalmi CXVIII et Psalmorum XV gradualium (in Operibus Alcuini pag. 59 seqq. obviam) in Dacherii spicilegio tomo IX pag. 111 et editionis novae tom. III pag. 323. Aliae Epistolae III *ad Gallicellulam,* et de decem verbis Legis, et *ad Fridugisum* de tribus generibus visionum, ab eodem Dacherio tom. VI spicilegii p. 391 et tom. III editionis novae pag. 321 nec non aliae XXVI a Mabillonio tom. IV. Analect. pag. 272 atque editionis novae pag. 399 seq. Epistola paraenetica ad *Eanbaldum II. Archiepiscopum Eboracensem* scripta An. 796 edita ab illustri Fontanino in appendice ad vindicias antiquorum Diplomatum pag. 266 et a Jacobo Basnagio tom. II editionis novae lectionum Canisianarum pag 450.

3 *Sermo in Hypapanti* dictus coram Carolo Magno: apud Baluz. tom. I Miscellan pag. 382.

4 *Confessio Fidei* edita a Petro Francisco

Chifletio, Div. 1656, 4 judice quidem Carolo Cointio, Saeculi noni foetus, sed Alcuini nequaquam, tom. VII p. 28, atque integra dissertat. postuma Alcuino negata a Joanne Dallaeò, * Rothomag. 1673, 4,^{to} tamen Alcuino vindicatur a Mabillono tomo I Analect. pag. 178 (editionis novae pag. 490 seq.) et ab auctore de la perpetuitè de la Foy tom. IV. Table Historique et Critique pag. 33. Alia est Alcuini Confessio, sive *doctrina de DEO*, quae inter Opera ejus legitur pag. 762 atque lucem debuit Matthiae Flacio, qui eam vulgaverat ad calcem libri, cui titulus: *Unanimis consensus primitivae Ecclesiae de non scrutando Divinae generationis Filii DEI modo*. Basileae 1560, 8.vo *Libri tres de Fide* SS. Trinitatis, itidem inter Opera obvii p. 702 leguntur etiam in homiliario Pauli Diaconi ad Festum SS. Trinitatis. Eosdem separatim cum Commentario edidit vir pius et doctus Lucas Lossius Francofurti 1554, 8.vo

5 Opusculum *de Comparatione Novi et Veteris Testamenti a denario numero usque ad unum*. in Bernardi Pez Anecdotis tom. II pag. 1.

6 *Genealogia humanitatis CHristi*, MS. in Bibliotheca Menarsiana p. 157.

7 Jussu Regis Caroli *Divinam correxisse Historiam* scribit Sigebertus ad annum CHristi 790 eoque referendum, quod Theganus cap. 7 de gestis Ludovici Pii, Carolum Regem *corrigendis sacris libris vacasse* retulit: nec non VI Epigrammata de correctione Bibliorum ab Alcuino facta, quae exstant in eius operibus pag. 685. Vide Baronium ad Annum 778 num. 23 Richardum Simonem lib. II Historiae Criticae Novi Testamenti cap. 9. Joannem Jacobum Wetstenium Prolegomenis ad Novum Testamentum pag. 88 seq. et quae infra, ubi de *Correctoriis Bibliorum*. – Poemata duo, hexametrum alterum, alterum elegiacum, Bibliis ab Alcuino praemissum edidit Lambecius tomo II pag. 403 seq. qui etiam de *Vita S. Vedasti* Alcuiniana videndus pag. 409 sqq.

Non omittendum, quod Barthius VI 20. Adversar. *Calliopium*, qui Terentii Comoedias recensuisse in Codicibus MSS. notatur, non alium putat esse, quam hunc Alcuinum qui in Codice MS. vitae Wilibrordi vocatur *Dominus Albinus Magister optimus Calliopicus*, hoc est totus formatus a Calliope Musisque.

De caeteris, Caveum rogo consulas Hendreichiumque et Polycarpum Leyserum in Historia Poetarum medii aevi pag. 215 seq. quorum observatis non habeo plura, quae addam, nisi quod Antonius Verderius in Bibliotheca Gallica pag. 21 narrat, se sub Alcuini nomine vidisse MS. librum versuum leoninorum moralium, *un livre de vers moraux en latin non mesurez par pieds, mais rymez*. Vide, si placet, quae infra in *Leone*.

ALBINUS, Abbas S. Petri Cantuariensis, qui Bedae auctor fuit et adjutor scribendae Anglorum Historiae, ut Beda testatur Epistola nuncupatoria ad Ceolwulfum Regem. Vide Mabillonii Analecta tom. I pag. 9 (editionis novae in fol. pag. 398) ubi Bedae ad hunc Albinum Epistolam exhibet: *Desideratissimo et reverendissimo Patri Albino Beda CHRISTI famulus salutem.*

ALBINUS, sive ALBUNIUS, Eremita, cujus *Epistola ad Heribertum Coloniensem* ab Anno CHristi 999 ad 1021. Episcopum de charitate, humilitate, obedientia, continentia et silentio MS. exstat in Codice XXI Bibliothecae templi S. Petri Hamburgensis. Vide B. Staphorsti nostri Historiam Ecclesiae Hamburgensis tom. III pag. 271-284.

ALBO Floriacensis, vide ABBO.

ALBRICUS, sive ALFRICUS, Londinensis, circa A. C. 1217 vixit. De illius *Poëtario*, sive *de Origine et Imaginibus Deorum* libello cum Scriptoribus edito Mythologicis dixi in Bibliotheca Latina lib. II cap. 1, ubi de Hygino. In Bibliotheca Rostgaardiana pag. 470 offert se MS. *Albricus de Rosate de integumentis fabularum*. Vide ALBERICUS.

ALBRIGETUS CORTUSIUS, Patavinae Scriptor Historiae. Vide infra, CORTUSIUS.

ALBUINUS, Presbyter, cujus ineditum *librum de Virtutibus et Vitiis* evolvit Cangius. Prologum vulgavit Edmundus Martene tom. I Anecdot. p. 668.

ALBUNIUS, Eremita. Vide supra, ALBINUS.

* Argumenta ejus exponit Ludovicus Ellies du Pin tomo VI Bibliothecae Ecclesiasticae pag 122 seq.

ALCADINUS, Garsini Syracusani Filius, medicus Henrici IV Imperatoris, artemque suam Salerni professus, si Scipioni Mazellae in Antiquitatibus Puteolanis fides, et alius quidam poeta Ebolitanus, metro *balneas Puteolanas* descripsit. Haec Thomas Reinesius in defensione Variarum Lectionum pag. 144.

ALCIMUS ECDICIUS AVITUS, nepos Aviti An. CHristi 455, 456 per septem vel octo menses * Imperatoris, Patris vero Isici An. 490 in Archiepiscopatu Viennensi successor, praefuit Concilio Epaonensi An. 517 diemque obiit Anno 523. De eo praeter editores adeunda Acta Sanctorum 5 Februarii, tom. I pag. 660 sqq. De Judaeis per Avitum Episcopum Arvernum ad CHristum conversis Venantius Fortunatus libro V Carmine 5, qui etiam plura in Aviti laudem lib. III Carmine 26 seqq. De scriptis et editionibus ejus nolo repetere, quae notavi in in Bibliotheca Latina IV, 2 et quae apud Leyserum in Historia Poetarum medii aevi pag. 87 et Caveum aliosque exposita sunt, qui in carminibus ejus sacris jure merito venam doctam expeditamque celebrant. Illud observatis alibi juvat adjungere, quod in Epistola Aviti secunda et tertia occurrunt fragmenta ex *libro ejus de Incarnatione*: Deinde fragmenta *libri de Divinitate Spiritus Sancti* dedit Baluzius tom. I Miscell. pag. 361. Ex *Homiliis de rogationibus*, ** quas ante festum Ascesionis tribus diebus celebrandas instituerat Mamertus Episcopus Viennensis, illa quae incipit: *Currit quidem tramite vitali*, non modo in Aviti editionibus saepius vidit lucem, sed etiam in Bibliotheca Concionatoria Combefisii, et in Actis Sanctorum XI Maji pag. 631. Aliam vero homiliam Aviti in feria 3 in rogationibus edidit Edmundus Martene tom. V Thesauri Anecdotorum pag. 49 quae incipit: *Legimus in Historia Regum.* Ex aliis die primo, secundo et tertio Rogationum, fragmenta servavit Florus Diaconus Lugd. in Pauli Epistolas, quae a Sirmondo jam vulgata sunt, ubi etiam excerpta ex *libris* Aviti *contra Phantasma*, sive contra Eutychianos. Ex *libris* et *ex Epistolis contra Arianos*, ex *libro de CHristi Divinitate.* Ex *Sermone de Natali Calicis*, *de passione Domini*, *die primo et die sexto Paschae*, *de adscensione Domini*, *in ordinatione Episcopi*, *de Symbolo*, *de Pentecoste*, *de Jona*, *de ascensu Eliae*, *in dedicatione Archangeli Michaëlis*, et ex sermone *de Ezechia Rege.* Ex *Epistola contra Faustum*, ex *libro de CHristi Nativitate.* Sirmondi Avitus lucem primum vidit Parisiis 1643, 8. tomo secundo Var. Opusc. inde recusa tomo IX edit. Patrum Lugd. 1677, Sirmondi Opera Paris, 1696 fol. in quorum tomo secundo melior Aviti Operum editio habetur, novissime recusa sunt Venetiis 1729 fol. quinque Voluminibus.

* Vide Valesium ad Evagrii Hist. II 7 pag. 69. seq.

** De his Joannes Savaro ad Sidonii Apollinaris lib. 7 Epist. 1. Baronius ad Martyrolog. Rom. 25 April. et ad A. C. 475.

ALCUINUS vide *Flaccus* ALBINUS.

ALDEBALDUS et *Syrus* Monachi Cluniacenses, prosa, inspersis carminibus scripsere *Vitam* Abbatis sui *S. Majoli*, qui idem obiit Anno CHristi 994. Exstat in Actis Sanctorum 11 Maji tom. II pag. 668. De Majolo illo vide Bibliothecam Cluniacensem, et Andreae du Chesne ad illum notas pag. 58 seqq. et de Syro et Adeboldo, Leyseri historiam poetarum medii aevi pag. 289 seq.

ALDERMANNUS, idest, Senatorius vir, Londinensis, a Baleo XI, 18 et Pitseo pag. 822 celebratur Poëta curialis, diversorumque carminum auctor traditur, dubito, Latinorum an vernaculorum. Neque enim ex Lilio Gyraldo de Poëtis hoc refertur a Baleo, ut aliud agens scripsit auctor Historiae Poëtarum medii aevi p. 448 sed ex Sylvestri Giraldi speculo Ecclesiae lib. II cap 20.

ALDHELMUS, *Adelmus*, *Adelinus*, *Althelmus*, Anglus, de Regia Isae Visi Saxonum familia, ex Monacho Baldunensi, sive Malmesburiensi Abbas Anno CHristi 666. et primus apud Saxones Occidentales Episcopus An. 705 Shirburnensis, defunctus Anno 709. Vide Acta Sanctorum 25 Maji tom. VI pag. 77 quanquam titulus *sancti* et *beati*, quo Aldhelmus venit in Bibliotheca Patrum, in indice expurgatorio Brasichellano expungitur. *Egregius auceps antiquarum vocum* dicitur a Salmasio ad Spartian. pag. 647 ubi apographum ejus ex vetustissimo

Codice a Jureto sibi communicatum laudat. Vocabula inusitata excerpit et illustrat Cerda in adversariis sacris cap. 165 pag. 450 sq. Plura ejus loca praeter Meursium mantissa ad lib. de luxu Romanorum cap. 1 emendat Joannes Fridericus Gronovius in Monobiblo Observationum Ecclesiasticarum cap. 4, 8. 15, 20 et Barthius in Adversar. De scriptis Aldhelmi carmine latino compositis, pauca habeo, quae addam industriae Polycarpi Leyseri in historia Poëtarum medii aevi pag. 199 seq. Librum *de Laude Virginitatis* edidit Jac. Faber, Daventriae 1512 4. In nova vero editione Lectionum antiquarum Canisianar. liber *de laude virginum*, et alter *de octo principalibus vitiis* carmine descripti occurrunt tom. I pag. 708 seqq. Liber de Virginitate (ante carmen de hoc argumento) prosa scriptus extat in Orthodoxographis et Patrum Bibliothecis, sed emendatior editus est a C. V. Henrico Warthono ex MSS. Lambethano et Sarisburiensi, Londini 1693, 4 una cum Bedae quibusdam Opusculis et Egberti Eboracensis dialogo. Opus *de Paschate* contra Britannos Quartadecimanos suae aetatis, intercidit. Vide sis Pagium ad An. Christi 692 num. 24 seq. et ad An. 699 num. 2. *Epistola ad Eahfridum* in Usserii Epistolis Hibernicis pag. 37 adde pag. 129. De *aenigmatibus* Aldhelmi, quae post editionem Basil. 1557 cum notis edidit Martinus Antonius Delrio, Moguntiae 1601, 12. et de *Monostichis*, quae illis junxit Delrio, et alii malunt referre ad Alcuinum vel Columbanum, jam dixi in Bibliotheca veteri Latina. De aliis ejus vide sis Baleum lib. I c. 83. Pitseum ad An. 709.

ALDELMUS, sive *Adelmus, Adalelmus Sagiensis* Episcopus, (*Seez* in Normannia Galliae) circa An. C. 880. Vide Sammarthanos tom. III. Galliae Christ. pag. 962 scripsit *vitam S. Oportunae* Virginis et Abbatissae Sagiensis, quae soror S. Godegrandi Episcopi obiit. An. 770. Exstat apud Surium et in Actis Sanctorum 22 Aprilis, tom. III, pag. 62 et in Mabillonii Annalibus Ordinis S. Benedicti tomo IV, pag. 220.

ALDOBRANDINUS *Cavalcantes*, Florentinus Ord. Praed. *Episcopus* ab A. 1272 ad 1279. *Orvietanus*, et alter junior, Monachus *Augustinianus* circa An. C. 1385. Utriusque memorantur *Sermones* et junioris quidem Quadragesimales, Dominicales, Historiales et festivi sive in Festa Ecclesiae solennia. Vide Philippum Elsium in Encomiastico Augustiniano pag. 26 et Julii Nigri historiam scriptorum Florentinor. pag. 12. Etiam Aldobrandini cujusdam *commentarium MS. in Apocalypsin* vidisse se Venetiis testatur Possevinus.

(7) De Cavalcantio Vide Op. P. Vincentii Fineschi *Memorie degli Uomini Illustri del Convento di S. M. Novella. Firenze* 1790 in 4 p. 1 tantum.

ALDOBRANDINUS *Ferrariensis*, Ord. Praed. circa An. 1380. Praeter sermones de tempore et Sanctis scripsit *Officium translationis S. Thomae de Aquino*, quod incipit: *O quam felix mater Italia.*

ALDOBRANDINUS *Lombardus*, et ipse ex Praedicatorum ordine circa An. 1400 sermones, sed et *Scalam de articulis Fidei* traditur composuisse, MStam in Bibliotheca publica Basileensi.

ALDOBRANDINUS *Paparonus* Senensis, Ord. Praed. scripsit *Vitam Ambrosii Sansedonii*, defuncti An. 1287, quae exstat in Actis Sanctorum 22 Martii tom. III, pag. 181. De hoc Aldobrandino brevem mentionem facit Jacobus Qvetif tom. I, pag. 403 et pag. 411 seq. ubi memorat controversiam ab eo agitatam cum Petro Daco, *utrum plus fuit quod Dominus commisit Petro Ecclesiam, an Johanni cui commisit B. Virginem*: Daco pro Johanne et Aldobrandino pro Petro fervide pugnantibus.

ALDOBRANDINUS *de Toscanella*, circa annum 1314 praeter sermones de Sanctis, festivos et de tempore, tractatumque *super decem Legis praecepta*, scripsisse fertur *vitam S. Dominici* in octo partes distributam, sed quam Viterbii, ubi tradebatur exstare manu exarata, nusquam inventam esse testatur Jacobus Qvetif tomo I, pag. 527.

ALDOCOCCIUS, sive *Alcoxius*, Anglus circa Saeculi decimi quinti initia Philosophus, cujus commentarios in Lombardi libros sententiarum laudat Lelandus cap. 498 obscuris lucem, controversis certitudinem et dubiis fidem inferre conatum testatus.

ALDRICUS *Anglus*, JCtus, ab Accursio non semel citatus, laudatusque Gvilelmo Pastrengico in opere de rerum originibus apud Pitseum pag. 823 et Baleum XIII, 89.

ALDRICUS *Cenomanensis* Episcopus, cujus gesta circa An. C. 840 exhibet Baluzius in limine tomi III. Miscellaneor. Hujus Aldrici nomen comparet in inscriptione Epistolae Lupi Ferrariensis LXXXIV.

ALDRICUS, ex Abbate Ferrariensi *Senonensis* Archiepiscopus ab Anno 829 ad 841 de quo Lupus Ferrariensis Epist. 1 et de jam defuncto Epist. 29 et 41 ubi eum Dominum ac nutritorem suum appellat. *Epistola* hujus Albrici *ad Frotharium* exstat inter Frotharii Tullensis Episcopi Epistolas decima tertia tom. II. Historiae Francorum du Chesnianae p. 717.

ALDRUIDUS, quo nomine Saxonico, *Senem Drugonem* Latine exprimi Lelandus cap. 238 annotat, in penitioribus Philosophiae et Magiae exercitatissimum fuisse testatus, idque apparere ex ejus libello *de Quintis Essentiis.* Idem ex Lelando repetunt Pitseus pag. 823 et Baleus X 62.

ALEMANNUS, *Almannus*, *Altmannus*, Monachus *Altvillarensis* et Sacerdos circa An. 868. *Franciam* suo tempore *a Normannis devastatam*, exemplo Hieremiae *quadruplici planxit Alphabeto.* * Scripsit et *vitas SS. Nivardi* An. 661 defuncti Archiepiscopi Remensis, *Syndulfi* presbyteri solitarii, *B. Helenae* Imperatricis, ejusdemque *corporis translationem* ** ad Monasterium Altvillarense: nec non *vitam S. Memmii*, primi Episcopi Catalaunensis. Vide Jo. Mabillonii observationem ad Alemanni *Epistolam ad Theudoinum* Praepositum Catalaunensem tom. II. Analector. pag. 94 (edit. novae in fol. pag. 425) et Urbanum Gottofredum Siberum de illustribus Alemannis pag. 38 seq. Lips. 1710 4[to], qui pag. 43 etiam illam Alemanni Epistolam exhibet. *Vitam Sindulfi* circa An. 600 apud Remenses defuncti, dedit idem Mabillonius tom. I. Actorum Benedictin. pag. 638. Vide et Gvilelmi Marloti metropolin Remensem, Remis 1679 fol. tom. I, pag. 402.

* Sigebertus Gemblacensis cap. 98. Trithemius cap. 282 de S. E. et II 50 illustr. Benedictin.

** Adde Tillemontium tomo VII. Memoriar. pag. 18

ALEMANNUS *Brixiensis*, supra ADELMANNUS.

Ludovicus ALEMANNUS, Episcopus Arelatensis et R. E. *Cardinalis*, cujus magnae fuere partes in Concilio Basileensi A. 1431 seq. Vide Siberum libro laudato pag. 144 seq.

(8) Et *Dom. M. Manni Vita del B. Lod. Alamanni Firenze* 1771, 4 ubi J. Phil. Bergom. verba refert: *Multa edidit opuscula et quidem digna, quae odio, ut existimo, schismatis perierunt.* Ad meliora an. 1447 conversus obiit an. 1456, 16 Sept. aet. 59.

S. ALEMANNUS, sive *Altmannus*, Episcopus *Passaviensis*, qui An. 1091 obiit. *Acta ejus vitae*, in quibus de Gregorio VII non contemnenda leguntur, in lucem data a Seb. Teugnagelio inter vetera monumenta contra schismaticos pro Gregorio VII. Ingolstad. 1612 4[to], et a Sibero de Alemannis pag. 88. Praeterea juniores hoc nomine, ut Christianum Alemannum, cujus fertur nomine liber de defensione adversus tyrannidem Magistratuum licita, editum Basileae 1546. Vide eundem Siberum p. 189 seq.

ALEMANNORUM *Legem*, a Theodorico I. Francorum Rege circa An. 520. Hildeberto II circa A. 580 et Lothario II circa A. 590 promulgatam, confirmatamque a Dagoberto * Magno: auctiorem ineditis capitulis XLIV aliisque insuper novis dare promisit Jo. Georgius Eccardus in conspectu Codicis Legum veterum, quem exhibui lib. IV. Bibliothecae Latinae cap. 10. Capitula XCIX ediderant Goldastus tomo II scriptorum Alemannicorum, Fridericus Lindenbrogius tomo I Codicis Legum antiquarum p. 357 et cum notis Baluzius in Capitularibus Regum Francorum pag. 53 atque Jo. Schilterus ad Chronicon Alsaticum Koenigshofenii, scriptum Germanice p. 623.

ALEMANNICARUM rerum Scriptores edente Melch. Goldasto, Francof, * 1606, 1661

* Vide Cointium ad An. 638 tom. III annal Francorum pag. 55 seq.

* Confer D. Joannis Fabricii, Theologi Helmstadiensis Bibliothecam tom. III, pag. I seq. B. Joannis Hubneri Centur. VIII. Bibliothecae historicae Hamb. pag. 252 seq.

et praemissa Goldasti Vita 1730 fol. unico volumine, licet in tres tomos sive partes diviso. In his continentur:

Tom. I.

Hepidanni Coenobitae Annales ab An. C 708 ad 1050 cum additione Anonymi ad An. 1180.

Ratperti Turegiensis, *Ekkehardi* junioris, *Burkhardi* Monachi et *Cunradi* Fabariensis presbyteri Historia et casus Monasterii S. Galli.

Ejusdem Cunradi Catalogus Abbatum S. Galli.

Anonymi de officiliabus Dominis Principis S. Galli.

Bertholdi Monachi annotatio de Abbatibus S. Galli.

Joach. Vadiani Chronologia Abbatum Monasterii S. Galli.

N. de Tiufburg Ephemerides Monasterii S. Galli.

Joh. Georgii Tibiani Panegyricon de laudibus Acronii lacus.

In praecedentes Scriptores Goldasti Glossae et notae pag. 102 seq.

Walafridi Strabi Augiensis de vita S. Galli libri 2.

Ejusdem de vita S. Othmari Abbatis, libri 2.

Isonis Magistri de miraculis S. Othmari libri 2.

S. Theodori Eremitae Campidonensis de vita S. Magni libri 2.

Ermenrici Elewangensis supplementum.

S. Findani Confessoris Historia sive Vita.

Hepidanni junioris de vita S. Wiboradae Virginis libri 2.

Ekkehardi Minimi Decani de vita B. Notkeri Balbuli liber.

S. Fridolini Confessoris Historia sive vita.

Goldasti notae pag. 248 seq.

Tom. II.

Lex Alamannorum temporibus Lotharii Regis.

Chartarum instrumentorumque Centuria.

Joach. Vadiani Epistola de obscuris verborum significationibus.

Ruodeperti Magistri Epistolae breves IX.

Rabani Mauri Abbatis Fuldensis libelli duo a Walafrido Strabo ejus discipulo collecti, quorum priore pag. 64 glossae latino-barbaricae de partibus humani corporis, mensibus et ventis, posteriore p. 66 de inventione linguarum ab Hebraea usque ad Theotiscam et notae antiquae.

Keronis Monachi S. Galli interpretatio verborum Alamannicorum p. 69-92.

Anonymi Catalogus Nominum propriorum apud Alamannos.

Remedii Curiensis Episcopi canones Alamannici ex Pontificiis Epistolis excerpti jussu Caroli M.

Notingi Constantiensis Episcopi canones.

Anonymi symbolum Apostolicum pag. 134.

Litania, confessio, *Beichte*, pag. 135.

Dies Anniversarii Alamannicae Ecclesiae.

Anonymi benedictiones, fraternitates, pag. 152 seqq.

Goldasti Catalogus scriptorum qui in his duobus tomis desiderantur et eorundem temporum historiam illustrarunt.

Genealogia Kyburgensium Comitum in Alamannia.

Tom. III.

Joachimi Vadiani Cos. Sanctgallensis farrago antiquitatum Alamannicarum s. de collegiis et Monasteriis Germaniae veteribus, ut in regno Francorum et insecutorum Principum aliquot seculis habuerunt, libri II.

Barthol. Schobingeri JCti additiones ad Vadiani farraginem. p. 85.

Joh. Comandri Epistolae 3 ad Vadianum de antiquitatibus Curiae in Rhetia prima. p. 114.

Joach. Vadiani liber de Christianismi aetatibus aurea, argentea, liber imperfectus. p. 117.

Ejusdem Epistola de conjugio servorum apud Alamannos ad Joh. Zwickium Constantiensem. p. 139.

Joh. Zwickii JCti Epistolae duae responsoriae ad Vadianum. p. 152.

Leonis Judae Epistolae 2 de divortio: an uxor a sceleroso marito separari et alium ducere possit. p. 153.

Johannis Kesleri Alloquium Bibliothecae Sangellensis ad Joachimum Vadianum p. 157-165.

Alexander ALEMANNICUS. infra ALEXANDER.

ALEXANDER I. Episcopus Rom. ab Anno CHristi 108 ad 117. Hujus nomini *tres Epistolae* ab Isidoro Mercatore tribuuntur, quas falsi arguit Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 159 seq. Alia illi supposita *decreta* (ut quae Canoni Missae ab eo addita scribit librum Pontificalem secutus Anonymus Mellicensis capite VI) rejicit Petrus Coustant in Epistolis Romanorum Pontificum pag. 52 qui etiam fabulam esse docet, quod auctor Praedestinati lib. I cap. 16 narrat Alexandrum, Siculorum Episcoporum rogatu *librum* scripsisse *adversus Heracleonem,* qui peccata baptizatis nihil obesse praedicavit: cum Heracleon Colorbasi et Marci discipulus Alexandro fuerit junior, et alium Heracleonem ignorent, qui de haereticis tractarunt. Ludovicus Jacobus a S. Carolo Carmelita in Bibliotheca Pontificia pag. 6 pro Alexandri hujus Epistolis citat S. Cyprianum Apolog. 2 Epist. 3 et S. Justinum Martyrem Apolog. 2 ad Antoninum. At enim in Justino et Cypriano de Alexandri Epistolis ne γρὺ.

ALEXANDER II Papa ab Anno 1061, 1 Octobris ad 1073, 20 Aprilis. Ejus *Epistolae XLV* cum fragmentis aliquot in Conciliis Labbei tomo IX et novissima Coleti editione Veneta tom. XII. Inscriptiones singularum dedi tom. XI Bibliothecae Graecae pag. 585. Epistolam *ad Monachos Rivipullenses* exhibet Agvirrius tomo III Conciliorum Hispaniae pag. 231 et *ad Aquilinum* Abbatem Monasterii S. Joannis Pinnatensis in Aragonia, pag. 245. Praetereo ejus *Decreta* apud Gratianum, Ivonem, Antonium Augustinum, Augustinum Barbosam aliosque obvia. Constitutionem, qua An. 1062 approbavit *Congregationem Camaldulensium Campi Amabilis*, Ord. S. Benedicti, exhibet Laërt. Cherubinus tom. I bullarii p. 51.

* Huius epistolas alias in meo Conciliorum supplemento tom. 1 pag. 1346 exhibui. Ex his unam de gradibus propinquitatis ego e MS. Codice vulgavi. Quamquam vera haec Pontificis nomen nullum fert, et ambiguum haesi num ad Alexandrum pertineret. Alterius fragmentum *De quodam Sacerdote male ordinato* ex MS. Codice protuli. Equidem haec est etiam in Gratiano dist. 52 c. *Sollicitudo*, sed contracta et interpolata. Alia est ad Burchardum Halberstadensem, qui et laudatur et Pallio donatur. Eruta est ex Lunigii Spicileg. Eccl. in Append. pag. 20. Postrema denique est ad clerum et populum Lucensem, quam per partes sectam et hinc inde excerptam dedit Gratianus ex c. *multis temporibus* 1. 3 et ex illo Labbeus. Integram ex MS. codice Lucensi repraesentat Florentinius *Memorie della contessa Matilde* in append. vet. monum. pag. 129, ex quo ego.

ALEXANDER III Papa ab Anoo 1159, 7 Septembris ad 1181, 25 Augusti. Scripsit *de potestate Ecclesiastica*, et Epistolas Decretales sui temporis, quas in unum Codicem redactas *Consulta Alexandri* voluit appellari. *Secundum quosdam eum scripsisse reperio Epistolarum ad diversos, libros viginti duos.* Haec Ludovicus Jacobus a S. Carolo in Bibliotheca Pontificia pag. 8. In tomis Conciliorum tom. X. Labbei p. 1135, 1188, 1854 exstant hujus Pontificis *Constitutiones* et *Epistolae CCCXLI.* de quibus vide tom. XI Bibliothecae Graecae p. 615 seq. Ex his LVI ediderat Sirmondus ad calcem Petri Cellensis, Parisiis 1631, 4 recusa 1671 4 et tomo secundo Sirmondi Operum. Epistolas XXXIX ad Hispanos repetit Agvirre tomo III Conciliorum Hispaniae pag. 373. seqq. Alias ad alios ineditas dant Baluzius t. II Miscellan. pag. 227 tom. IV pag. 466. Dacherius tomo V Spicilegii pag. 572 et tomo III editionis novae pag. 538. H. Warthonus tomo I Angliae Sacrae pag. 171 et Galicsonius, qui tres Alexandri III Epistolas cum una Leonis VII et Innocentii III una vulgavit Turonibus 1694 quarum argumenta exponunt ephemerides eruditorum Paris An. 1695 pag. 398. Longe plures autem edidere Edmundus Martene et Ursinus Durand tomo I Anecdotorum pag. 455 seqq. et 569. *Registrum Epistolarum pro Remensi Provincia* complexum *Epistolas CCCCXCVI* exstat in tomo secundo novae Collectionis, quam iisdem praeclaris viris debemus pag. 634-1011. Confer tomum XIII Conciliorum editionis novae Venetae, et *Constitutiones IX* hujus Alexandri III apud Laërt. Cherubinum tom. I bullarii pag. 67. sqq.

* Praeter alias eius epistolas obvias in volum. Ughellii et Galliae Christianae geminas alias ex tabulario majoris ecclesiae Lucensis ego vulgavi in Supplem. Conciliorum tom. I pag. 517.

ALEXANDER IV Papa ab Anno 1254, 25 Decembris ad 1261, 25 Maji. Praeter *Epistolas tres* in Conciliis Labbei tomo XI pag. 716, ex quibus duae etiam in Agvirrii Conciliis Hispaniae tom. III pag. 513, 514 *alias CLXXV* dedit Waddingus in Annalibus Ordinis Minorum tom. II ad Annum 1256 seq. et in regesto Pontificum pag. 18 seq. Epistola ad Canonicos Remenses, quam sub Alexandri IV nomine edidit Gvil. Marlotus tom. II Histor. Remensis, eam Alexandro III restituit laudatus Martene tomo I Anecdotorum pag. 458. *Epistolae IV* ad Ludovicum IX Francorum Regem, in Dacherii Spicilegio tom. VI pag. 485 et tom. III editionis novae pag. 633. *Constitutionem Cypriam* datam An. 1260 componendis Graecorum Latinorumque dissidiis, obviamq; ex Graeca versione in quodam Euchologio, et Latine versam a Vincentio Riccardo, Rom. 1636 laudat Allatius libro de aetate et interstitiis in Collatione Ordinum pag. 3. Epistolarum quamplurimarum Registrum exstare in Vaticano testatur Ludovicus Jacobus a S. Carolo pag. 10 Bibliothecae Pontificiae. Ex his nonnullae in Annalibus Steronis et in additamento Matthaei Paris. et Constitutiones XXIII apud Laertium Cherubinum tomo I bullarii pag. 131.

* Huius Bullas sexdecim, quarum pleraeque pro monachis Vallis Umbrosae datae sunt, evulgavit cl. Lamius in Delic. Erud. in notis ad Leonis Urbevetani Chronic. Roman. Pontif. pag. 279.

ALEXANDER V *Petrus de Candia*, Papa ab Anno 1409, 26 Junii ad 1410, 3 Maji, cui Ludovicus Jacobus a S. Carolo et Lucas Waddingus tribuunt *Commentaria in IV libros Sententiarum*, de quibus vide, si placet, Oudinum. His addunt *Quoldibeta* quaedam, *Conclusiones* in Collegio habitas, *Sermones* varios et *Epistolas* ad diversos, quarum una ad *Magistrum Hugonem Etherianum* obvia in Bibliothecis Patrum quibusdam Bignaeanis. Idem Ludovicus notat Andream Billium Mediolanensem scripsisse libros duos de Concordia et meritis Ordinum super generali indulto Alexandri Papae V ad Reginaldum (Gvidonem de Roy) Remensem Archiepiscopum. Bullas quasdam ex Alexandri V regesto publicavit Raynaldus ad An. 1409 num. 85, 89 et ad An. 1410 num. 7 seqq. et 16.

* In Bibliotheca MSS. P. Monfaucon pag. 158 extare in Bibliotheca Vaticana Codex iste legitur. *Prefationes Ambrosianae Petri Archiepiscopi Mediolani, qui postea Alexander Papa V fuit.* Quod hoc sit operis ignoro; nec scio an Petrus praefationes aliquas Breviario Ambrosiano adiecerit, an potius codicem illum Vaticanum in suum usum descripserit.

ALEXANDER VI Papa ab Anno 1492, 11 Augusti ad 1503, 18 Augusti, malis cujus meritis dignus nuper vitae scriptor contigit Alexander Gordonus, Anglus :

(9) Gallice *Amsterdam chez Pierre Mortier* 1751. 12 vol. 2 et ibi Epistolae ad F. Hieron. Savonarolam.)

A Lud. Jacobo a S. Carolo memorantur ejus *Clypeus defensionis fidei Romanae Ecclesiae*, Argentorati 1497. *De Cardinalium excellentia, et officio Vice-Cancellarii*, *Glossa in regulas Cancellariae* ad Innocentium VIII. *Epistolae* ad Cardinalem Ximenium in vita Ximenii. Epistolae ad Franciscum Philelphum. Epistolae in caussa Hieronymi Savonarolae. *Constitutiones XII* in Laërtii Cherubini bullario magno tom. I, pag. 460-476 inter quas secunda A. 1493 *de novi Orbis insulis terrisque* versus Occidentem et Meridiem a *linea per Azores ducta*, Ferdinando Hispaniae Regi concedendis, *ut populos in illis degentes ad Christianam Religionem suscipiendam inducere velit et debeat*: et apud Bzovium ad Annum 1493 num. 20. Raynaldum tomo XIX, pag. 421 et Leibnitium in Codice Diplomatico tom. I, pag. 472. Constitutio *de baptismo Ruthenorum non iterando*, apud Raynaldum ad Annum 1501 num. 37 atque in Conciliis Labbei tom. XIII. Epistolae duae *ad Episcopos Hispanos, et bulla fundationis Academiae Valentinae* A. 1500 apud Agvirrium tom. III. Conciliorum Hispaniae pag. 689 seq. *Decretum de libris*

sine censura non imprimendis, apud Raynaldum ad Annum 1501 num. 36. Bulla *super Canonizatione Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis,* in Conciliis Labbei tom. XIII, pag. 1476 et Harduin. tom. IX, pag. 1552. Omitto alia obvia apud Bzovium, Raynaldum etc.

* Praeter epistolas Alexandri jam vulgatas alias nondum J. publici factas ego in MS. Codice Felini reperi luce dignissimas. Sunt autem illae ad Carolum VIII Francorum Regem eiusdem argumenti omnes, sed stylo variato, cuius rei ea forte ratio subest, quod Alexander quam efficacissimas literas ad Regem, ne veniret in Italiam, scribere optans, tribus diversis viris typum conficiendum curavit, ut quod optimum judicaret, seligeret. Singuli igitur singulas dederunt; suam Felinus, alteram L. (nempe Leonellus de Cheregatis) Concordiensis Episcopus; tertiam L. (forte Ludovicus) *Podviathanus.* Quam selegerit Pontifex, ignoro. Altera data est *ad Regem et Reginam Castellae et Legionis* etc. gratiasque agit de oblato adversus Turcas auxilio. Est demum altera ad *Mediolani,* et *Bari Duces*; quos a turbanda bello Italia avertere conatur. *Instructiones Alexandri VI suis legatis traditae* indicantur in Bibliotheca Vaticana. Monfaucon Bibl. MSS. pag. 26.

ALEXANDER *Achillinus*, Bononiensis Philosophus, acer Averrois sectator docuit Patavii, ac deinde Bononiae, ibique obiit An. 1525. De illo Nicolaus Comnenus Papadopoli in Historia Gymnasii Patavini tom. I, pag. 298 seq. ubi scripta memorat: *De potestate Syllogismi. Distinctiones in capita XXV distributas. Quaestiones VIII. Expositionem primi Physicorum. De proportionibus motuum. Tractatum de elementis*, *libris III. De Orbibus libros IV. Quodlibeta V. de Intelligentiis.*

ALEXANDER *Alemannicus*, Saxo, Ordin. Minorum, inter Scholasticos Sec. XV. *Doctor illibatus*, Auctor Commentariorum *in Apocalypsin* atque *in quatuor sententiarum libros.*

ALEXANDER *Alesse.* sive *Alesius,* Edinburgensis Scotus, natus An. 1500, 23 Aprilis, ex Sententiariorum schola et Lutheri adversariis primum, deinde ejus ac Melanchthonis amicus et Doctrinae Lutheranae constans assertor, Theologiam docuit Francofurti ad Viadrum ab An. 1540 et deinde Lipsiae ab Anno 1543 usque ad 1565 quo diem obiit 17 Martii. De eo Jac. Thomasii Oratio XIV et Observationes selectae Hallenses VII 21. Baelius in Lexico, Joannes Christophorus Becmannus in vitis Professorum Francofurtensium p. 97 seq, et Georgius Mackenzie in vitis Scriptorum nationis Scoticae, editis Anglice Edinburgi 1711 fol. tom II, pag. 144 seq. qui ab hoc Alesio ansam petit plura dicendi de Luthero et universa Reformationis Ecclesiae historia. Scripta hujus Alesii: *in Psalmos*, *Johannis Evangelium*, *Epistolam ad Romanos*, *utramque ad Timotheum et ad Titum. De Scripturis Sacris lingua vernacula legendis*, contra Cochleum. *Responsio ad Cochlei calumnias. De Verbi auctoritate,* adversus Episcopum Londinensem. Scriptum *contra Decretum Episcoporum Scotiae.* Contra *Serveti* blasphemias. Contra errorem *Valentini Gentilis* assertio Catholicae doctrinae de SS. Trinitate: Disputatio de perpetuo consensu Ecclesiae: Responsio ad XXXII articulos Theologorum *Lovaniensium.* De Justificatione contra *Adamum Osiandrum. Dissertationes anti-Tapperianae* (contra Ruardum Tapperum) quarum quinta est de necessitate et merito bonorum operum.

ALEXANDER *ab Alexandro,* * JCtus Neapolitanus, in patria et Romae cum causas gessisset cum laude, lib. VI cap. 7 genial. dierum ait foro se renunciasse, *quod videret Patronis contra vim potentiorum aut gratiam nihil praesidii esse, nihil opis*, *et frustra se in legum controversiis tantum laboris et vigiliarum suscipere.* Diem obiit Romae Anno 1523, 2 Octobris, annos natus duos ac sexaginta. Mitioribus igitur studiis per multum tempus, cum se oblectasset, anno ante obitum edidit Romae 1522 fol. et Andreae Aquavivae, Duci Adriae dicavit, notissimum illud opus *dierum genialium, sex libris* distinctum, vere quoddam, ut vocatur a Vossio, *promtuarium antiquitatis*, prae-

* Bis Alexander, praenomine et nomine gentilitio, ut Marcus Marci, Adrianus ab Adriano etc.

cipue illustratum commentariis *Andreae Tiraquelli*, Lugduni 1586 fol. et Francofurti 1594 fol. quibus loca veterum Scriptorum, ex quibus singula Alexander depromsit, indicantùr: accedunt scholia *Dionysii Gothofredi*, *Christophori Coleri* et *Nicolai Merceri*, recusa etiam cum Tiraquellicis in editione nitida Lugduni[Batavorum]. 1673, 8 duobus Voluminibus. Etiam Gallice versi dies geniales a Bernardo de la Roche, teste Francisco Crucimanio in Bibliotheca Gallica pag. 476 et Latine sine commentariis iterum editi Parisiis 1532 et frequenter tum in eadem Urbe, tum Coloniae, Lugduni, Francofurti, Hannoviae, ut ab Hendreichio pag. 106 est annotatum, sed nulla est, quam ille memorat, editio Norimbergensis Anno 1484. *Dissertationes* vero *quatuor de rebus admirandis* excusae Romae sine anni nota in quarto non fere alia continent, quam quae in diebus genialibus succincte scripta leguntur *de somniis, et de Juniano Majo* lib. I. c. XI et *de umbrarum figuris* lib. V cap. XXIII, Vide Leonhardi Nicodemi additamenta ad Bibliothecam Nicolai Toppi Neapolitanam pag. 5 seq. Diarium Eruditorum Italiae tom. XX, pag. 127 seq. tom. XXI, 369. Baelii Lexicon, Joannem Baptistam Recanatum in Observationibus Criticis ad Poggiana, Laurentium Crassum tom. I. Elog. pag. 7 ubi etiam Iconem Alexandri hujus aere descriptam reperies, Jacobum Gaddium de Scriptoribus non Ecclesiasticis tomo I, pag. 25. Hieronymum Ghilinum tomo I. Theatri Eruditorum Virorum pag. 6, D. Joannem Fabricium Helmstadiensem Theologum T. VI. Bibliothecae pag. 245 ubi praeter rem Alexander noster traditur fuisse Protonotarius regni Neapolitani, id enim verum de *Antonio Alexandro*, quem ante illum Pancirollus II, 122 de claris Legum interpretibus, magna nominis celebritate Neapoli docuisse et postea Regio Consilio Vice-Protonotarium praefuisse testatur.

ALEXANDER *de Alexandria*, Ordinis Minorum Generalis An. 1313 et 1314. Romae mortuus, Ejus memorant Postillam *in Esaiam*, *Ecclesiasticum*, *Tobiam*, *Evangelium Johannis* et *Epistolas Pauli*. *Questiones varias* et *Quodlibeticas*. *In Magistrum sententiarum* et in eundem *summam quaestionum Bonaventurae*. In *Aristotelis Metaphysicam*, et *libros de anima* etc. Vide Waddingum pag. 7 et Annales ejus ad An. 1313 seq.

ALEXANDER *de Ancilla*, vide mox *de Antella.*

ALEXANDER *Anglus*, vide *S. Augustini*, *Cantuariensis*, *Essebiensis*. *Hales* etc.

ALEXANDER *de Antella*, JCtus, ex illustri Florentinorum familia Antellensi, de qua Ughellus tomo I. Italiae Sacrae pag. 150 ubi de Philippo Antellensi, Episcopo Florentino, qui An. 1361 diem obiit, et Julius Niger in Historia Scriptorum Florentinorum edita Italice pag. 15. Lambecius tomo II, pag. 835 refert in Bibliotheca Caesarea exstare MS. *Alexandri de Ancilla* de Florentia, Decretorum Doctoris tractatum *de permutatione Beneficiorum Ecclesiasticorum,* sive Repetitionem C. *Licet.* de rerum permutatione in Sext. absolutam An. 1355 die 11 Novembris in studio Paduano. Addit autem sibi eundem hunc videri cum *Alexandro de Antillo*, quem Joannes Jacobus Frisius in Bibliotheca universali refert scripsisse Repetitionem C. *Tibi*, *qui.* De Rescript. in Sexto.

* Coniectura Lambecii, de qua hic Fabricius, veritati congruit; nam in Biblioth. Felini n. 309 est liber impressus absque loco et anno, in quo legas: *Alexandri de Antella de Florentia repetio* in cap. *Tibi*, *qui* Est igitur idem ac Florentinus Doctor eiusdem nominis, qui de permutatione Beneficiorum scripsit

* Aliud Doctoris huius opus MS. servat Cod. Felinianus n. 223, nempe Alexandri de *Antila additiones ad tractatum Friderici De Senis de rerum permutatione.* (Ex t. VI.)

ALEXANDER *Aquicinctensis*, infra *Alex. Atrebas.*

ALEXANDER *de Arbitris*, Ordinis Minor. cujus fertur *Enchiridion Confessorum*, editum Venet. An. 1522.

ALEXANDER *Ariostus*, Ordinis Minorum, cujus *Minorica*, sive Enchiridion de animarum curanda salute et de praerogativa Fratrum Minorum prodiit Venetiis 1513. Vide Possevinum.

* De usuris opus impressum incert. loco

per Balthassarem de Hibernia An. Dom. 1486 in 4.

* De patria viri huius docti dissident eruditi; mihi tamen vix dubitatio superest, quia Ferrariensis censendus sit, cum in opusculo eius *de usuris*, quod adhuc in vivis agens an. 1486 produxit, Ferrariensis in ipsa operis fronte scribatur. (Ex t. VI)

ALEXANDER *Atrebas*, Coenobii *Aquicinctini* Ordinis Cluniacensis *(Anchin)* Abbas octavus S. Mariae circa Annum 1200 (non secundus Monasterii S. Salvatoris, ut Vossius, notatus inde a Sandio.) Dicitur scripsisse vitam decessoris sui *S. Gossvini* defuncti Anno 1196, 9 Octobris, editam Duaci 1620, 4 a Richardo Gibbono, sed verius est illam scriptam a duobus Monachis, qui vixere sub Simone Abbate, qui huic Alexandro successit. Vide Jacobi le Long Bibliothecam Histor. Galliae num. 4830.

ALEXANDER *Augustinianus*, infra, *Alex. de Oliva.*

ALEXANDER, *Abbas S, Augustini Cantuariensis*, circa Annum CHristi 1217 cujus exulcerati animi reprehendit acerbitatem et scripta haec refert Pitseus pag. 287. *Victoriam a Proteo.* Librum *super variis articulis fidei.* Et *de Ecclesiae potestate. De potestate vicaria*, et *De cessatione Papali.*

ALEXANDER *Bassanus.* infra, *Alex. Magius.*

ALEXANDER *Benedictus*, Veronensis, Medicus a Venetis adscitus, interfuit bello Anno 1495 quod in Italia gessit Carolus VIII Galliae Rex. Scripsit itaque Diarium illius belli Carolini libris duobus ad Augustinum Barbadicum Venetorum Principem, quorum prior est *de Tarrensi pugna*, alter *de obsidione Urbis Novariae.* Venetiis 1496, 4. et ad calcem Historiae Venetae Petri Justiniani, Argentorati 1611 fol. ac denique in Joannis Georgii Eccardi corpore historico medii aevi, Lipsiae 1723 fol. tom. II pag. 1578 ut Italicam Ludovici Dominici versionem Venetis 1549 editam omittam. Vide Diarium Eruditorum Italiae tom. XVI pag. 468 sqq. Scripta ejus de re medica et anatomica, qui volet ex Scriptoribns Bibliothecarum Medicarum, Lindenio, Merklino et Mangeto repetet.

* Nec in tomo XVI Diarii Eruditor Italiae, nec alicubi indicatur Alexandri huius epistola ad Symphorianum Camperium Lugdunensem Medicum data an 1508, quam ego ex collectione epistolarum ad eumdem Camperium scriptarum edita Venetiis an. 1519 repetii.

ALEXANDER *Campolongus*, sive *de Campo Longo*, Patavinus, JCtus, Prior S. Leonardi, Patavii defunctus A. 1405, de quo Bernardinus Scardeonius libro II de claris civibus Patavinis.

ALEXANDER Monachus *Cantuariensis* Ordinis Benedictini Cluniacensis, circa Annum CHristi 1120. Scripsisse traditur *de dictis S. Anselmi*, * Cantuariensis Archiepiscopi. De Alio Alexandro Cantuariensi juniore, supra, *Abbas S. Augustini.*

ALEXANDER Monachus. *Carpinetanus.* vide mox Casae novae.

ALEXANDER Monachus *Casae novae*, Ordinis Cisterciensis, in Aprutio regni Neapol. Dioecesis Pennensis circa Annum CHristi 1300. Scripsit *Chronicon sui Monasterii*, S. Bartholomaei de *Carpineto*, libris VI usque ad tempora Papae Coelestini III. MS. fuit apud Ughellum, qui illud edidit in Italia Sacra. Exstat tom. IX pag. 1231 atque editionis novae tomo X pag. 349.

ALEXANDER *Castrensis* in Anglia Episcopus sub Henrico III Angliae Rege, qui fuit ab Anno CHristi 1226 ad 1272. *Commentarios* ejus in Psalmos memorat Lelandus cap. 234.

ALEXANDER *Celesini*, rectius *Telesini*, Telesiae in regno Neapoli, Coenobii *Abbas* Ordinis S. Benedicti, composuit *libros IV* (non *sex*, ut in Oudini commentariis legas) *de rebus gestis Rogerii filii*, ab Anno 1130 usque ad 1152 utriusque Siciliae Regis, qui spirante adhuc Rogerio, Anno 1136 quem extremo libro quarto pag. 664 edit. Murator. alloquitur, scripti. Vide Pagium ad Annum 1135 num. 26. exstant in Andreae Schotti Hispania illustrata tomo III Francofurti 1613 fol. post editonem Hieronymi Suritae cum Gaufredo Malaterra Monacho et indicibus

* Meminit hujus Alexandri S. Anselmus Epist. III. 45 et IV. 57 ubi *fratrem et filium* appellat.

rerum ab Aragoniae Regibus gestarum, Caesaraugustae 1578 fol. Deinde additis capitum argumentis in tomo V scriptorum Italiae Clariss. Muratorii, Mediolani 1724 fol. et in Scriptoribus Siculis Joannis Baptistae Carusii, Panorm. 1723 fol. tom. I, nec non in tomo quinto Thesauri Antiquitatum Siciliae, Lugduni Batavorum 1722 fol. Negligentiorem esse in temporum notatione monet Vossius 2 de Histor. Lat. pag. 430.

ALEXANDRO *Cestriensi* Episcopo, circa Annum CHrisii 1240. *Sermones* et *Volumina in Psalmos* tribuit Gvil. Eysengrenius pag. 112 non diversa, ut suspicor, quam quae Alexandri de Hales sunt, de quibus infra.

ALEXANDRI *Cicestrensis*, Canonici *Laus Sapientiae Divinae* ex Codice Bibliothecae Sangermannensis laudata a Cangio, non diversa est a poëmate, de quo infra in Alexandro de *Necham.*

ALEXANDER *Conventrensis*, sive *Covetrensis*, in Anglia Episcopus, cujus *Constitutiones* circa Annum CHristi 1237 promulgatae in regimen suae dioeceseos, exstant in tomis Conciliorum Labbeano tomo XI pag. 515. Harduini tomo VII pag. 275 et in Henrici Speelmanni Conciliis Britanniae tomo secundo.

ALEXANDER *Corbejensis* Monachus, infra, *Insulanus.*

T. ALEXANDER *Cortesius*, Secretarius in aula Pontificia sub Sixto IV de quo Jacobus Gaddius t. I de Scriptoribus non Ecclesiasticis. Carmine heroico egregie panxit laudes bellicas Matthiae Corvinii, Hungariae Regis, qui A. C. 1490 diem obiit. Encomium illud saepius editum cum Antonii Bonfinii Historia Hungarica, etiam novissime Col. 1690 fol. et in t. I deliciarum, quas ex Poëtis Italis delegit Janus Gruterus.

* Est mihi prae manibus *Oratio* eiusdem habita coram coetu Cardinalium in solemni celebritate Epiphaniae an. 1483 eodemque vel sequenti excusa est, non signato editionis loco. Direxit illam Pontifici narrans se offerre illi oratoria sua, sicut olim obtulit poetica res a Pontifice gestas celebrantia. In MS. Cod. Canonicor. maioris ecclesiae Lucensis, qui olim Felini erat, extat *scriptum eius contra declamationem Laurentii Vallae in Donationem Constantini.* Queritur in ea Cortesius de Valla, quod iniquiorem se praeberet in Pontifices Romanos, a quibus magnis semper beneficiis fuerat ornatus,

ALEXANDER *Dolensis*, infra, *Alex. de Villa Dei.*

ALEXANDER *de S. Elpidio*, * Umbriae opido, Augustiniani Ordinis ab Anno 1312 Generalis, et ab Anno 1325 Ravennas Archiepiscopus, praeter Commentaria *in Aristotelis libros Topicorum, et Analyticorum priorum, Quaestionesque Ordinarias* scripsit *de Ecclesiastica unitate*, *de paupertate Evangelica*, *de Jurisdictione Imperii*, *de auctoritate Summi Pontificis*, et *de potestate Ecclesiastica* ad Papam Johannem XXII *libros II* post editionem Lugdunensem 1498 et Ariminensem 1624 recusos in tomo secundo Bibliothecae Pontificiae Joannis Thomae Rocaberti, Romae 1695 fol. Vide Philippi Elssii Encomiasticon Augustinianum pag. 29 qui Ravennatensem Archiepiscopum creatum esse scribit Anno 1325 sed illi Ecclesiae tunc praeerat Aymericus, neque Alexandri inter praesules Ravennatenses mentio apud Ughellum tom. II pag. 388.

* Opusculum eius De Ecclesiastica potestate, quo probat Ecclesiasticam Pontificis auctoritatem extendere se tum ad spiritualia, tum ad temporalia, prodiit integro quadriennio ante editionem Lugdunensem an. 1498. Verso enim manibus librum illum excusum in 8 editionis Taurinensis an. 1494 per Nicolaum de Benedictis et Jacobinum Suigum.

ALEXANDER de *Sommerset*, qui etiam *Staffordiensis* Chronographus nonnullis audit, Prior Coenobii in Anglia *Essebiensis* Canonicorum Regularium S. Augustini, neque cum Alexandro de Necham confundendus, licet et ipse carmine ac prosa clarus inter Scriptores saeculi decimi tertii. Carmine quidem elegiaco scripsit, ac Baptistae Mantuani fastis sacris praelusit opere *De sacris diebus*, sive de gestis, passionibus et miraculis Sanctorum, * *libris duobus: Fe-*

* Vitiose apud Gesnerum *de Clipido.*

* Specimina quaedam apud Lelandum cap. 218 pag. 245 seq.

stivale atque *Horarum Canonicarum seriem. Vitam* quoque *S. Agnetis*, eam ipsam, ut judicabat Daumius, quam sub Hildeberti nomine Barthius et Rivinus edidere. Tum Vitas Eremitarum *Bertellini,* ac *Lungari:* Prosa praeter *Sermones* et *Epistolas* composuit *Epitomen Historiae* speciatim *Britanniae* quae incipiens a nato CHristo desinit in An. 1263. Etiam *Compendium Historiarum Biblicarum* Frisius ei tribuit.

ALEXANDER *Halensis*, sive *de Hales*, Monasterio Comitatus Claudiocestrensis in Anglia *(Glocester)* Ordinis Minorum, defunctus Parisiis Anno 1245. Magister Bonaventurae et Johannis Duns, sive Scoti. Inter Scholasticos *Doctor irrefragabilis,* atque ut est in ejus Epitaphio:

Gloria Doctorum, decus et flos Philosophorum,
Auctor scriptorum vir Alexander variorum
Norma modernorum, fons veri, lux aliorum.

Vide Waddingum in Bibliotheca Ordinis Minorum, et tomo I Annalium ad Annum 1245. Busaeum tomo III Academiae Paris. pag. 200 seqq. et 673 seq. Elogium a Jacobo Gaddio, Possevinum, Oudinum, aliosque. Ex ejus *Postillis in universa Biblia*, quorum potior pars in variis Bibliothecis MSta asservatur, prodierunt *Commentarii in Psalmos*, sub Bonaventurae, et maxime sub Hugonis de Caro Cardinalis nomine, saepius editi Venetiis 1496. Lipsiae 1554. Venet. 1575. Colon. 1621 fol. Et *in Apocalypsin*, Parisiis 1647 fol. *Summa universae Theologiae* quadripartita, in qua visus est omne punctum tulisse, absoluta a Gvilelmo de Melitona et aliis sodalibus post Alexandri mortem An. 1252 edita, Basileae 1502 Norimbergae 1482 Venetiis 1576. Coloniae 1622 fol. Ex qua Compendium Prosperi Urbinatis Summula resolutionum Alexandri, Possevino valde laudatur. Ab illa summa diversae *Quaestiones in quatuor libros Sententiarum* dicuntur lucem vidisse Lugduni 1515. *Commentarius in Metaphysicam Aristotelis*, Venet. 1572 fol. quem alii malunt Alexandro de Alexandria adscribere. *In libros tres de anima*, Oxoniae 1481 fol. *Summa de Virtutibus*, Parisiis 1509 fol. ex qua Vincentium Bellovacensem notant multa in speculum suum morale derivasse. Non esse autem Alexandrum auctorem hujus summae, nec Thomam ex illa suam secundam secundae compilasse, contra Waddingum disputat Jacobus Quetif. tomo I Bibliothecae Dominicanorum pag. 318 seq. neque Alexandrum praeceptorem fuisse Thomae Aquinatis, Natalis Alexander tomo VII Histor. Ecclesiast. pag. 707 seq. edit. in folio. *Destructorium Vitiorum*, Norimbergae 1496 Venet. 1582 fol. quod non Halensis, sed longe junioris Sec. XIV Scriptoris esse probat laudatus Quetif pag. 319. *Concordiam utriusque Testamenti,* et *Mariale magnum* libris sex, librum *de Verbis exoticis, Vitam Richardi*, Regis Angliae, et *Thomae Cantuariensis*, aliaque Waddingo memorata, nemo hactenus in lucem protulit, uti nec *Volumen de factis Mahometi*, quod laudat Gvil. Eysengreinius in Catalogo testium Veritatis pag. 113 nec *Concordiam Divini Juris et Humani*, cujus mentio apud Lelandum cap. 231.

ALEXANDER *Heckam*, apud Possevinum confictus ex Alexandro Neckham, quomodo recte etiam apud Eysengreinium pag. 109 scribitur, ad quem Possevinus provocat.

ALEXANDER *Hessus*, eidem laudatus Eysengreinio pag. 175 ad Annum 1474 sacrae paginae Doctor, Philosophus, Rhetor, ac Poëta, ubi ejus libros IV de Sacrosancta CHRISTI Salvatoris Incarnatione celebrat.

ALEXANDER Tartagnius *de Imola,* sive Forocorneliensis, JCtus, Joannis de Imola discipulus, qui Bononiae, Patavii, et Ferrariae docuit post medium Saeculi a CHristo nato XV obiitque Anno 1487. Vide Catellianum Cottam de Jurisperitis pag. 528. Praeter additiones ad Baldum, scripsit ipse Lecturas in Digesta, et Codicem, Consiliorumque et Responsorum libros VII et Commentarios in sextum Decretalium et Clementinas, Venetiis et Lugduni saepius edita. In Caroli Molinaei notis multa delenda velint Indices expurgatorii, quae videre licet etiam apud Possevinum.

**(Haec aliena sunt ab hoc loco)* Disputatio eiusdem curante JCto Nicolao Tegrimio Lucensi prodiit Lucae in fol. typis M. Henrici De Colonia, et Henrici de Haerlen au. 1491. Altera eius *Disputatio discussa Ferrariae a*

doctissimo Juris scholare D. Paulo Turrettino Lucensi prodiit apud Nozanum, Lucensis agri castellum, in suburbano clariss. JCti Nicolai Tegrimii an. 1491.

Quae typis excusa prodiit Alexandri *Lectura in Codicem*, haec ex duabus quas dedit in eumdem Codicem, secunda est dictata ab eo Paduae, dum pubblice regeret. Priorem antea produxerat legens Ferrariae an. 1460 eamque ex ore dictantis exceptam a Jacobo de Ferrariis de S. Felice servat MS. codex Felini in Bibliotheca Canonicorum maioris ecclesiae Lucensis. In fine eius codicis haec lego: *Haec fuit prima lectura Alexandri. Secundam pluribus additis dedit postea Paduae, quam habes impressam.*

Codex Felinianus MS. 444 offert *D. Alexandri* (De Imola) *commentarium* super tit. ad L. Falcid. et Trebellian. Adnotat vero manu sua Felinus haec non negligenda: Haec fuerunt posterioribus annis collecta taliter et qualiter sub D. Alexandro non dante in scriptis, sed certis auditoribus velociter glomerantibus, quidquid ab eius ore formaliter exibat »

ALEXANDER *Insulanus*, Monachus Corbejensis, ex stirpe Comitum de Insula, quorum castrum quondam fuit vicinum Civitati Hildesiae : post Annum 1204 scripsit, sive continuavit *Isibordi ab Amelunxen* breviarium rerum memorabilium, sive physicarum rariorum Observationum Capita LXVI. Primus edidit suasque observationes adjunxit. D. Christianus Franciscus Paulini ad calcem Anni quarti secundae Decuriae Actorum Naturae curiosorum, Norimbergae 1686 4.

ALEXANDER *Laïcus*, cujus *Commentarius in Apocalypsin* servatus in Bibliotheca Joannis Mori, Norvicensis Episcopi, in Codice membranaceo in folio, cum Iconibus descriptus Annis abhinc quingentis.

ALEXANDER *Magius*, cognomento *Bassanus*, Patavinus JCtus, circa Annum 1400 de quo Bernardinus Scardeonius lib. II de claris civibus Patavinis pag. 242.

ALEXANDER *de Marchia,* Augustinianus, circa Annum 1336 cujus nihil nisi *Commentarios in primum Sententiarum* memoratum reperi.

ALEXANDER *Nechamus, Neckam,* (apud Gesnerum, et in Epitaphio apud Bostonum Buriensem et Baleum III 86. *Nequam*) Hartfordiensis, in Coenobio Sancti Albani in Anglia enutritus, deinde docuit Parisiis et redux in patriam inter Canonicos Augustinianos Abbas Excestriensis (Lelandi stylo Corinensis, sive Cirencestrensis) Anno 1215 diem obiit. Vide Bulaeum tomo II. Histor. Acad. Paris. pag. 725. Scripsit Carmine elegiaco *de laude Sapientiae Divinae*, quod incipit: *Gloria, Majestas, Deitas, Sapientia.* Ex illo locum insignem (ubi de vita studiisque Nechami) affert Lelandus cap. 218 atque alibi * cum in hoc opere *tantum non ad justam eloquentiam assurgere* judicat. *Libellum de Officio Monachorum*, Anselmo perperam tributum, qui incipit · *quid deceat Monachum.* Aliud Carmen *ad viros religiosos*: *Taedia nulla chori tibi sint* etc. Fabulas, sive *novum Æsopum*, cujus initium : *Ingluvie cogente lupus dum devorat agnum.* Similiter *novum Avianum*, qui et ipse fabulas scripsit, ita enim legendum conjicio apud Baleum, non *Anianum.* Incipit: *Vincere quos lenis nequit* etc. *Commendationes Vini* libris tribus, hoc initio : *dum corpus curas, studeas* etc. *Carmina diversa*, quorum initium: *Cortice nudato Tisarantus* etc. *Promethicon* carmine et prosa, incipit: *Sponte sua genius me provocat* etc. *De conversione Magdalenae : Ad mensam Domini veniens haec* etc. In aliis quoque lucubrationibus suis versus interposuit, ut in *septem libris de Naturis rerum* prosa scriptis, quale est *Tetrastichon de septem lapidibus*, quod Leyserus pag. 993 de Poëtis medii aevi memorat, Caetera ejus scripta sermone prosario sunt *Mythologia*, sive *Scintillarium Poëseos*. ubi de Diis, Heroibus, et de fabulis Poetarum. *In Metamorphosin Ovidii*, *in Marciani Minei Felicis Capellae* libros de Nuptiis Mercurii et Philologiae. *Corrogationes Promethei* libris IV hoc initio: *ferrum cito rubiginem ducit* etc. *Isagogicum* de Grammatica, sive *Isagoge ad artes. De figuris et tropis. Elucidarium Bibliothecae*, incipit: *De singulis Bibliothecae libris* etc. Exstat in variis Bi-

* Collectanea Lelandi de rebus Britannicis a Thoma Hearne edita tomo III pag, 148.

bliothecis Angliae, atque continet explicationem locorum difficilium Sacrae Scripturae, ut Caveus producto specimine annotavit. Nemo autem nescit, sacras litteras Bibliothecae venisse nomine, de quo infra in voce BIBLIOTHECA. *Speculum Speculationum* libris VI. *Quaestiones variae. De rebus creatis in specie. Distinctiones verborum. De utensilibus. Repertorium Vocabulorum. Vocabularium Biblicum. Expositio de anima. De virtutibus. De praeceptis Decalogi. De fide, spe et charitate. Cur Filius incarnatur. De adventu Domini. De puritate Mariae. De nativitate Mariae. De annunciatione ejusdem. De desponsatione Josephi. De assumtione Virginis, De laude Divae Virginis. De muliere forti. Regulae in Theologiam. De praeceptis Decalogi. De Virtutibus. Sermones XVIII. Exorcismus*, sive *Baptisterium. De humilitatis gradibus. Octodecim Sermones. In Symbolum Athanasii. Super utrumque Testamentum. Super Psalterium. In Proverbia Salomonis. In Ecclesiasten. In Cantica Canticorum. Super Ezechielem. Novi Testamenti Expositiones. Lectiones Scripturarum. Concordantiae Bibliorum. Moralia Evangeliorum. Correctiones Biblicae,* quales illae, de quibus supra in Albino Alcuino.

* ALEXANDER *De Nevo* Vicentinus jus Canonicum Patavii legit, scripsitque plura Consilia contra tolerantes a Iudaeis publicum foenus exerceri quae MSS. continentur in cod. 244 Biblioth. Felini. Ubi pariter lego tractatum Antonii de Rosellis Aretini de legitimatione, impressum absque adscriptione loci et anni in cuius calce haec adnotantur. *Correptus fuit iste tractatus per eximium utriusque juris Doctorem Alexandrum de Nevo in studio Paduano jura Canonica ordinarie legentem.*

ALEXANDER *de Oliva*, Saxoferratensis Augustinianus: creatus a Pio II. An. 1450. Cardinalis obiit Anno 1463. Praeter *Sermones* 100 et *Orationes*, scripsit *de Coena Apostolis facta*, et *de peccato in Spiritum Sanctum.* Vide Alphonsum Ciacconium in Vitis Cardinalium pag. 1210. Philippum Elsium pag. 27 seq. Cornelium Curtium in elogiis Eremitarum S. Augustini pag. 83 seq. Bzovium ad Annum 1463 num. 34 etc.

ALEXANDER *Ravennae* Episcopus, supra *Alex. de S. Elpidio.*

ALEXANDER II. Rex Scotiae, qui Anno CHristi 1249 diem obiit. Ejus *Statuta* edidit Johannes Skenaeus in Regia Majestate, sive veteribus Legibus et Constitutionibus Scotiae, Londini 1613 in folio.

ALEXANDER *Severus*, ab Anno CHristi 222 ad 235. Imperator, *Vitas Principum bonorum versibus* scripsit, teste Lampridio cap. 27 Latinis an Graecis, incertum: licet Graecis malit Vossius, qui ideo in Graecis Poetis et Historicis Alexandro locum dedit. Principes boni, ut idem ex Vopisci Aureliano cap. 42 observat, fuere Augustus, Titus, Nerva, Trajanus, Adrianus, ambo Antonini et Septimius Severus.

ALEXANDER *Somersetensis*, vel *Stasfordiensis.* supra, *Essebiensis.*

Sulpicius ALEXANDER, cujus *Historiam* multa *de Regibus Francorum* narrare scribit Gregorius Turonensis libro II, ubi quaedam de antiquissimis illorum Ducibus ex hoc Alexandro refert.

ALEXANDER *de Tartagnis.* supra, *Imolensis.*

ALEXANDER *Telesinus*, supra, *Celesinus.*

ALEXANDER *de Verg*, Augustinianus, circa Annum CHristi 1336 cujus in Magistrum Sententiarum Commentarii memorantur.

ALEXANDER *de Villa Dei,* sive *Villadeus*, Aremoricus Dolensis, Ordinis Minorum, Grammaticus et Poeta clarus, cum Ysone et Rodolfo Anglico docuit Parisiis et circa Annum 1209 scripsit avide receptum illa aetate * in scholis *doctrinale* puerorum, sive Grammaticam Latinam excerptam e Prisciano, et versibus Leoninis comprehensam, ut facile esset totam mandare memoriae. Incipit: *Scribere clericulis paro Doctrinale novellis.* Beughemius editionem Moguntinam Anno 1462 memorat, quam usquam exstare dubito: sed exstat Veneta An. 1473 fol. Ut alias juniores Ἐκδόσεις, etiam cum commentis Ludovici de Gvaschis.

* Henr. Gandav. cap. 59 de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Hermanni Torrentini, Kemponis Thessaliensis, et aliorum explanationibus ac commentis praeteream. Eas, qui volet, in Hendreichii pandectis, et Leyseri Historia Poetarum medii aevi pag. 767 reperiet. Vide etiam Diarium Eruditorum Italiae tom. XXIV, pag. 270 seq. ubi memorantur Alexandri hujus vita, et emendatio ac supplementum doctrinalis ejus a Pontico Virunio, notaeque Joannis Francisci Broccardi Pyladis, Brixiensis, excusa 1502, 4. Sane identidem typis exscriptum est hoc Doctrinale, donec Johannis Despauterii, de quo infra, et aliorum meliorum Grammaticorum lucubrationes illud manibus studentium * excussere. Waddingus notat Alexandri Carmina tersiora reddita ab Huberto Susannaeo. Apud Oudinum *Grammatica versificata* ex Codice MS. appellatur, ita enim, non *verificata* legendum est. Apud Hendreichium *Doctrinale glossatum*, sive codex, in quo Glossarium hujus Alexandri Alphabeticum, traditur extare 3000 *annorum*, quod perperam impressum nemo non videt pro 300. Prae ceteris autem memorari meretur hujus Alexandri *Summa* sive *Argumenta capitum omnium Biblicorum utriusque Testamenti*, versibus hexametris CCXII (non ut apud Possevinum legas *duodecim millibus*) succincte comprehensa, brevique interpretatione adjuta hunc in modum;

1. 2. 3, 4.
SEX, PROHIBET, PECCANT, ABEL,
5. 6. 7.
ENOCH, ET ARCA FIT, INTRANT.
1. 2. 3. 4.
dies, lignum vitae, primi parentes, occiditur,
5. 6. 7.
transfertur, a Noë, in arcam.

Prodiit hoc Summarium Biblicum in apparatu ad Biblia maxima Johannis de la Haye, Parisiis 1660 fol. et in Josephi Mariae a Turre Januen. tomo III. Institutionum ad Verbi Divini intelligentiam p. 564. Parmae 1711 fol. Plures Summariorum hujuscemodi Mnemonicorum ac Compendiorum Biblicorum Scriptores dabunt Rev. noster Wolfius tomo II. Bibliothecae Hebraicae pag. 247. Joannes Michael Langius Dissertatione de Compendiis Biblicis, Altdorfii 1697. Georgius Serpilius praefatione ad Davidis de Schweinitz Biblia Parva, Ratisbonae 1718, 8. Christ. Albertus Ermilius praefatione ad Christiani Reimanni *Suldenes* ABC, Lubbenae 1728 8. Quae autem Alexandro nostro apud Sixtum Senensem et alios tribuuntur *Acta Apostolorum versibus expressa Leoninis*, illa Petri de Riga esse laudatus Oudinus bene annotavit. Idem memorat M Stam in Ultrajectina Bibliotheca *Massam Computi* metrice ab Alexandro compositam ad Jura Matris Ecclesiae observanda: cum *Algorithmo*, *Kalendario*, et *Sphaera*.

* Joannes Maldonatus pag. 15 Epist. *Cur igitur Alexandrum, Pastrannam et totam illam veterum Grammaticorum barbariem ablegavimus?*

* Versus illos exametros authori huic attributus quamquam non nego legi pariter in apparatu ad Biblia maxima P. De la Haye, diu tamen antea expressi typis prodierunt; lego enim illos in Bibliis cum concordantiis Veteris et Novi Testamenti editis Venetiis apud Lucam Antonium De Giunta Florentinum an. 1511.

ALEXANDER *Vulturnensis*, in Campania Felice Episcopus, scripsit *Vitam S. Alberti*, Moncorbiensis in Apulia Episcopi, quae exstat in Actis Sanctorum 5 Aprilis tom. I pag. 434.

ALEXANDER *Wendocus*, sive *Venedotius*, Cambro-Britannus, qui Anno 1238 diem obiit. Ejus *Postillas in Psalterium*, *Sermones* et *Lecturas* Pitseus pag. 308 commemorat.

Ogerius ALFERIUS. infra, Chronica *Astensia*.

ALFONSUS. vide, ALPHONSUS.

ALFRFDUS *Anglicus*, quem cognomento *Philosophum* Anno 1270 vixisse, Pitseus pag. 351 annotat, testaturque etiam *in meteora Aristotelis* scripsisse, et *in Boethium de Consolatione Philosophiae* et librum *de Musica*, is ipse est, de quo dixi supra in ÆLFREDO, ubi etiam de *Alfredo Beverlacensi* Historico, et de *Alfredo Magno* Rege. Alfredi hujus Magni *Leges* etiam *Ecclesiasticae* circa Annum Christi 887 sed Anglo-Saxonica lingua promulgatae exstant in Gvilelmi Lombardi ἀρχαιονομίᾳ, Londini 1568, 4 et in Appendice Abr. Wheloci ad Bedae Histor. Ecclesiast. Cantabrigae 1644

fol. et apud Speelmannium t. I Concilior. Britanniae pag. 354, 364 ubi et antiqua earum versio Latina pag. 375 et aliae ab Alvredo et Guthurno latae pag. 375 ex veteri Latina versione in Chronico Joannis Bromptoni, Abbatis Jornallensis, quae apud Lombardum desiderantur. *Testamentum* Alfredi hujus in ejus vita scripta ab Asserio pag. 22.

ALFREDUS in Glastoniensi Monasterio educatus, atque inde ex Abbate *Malmesburiensi* Episcopus in Anglia *Cridiensis* in Westsexia Devonia Angliae, clarus circa Annum 980 scripsit *libros de naturis rerum,* et *de rebus Coenobii Glastoniensis,* et *de S. Aldhelmo.* Vide Pitseum pag. 179 seq. et Johannem Prince in Viris illustribus Devoniensibus, the worthies of Devon, Exonii 1701 fol. Acta Erudit. 1702 p. 282.

ALFREDUS *Nothus,* Osvii Regis Nordamhumbrorum ex concubina filius, exul in Scotia, teste eodem Pitseo pag. 115 studiis litterarum se totum dedit, obiitque Anno 705. Ex scriptis ejus, quorum plurium ipsos etiam titulos ait intercidisse; nihil aliud commemorat, quam *Epistolam ad Adamannum* colludium suum, aliamque *ad Hildam Abbatissam,* et *librum Epistolarum ad Colomannum et suos.*

ALFRICUS. supra, ÆLFRICUS.

ALFRICUS, Abbas *S. Albani*, Benedictinus, cujus *Liturgiam*, *quam ad usum Mochorum suorum composuit*, laudat Matthaeus Paris et ex eo Pitseus pag. 825 ac Baleus Centur. X p. 38.

De aliis ALFRICIS supra in ÆLFRICO.

ALFRIDUS, sive *Altfridus* Mimigardefordensis, sive Monasteriensis in Westphalia Episcopus ab Anno 839 ad 849. Scripsit ad Monachos Coenobii S. Salvatoris *Vitam S. Liudgeri* primi ab Anno 802. Mimigardefordensis Episcopi, quae exstat notis illustrata in Actis Sanctorum 26 Martii tom. III pag. 626 et in Mabillonii Saeculo IV Actorum Benedictinorum pag. 15¦, denique auctior et emendatior ex MSto Gvelferbytano in Leibnitii Scriptoribus Brunsvicensibus tom. I pag. 85 una cum excerpto ex litaniis rhythmicis vitam S. Ludgeri continentibus, Werthinae scriptis. Conferenda vita Ludgeri vulgata a Christophero Browero S. J. in sideribus illustrium et sanctorum vitorum Germaniae, Mogunt. 1616, 4.

ALGERUS, aliis *Adelherus,* vel *Adelgerus*, Diaconus et Scholasticus Leodiensis, deinde Monachus Cluniacensis Benedictinus, ut constat ex Algeri elogio, quod ipso superstite scripsit aequalis ejus *Nicolaus*, Canonicus Leodiensis, ediditque Mabillonius tom. I Analect. par. 303 (editionis novae pag. 129.) Ejus *libros III de Sacramento Corporis et Sanguinis DOMINI* adversus Berengarium vulgavit Erasmus, Antwerpiae 1536 cum Praefatione, quam inter Epistolas Erasmi XXVIII 10 p. 1657. Londinenses exhibent. Recusi sunt deinde ex Joannis Vlimmerii recensione, Lovanii 1561 cum Paschasii, Lanfranci et Gvitmundi scriptis de eodem argumento. * Et in Bibliothecis Patrum Paris. 1575 tomo IV An. 1589, 1644, 1654 tom VI Colon. 1618 tomo XII et Lugd. 1677 tomo XXI.

Librum tripartitum *de misericordia, justitia*, *et de illis*, *qui extra Ecclesiam* (excommunicatis, damnatis, schismaticis, haereticis) primus ex tribus Codicibus vulgavit Edmundus Martene tomo quinto Anecdotorum pag. 1020, premisso etiam Nicolai Leodiensis, quod jam memoravi elogio, et Algeri praefatione, quam solam Mabillonius vulgaverat tomo I Analectorum pag. 307. (editionis novae pag. 130.)

Eodem Nicolao teste *antiquam dignitatem* Leodiensis *Ecclesiae relatione et scriptis majorem adeo diligenter habuit cognitam*, *ut eam totam ad subsidium memoriae scriptam reliquerit.* Sed non lucem vidit illa lucubratio, sicut nec *Carminum* liber, nam et versu valuisse, Trithemius cap. 328 de S. E. et lib. II cap. 90 de illustribus Benedictinis est testatus.

Libellum *de gratia et libero arbitrio*, cujus mentionem facit Trithemius, debemus Viro Clarissimo Bernardo Pez, qui ex Codice Uffenbachiano illum protulit tomo IV Anecdotorum Parte II pag. 113.

* Lanfranci et Gvitmundi scriptis Algerum praefert Petrus Cluniacensis. Antonio Pagio etiam judice ad Annum 1152 num. 18 nemo melius, clarius, eloquentius materiam de S. Eucharistia tractavit.

Ad Annum CHristi 1152 pervenisse Algerum scribit Antonius Pagi ad illum annum num. 18.

ALGERI, sive ADELGERI *Episcopi*, (Augustani forsan, qui diem obiisse traditur Anno CHrist 964.) Ordinis Benedictini, *Admonitio ad Nosvindam reclusam*, seu *liber de studio virtutum*, prodiit in laudati Pezii Anecdotis tomo II Parte II pag. 19.

(10) *Hieronymus* ALIOTTI Arretinus, natus K. Jul. 1412 an. 1430 nomen dedit Ord. S. Benedicti in patrio SS. Florae et Lucillae Monasterio et cum an. 1431 Ambrosius Traversarius supremus Camaldulensium Antistes electus Arretium se contulisset in S.[cto] proposito eum, quem antea noverat confirmavit, ut ex illius Hodoeporico hauritur. In Galliam et in Britanniam cum Bartholom. Zabarella, tunc Archiep. Spalatensi et Jo. Card. Turrecremata Pont. Eugenii IV Oratores, migratus, in Italiam an. 1440 reversus ad Abbatis dignitatem Monasterii S. M. in Mamma an. 1442 evectus ad aliumque SS. Florae et Lucillae an. 1446 translatus, 20 Jul 1480 supremum diem obiit. Videnda volumina duo cui titulus

Hieronymi Aliotti Epistolae (selectae Libri IX Clarorumq. V. ad eum) *et Opuscula: Gabr. M. Scarmallii eiusd. Ord. notis et observationibus illustrata. Arretii Typ. Mich. Bellotti* 1769, 4 ibique Hieronymi effigies, vita et operum syllabus, ex quo haec quam brevissime eruimus.

1. *De felici statu Religionis Monasticae ad Gabrielem Monach. Camald. in monast. Angelorum* (1432.)

2. *De Monachis erudiendis* (Libri II) *ad Eugenium IV Pont. M.* (1442.)

3. *Oratio ad Clerum Florentinum habita* A. D. 1442.

4. *In Funere Bartholom. Zabbarellae Archiep. Florentini Florentiae hab.* a. D. 1445.

5. *Ad Pium II* P. M. *pro Populo Florentino* a. D. 1458.

6. *Gratulatio ad Max. Beatissimumq. Pium II pro felici ac secundo ex Mantuana peregrinatione reditu a D.* 1460.

7. *Pii II Pont. Max. Defensio* a. D. 1466. Haec post Epistolas tomo II.

Inedita

Dialogus de optimo vitae genere deligendo (1439.)

De futuro Eclesiae statu (1454.)

Defensio Francisci Coppini.

Epistola consolatoria ad Laur. de Acciarolis Episc. Arretinum pro dulcissimae matris obitu.

Oratio pro quodam religioso composita.

Praefatio per Dom. Joan. f. D. Ant. de Rosellis Ante repetitionem Legis habita.

Oratio per puerum religiosum hab. ad. R. D. Phil. De Medicis Archiep. Pisarum.

Oratio In die S. Thomae Aquinatis.

In die natalitio S. Benedicti.

In die S. Agnetis.

Pro novo presbytero.

Ad Commissarium Apostolicum.

In die festo SS. Florae et Lucillae.

Latina Carmina.

ALIPHAS Anglus, scripsit *in primum Sententiarum*, discipulus Gregorii Ariminensis, qui diem obiit An. 1358.

ALITGARIUS, aliis *Halitgarius*, *Halitcharius* Episcopus ab Anno 816. Cameracensis et Atrebatensis, Ludovici Pii * ad Michaëlem Imperator. CPol. An. 828 legatus, diem obiit Cameraci An. 831. Ejus *libri V de vitiis, virtutibus et ordine poenitentium* ad Ebonem Remorum Episcopum (in quibus pleraque similia cum *Rabani* libris ejusdem argumenti tomo VI Operum) editi ab Henrico Canisio tom. V lectionum antiquarum Parte II pag. 227. Igolstad 1604, 4,[to] et editionis novae Basnagianae tom. II Parte II pag. 87 nec non in Patrum Bibliothecis recusi Colon. tom. VIII Paris. 1654 tom. V et Lugdun. tom. XIV. *Sextus* liber, quem a scrinio Ecclesiae Romanae Alitgarius ait se descripsisse, a Stevartio vulgatus in supplemento ad Canisium pag. 793 et in Basnagiana editione pag. 132 et sub *Poenitentialis Romani* titulo e Corbjensi MS. ab Hugone Menardo ad Gregorii M. sacramentarium Paris. 1642, 4 pag. 237. Confer, si placet, quae notavi tom. XI. Biblioth. Grae-

* Ita rectius Caveus. Alii, ut Miraeus Sigeberti cap. 122 a Carolo M.

cae pag. 74, 78 et Cointium tom. VIII annal Francorum pag. 146 seq.

Petri ALLADII liber *de ritibus et moribus veterum Lusitanorum* MS. in Codice An. C. 1234 exarato. Vide Nic. Antonii Bibliothecam veterem Hispanam tomo II pag. 270 b.

ALMANNUS, supra, ALEMANNUS.

ALMARICUS, Doctor Parisiensis propter varios errores damnatus in Concilio Parisiensi An. 1209. Vide capita errorum apud Edmundum Martene tom. IV anecdotorum pag. 163 atque adde Bulaeum in historia Academiae Paris tom. III pag. 24, 48 seq. ut omittam haeresiologos, scriptoresque Annalium et Historiae Ecclesiasticae, ut Natalem Alexandrum t. VII pag. 75 sq.

ALPERTUS *Metensis*, Monachus S. Symphoriani, supra ALBERTUS.

ALPHANUS I ex Monacho *Casinensi*, Archiepiscopus ab A. 1058 ad 1085. *Salernitanus*, de quo Ughellus tomo VII Italiae sacrae pag. 380 seqq. qui etiam ejus *Carmina* varia *hymnosque in B. Sabinam*, *S. Maurum*, *sanctos et sanctas* * vulgavit tom. II pag. 1085 seq. (Tom. X editionis novae pag. 47-78 et *Sermonem* in Matthaei IX, 9 seq. pag. 79 et *Passionem S. Christinae* Virginis pag. 80-90.) Nonnulla illorum carminum vulgata quoque a T. Prospero Martinengo in tomo tertio Poëmatum Divinorum Graecorum Latinorumque, Rom 1582, 8. *Hymnus de S. Benedicto* ad Pandulphum Marsorum Episcopum, et alius duplex *in S. Maurum* exstat in Mabillonii Actis Benedictin. tom. I pag. 33, 302. *Passio SS. Martyrum XII Beneventanorum* versibus hexametris apud Lipomannum tomo IV et Surium ad 1. Septembr. Laudans hunc Alphanum Trithemius cap. 333 de S. E. et lib. 2 de illustr. Benedictin. c. 87 memorat quoque ejus *libros tres de unione Verbi Dei et hominis, de unione corporis et animae, et de quatuor humoribus corporis humani.* Alia etiam Petrus Diaconus de illustribus Casinensibus, Possevinus, et in notis ad Petrum Diaconum Joannes Baptista Marus pag. 177 seq. edit. a me curatae.

* Vide Leyseri Historiam Poëtarum medii aevi pag. 359 seq.

* Carmen illud, quo passionem SS. MM. Beneventanorum descripsit, nonnisi mutilum prodiit tum in Lippomano, cum etiam in Surio ad diem 1 Septembris; integrum vero extare in Casinensi Bibliotheca affirmat J. Gattula Hist. Cassin. t. 1, Saec. VI.

ALPHANUS II Archiepiscopus Salernitanus ab An. 1085 ad 1121 de quo laudatus Ughellus tom. VII pag. 391 seqq. a Falcone Beneventano in Chronico, auctor carminum, de quibus in Alphano I jam dixi, perhibetur: quod de aliquibus saltem non videtur negandum, ut de *epitaphio Petri Leonis*, qui Imperatoris Rudolphi I tritavus fuit, et quod ab Ughello deinde repetitum Baronius edidit ad An. MCXI n. 3, et ex eo Lambecius tom. II pag. 481 nec non *epitaphium Bernardi Episcopi Praenestini*, quod apud Ughellum non reperio et Baronius publicavit ad Annum MCVII n. 20.

ALPHANUS Hispanus Ord. Minor. Possevino et Cangio, qui *Alfanus* Hendreichio: Trithemio et Gesnero *Alpharus* rectius et Waddingo, Nic. Antonio et aliis Cangioque ipsi deinde ALVARUS *Pelagius*, de quo infra suo loco.

ALPHONSUS *ab Alfama*, Lusitanus Carmelita, circa Annum Christi 1433 scripsit *Doctrinale Patrum* in *Johannis Cassiani* Collationes, et *de Ordinis sui progressu* libros II. Vide Alegre pag 343.

ALPHONSUS *Bonihominis*, Hispanus, Ordinis Praedicator. A. 1339 ex Arabico * transtulisse traditur librum conversi ad Christum Magistri *Samuelis* Israëlitae, oriundi de Civitate Regis Marochi, *De adventu Messiae, quem Judaei frustra exspectant*, cum praemissa ejusdem Samuelis Epistola ad Rabbi *Isaac*, Magistrum Synagogae in Submoleta in regno praedicto, scripta An. 1022 MS. in Bibliotheca Monasterii B. Mariae Virginis de Laude, Ordinis Cisterc. Dioecesis Tornacensis, teste Sandero tom. II pag. 107 Bibliothecae MStorum Belgii. Prodiit haec Latina versio saepe variis in locis, ut Mantuae 1475, 8,vo Antwerpiae 1486. Lugduni

* Ex Hebraico potius, quae ex Arabico facta erat, versione. Vide Rev. Wolfii Bibliothecam Hebraeam tom. I pag. 1099.

1527 forma minore, Coloniae 1483 Norimbergae 1498 Venetiis 1518, 8 et 1592, 4. cum Petri de Cavalleriis, qui A. 1450 scripsit Zelo Christi adversus Judaeos, et 1592 1616, 1655, 8,^{vo} Coloniae 1536, 8. Parisiis in 4,^{to} et forma minore, Maceratae, Argentorati etc. tum in Micropresbytico, atque in Orthodoxographis, et in Bibliothecis Patrum etiam recentissima Lugdun. tom. XVIII pag. 519 et ad calcem partis secundae Historiarum Antonini Florentini. Novissime seorsim, Antwerpiae, ut habet titulus, sive Lipsiae potius 1711, 8,^{vo} vide Diarium Theologicum Dresdense, *Unschuldige Nachrichten* Anno 1711 pag. 959 et Memorias Litterarias Trevoltinas An. 1712 p. 2104. Prodiit etiam Italice Venetiis 1535, 1544, 8.vo *Requisitioni de la vera Fede*, Germanice Valentino Linck interprete Altenburgi 1524, 4. *Datz JESUS Nazarenus der mahre Messias sev, derohalben die Juden auf teinen andern marten dürffen.* Hispanicae versionis Anno 1418 factae ab Alvaro de Villascusa, JCto Salmantivensi, sed adhuc ineditae meminit Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispanica veteri, tomo II pag. 2.

ALPHONSUS *Burgensis.* infra, *Vallisoletanus.*

ALPHONSUS *a Carthagena.* infra, *Alphonsus de S. Maria.*

ALPHONSI IX. Castellae Regis, qui de Mauris An. 1212 victoriam ingentem reportavit, sunt *duae Epistolae*, Basileae 1553 editae, una *de Saracenis profligatis*, et altera *de Albingensium haeresi extincta*, tertiaque *ad Philippum Augustum*, Franciae Regem, quam edidit Baluzius tomo II Miscellan. pag. 251.

ALPHONSUS X. *Castellae* et *Legionis* ab Anno 1252 Rex, electus etiam Anno 1257 Imperator, Imperio renunciavit A. 1273, sed et regno spoliatus a filio Sanctio, Anno 1282 non diu post, anno 1284 diem obiit. *Maximus et prudentissimus Rex, si sibi sapere didicisset*, ut ait Mariana XIV 7. *Exstant*, inquit idem XIII, 9 *de astrorum conversionibus, de Hispanica Historia ab Alfonso edita Volumina magno ingenio, incredibili studio.* et XIV 7. *Sacros Bibliorum libros in maternam linguam vertendos etiam curavit.* Tabulae Astronomicae, quae ab ipso Alphonsinae appellantur, magnam ipsi laudem pepererc, quanquam et praeivere illis Graeci, Arabes, Persae, et post illius tempora multum illis a posterae aetatis ingeniis et studio accessit, ut ex hoc brevi elencho Lector poterit cognoscere.

Tabulae Astronomicae *Claudii Ptolomaei* Hipparchum secuti et Timocharem ac Menelaum, in magna Syntaxi, de qua dixi lib. IV. Bibliothecae Graecae cap. 14 § 3.

De tabulis Astronomicis *Arabum* Jacobus Golius ad Alfraganum pag. 66 seq. sicut de *Persarum* tabulis pag. 46.

Albategnii An. 880 ex interpretatione Platonis Tiburtini et Joannis Regiomontani.

Arzaelis A. 970 tabulae Toletanae.

Geber Latinitatate donatus a Gerardo Cremonensi.

Ulug Beg tabulae Longitudinis et Latitudinis stellarum fixarum Persice et Latine editae a Thoma Hyde, Oxoniae 1665 4.to.

Alphonsinae coelestium motuum tabulae, Regis Alphonsi auspiciis et sumtu (non quater vel quadragies a) ut nonnulli, sed) quadringenties b) mille aureorum, post An. 1252 ad 1270 compositae a *R. Isaaco* Hazan sive Cantore Toletano adhibita opera tam aliorum Judaeorum quam Arabum, Ægyptiorum, Maurorum, Hispanorumque. Prodiere Augustae 1488, 4, quae editio in Bibliotheca Barberina: tum Venetiis 1492 4 1534. Paris. 1545, 1553, 4 cum Canonibus *Joannis Saxoniensis.* Beughemius etiam editiones sine loci nota 1483 et 1490 4 memorat.

Nicolai Cusani correctio tabularum Alphonsi, in Cusani Operibus pag. 1168–1176 qui etiam laudat *Henricum Batem* in libello erroris tabularum Alphonsi. Memoratur et *Albertus* de Saxonia. Et Canones tabularum Alfonsi Regis ordinati per *Joannem de Lineriis* MSti in Bibliotheca Regia Paris. Cod. 1349. Inde in illis tabulis perficiendis studium et operam posuere Jo. Virdundus, Norimb. 1542 4.

Joannes Schindelius Mathematicus Pra-

a) Vide Celeberrimi Wolfii Bibliothecam Hebraeam tom. I pag. 192. Nicolaum Antonium tomo II Bibliothecae veteris Hispanae pag. 55.

b) Baelii Lexicon in *Castille.*

gensis: Georgius Peurbachius, Basil. 1553 fol. Jo. Regiomontanus, Tub. 1539 4. Witeb. 1584 4. Bernardus Waltherus Norimbergae: Dominicus Maria, Bononiae, ejusque discipulus Nicolaus Copernicus.

Georgius Joachimus Rheticus Lips. 1570 4.to.

Tabulae *Prutenicae* Erasmi Reinholdi, ut Rheticus fecit, Copernicum secuti, Prutenicum sive Prussum, Tubing. 1551, 1571 4. Witeb. 1585 4.

Jo. Antonii Magini, Venet. 1585 4.

Frisicae Lunae solares a Nicolao Mulero, Alcmariae 1611 4.

Tabulae *Rudolphinae*, auspiciis Imperatoris Rudolphi II a Tychone Brahe et Joanne Keplero, Ulmae 1627 fol.

Illis insistentes Tabulae Andreae Argoli, Johannis Longomontani in Astronomia Danica, Mariae Cunitiae in sua Urania, Joannis Baptistae Morini etc.

Tabulae *Mediceae* Vincentii Reneri, Florent. 1633, 1647 fol.

Philippi Lansbergii Tabulae motuum coelestium perpetuae, ab eo editae anno aetatis 71. Middelburg. 1632 fol. Hic Alphonsinam methodum unicam esse agnoscit, quae in Tabulis aequalium motuum usurpanda sit.

Tabulae *Richelianae* a Natali Durreto, Paris. 1637 fol.

Tabulae Philolaicae Ismaëlis Bullialdi, Parisiis 1645 fol.

Joannis Baptistae Riccioli, S. J. in almagesto novo, Bononiae 1651 fol.

Johannis Newtoni, 1657 etc.

Britannicae Vincentii Wing, Lond. 1669.

Johannis Hevelii, in prodromo Astronomiae et Catalogo fixarum, Gedani 1690 fol.

Tabulae Carolinae Thomae Streete, Angli.

Philippi de la Hire *Tabulae Ludovicianae*, Paris. 1702.

Joannis Cassini adhuc ineditae.

Plenissimae accuratissimaeque *Joannis Flamstedii*, Angli, in historia coelesti postuma Lond. 1726 fol. 3 Vol.

De aliis Alphonsi Regis scriptis, quae vel Hispanica lingua composuit sive carmine, sive prosa, speciatim Legum Corpore, expeditionum Cruciatarum Historia, et Historiae Hispanicae generalis partibus duabus una a Gentis originibus usque ad Annum CHristi 893 et altera usque ad Annum 1252, nec non de scriptis, quae ex Arabico jussit vel in Latinam, vel in Hispanicam linguam transferri, satis mihi videtur, lectorem remittere ad Nicolai Antonii lib. VIII. Bibliothecae veteris Hispanae cap. 5.

Ordinatio ALPHONSINA ab Alphonso Comite Pictaviensi et Tolosano concessa Anno 1270. Villae Riomo Dioecesis in Gallia Claromontensis, exstat Gallice et Latine ad calcem Juris Consuetudinarii regni Hierosolymitani An. 1099 quod sub titulo: *Assises* et *bons usages du Royaume de Jerusalem*, Gallice lucem vidit Burgis 1690 fol. curante Gasp. Thavmasio de Thavmasiere, qui etiam Consvetudines Bellovacenses Philipphi de Beaumanoir An. 1283. Gallice adjunxit, notisque et glossario illustravit.

ALPHONSUS Vargas Toletanus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Episcopus *Hispalensis*, defunctus Anno 1359. Cujus Commentarium in Sententias memorat Trithemius cap. 614. *In librum primum Sententiarum*, quem An. 1345 auditoribus suis dictaverat Parisiis, lucem vidit Venetiis 1490 fol. In Aristotelem de anima quaestiones, Vincentiae 1508 et Venetiis 1565 fol. ut inedita in reliquos Sententiarum libros omittam. Vide Nicolaum Antonium tom. II. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 113.

ALPHONSUS I. *Lusitaniae* Rex, cujus *Constitutiones militum S. Michaëlis*, sive *de Ala* An. 1166 promulgatae exstant in Privilegiis Ordinis Cisterciensis, Antwerpiae 1630.

ALPHONSI II. *Epistola* ad Lucium II. Papam data Anno 1180 qua regnum suum Romanae Ecclesiae tributarium constituit, cum Lucii responso apud Baluzium tom. II. Miscell. pag. 220 seq.

ALPHONSUS *de S. Maria*, Episcopus Burgensis, qui Anno 1456 diem obiit. Praeter scripta Hispanice, *Defensoriumque Fidei*, et alia inedita, quae a Nicolao Antonio tomo II. Bibliothecae Hispanicae veteris pag. 173 recensentur, Latine composuit *anacephalaeosin* Regum Hispaniae, Romanorum Imperatorum, Summorum Pontificum, ex

majori excerptam opere: quae post editionem Granatensem An. 1545 fol. recusa, exstat in Roberti Beli Scriptoribus rerum Hispanicarum, Francofurti 1581 tomo secundo, et in Andreae Schotti Hispania illustrata tom. I, pag. 247. Francof. 1603.

ALPHONSUS III. Magnus ab Anno CHristi 856. Rex *Ovetensium*, (Oviedo in Hispania) Scriptor vetus *Chronici* desinentis in anno eodem 856 et ab illo tempore, ubi desiit Isidorus Hispalensis, res Gothorum Hispanorumque persequentis per sesquisaeculi ferme spatium, quod sub *Sebastiani* Salmanticensis nomine vulgavit Prudentius Sandovallius, Pampilonensis Episcopus, junctum Chronicis Idacii, Isidori Pacensis, (Badajos) Sampiri Asturicensis, Pelagii Ovetensis Episcoporum, Pampelonae 1615 et 1634 fol. Vide Nicolaum Antonium lib. VI Bibliothecae veteris Hispanae cap. 10 tom. I, pag. 362 seq. et tom. II pag. 272.

Petrus ALPHONSUS, cujus *Dialogi XII* cum Moyse Judaeo, quo nomine auctor ipse ante baptismum vocabatur, prodierunt Coloniae 1536, 8 recusi etiam in Bibliothecis Patrum, et in novissima editione Lugdunensi tom. XXI pag. 173. *Fuit autem*, inquit in Praefatione, *Pater meus spiritalis*, *Alphunsus gloriosus Hispaniae Imperator*, *qui me de sacro fonte suscepit, quare nomen ejus, Petri nomini apponens, Petrus Alphonsi mihi imposui.* Petri nomen cooptasse sibi testatur, quia baptizari ipsum contigit die natali Apostolorum Petri et Pauli An. CHristi 1106 aetatis 44 quo tempore Castellae et Legioni praeerat Alphonsus VI.

* An liber Dialogorum idem sit cum libro *Disciplina* inscripto, ignoro. Extat sub hac inscriptione liber in codice Vaticano 4161 Montfaucon Biblioth. MSS. pag. 115. Credo tamen hanc ipsam esse *Clericalem disciplinam*, quam in codice Sangermanensi evolvisse se Cangium hic apud Fabricium admonet.

ALPHONSUS Philosophus, cujus *Clericalem Disciplinam* evolvit Cangius MStam in Bibliotheca S. Germani de Pratis, Codice 798 idem cum superiore videtur esse Oudini judicio, tom. II p. 993 sed fallitur Oudinus, cum Petri Hispani Logicam ad hunc Petrum Alphonsum refert, ut infra in *Petro* Hispano dicendi locus erit.

ALPHONSUS, utriusque *Siciliae* et *Aragoniae* Rex, defunctus Anno 1458 de cujus dictis et factis libros IV Antonii Panormitae Æneas Sylvius misit in compendium. *Epistolas* quasdam hujus et *Orationes* Latine scriptas laudat Nicolaus Antonius tomo II Bibliothecae veteris Hispanae p. 178, quae leguntur in Lucii Marinaei Siculi Genealogia Regum Aragoniae, post editiones Caesaraugustanam 1509 et Complutensem 1533 recusa in Roberti Beli Sylloge tomo II et in Hispania illustrata Andr. Schotti tom. I.

ALPHONSUS *de Soto*, Civitatensis JCtus, circa Annum 1490, cujus scripta refert Nicolaus Antonius tomo II Bibliothecae veteris Hispanae pag. 228 in quibus Tractatus *Jubilaei*, et *Camerariatus*, et *de futuro Concilio* ad Sixtum IV.

ALPHONSUS *de Spina*, Ordinis Minorum, circa Annum CHristi 1458 in villa Vallisoletana scripsit celebre illud *Fortalitium Fidei* contra Judaeos, Saracenos, aliosque Christianae Fidei inimicos, distributum in libros quinque ac primum editum sine loci nota An. 1487 ac deinde saepius, ut dixi in libro de Veritate Religionis Christianae pag. 574. Confer eruditissimi Wolfii nostri Bibliothecam Hebraeam tom I pag. 193 tom. II pag. 1116 et tom. IV pag. 545 seq.

ALPHONSUS *Tostatus*. infra, TOSTATUS.

ALPHONSUS *Burgensis*, sive *Vallisoletanus* Ex Judaeus, cujus *libri de bellis Domini* in fortalitio fidei citantur, hinc ab Alphonso de Spina, de quo supra, diversus esse cognoscitur. Opposuit autem illa bella Domini, Hebraice et Hispanice composita, non Latine, Josepho Kimchi Judaeo, quae MSta exstare feruntur in Bibliothecis Romanis, oppugnata etiam a *R. Schem Tov* ben R. Isaac Sprot, Tudelensi, qui lapidem illis Lydium opposuit. Vide Nicolaum Antonium tomo II Bibliothecae veteris Hispanae p. 192 et laudatum Wolfium nostrum tomo I Bibliothecae Hebraeae pag. 192, 1126 et tom. IV pag. 786 ubi Pauli Burgensis testimonium, qui tempore Regis Hispaniae Alphonsi X refert hunc Alphonsum anno aetatis sexagesimo baptismum suscepisse.

* In Bibliotheca Vaticana notante P. Montfaucon Biblioth. MSS. pag. 4151 exstat Alphonsus Episcopus Burgensis super altercatione praeminentiae sedium inter Oratores Regis Aragonum et Regis Angliae. Ambigo tamen an haec de Alphonso isto dicta sint.

ALPHONSUS *Vargas.* infra, *Hispalensis.*

ALPHONSUS *Zamora*, Ex-Judaeus sub Saeculi XVI initia, cujus magnae partes fuere in adornandis Bibliis Polyglottis Complutensibus, quibus etiam Vocabularium addidit, et Grammaticam et Correctorium locorum perperam in Codicibus quibusdam Scriptorum. Vide Warthoni auctarium ad Caveum ad An. 1506.

ALTAICHENSIS Monachi *de Vita S. Salomes Virginis, et Judithae Viduae*, reclusarum apud Altaich in Bavaria, Saeculo IX in Actis Sanctorum 29 Junii tomo V, pag. 493.

ALTMANNUS. supra, ALEMANNUS.

Magistri ALTMANNI *Medulla Matrimonii* versibus exposita hexametris. Incipit: *Ardua tentantes.* MS. Saeculi XIII in Monasterio Cremifanensi, Ordinis Benedicti in Austria, ut ex Cl. Viro Bernardo Pez didici.

ALVARDUS *Cadurcensis,* Ordinis Praedicatorum, aliis *Alvarus*, aliis *Bernardus Arnoldi*, sed vero nomine ARNALDUS *Bernardi*, qui circa Annum 1334 diem obiit. Scripsit *Postillam super Apocalypsin.* Lecturam et Sermones *super septem Psalmos Poenitentiales* et *super Officium defunctorum. Sermones valde notabiles* pro Clericis etc. Vide Jacobum Qvetif. t. I pag. 588 seq.

Aicardus ALVAROTUS, JCtus Patavinus circa Annum 1350, cujus *Consilia* celebrantur. Vide Hendreichii Pandectas Brandenburg. pag. 135.

ALVAROTUS *de Alvarotis,* Aicardi frater, Patavinus et ipse JCtus, qui obiit Anno CHristi 1388 huiusque filii *Petrus* ALVAROTUS, qui Bononiae et Patavii docuit, de cujus scriptis vide Nicolaum Comnenum Papadopoli tom. I Gymnasii Patavini pag. 217. Petrique frater *Jacobus* ALVAROTUS, qui *de usibus feudorum* scripsit, et *repertorium axiomatum feudalium*, Pataviique Anno 1453 diem obiit supremum, hujusque filii *Comes* et *Franciscus*: filiusque Comitis *Jacobus* ALVAROTUS defunctus Ferrariae circa Annum 1500, omnes Juris utriusque peritia clari. Vide Pancirollum de Juris interpretibus lib. II cap. 104. De editis plerorumque scriptis Hendreichium consules.

Paulus ALVARUS, aliis *Aurelius Flavius* ALVARUS, Vir illustris, Patricius Cordubensis, Hispanus, de quo post Ambrosium Moralem diligenter Nicolaus Antonius lib. VI Bibliothecae Hispanae cap. 8 tom. I pag. 349 seq. Hic circa Annum 847. *Eulogii Cordubensis Vitam et Martyrium* scripsit, quod non modo exstat apud Surium XI Martii, sed et in Actis Sanctorum XI Martii tom. I pag. 90 seq. additis Papebrochii notis repetitum ex editione Ambrosii Moralis praefixa operibus Eulogii ab eo vulgatis Compluti 1574 fol. De caeteris editionibus tom. IV Hispaniae illustratae pag. 223 et tom. XV Bibliothecae Patrum jam notavit Caveus. De *Scintillis Patrum* vide infra in DEFENSORE. *Indiculum luminosum* scriptum Anno CHristi 854 hujus Alvari esse, contra Moralis sententiam, probat Nicolaus Antonius lib. VI Bibliothecae veteris Hispanae cap. 8 tom. I pag. 350 qui prioris finem et posteriorem librum integrum notat in MS. desiderari, argumentumque operis, docet esse defensionem illorum, qui Martyrio sese non perquisiti obtulere, pro quibus et Eulogius decertavit: dein Prophetiarum de Mahometo et ejus nefanda haeresi explicationem. Idem Nicolaus Antonius et proprio opere Alcoranum observat voluisse confutare, ac praetera in MS. reperit hujus Alvari *Confessionem*, et librum *Epistolarum XX.* Deinde *Carmen Philomelaicum,* in Philomelae laudem, aliaque carmina praeter S. Eulogii epitaphium hymumque in diem ejus, inedita omnia, atque in his *Epimenidem* aegritudinis propriae, et *in Bibliothecam Leovigildi, in Crucis laudem,* versusque heroicos *in laudem B. Hieronymi.*

ALVARUS *Pelagius*, discipulus Johannis Scoti Parisiis docentis, ipse Hispanus Juris Canonici Doctor, Ordinis Minorum, Summus Papae Johannis XXII Poenitentiarius et Coronensis in Achaja Episcopus, deinde Silvensis (in villa Ramra) in Algarbia, de quo multa Waddingus in Annalibus tomo tertio ad An. 1308, 1329, 1332, 1340 et in

Scriptoribus Ordinis Minorum p. 15 et Nicolaus Antonius Bibliothecae veteris Hispanae lib. IX cap. 4 tom. II pag. 100 seq. Ex scriptis ejus praecipuum est *Summa * de planctu ecclesiae*, ejus morboso et defectuoso tam ecclesiasticorum, quam secularium lugubri statu, ad Petrum Gomezium Cardinalem: opus Antonino Florentino inprimis probatum, quod auctor ipse ait se coepisse componere Avenione, An. 1330 et absolutum An. 1332 recensuisse in Lusitania An. 1335 atque iterum An. 1340. Prima editio hujus operis Ulmensis An. 1474 folio majore apud Johannem Zeiner de Reutlingen. Hanc secutae Lugdunensis 1517 et Veneta 1560 fol. dignumque esset, raro utpote obvium, quod ab aliquo viro docto cum necessariis ad temporum illorum faciem intelligendam observationibus praelo iterum subjiceretur. Alia Alvari hujus scripta, sed ut opinor adhuc inedita, de quibus praesertim Nicolaus Antonius, memoratur *Speculum Regum*, tum *collyrium adversus haereses: Apologia* pro Johanne XXII adversus Marsilium Patavinum et Guilelmum Occamum. *Commentarii in VI libros Sententiarum. Sermo* habitus praesente Johanne XXII, quo adhaeret opinioni illius de visione animarum ante diem judicii deneganda, de qua Waddingus ad Annum 1333 num. 10.

* Non illustrandum esset tantummodo a viro aliquo docto opus istud Alvari, atque ita paludatum iterum producendum esset in publicum; sed et ad veteres MS. Codices ex integro recensere oporteret. Nam plane mendosum est in editis, et saepe discrepat a MSS. Bernardinus Baroni Lucensis amicus meus, vir doctus opus idem Pelagii in MS. Codice chartaceo possidet, quem mihi mutuavit, eumdemque cum impresso Venetiis an. 1560 contuli; atque sic demum intellexi, quanta sit huius correctionis necessitas. En unum alterumve specimen ex praefatione deductum

Edita	MS.
In sublimitate Status ima cum Christo humili.	In sublimitate Status Pontificalis nunc. Cum Christo humili.
Sic Elech	Sicheleg
Seraphici almi	Seraphici olim
Ibi *cum enim*	V. cum enim
Verus Papa Nicolaus antiquus Romanus.	Verus Papa Joannes Romanus, etc.
Qui non est Sanctus	Qui non est factus Episcopus
In Ecclesia catholica	Etiam catholicus
Et quadraginta cap. in prima parte istius operis.	Et quadraginta duobus articulis in principio istius operis.

* Fallitur Waddingus, quique eum sequuntur et a *planctu Ecclesiae* diversum opus faciunt Alvari *Summam Theologiae*, quam et ipsam impressam ajunt fuisse Ulmae A. 1474. Falluntur et qui cum Orlando Reutlingensem *planctus Ecclesiae* editionem fingunt Anno 1474 in lucem editam. Vide Francica Acta erudita et curiosa, vulgata Germanice Norimbergae 1728, 8vo, Parte XIV pag. 112.

ALVERNUS, de ALVERNIA, vide infra PETRUS *Arvernus*, et GUILELMUS *Parisiensis*.

ALUISIUS (*Luisius* sive *Ludovicus*) *Marsilius*, Florentinus Augustinianus, qui An. 1450 diem obiit, monumento publicis a Patria sumptibus facto decoratus. Praeter alia scripta Theologica, Quaestiones, Commentarios et Sermones, *Vetus et Novum Testamentum carmine Heroico* panxit, quod opus Florentiae in Augustinianorum Bibliotheca S. Spiritus MS. asservari testatur Julius Niger de scriptoribus Florentinis pag. 389 et Philippus Elssius in encomiastico Augustiniano pag. 441. Idem hunc Aluisium ait subtiliter contra Graecos disputasse in Concilio Florentino, quod haberi coeptum An. 1438.

ALULFUS, Monachus Benedictinus S. Martini Tornacensis circa An. 1096. *Paterii*, de quo infra, exemplo et *Odonis* Abbatis sui, posteaque Episcopi Cameracensis precibus, ex *Gregorii M.* scriptis collegit expositionem Veteris et Novi Testamenti tomis IV eisque nomen *Gregorialis* imposuit. Tomi duo primores loca Veteris Testamenti, tertius Novi continet, quartus est de variis argumentis et Oudino t. II pag. 656 teste, qui MStum opus in variis Bibliothecis Galliae evolvit, libris XVI distinguitur. *Prologum* edidit Mabillonius tom. I Analector. pag. 312 (editionis novae in fol. pag. 131.) *Liber tertius in Novum Testamentum,* lucem vidit Paris. 1516, 4 et eodem anno Argentorati per Joannem Knoblauchium: et sub Paterii nomi-

ne inter Opera Gregorii M. A. 1553 Romae in fol.

ALVREDUS, vide ÆLFREDUS.

AMADEVS, *sive Amedeus,* Monachus Claraevallis, Ord. *Cisterc.* et ex Abbate Altaecumbae Episcopus ab An. 1145 ab 1158. *Lausannensis*, de cujus laudibus praeter Carolum de Visch in Bibliotheca Ordin. Cisterc. pag. 19. Chrysostomum Henriquez in Menologio Cisterciensi 7 Januar. et Angelum Manriquez tomo II annalium Cisterc. ad An. 1158, Sammarthani t. II Galliae Christianae pag. 628. Ejus *sermones VIII de laudibus B. Mariae Virginis* post primam editionem Basileensem Anni 1517 saepius recusae sunt tum alibi tum in heptade praesulum Theophili Raynaudi, Lugduni 1633. et Parisiis 1671 fol. et in Francisci Combefisii Bibliotheca Patrum Concionatoria, Paris 1662 fol. et separatim ex recognitione Richardi Gibboni S. I. Audomari et Antwerpiae 1613, 12, atque inde Duaci 1625, 4 et in Bibliotheca Patrum Coloniensi An. 1622 tomo XV, pag. 308 et in Lugdunensi tomo XX, 1262 nec non in Petri ab Alva et Astorga tomo primo magni Marialis, Madrit. 1648 fol. qui non dubitat Amadeo has homilias Franciscano tribuere, cum tamen, Combefisium si audias, nox diei non sit dissimilior quam Amadei utriusque stylus. Itaque Lucas Waddingus libenter hac in parte dissentit ab Henrico Willoto, qui et ipse easdem ad Amedeum Franciscanum, tanquam auctorem retulerat.

AMADEUS Lusitanus, alio nomine *Joannes Menesius de Sylva,* Ord. *Minorum* sive *S. Francisci*, defunctus An. 1482 de cujus *Revelationibus*, sive *Nova Apocalypsi* consulendus Bzovius ad A. 1471 num. 36 seq. Waddingus in Annalibus tomo VI et VII et in Bibliotheca Ordin. Minor. ubi inter alia pag. 16 notat Possevinum de eodem ter agere, sub nominibus *Amedei*, *Amatoris*, *Ameoli* et *Amodei.* Hic est, quem Volaterranus ait virum fuisse mirae sanctitatis, reformatoremque religionis tempore Xysti IV. et scripsisse quaedam more prophetico, *quae vulgo non sunt permissa legi, propterea quod revelationibus a DEO vel Angelis sibi credita asserit.* Easdem peregrinatione doctrinae et falsiloquiis infectas queritur Raynaudus, et Bellarmini censuras LVII quibus illae castigantur, edidit Bartoloccius tom. I. Bibliothecae Rabbinicae pag. 241–245. adde Nicolaum Antonium tomo II. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 280 et Cornelium a Lapide ad Apocalyps. I, ubi angelus Amadei dicitur fuisse Scotista, quia totum se prodit addictum Scoti sententiis.

AMALARIUS *Lugdunensis*, contra quem tempore Caroli Calvi, qui ab anno 840 ad 876 regnavit, habita est Synodus Carisiacensis. Acta ejus a Patribus Concilii jussus scripsit *Florus,* Diaconus Lugdunensis, quae MSta apud Ranchinum legit Mornaeus, atque ex illis IV. 8 de Eucharistia pag. 1627 editionis Latinae * Hanoviensis 1605, 8, hac profert:

Docet (inquit) *Praeceptor egregius* (Amalarius Episcopus Lugdunensis) *corpus CHristi esse triforme et tripertitum. Tria esse CHristi corpora, Primum quod Ipse suscepit: Secundum in nobis qui super terram ambulamus: Tertium in in illis qui sepulti jacent. Hac de causa has debere fieri partes; unam in calice pro CHristo: alteram in patina pro vivis: tertiam in altari pro mortuis. Dicit panem illum esse carnem CHristi, sanguinem animam, ut sit totus CHristus. Haesitandum dicit, utrum Corpus CHristi de Altari sumptum in corpore nostro maneat usque in diem sepulturae: an recipiatur invisibiliter in Coelum. An, quando venam incidimus, cum sanguine profluat: An cum caeteris quae in os intrant, in secessum labatur!* Haec deliria quibusnam argumentis revincunt Gallicani Patres? *Panis* ajunt, *et vinum, efficitur spiritualiter Corpus CHristi, id est vitae et salutis nostrae Mysterium, in quo aliud corporis oculis aliud fidei videmus obtutu. Nec id tantum quod ore percipimus, sed quod mente videmus, credimus, libamus. Unde pulchre et fideliter petimus: ut quae ore contingimus pura mente capiamus. Mentis ergo est cibus iste, non ventris: nec corrumpitur, sed*

* In Gallica Mornaei editione haec desiderari notavit Colomesius in paralipomenis de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de Floro.

permanet in vitam aeternam: quoniam pie sumentibus confert vitam aeternam. Pie autem sumit, qui Spiritu fide illuminatur. In illo cibo et potu visibili, virtutem invisibilis gratiae esurit ac sitit: Et munus Indulgentiae, id est salutis spiritualer percepit. Nullatenus cogitanda aut metuenda est in hoc mysterio, ulla pollutio. Corpus igitur CHristi non est in specie visibili, sed in virtute spirituali: nec inquinari potest fece corporea, quod et animarum et corporum vitia mundare consuevit.

* Multa hic involvit Fabricius, quare totus iste articulus a me refingendus ac retractandus est. Agebat Amalarius non Episcopum, ut a Fabricio creditum, sed Corepiscopum Lugdunensem, scripserat tria diversi artificii, sed eiusdem argumenti opera, quarum prioris titulus est *officialis*, in quo de sacris offiiciis tractatio instituitur; alterius antiphonarium; tertii *Embolus opuscolorum suorum* idest additamentum. Scripta haec approbanda in Concilio Dioecesano Lugdunensi tradidit. Sed nihil tunc definitum ex coniectura judico. Tum Florus magister et ecclesiae Lugdunensis Diaconus scripta haec dignissima judicans detulit ad Concilium apud Theodonis Villam an 835 habitum cumque non sic damnarentur, Florus scripto alio emisso, ea omnia expressit quae suspecta in libris Amalarii judicabat. Demum in Synodo Carisiaca an. 838 de hac causa cognitio instituta est, atque opuscula Amalarii damnata. Narrat haec Florus in alio opusculo inscripto. *De causa Fidei apud Carisiacense Episcoporum Concilium nuper habita.* Ibi quidem aliqua tangit de actis Concilii, non tamquam jussus a Patribus Concilii haec ipsa scribere, sed suo ingenio, et consilio; tum ex suo marte profert rationes, quae damnationem librorum Amalarii a Concilio pronunciatam defendunt, et adstruunt. Non ergo Patrum Concilii rationes hic promuntur; ut ex Mornaeo asserit Fabricius; sed Flori sunt omnia. Insuper fragmentum illud hic relatum a Fabricio, desumptum est non ex opusculo, ubi pars Actorum Concilii traditur, sed ex praecedenti opusculo, in quo Florus Amalarii sententiam late exponit et refutat. Quare si quid forte hic traderetur adversus dogma de Eucharistia, illud utique non Concilii Patribus sed Floro ipsi Mag. adscribendum esset.

Sed nec Floro quidquam excidit dogmati catholico de vera Christi perceptione in Eucharistia repugnans. Scripserat Amalarius rem esse ambiguam, *utrum corpus Christi de altari sumptum in corpore nostro maneat usque in diem sepulturae, an invisibiliter recipiatur in coelum; an quando venam incidimus cum sanguine profluat; an cum caeteris, quae in eis intrant, in secessum labatur* Ubi etiam de sputis, et phlegmatibus spurcissime disputat. Reprehensione haec digna judicat Florus, aggressusque refutanda demonstrat, *hunc cibum mentis esse non ventris, non corrumpi sed permanere in vitam aeternam; corpus Christi non esse in specie visibili, sed in virtute spiritali, nec inquinari posse faece corporea quod animarum et corporum vitia mundare consuevit.* Quibus verbis id unice intendit Florus alio plane modo manducari corpus Christi, ac cibus materialis, contra id quod Amalarius asserebat, vel ponebat in ambiguo. Caeterum non negat Corpus Christi reipsa a fidelibus manducari. *Dominus Jesus Christus*, ait, *asserit semetipsum a Fidelibus manducari et vere carnem suam esse cibum, vere sanguinem suum potum esse.* Et paulo superius. *Carnem suam dicit* (Christus) *a Fidelibus manducari et sanguinem suum potari. Vere illum cibum carnem suam esse, vere illum potum sanguinem suum existere confirmat. Seipsum asserit a Fidelibus suis comedi et sine hoc cibo neminem vere per hunc mundum vivere testatur; hunc esse panem de coelo descendentem, idest carnem quam ipse tradidit pro mundi vita.* Haec omnia Flori opuscula vulgavit P. Martene vet. Mon. tom. IX col. 649 ex quo ego eadem illa repetii in supplemento Concil. tom. 1 pag. 865.

Utrum vero Amalarius iste idem sit omnino cum authore operis *De ecclesiasticis officiis*, et *de ordine Antiphonarii* plus vice simplici in Bibliothecis Patrum vulgati, quaestio mihi est permaxime anceps. Patria scriptoris eius operis a nostro est diversa, vel illum Treverensem dicamus, vel Metensem.

Insuper eorum, quae a Floro Magistro suggillantur nihil legitur in libro vulgato de Ecclesiasticis officiis. Ex quibus omnibus non immerito quis inferret librum officiale etc. Amalarii Lugdunensis nihil habere cum libro de ecclesiasticis officiis pervulgato commune.

Vicissim autem nomen authoris utriusque operis commune est, *Amalarius*, tempus, quo uterque vixit, idem. Titulus libri utrimque idem. Nam Amalarius vulgatus scripsit *de Ecclesiasticis officiis,* qui titulus haud valde discrepat ab *offiiciali* Amalarii Lugdunensis. Alterum opusculum Amalarii vulgati est *De ordine Antiphonarii;* alterius Amalarii est *antiphonarium.* Florus censura notat illud de quatuor jeiuniis ab Ecclesia institutis *contra quatuor humores, quibus corpus vegetatur humanum.* Simile quid legitur in edito Amalarii lib. 2 c. 2 *divinor. officiorum.* Quamquam vero reliqua, quae Florus censura notat, non occurrunt in edito *de divinis officiis*, non ideo tamen haec de coniungendo in unum utroque opere sententiae repugnant. Forte enim Ecclesiastici Amalarii libri integri ad nos nequaquam pervenerunt. Quam in rem animadvertisse juvat P. Mabillonum in suis analectis additamenta quaedam ad libros Amalarii nondum edita e MSS. Codd. evulgasse. Sicut igitur quaedam eius operis reperta sunt, quae huc usque latueruut; ita pariter reperiri et alia poterunt adhuc ignota. Insuper duos tantummodo Amalarii libellos ad nos transmissos constat; tertius quem Embolum appellavit, adhuc forte latet, vel periit; atque in eo facile contineri poterant ea, quae Florus criminatus est. Haud abs re etiam suspicaremur Concilii Carisiaci Patres, qui Amalarii Lugdunensis libros improbarunt, id etiam effecisse ut ea quae in iisdem libris reprehensione digna judicarunt, delerentur, vel expungerentur; atque sic demum correcti libri fidelium manibus permitterentur. Haec satis de re praesenti.

AMALARIUS, *Amularius, Amelarius, Amilarius, Hamularius, Amalharius, Amalhart,* * *Hamalart*, Chorepiscopus Metensis, qui Anno 816 Concilio Aquisgranensi probavit *librum Vitae Clericorum* (al. Canonicorum) Capitulis CXIII quibus alia XXXII et de Vita Sanctimonialium Capita XXVIII adjuncta sunt. Vide in tomis Conciliorum Regia tom. XXI, Labbei tom. VII, Harduini tom. VI, Coleti tom. IX. Vide et Sirmondi Concilia Galliae tom. II pag. 329 Cointii Annales tomo VII pag. 317, 319, 397 seq. Idem Amalarius An. 825 a Synodo Parisiensi missus Aquisgranum ad Ludovicum Pium syllogen testimoniorum ex SS. Patribus adversus imaginum cultum pertulit. Idem, de quo Sigebertus Gemblacensis cap. 87 *Amalarius* (ita pro *Attulario* legendum) *Monachus brevem* libellum de Ecclesiasticis officiis *scripsit. Postea scribens de eadem re ad Ludovicum Imperatorem*, Ordinem et causas Ecclesiasticorum Officiorum, quatuor libris *planius digessit: et* de mysteriis Missae *librum unum.* In MS. Codice Ecclesiae S. Martialis apud Lemovicas, teste Mabillonio tom. I. pag. 419 tom. II pag. 140 (editionis novae pag. 100 et 432) haec in fine leguntur: *Explicit liber* Symphosii Amalarii *Presbyteri venerabilis* de Divinis Officiis, *quem misit ad Ludovicum et Lotharium Reges filios Caroli Magni Imperatoris, quem librum transcribi curavit ADEMARUS* etc. Ex illo Codice Mabillonius supplementum **l. IV c. 48 publicavit *de Regula S. Benedicti, praecipui Abbatis,* ad quod illustrandum pertinet etiam Mabillonii Dissertatio de Monastica vita Gregorii M. tomo II pag. 145 et editionis novae pag. 499. Amalarii *Eclogae de Officio Missae* in Baluzii Capitularibus Regum Francorum tom. II pag. 132, qui etiam Anonymi *Responsionem de Corpore et Sanguine DOMINI* a Dacherio tom. XII pag. 39 et editionis novae tom. I pag. 149 editam, Amalarii hujus esse annotavit. *Quatuor libri de Ecclesiasticis Officiis*, quos Honorius IV, 3 de Scriptoribus Ecclesiasticis, Episcopo Metensi diserte tribuit, prodierunt una cum ejusdem libro *de ordine Antipho-*

* Alius *Amalhart* Abbas Hornbacensis apud Mabillonium tom. IV Analect. pag. 645 et editionis novae pag. 426.

** Illud Supplementum, sicut et caput 46 et 47 libri IV in suo Codice non legit Bostonus Buriensis.

narii (in quo *Lectionarium* etiam et *Cantatorium* et *Commentarium diurnalis Officii* auctor fuit pollicitus) in *Melchioris Hittorpii* collectione Scriptorum de Divinis Officiis, Coloniae 1568 fol. quam infra cum ORDINE Romano recenseo, et in *Georgi Ferrarii*, Romae 1591 fol. nec non in universis Patrum Bibliothecis, ac novissima Lugdunensi tom. XIV.

AMALARIUS *Fortunatus*, Monachus Benedictinus, et ab Anno CHristi 810 Archiepiscopus *Trevirensis*, qui missus a Carolo Magno in Saxoniam Anno 811 Ecclesiam Hamburgensem in honorem B. Virginis consecravit, triennio post extinctus. Vitam ejus scripsit Constantinus Caetanus editam Romae 1612, 4 qui *librum de Divinis Officiis* non Metensi, sed huic Amalario tribuendum contendit, quod praeter Anonymum Mellicensem cap. 71 de Scriptoribus Ecclesiasticis, diserte etiam facit Albericus Monachus trium fontium in Chronico ad Annum 810 pag. 155. *Wasco Abbas Mediolaci fuit Archiepiscopus Treverensis, et post eum Amalarius Fortunatus Cardinalis, qui librum Officiorum Ecclesiasticorum composuit.* Sed libri de Officiis ad Ludovicum Pium gloriosissimum, ut eum compellat *Imperatorem*, scripti sunt post Annum 819, * quum Amalario Trevirensi jam defuncto successisset Hettius. Confer, quae Sirmondus ad Caëtanum, apud Labbeum de S. E. tom. I. p. 692 sq. et tom. IV Operum Sirmondi p. 643 sq. *Epistolae* quoque *sex*, quas vulgavit Dacherius tom. VII Spicilegii p. 164 et tom. III editionis novae pag. 330 quarumque ultima est *De observatione Quadragesimae*, non Trevirensem, sed eundem, qui de officiis scripsit, Amalarium habent auctorem. Et priores quidem, quae *de nomine JESU* tractant, sunt ultimum caput libri tertii de Officiis Ecclesiasticis, quod in editionibus desideratur, sed notatur in indice capitum. Vide B. Ittigium de Bibliothecis Patrum pag. 213. Amalario autem Trevirensi *Epistolam de Caerimoniis Baptismi* ad Carolum Magnum sub Alcuini nomine a Canisio tomo VI Antiquar. Lect. pag. 166 et tom. II editionis novae pag. 541 atque inter Alcuini Opera pag. 1151 vulgatam vindicat Codex Petavianus, teste Sirmondo notis ad Theodulfii Aurelianensis librum de Ordine Baptismi tom. II. Operum pag. 943.

* Neque Metensem, neque Trevirensem Episcopum, sed tertium quendam Amalarium fuisse, qui circa Annum 827 de Officiis Ecclesiasticis scripserit, contendit Blondellus, quem vide sis libro de Episcopis pag. 80 *Eclogae* Amalarii Abbatis *in Ordinem Romanum* editae sunt a Mabillonio tom. II Musei Italici pag. 549-559.

AMALRICUS *Augerii* de Biterris, Augustianus Monasterii B. Mariæ de Apriano, sive Aspriano, Elnensis, sive Helenensis Diœcesis Prior, Doctor Universitatis Montepessulanæ et Urbani V. Capellanus circa Annum CHristi 1362 ex CCIX. Chronicis scripsit *Actus Pontificum Romanorum* a Petro usque ad Johannem XII sive Annum CHristi 1321 ad Urbanum V. Post ea, quæ ex hoc Amalrico produxere *Spondanus*, qui eum ut fidelem ei accuratum laudat tum alibi, tum ad Annum 1310 n. 4. *Baluzius*, qui Vitas Clementis V et Johannis XXII notis illustratas vulgavit in præclaro Opere de Papis Avenionensibus tom. I, pag. 95 et 185. et *Leibnitius* de Gregorio V et Clemente II, gente Saxonibus tom. I. Scriptorum Brunsvicensium pag. 576 et 578 integrum denique opus vulgatum est a V. C. *Joanne Georgio Eccardo* tom. II. Corporis Scriptorum medii ævi pag. 1641-1824. Lipsiæ 1723 in fol. Testatur Eccardus Amalricum, qui ab Innocentio III diffusior esse in rebus ætati suæ propioribus incipit, opus hoc digessisse ordine litterarum Alphabeti, per capitula 1048 prælatam autem a se in editione hac sua ordinem temporum et successionem Paparum.

Alius AMALRICUS *de Bena*, Carnotensis, circa Annum CHristi 1204 de quo vide Bulæum tom. III. Histor. Academiæ Paris. pag. 24 seq. et 48.

AMALRICUS *Rex Hierosol.* circa Annum CHristi 1258 eique suppar AMALRICUS *Patriarcha* Ecclesiæ Dominicæ Resurrectionis ab Anno 1157 ad 1180 quorum Epistolas ad Ludovicum Francorum Regem edidit Bongarsius in gestis DEI per Francos, Regis quidem Tom. I, pag. 1173, 1176,

1178, 1179, 1181, 1182 et Patriarchæ pag. 1180.

AMALRICUS ex Weissenburgensi ad montana Vosagi Monacho Benedictino Episcopus ab Anno 891 ad 893 Spirensis, quem inter alias laudes etiam Poëtam gravem vocat Gvilelmus Eysengreinius pag. 71. Catalogi; ex scriptis autem ejus memorat *Commentarios in Pentateuchum et in Pauli Epistolas.*

AMANDUS *Argentinensis* Episcopus interfuisse traditur Concilio Coloniensi An. 346. quod edidit Sirmondus tomo I, Conciliorum Galliæ pag. 11. De dubia fide hujus Concilii monui Bibliothecae Graecae tomo XI pag. 371.

AMANDUS *de Castello*, Canonicus Tornacensis, inde Prior Aquicinctinus, ac denique Abbas Marchionensis, scripsit *Epistolam de obitu Odonis, Episcopi Cameracensis*, defuncti circa Annum Christi 1120 exstat in Belgica Christiana Arnoldi Baissii, edita Duaci 1634, 4. Vide Oudinum tomo II pag. 101.

S. AMANDI Tungrensis, sive Trajectensis Episcopi, qui Anno 662 traditur obiisse, *Codicillum*, quo mandat corpus suum in Elnonensi Monasterio, quod in Dioecesi Tornacensi fundaverat, sepeliri, nec inde evehi, publicavit Aubertus Miraeus in fastis Belgicis, Bruxellae 1622, 8. De hoc Amando Baronius ad Martyrolog. atque Acta Sanctorum 6 Februarii, et quae infra in MILONE.

AMANEUS, Archiepiscopus in Gallia Auscitanus, sub quo promulgata in Synodo Nugarolensi An. 1303. Capitula XIX, et alia V in Synodo Auscitana Capitula VI in tomis Conciliorum occurrunt.

AMATUS, Monachus Cassinensis, et incertae sedis Episcopus clarus circa Annum 1080. Scripsit *Historiae Nortmannorum libros VIII.* ad Desiderium Abbatem (postea An. 1087. Victorem III. Papam) MStos in Bibliotheca Cassinensi, teste Joanne Baptista Maro ad Petrum Diaconum de Scriptoribus Casinensibus cap. 20, ubi praeterea hujus Amati memorantur *libri IV de gestis Apostolorum Petri et Pauli*, scripti carmine, ad Gregorium VII. Papam ab Anno 1073 ad 1085. Et *de laude Gregorii VII. De duodecim lapidibus. De Civitate Coelesti Hierusalem*:

* Est et alius eiudem nominis scriptor multo recentior cuius est opusculum *De ira Dei, et antichristo; opus compositum Florentiae anno 1461.* Cum epistola nuncupatoria ad universos Christi fideles Exstat in Biblioth. Laurentiana. Montfaucon Bibl. t. I, pag. 271.

AMBROSIUS *Autpertus*, minus recte aliis *Ansbertus*, Gallus, Monachus Benedictinus atque inde Abbas S. Vincentii ad fontes Vulturni fluvii in Samnio An. 777 et 778 quo diem obiit supremum. Vide Acta Sanctorum 19 Julii tom. IV, p. 646 seq. et Mabillonium saeculo 3. Sanctor. Benedictin. Parte II, pag. 256. Scripsit ut ipse in extremo operis testatur, * sub Desiderio Longobardorum Rege et sub Paulo I. Papa, et successori ejus A. C. 767. Stephano dictavit *libros X commentariorum in Apocalypsin*, editos Coloniae 1536 et in Bibliotheca Patrum Coloniensi tomo IX et Lugdunensi tomo XIII, pag. 403. *Vitam SS, Paldonis, Tatonis et Tasonis* fratrum et Monasterii S. Vincentii de Vulturno Abbatum, et *historicam de Monasterio suo relationem* quae exstat apud Ughellum tomo VI, pag. 458 (edition. novae pag. 369.) Mabillonium Saec. 3. Benedict. pag. 423 et Actis Sanctor XI. Januarii. Sed Commentaria *in Psalmos* et *in Canticum Canticorum*, quae Coloniae atque alibi edita scribit Labbeus, alii ignorant. Nisi quod MS. in Cantica Canticorum in Bibliotheca Floriacensi exstare Oudinus testatur, certe edita esse non existimo, neque eorum apud Albericum mentio, ubi de hujus Ambrosii prolixa super Apocalypsin expositione. Meminit autem Trithemius cap. 287 de Scriptoribus Eccles. et lib. 2 cap. 106 illustr. Benedictin. ubi eidem Ambrosio Autperto quem An. 890 ait floruisse, tribuit libros X in Apocalypsin, et *in Psalterium, in Cantica Canticorum*, et *librum de cupiditate* (cujus notitiam videtur petiisse a Sigeberto cap. 91.) et *librum Epistolarum ad diversos*. Magna autem suspicio est a Sigeberto,

* Confer Albericum Monachum trium fontium ad An. 767 pag. 102 seq.

Trithemio, Sixto Senensi aliisque, qui horum vestigiis insistunt, Ambrosium hunc confundi cum AUTPERTO *Abbate Casinensi* ab Anno 834 ad 837, de quo Petrus Diaconus cap. 13 et ad eum Jo. Baptista Marus pag. 172 fq. vel cum alio etiam juniore hujus nominis. Ad Autbertum Cassinensem referunt *Sermonem in assumtionem Mariae* inter Augustinianos de Sanctis, et in Combefisii Bibliotheca Concionatoria: *Sermonem de Purificatione B. Mariae Virginis*, sive *de lectione Evangelii* Luc. II 22 seq. ad calcem operum S. Ambrosii edit. Paris. 1642, 1665 etc. et in Veteri Homiliario, quem sub Alcuini nomine edidit Baluzius tom. I. Misc. pag. 382 tum *Sermones in laudem S. Matthiae Apostoli aliorumque Sanctorum:* et *de Nativitate Mariae*, et *in festum omnium Sanctorum, Sermonem de cupiditate*, habentem Scripturarum testimonia octoginta, qui incipit: *Sanctorum Ecclesiam.* Sermonem *in dedicatione Ecclesiae.* Orationem *contra septies septem vitia.* Homiliam *in Marci IX 2 seq.* etc. Denique librum *de conflictu vitiorum et virtutum* inter S. Ambrosii et Augustini a) Opera saepius editum.

AMBROSIUS b) Traversarius, natus non procul Florentia in opido Portici (*Portico*) Romandiolae, sive Flaminiae An. 1376 discipulus Joannis Ferreti, Ravennatis: et Emanuelis Chrysolorae Byzantini, postea Prior Eremi *Camaldulensis*, et ab Anno 1431 totius Ordinis Generalis, probitate et doctrina inclytus, cujus morte audita quae, ut ait Arnoldus Wion tomo I. Ligni Vitae pag. 38, non sine veneni suspicione anno 1439. Florentiae 21 Octobris accidit, Eugenius IV lacrimas continere non valens, identidem ingeminavit: *Ambrosi fili, quis te mihi eripuit, quis Ecclesiae Lumen adeo intempestive extinxit?* Camaldulensem eremum aere describi curavit Joannes Mabillonius in itinere Italico pag. 100, ubi Ambrosium in Oratorio sine lapide et titulo sepultum jacere indignatur. Defunctum Oratione funebri prosecutus est discipulus ejus Pogius Florentinus teste Vossio de Historicis Latinis pag. 556, quam tamen inter Orationes Pogii editas non reperio. Vitae ejus narratione Augustinus Florentinus librum tertium sive ultimum Historiarum suarum Camaldulensium conclusit, editarum Florentiae 1575 4.[to] Aliam Edmundus Martene praefixit tomo tertio Veterum Monumentorum, Parisiis 1724 fol. in quo Clarissimi Abbatis *Petri Canneti* c) praevertens propositum, praeter *libros Epistolarum* Ambrosii, et pag. 706 prologum Michaëlis Monachi ad Cosmum Medicem, Epistolis illis praemissas, exhibet etiam praefationes Ambrosii in Graeca scripta Latine ab ipso translata, ut in *Palladium de Vita S. Chrysostomi*, pag. 693. *Chrysostomi libros III de Providentia* ad Stagirium pag. 695 et *adversus vitae Monasticae vituperatores* pag. 697. *Joannem Climacum* pag. 699 *S. Basilium de vera virginitate* pag. 700. *S. Ephraemi VII. Homilias* pag. 702 et *Diogenem Laërtium* pag. 704. His deinde Epistolas quasdam virorum doctorum ad Ambrosium subjunxit pag. 707-728 et Ambrosii *Epistolam ad Bronium* ICtum de obitu Nicolai Florentini pag. 737. Vertit etiam Latine scripta *Dionysii Areopagitae* edita saepius post editionem Paris. 1498. *S. Athanasium contra Gentes*, *Chrysostomi in Mathaeum*, *et alia opuscula diversi argumenti*, *Sophronii et Joannis Moschi pratum spirituale: Eusebium de tempore Resurrectionis CHRISTI. Vitam Gregorii Nazianzeni*, *Joannem Damascenum* et *Andream Cretensem de dormitione B. Virginis*, et *Manuelis Calecae libros IV de erroribus Graecorum*, de quibus singulis dixi in Bibliotheca Graeca suis locis, ut de Calcca tomo X pag. 421. Magnopere laudandum Ambrosii studium, licet rem acu in omnibus non tetigit, ut adeo loligo mera fuerit invidiae, quam Philelphus, illi quantumvis amico, tam acerbe detrahens in Satyris suis et Epistolis prodere non dubitavit: atque si Jovium audimus, fuit Ambrosius hic *vir, quod raro evenit, sine oris tristitia sanctus,*

a) Tom. VI edit. Amst. pag. 699.

b) Giornale de' Letterati d' Italia tom. IX, pag. 197. Acta Eruditorum tom. VIII. Supplementi pag. 455.

c) Giornale de' Letterati d' Italia tom. IX pag. 201.

semper utique suavis, atque serenus: ita procul a livore contentioneque, ut cum Vallae Poggium reconciliare conaretur, eos neque plane litteratos, neque Christianos videri diceret, qui inducta simultate, sacrosanctum litterarum decus probrosis libellis importune defoedarent. Lambecius versionem *Sermonum XXI Ephraemi Syri* ab Ambrosio translatorum in Caesarea Bibliotheca MStam memorans tom. I pag. 119 de Biblioth. Vindob. vulgavit ejus Praefationem ad Cosmum Medicem, eandem, quam ex Martenii pag. 702 jam notavi.

Ex scriptis, quae Ambrosius ipse composuit, primo loco laudandum ejus *Hodoeporicon,* sive descriptio itineris sui A. 1431 suscepti lustrandis emendandisque per Italiam Monachorum et Monialium Ordinis sui moribus. Hanc Nicolaus Bartholinus Bargensis acceptam a Magliabechio edidit Florentiae 1678, 4. d) Inedita sunt praeter *Orationes*, quas habuit Eugenii IV Orator in Concilio Basileensi Latine An. 1431 et Graece An 1438 Ferrariae, *Libri duo earum rerum, quas gessit Abbas generalis Camaldulensium· Vitam Eugeniae Virginis, et Sanctorum Proti et Hyacinthi.* Nam *Chronicon Montis Cassini,* quod ei tribuunt plerique, non composuit sed recognovit e) etiam tractatum *de Corpore CHristi*, sive ut Arnoldus Wion vocat, *de Sacramentis*, sunt qui negant exstare, ut Franciscus Dionysius Camusatus f) notis ad Bibliothecam Alphonsi Ciacconii.

* Epistolarum Ambrosii collectionem longe ampliorem, quam quae opera P. Martene prodierit, adornare comperi V. clarissimum Laurentium Mehus, cuius amicitia non sine fructu et voluptate fruor, eosque viri docti labores prope diem publicae utilitati donandos expectamas. Orationem in causa Concilii habitam Albae coram Sigismundo rege 1435 ex Veteribus Monumentis PP. Martene et Durand ego meo Cociliorum Supplemento tom. IV, pag. 1195 inserui. Vix dubito quin hac ipsa sit oratio, quam inter ineditas accenset hic Fabricius et per errorem an. 1431 assignat, nondum enim anno illo Ambrosius ad Concilium venerat. Ad Hodoeporicum quod attinet non Florentiae quidem, sed Lucae prodivit quamvis in Operis fronte uterque locus signatur: *Florentiae et Lucae.* Annus non adscribitur; sed vix dubito quin annus 1678 destinandus sit. Nicolaus Bartholinus cuius opera opusculum illud prodiit, Congregationis meae vir erat doctus, author Carminis elegiaci in exordio Carminum Latinorum P. Bartholom. Beverini Lucensis Congregationis itidem meae doctissimi. Quoad versionem Homiliarum S. Ephrem non septem tantummodo homilias Ambrosius dedit, est enim apud me editio illius Veneta an. 1501 in qua sunt sermones XIX atque illis epistola Ambrosii ad Cosmum Medicem praefigitur. Prior huius operis editio est Florentina an. 1481 in 4.

Omissus est hic a Fabricio Aeneae Gazensis Dialogus *De immortalitate animae* inscriptus *Theophrastus*, ab Ambrosio versus, ut est in Cod. MS. Bibliothecae Fesulanae Canonicorum Regul. Vide summam eiusdem Bibliothecae a Pallavicino editam Florentiae an. 1752.

(11) Nemo eruditionis in limine vix ingressus Historiae Litterariae in seq. non exiguae molis volumine haberi thesaurum ignorat:

Ambr. Traversarii aliorumque ad ipsum et ad alios Latinae Epistolae in Libr. XXV tributae variorum opera distinctae et ossertionibus illustratae: accedit eiusd. Ambrosii vita in qua Historia Litteraria Florentina ab an. 1192 *usque ad an.* 1440 *ex monumentis potissimum nondum editi deducta est a Laurentio Mehus. Florentiae ex typ. Caes.* 1759 fol.

AMBROSIUS, Camaldulensis, Abbas, qui a nostro diversus et An. 1340 vixisse, apud Cangium ponitur, nullus fuit, ut ex serie Abbatum Camaldulensium apud Arnoldum Wionum tom. I ligni Vitae pag. 37 seq. apparet.

AMBROSII *Contareni*, Patricii Veneti Venetorumque ad Persiae Regem Usuncassanum legati susceptum An. 1473. *Iter Persi*

d) Vigneul Marville tom. II, pag. 126. Acta Eruditorum An. 1682 pag. 159.

e) Giornale de' Letterati d' Italia tom. IX, pag. 198.

f) Bibliotheque raisonnée tome VII, pag. 112.

cum quod e Persia An. 1477 redux in litteras misit, extat inter scriptores rerum Persicarum editos Francof. 1601 fol. p. 487 - 512. Sed Contarenus scripserat Italica lingua, Latina versio auctorem habet Jacobum Geuderum ab Heroltzberga.

AMBROSIUS de Massaris de *Cora* sive *Coranus* aliis *Coriolanus* Ord. eremitarum S. Augustini ab An. 1477. Generalis et Poenitentiarius Xysti IV diem obiit Romae 1485. Ejus scripta *de vita et laudibus S. Augustini* et *in duplicem ejus regulam, defensoriumque ordinis Augustiniani* junctim prodiere Romae 1481 fol. Alia a Philippo Elssio pag. 44 seq. encomiastici Augustiniani, Possevini aliisque memorata sunt nescio an edita: *Chronicon de Viris illustribus et scriptoribus sui Ordinis: Vita B. Christinae Spoletanae.* Liber *de laudibus Urbis Romae*, *de inventione artium*, *In artem veterem. In librum posteriorum Analyticorum Aristotelis. Super tractatum de Sphaera. De idea. De regimine Reipublicae. In primum Sententiarum. Sermonum* et *Orationum* duo Volumina. *De Veritate Fidei Christianae. De ineffabili Verbo DEI. De essentia DEI. De circumcisione CHristi. De scientia et sapientia CHristi Domini. De Conceptione B. Virginis Mariae. De proprietatibus Angelorum. De immortalitate animae. De modo orandi. De dignitate Sacerdotii.*

(Et ex tom. eod. Verb. CORIOLANUS.) Rectius *Coranus* ex Cora oppido Volscorum. Scripsit *Commentarium sup. regulam S. P. Augustini Commendationem eiusd. regulae. De vita et laudibus S. eiusd Patris*, ac *orationes tres in ipsius encomium. Defensorium ordinis, seu Apologiam contra Eusebium Tarvisinum et Eusebium Mediolanensem, Congregationis Frisionariae Canonicos. Chronica*, *ordinis ubi de viris illustribus sanctitate et doctrina, ac de Generalibus nec non de Privilegiis.* Junctim edita Romae 1481 et Argentinae 1490 fol. Vide Diarium Eruditor. Italiae tom. XIX pag. 378 seq. et ex illo emenda Vossium aliosque qui Dominicanis adscribunt, quorumque errorem etiam notavit Jacobus Quetif. tom. I Biblioth. Dominicanorum pag. 907. *Vita Christinae Spoletanae* et *de laudibus urb. Romae* lucubratio perinde ut alia supra memorata adhuc inedita delitescunt.

* Huius opera edita ab ineditis distinguit P. Gandolfo in Dissert. de ducentis Augustinianis Scriptoribus. Edita sunt: *Commentarii, et commendatio regulae cum vita, et orationes tres in laudem S. Augustini.* Argentinae 1480 fol. (11) Seu potius 1490 edit. altera post primam an. 1481 memoratam.) Eaedem orationes cum Regula carmine elegiaco expressae Romae 1662 in 4. *Sermo de Assumptione B. V.* Romae primum apud Holort, tum in Biblioth. Virgin. tom. 3. *De Conceptione* B. V. edita est, teste Fabiano Justiniani in indice univers. ver. *conceptio.* Reliqua in MSS. Codicibus latent.

Fuebri etiam oratione laudes Sixti IV Pont. prosecutus est coram Cardinalibus et Pontificio cadavere, teste Jacobo Volaterrano in Diario Romana, qui et addit altera die Orationem aliam de Pontifice defuncto habitam a Willelmo Pererio ex judicibus Rosae Palatinae: *uterque* ait Historicus, *suo in genere commendatus.*

S. AMBROSIUS, anno aetatis quadragesimo a tribunalibus a) raptus An. C. 374 ad *Episcopatum Mediolanensem*, summa cum constantia ac fide ita gessit usque ad Annum 398 b) ut ipsi Theodosio Magno Imperatori han vocem expresserit, c) *Episcopum dignum nullum vidi quam Ambrosium.* Ita verum est, quod ait Plinius III 9 Epist. *Fides in praesentia eos, quibus resistit, offendit, deinde ab illis ipsis suspicitur laudaturque.* Morti vicinus, ad amicos, *non sic vixi*, inquit, *ut pudeat me inter vos vivere, sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Quam ejus vocem jure merito vehementer laudavit Augustinus teste Possidio in hujus Vita cap. 27. Memoria S. Ambrosii recolitur in Martyrologiis die IV April. Scripta illius, in quibus pietas, doctrina, eloquentia pariter movent lectoris animum, docent atque

a) Vide tom. II editionis Benedictinorum pag. 452.

b) Papebrochius Dissertatione de Anno et Die mortis S. Ambrosii in Actis Sanctorum ante tom. I Aprilis p. XXXVIII seqq.

c) Apud Theodoretum lib. V Histor. cap. 18 pag. 552. Ἀμβρόσιον, οἶδα μόνον ἐπίσκοπον ἀξίως καλούμενον.

oblectant, à Caveo et Oudino diligenter enumerantur, etiam a genuinis distinguuntur spuria, non pauca tanto supposita nomini, quibus addes *Acta Sanctorum Cantii, Cantiani et Cantianillae* apud Surium 31 Maji. vide Acta Sanctorum tom. VII Maji pag. 327. Vitae Scriptores atque Operum editiones recensui in Bibliotheca Latina lib. IV cap. 3 neque habeo in praesenti, quae ibi dictis adjungam, nisi quod editio novissima et luculentissima Benedictinorum Jac. Frichii et Nicolai Nurriti, in lucem data d) Paris. 1686 et 1691 fol. cum jam rarior esse e) coepisset, novam, *Missali* Ambrosiano auctam paravit laudatus Nurritus, quo immortuo operi An. 1724, 24 Martii, absolvendum illud datum est aliis ex erudito illo Ordine Monachis Benedictinis.

AMMONIUS *Anastasius*, Burdegalensis patria, Grammaticus Pictonicae sive Pictavorum Civitatis, de quo Ausonius p. 169 seq. Jac. Tollii. Male novissima Ausonii editione in usum Delphini parata pag. 149 in duos dividit Ammonium et Anastasium.

AMMONIUS. apud Ptolemaeum Lucensem et alios, vitiose pro *Aimoino*.

AMOENUS Poëta, infra PRUDENTIUS.

Magister de S. AMORE, cujus librum novum ad censuram oblatum sibi Clemens IV. Papa in Epistola An. 1266 data ita non putabat priore esse meliorem, ut monendum auctorem putaret ne occinendum ei esset illud Festi, Act. XXVI 24 *te multae litterae faciunt insanire.* Hic est *Guilelmus* ab opido natali apud Sequanos dictus *de S. Amore*, cujus librum priorem *de periculis novissimorum temporum,* Evangelio aeterno, et mendicantibus Ordinibns, Minorum Praedicatorumque oppositum flammis tradiderat Alexander IV, de quo vide Raynaldum ad An. 1256 § 19 seqq. Bulaeum tom. III hist. Academiae Paris. p. 310 seq 334, 348, 640 seq. Jacobum Qvetif tom. I de scriptoribus Dominicanis pag. 335 et (qui haereticum vocari Guilelmum, ut fit a Bellarmino et aliis, neutiquam patitur) Natalem Alex. tom. VII hist. Eccl. pag. 93 edit. in fol. et Davidem Ancillon in Ancillonianis tom. I, pag. 114 seqq. ubi etiam de libro Bonaventurae et Thomae Aquinatis, quos Guilelmo opposuere. Liber Guilelmi una cum pluribus ejusdem argumenti exstat in Eduardi Brownii tomo secundo Fasciculi rerum expetendarum et fugiendarum, Londini 1690 fol. Nova prioris libri repastinatio est, quam An. 1266 ad Clementem IV misit, titulumque ei imposuit *Collectiones Catholicas et Canonicas* contra pericula imminentia Ecclesiae Universali per Hypocritas, Pseudo-Praedicatores et penetrantes domos et otiosos et curiosos et gyrovagos. Adde Bulaeum. tomo III, pag. 382. Hic liber cum priore lucem vidit Constantiae ad Rhenum, sive, ut recte Caveus, Parisiis 1632 4.to, additis etiam aliis Guilelmi hujus lucubrationibus: *Commentario in Psalmum primum. Concione de Publicano et Pharisaeo. Quaestione unica de valido mendicante. Casu et articulis, super quibus accusatus est a Fratribus Praedicatoribus, Tabula de signis, per quae Pseudo-Praedicatores discerni possint a veris.* Et *Sermone in die SS. Apostolorum Jacobi et Philippi.* Praemittitur * editoris Epistola de libris et doctrina Magistri Guilelmi de S. Amore.

AMPHIBALUS Iscanus natus in Cambria, vir eruditus, tempore Maximiani Herculii Confessor et Propagator Christianae Religionis, et alter junior *Amphibolus Simenus* patria Ventanus, Venta urbe Australi Britanniae, clarus medio Saeculo sexto, debitis laudibus a Lelando cap. 14 et 29 celebrantur, sed qui neutrius scripta memorat. Itaque miror unde Amphibalo seniori haec apud Pitseum scripta pag. 81 tribuuntur: *Ad instituendam vitam Christianam* librum, et alterum *contra errores gentilium,* (Baleo Centur. I cap. 33 *contra Druidum errores.*) et *Homilias super Evangelia.*

AMOLO, (apud alios *Amulo, Amulus*, sive *Amularius*, Trithemio cap. 273 aliisque *Hamulus*) qui in Episcopatu Lugdunensi successit Agobardo ab Anno 841 ad 852. Vide Cointium tom. VIII, pag. 650 et Dominicum

d) Acta Eruditorum 1688 pag. 64 et tom. II Supplem. pag. 209.

e) Memories de Trevoux An. 1725 pag. 1128. An. 1724 pag. 1719.

* Johannis fortasse Cordesii, vide Grotii ad eum Epist. 318 et 329.

de Colonia Historiae Litterariae Lugdunensis, Gallica lingua nuper editae tom. II, pag. 127 seq. Ejus librum *adversus Judaeos* Trithemio laudatum, qui incipit: *Detestanda Judaeorum*, ad Carolum Regem, Lotharii Fratrem, sub *RABANI* nomine edidit Petrus Franciscus Chiffletius S. J. Divione 1654, 4 a) una cum Confessione Fidei, de qua supra in *Alcuino*, fragmentis ex *S. Fulgentii* X libris contra Fabianum et libro de Incarnatione, et Anonymo de damnatione multiplici Berengarii, Divione 1656, 4 b) In Chiffletii Codice liber ille adversus Judaeos tribuebatur *HRATGANO*, Monacho S. Mariae de Fontaneto Ordinis Cisterciensis. Alia Amulonis scripta apud Caveum diligenter recensita, cum Agobardo edidit Baluzius Parisiis 1666, 8, unde repetuntur in Bibliotheca Patrum Lugdun. tom. XIV, pag. 329 seqq. *Epistolam ad Gotheschalcum* cum duobus *de Praedestinatione* opusculi primus vulgaverat Sirmondus Parisiis 1649, 8 in cujus etiam Operibus haec obvia sunt tom. II, pag 1135 et cum notis in Gilberti Maugvini Sylloge Veterum Auctorum, qui Saeculo nono de Praedestinatione et Gratia scripsere, Paris. 1652, 4 tomo secundo pag. 195.

ANACLETUS Papa. vide, CLETUS.

ANASTASIUS I. Episcopus Romanus ab Anno 398 ad 410 de quo Henschenius ad 27 Aprilis tom. III pag. 491 seqq. Ludovicus Jacobus a S. Carolo in Bibliotheca Pontificia pag. 15 seq. et Tillemontius tom. XII. Memor. Ex Epistolis tribus, quae sub ejus nomine in Conciliorum tomis leguntur, genuina est illa *ad Joannem Hierosol.* quam habes etiam inter Hieronymi Epistolas, et Joannis Garnerii notis illustratam tom. I. Operum Marii Mercatoris pag. 109 seq. De suppositis ei Epistolis David Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 557 seq.

* Epistolam aliam Anastasii Papae sinceram ego in meo Conciliorum supplemento t. 1. adieci ad Simplicianum quem Mediolanensem Episcopum credo. Accepi ex nova editione operum S. Hieronymi a Vallarsio curata tom. I.

a) D. Thomas Ittigius de Bibliothecis Patrum pag. 685.

b) Idem pag. 597 seq.

ANASTASIUS II Episcopus Romanus ab Anno 496 ad 498 cujus fragmenta Epistolae ad Ursicinum dat Baluzius in nova collectione Conciliorum pag. 1457 et Harduinus tom. II Conciliorum pag. 651 apud quem pag. 947 etiam legitur Epistola Anastasii Papae *ad Anastasium* Imperatorem. Nam alteram *ad Clodoveum*, Francorum Regem, qua ei Christianam fidem exordio Pontificatus sui susceptam gratulatus est, omisit. Eam dedere Dacherius tomo V Spicilegii pag. 582 (editionis novae tom. III pag. 304) et Labbeus tomo IV Conciliorum pag. 1282 Carolus le Cointe tom. I Annal. Ecclesiast. Francorum etc. *Libros de Trinitate*, et allos, quos Platina e Gvilelmo Bibliothecario commemorat, nemo hactenus in lucem protulit.

ANASTASIUS III Episcopus Romanus ab Anno 912 ad 914 cujus Epitaphium habet Baronius ad Annum 912, 1. *Vatis Anastasii requiescunt membra sepulchro* etc.

ANASTASIUS IV Episcopus Romanus Anno 1153 et 1154, cujus Epistolae IX in Conciliis Labbei tomo X pag. 1132 et decima ad Episcopos et Abbates Provinciae Burdegalensis (quam Baluzius ad Petrum Marcam de concordia sacerdotii et imperii vulgaverat) pag. 1851. Eaedem Epistolae decem apud Harduinum tomo VI. Parte II pag. 1323 qui alias duas, alteram ad Archiepiscopum Bracarensem, et alteram ad Hyacinthum Cardinalem quaerere jussit apud Odoricum Raynaldum ad An. MCCXXXIX num. 54 seq, ubi male in margine Raynaldi notatur Anastasius II pro IV.

Ammonius ANASTASIUS. supra, AMMONIUS.

ANASTASIUS, *Bibliothecarius* Romanus, Abbas et Presbyter, imo *Presbyter Cardinis*, sive *Cardinalis* ab An. 848 clarus temporibus Nicolai I, qui ab Anno 858, Hadriani II, qui ab Anno 867 et Joannis VIII, qui ab Anno 858 ad 882. Pontificatum gessit, et fortasse etiam secutorum temporibus. Multa ex Graecis Latine vertit *rudiore plerumque stylo et semibarbaro, quanquam*, ut Combefisius in Bibliotheca Concionatoria recte judicat, *nec ipso inutili, plerisque in mediis illius aevi Auctoribus Graecis nobis futuris perobscuris, nisi lucem ille scientia quam*

sermone peritior, vel ita nobis reddens affudisset. Habemus vero ex Anastasii versione: 1) *Chronologiam Nicephori Constantinopolitani*, qui A. 828 diem obiit, eique subjunctam stichometriam librorum sacrorum. 2) *Historiam Ecclesiasticam*, quae inter Scriptores Historiae Byzantinae prodiit, ex eodem Nicephoro, Georgio Syncello et Theophane Confessore circa Annum 872 contractam. 3) *Acta Synodi sextae* Constantinopoli in Trullo habitae Anno 680. 4) *Acta Synodi septimae*, sive Synodi Nicaenae II An. 787. 5) *Acta Synodi octavae* Constantinopoli An. 869 cui ipse interfuit. 6) Collectanea ad Controversiam et Historiam *Monothelitarum* spectantia, a Sirmondo edita, atque Combefisio, et obvia etiam tom. XII Bibliothecae Patrum Lugdunens. De quibus singulis dixi tomo IX Bibliothecae Graecae pag. 357 seq. de Chronologia etiam tom. VI pag. 153. *Passio 10000 Martyrum* sub Adriano et Antonio Pio exstat in Actis Sanctorum 22 Junii tom. IV pag. 182. *Vita Joannis Eleemosynarii* Patriarchae Alex. apud Rosweidum lib. I. de Vitis Patrum, et in iisdem Sanctorum Actis 23 Januarii. *Passio S. Demetrii* Martyris apud Joannem Mabillonium tom. I. Analect. pag. 65 et editionis novae pag. 172. Encomium *S. Bartholomaei* Apostoli ex Graeco Theodori Studitae, in Dacherii Spicilegio tom. III et editionis novae tomo II, pag. 123 atque in Combefisii Bibliotheca Concionatoria tomo VII. Epistola ad Carolum Calvum praefixa *scholiis S. Maximi et Johannis Scythopolitani in Dionysium* Areopag. ab Anastasio versis, edita ab Usserio in Epistolis Hibernicis pag. 45. Epistola ad eundem Carolum praemissa *Vitae Dionysii* scriptae a *Methodio*, apud Surium ad 8 Octobris, et Petrum Franciscum Chiffletium de uno Dionysio, aliosque. De vita illa ab Anastasio versa vide Mabillonium tom. I. Analect. pag. 212, ubi Hincmari de eadem ad Carolum Imperatorem litteras exhibet. Idem Mabillonius tomo I. Musei Italici pag. 80 seq. vulgavit Anastasii prologos in versas a se *Passionem 1480 Martyrum* in Palaestina sub Chosroë (de quibus Acta Sanctorum 22 Junii tom. IV, pag. 188.) *Miracula S. Basilii Caesareensis. Passionem SS. Cypri et Johannis.* Et *Vitam S. Donati Episcopi apud Euricon in Syria.* Tribuitur illi etiam versio *Historiae de Josaphat et Barlaam* inter Joannis Damasceni Opera, *Epistolae S. Cyrilli Alex. ad Gennadium*, Vitae *Petri Alexandrini*, Passionis *S. Agathii*, sociorumque ejus: et narrationis *Miraculi Berytensis* de imagine Christi a Judaeis transfixa An. 765.

Praeterea ipse scripsisse traditur Anastasius *Vitas Pontificum* a) a Petro usque ad Nicolaum. I, quas cum *Guilelmo Bibliothecario* de vita Hadriani II et Stephani VI sub Anastasii nomine primus ex *Marci Velseri* Bibliotheca vulgavit *Joannes Busaeus*, Moguntiae 1602 4. Deinde *Carolus Annibal Fabrottus* cum Historia Anastasii Ecclesiastica, Parisiis 1649 fol. inter Scriptores Historiae Byzantinae, quos novissime Venetis typis recusos constat. *Antonii Dadini Alteserrae* notae et observationes excusae separatim, Parisiis 1680 4. Post Busaeum et Fabrottum, splendidam hujus libri Pontificalis editionem auspiciis CLEMENTIS XI. Papae curare coeperunt doctissimi Viri *Franciscus Blanchinus* et *Joannes Vignolius* notis et observationibus illustratam, b) Romae 1718, 1724, 1728, fol. neque tertio hoc tomo opus absolvitur, qui in Gregorio M. jam desinit.

* Post absolutam a Fabricio Biblioth. hanc Latinam prodiit (an. 1735) quartum volumen Romanae editionis huius tria priora a Fabricio indicata sunt. Praecedunt prolegomena nonnulla, in quibus continentur Josephi Blanchini Veronensis Congregationis Oratorii de urbe Presbyteri dissertationes epistolares septem; opusculum de vitis Romanorum Pontificum a B. Petro Apostolo usque ad S. Paulum primum ex Veronensi codice. Item aliud opusculum continens Codicem sacramentorum vetus Romanae Ecclesiae a S. Leone papa confectum, de quo dicemus

a) Neutiquam omnium, sed paucorum quorundam fortasse a Gregorio IV ad Nicolaum I quibus vicinus vixit auctorem posse esse Anastasium, non sine causa monent eruditi. Vide prae caeteris Friderici Spanhemii Opera tom. II, pag. 649 seq. et quae collegit Oudinus tom. II, pag. 258 seqq.

b) Giornale de' Letterati d' Italia tom. XXXI, pag. 441 seq. Acta Eruditorum An. 1719, pag. 425. Anno 1725, pag. 153. Anno 1731, pag. 549.

cum de S. Leone agendum erit. Opusculum III exhibet Gelasii I Decretum e Florentino codice desumptum cum aliis duobus collatum. IV, Fragmentum Catalogi Pontificalis in Vigilio desinens, quod integrius recuditur, quam legeretur in tom. III ejusdem editionis Anastasianae. Opusculum V dat fragmentum invectivae in Romam pro Formoso. Opusculum VI fert appendicem seu variantes ad Martyrologium Bedae editum in principio tomi II Actorum SS. Bollandi collatum cum codice Veronensi seculo Circiter X. VII opusculum exhibet Psalterium cum Canticis juxta vulgatam antiquam et Italam versionem cum variantibus, et collatione instituta cum aliis vetustissimis Psalteriis. Excipit haec omnia Cajetani Cenni presbyteri Pistoriensis Chronologia Caesarea Pontificia tomi IV ab. an. Christi 590 usque ad 768. *

Totum vero luculenter recensitum exstat novo ejusdem *Vignolii*, c) Romae 1724 forma quarta majore, atque sub idem fere tempus Clarissimi *Muratorii* studio in tomo tertio rerum Italicarum, Mediolani 1723 fol. addita d) etiam aliorum auctorum veterum continuatione de Vitis Pontificum a Leone IX ad Joannem XXII.

Chronicon breve *Cassinense* in anno Christi 857 desinens, quod Anastasio tribuitur, edidit laudatus Muratorius tomo secundo magnae illius atque Italis honori semper futurae collectionis tom. II, p. 249 sed Anastasium auctorem esse vix ac ne vix quidem sibi persuadet.

Epistola ad Adonem Archiepiscopum Viennensem, atque altera *de obitu Nicolai I. Papae et electione Papae Hadriani II* et tertia *ad Hincmarum* leguntur in tomis Concilior. Regia XXXIII. Labbei VIII. Harduini V. et Veneta Coleti X.

Martini I. Papae *Epistolas* XIV, XV, XVI, XVII et XVIII versas ab Anastasio exhibet et praefationem ejus ad Martinum

c) Acta Eruditorum An. 1727, pag. 52. Journal des Sçavans An. 1726 Jun. pag. 278. Memoires de Trevoux A. 1727, pag. 89.

d) Vide conspectum meum thesauri Litterarii Italiae pag. 27 seq. et Acta Eruditorum Anno 1724, pag. 577 seq. ubi etiam de *Petri Boërii* Episcopi circa An. C. 1380. Urbevetani notis in Anastasium MSS.

Narniensem Episcopum memorat Binius tom. II. Concilior. edit. 1618 atque inde alii.

ANASTASIUS, Monachus *Cassinensis*, (Petro Diacono ignotus) Bibliothecarius Stephani II, vel III saeculo octavo declinante, cui tribuunt historiam an fabulam de translatione partis reliquiarum *S. Benedicti* et sororis ejus *Scholasticae*, quam MS. habuit Arnoldus Wion.

ANASTASIUS, *Presbyter* et Apocrisiarius Romae circa A. C. 664 cujus *Epistola ad Theodosium Presbyterum Gangrensem* exstat ex Anastasii Bibliothecarii versione in hujus Collectaneis ad controversiam Monotheletarum spectantibus quae edidit Sirmondus Paris. 1720, 8, recusa Parisiis et novissime Venetiis in tomo tertio Sirmondi Operum pag. 573 et ante tomum primum Operum S. Maximi Combefisiani P. LXVII et tom. XII. Bibl. Patrum Lugd. pag. 858.

ANATOLIUS Alexandrinus, Laodicensis Episcopus, quem sub Probo et Caro floruisse Hieronymus cap. 37. Catalogi testatur, Graece non Latine scripsit, sed *Canonem* ejus *Paschalem* ex veteri Latina Rufini versione vulgavit notisque illustravit Ægidius Bucherius in doctrina temporum Antwerp. 1634 fol. pag. 439-449.

Petrus ANCHARANUS, sive de Ancharano JCtus qui Bononiae docuit diemque obiit An. 1410. De illius scriptis Warthius ad Caveum et Oudinus tomo III. pag. 1239. seq.

* Praeter scripta a Warthonio commemorata exstat eius responsio nomine concilii Pisani data Episcopo Verdunensi legato Roberti ex Bavariae duce Regis Romanorum, quam ego hucusque ineditam e cod. MS. ipsa Petri manu signato extractam vulgavi in meo Conciliorum supplemento tomo III 1099. Petitiones Episcopi Verdunensis ex Dacherio Labbeus dederat; at cum ad singulas petitiones, breves quaedam responsiones in suo codice Dacherius nactus fuisset; has pariter dedit Labbeus ratus has ipsas esse responsiones a Concilio editas. Reipsa tamen responsiones illae Codicis Dacheriani forte extemplo datae sunt; sed fusior et diligentior responsio dein adornata est quae per me ibidem, ut jam innui evulgatur.

Praeter haec in Cod. MS. Bibliotheca Fe-

lini nactus sum integram Ancharani dissertationem, qua Cardinales utriusque communionis hortatur, ut Pontificibus suis desertis tertium alium assumant. Lucubrationem hanc pubblici Juris nondum factam arbitror, et dignissimam reputo, ut evulgetur. En titulum: *tractatus Petri de Ancharano Rev.*[mo] *in Christo P. D. Baldassari de Neapoli miseratione Divina tit. S. Eustachii Diacono Cardinali, et Apostolicae Sedis Legato* etc. *Queritis a me humili servitori vestro* etc. Baltassar hic non alius ab eo, qui postea sub Joannis XXIII nomine in Pontificem assumptus fuit.

Et ex t. V. *Petrus de Ancharano* (a). Farnesiorum Castello, Baldi an. 1400. defuncti discipulus Jctus celebris Bononiensis, scriptor Commentariorum in Decretales Sextum et Clementinas, consiliorum aliarumque lucubrationum. Vide Trithemium cap. 75, Forsterum in historia Juris Civilis pag. 664. Guidonem Pancillorum III, 26, qui et collegium pauperum studiosorum ab eo Bononiae institutum celebrat: Labbeum t. II de S. E. p. 183, Wartonum ad Caveum, Ondinum tom. 3 pag. 1239 etc.

*Jcti hujus praeter edita plura sunt opuscula in codicibus MSS. quorum aliqua, quae MSS. Codices Ecclesiae maioris Lucensis servant, hic indicare operae praetium judico. In regula sexti commentaria subtilissima. Incipiunt *solent Juriconsulti*. In fine primae praefationis legitur: *Repetitum fuit istud caput per me Petrum de Ancharano minimum Juris utriusque Doctorem in hac felicissima civitate Bononiae studiorum matre. 1397 die* 3 *Januarii.*

Eiusdem repetitio altera incipit: *peccatum non dimittitur*. In fine: *publice eam repetii Pisis ubi erat jam sacrum Concilium congregatum et in scriptis postea Bononiae redegi 1412 die 5 Iunii.*

Tum sequuntur praelectiones aliae in easdem regulas. Praelectio eiusdem ad Legem 1 ff. de paenis ubi late tractat argumentum de mixtione Fori laici et Ecclesiastici. In fine prioris praelectionis, quae incipit. *Laicus quidam* haec leguntur: *disputata fuit dicta quaestio per Petrum de Ancharano J. V. D. in alma civitate Bononiensi studiorum omnium matre, in qua publice ad utramque partem omnibus arguentibus respondit magnae scientiae, et subtilis ingenii vir D. Nicolaus monachus SS. Quatuor, qui materiam praebuit disputandi dictorum dubiorum latius quem per alios factum inveniebatur An. 1412 die 23 Mensis Aprilis.*

Famosissima et solemnis repetitio D. Petri de Ancharano in materia statutorum.

Consilia illius num. 432 plane diversa ab editis continet Vol. 405. MS. in Bibliotheca Felina.

(Et ex t. VI 346) Errat Fabricius cum multis notans Ancharanum an. 1410 defunctum. Pluribus enim demonstrat cl. Mazzuchellus t. II pag. 676 annum eius emortualem signandum esse an. 1416. erratum est etiam hic a me cum scripsi Ancharanum respondisse nomine Concilii Pisani ad Verdunensem Episcopum, scribendum enim fuerat ad *Verdensem*. In codice 166 Bibliothecae Felini extat commentarius seu *Lectura eximii Doctoris Petri de Ancharano super sextum Decretalium solerti studio per D. Petrum Albignanum Tracium et plures alios emendata impressa Venetiis IV id. Martias* 1501. In eodem pariter volumine compacta est *Lectura eiusdem super Clementinas diligentissime castigata et correcta per D. Bernardum Oliverium de Sanguineto Finariensem impressa Mediolani a D. 1494 die 24 Martii.* Codex alius MS. signatus 165 eiusdem Bibliothecae membranaceus fert *Lecturam Petri de Ancharano super Primo Decretalium scriptam per me Nicolaum de Misna alias de Dreschen die 15 Novembris* 1398. Succedit eiusdem Petri *Repetitio c. judicis officium de officio judicis*. Claudit volumen *Lectura eiusdem Petri super 2 Decretalium*. In fine Codicis haec leguntur manu Felini: *Apostillae sunt ex propria manu Petri de Ancharano, ut vidi ex comparatione facta de Literis ad consilia manu sua scripta et subscripta, quae habeo in 4 libro informationum ipsius.*

Demum codex est alius signatus 167 chartaceus MS. continens. *Petri de Ancharano*

(a) *Ancora Juris* inde dictus in Epitaphio Bononiae in templo S. Dominici.

in Regulis Sexti Decretalium cum eiusdem disputatione plenissima de Clericatu suscepto post delictum. Accedit Lectura super Cap. Canonum statuta. In Cod. 190 est Repetio eiusdem *in Cap. Postulasti de Foro competenti* impressa Bononiae 1473 die 29 Octobris sicut et altera eiusdem *repetitio cap. de constitutionibus* impressa Bononiae an. 1475 die 9 Januarii. In cod. 239 continentur MS. completa Petri de Ancharano *super Clementinis* absoluta, ut ibidem legitur, *die 29 Martii 1390 Bononiae.* Codex 248 MS. exhibet Petri huius *Repetitionem in Cap. De Rescriptis* in 6, tum alteram *in cap. Si Pater de testam.* in 6. tum repetitiones alias eiusdem. In Cod. 294 MS. est *Petri de Ancharano in cap. Finem litibus repetitio.*

ANCILLARIUS MS. in Bibliotheca Quedlimburgensi, Collectanea ex SS. Patribus de Virtutibus et Vitiis Monialium, distincta capitibus LXXVIII vide Tobiae Eckardi notitiam Codicum MSS. Qvedlimb. editam 1723 pag. 38.

ANDODENUS, ANDOENUS, vide AUDOENUS.

ANDOINUS *de Rocca* Burgundus, Abbas Cluniacensis, Cardinalis, qui An. 1369. Viterbii diem obiit. Hujus sermones plures in solennibus festis habitos laudat Eysengreinius pag. 144 b. Catalogi.

ANDREAS *Agnellus.* supra, AGNELLUS. Liber ejus *de bello Totilae*, quem memorat Rubeus, nusquam exstat, quod sciam.

Joannes ANDREAS, Nicolai Cusani contubernalis, * et ex Secretario Bibliothecae Vaticanae Episcopus *Aleriensis* in Corsica Insula, ab Anno 1468 usque ad 1493, quo diem obiit supremum. Hic est ille, qui post repertam in Germania et Italiae feliciter illatam Typographiam, primas Romanas editiones Bibliorum Latinorum, Auctorumque Classicorum Ciceronis, Livii, Caesaris, Plinii majoris, Quintiliani, Gellii, Apuleji, Poëtarumque Virgilii, Ovidii, Silii, Christianorum etiam Scriptorum Lactantii, Augustini, Hieronymi egregie promovit, recensuitque, et emendavit, cum Joanne Antonio Campano, Theodoro Gaza, paucisque quibusdam aliis. Gazae et Andreae gratias conceptissimas communi Studiosorum nomine pro opera hac in emendandis Latinis Scriptoribus posita agit Franciscus Philelphus lib. XXXI. Epistola 61 data An. 1470 et lib. XXXII. Epist. 16.

* Ughellus tomo III Italiae Sacrae pag. 504 seq. editionis novae.

ANDREAS *Arelatensis*, *lege Atrebatensis*, cujus *libri tres de origine et gestis Francorum* lecti a Cangio n Biblioth. Puteanae Cod. 1138 fuere etiam in Biblioth. Alexandri Petavii, ex qua pervenere in Thesaurum librarium Reginae Sveciae Christinae, atque inde in Vaticanum. Confer Jacobum le Long num. 6446 et 7032. Videntur autem iidem esse libri III, quos sub *Andreae Marcianensis* nomine, Monachi Flandri et Prioris Ordinis Benedictini An. 1194 defuncti, ad Petrum I. Episcopum ab An. 1180 ad 1203. Atrebatensem, scriptos eodem titulo et MStos exstare Tornaci aliisque in locis testatur Sanderus: Raphaël vero de Beauchamp Religiosus ejusdem Marcianensis Coenobii edidit Duaci 1633 4.°, 2 Volum. sub titulo: *Synopseos Historiae Franco-Merovingicae*, sive Historiae succinctae de gestis et successione Regum Francorum, qui Merovingici dicti ex Sigeberto, Anselmo Gemblacensi etc. una cum editoris prolegomenis, appendicibus, notationibus et paralipomenis.

ANDREAS Aulae Regiae Francorum Capellanus circa A. 1170 cujus *Amatoria* lucem viderunt Dortmundi, sive Tremoniae, in octavo ordine, exemplis quibusdam Annum 1610 aliis, ut fit, diversum et 1614 praeferentibus.

ANDREAS *Bambergensis* Vide infra, *Andreas S. Michaëlis.*

ANDREAS *Barbatius* Siculus JCtus, Bononiae docuit et Ferrariae *Monarcha Legum* ac *Lucerna Juris*, circa Annum CHristi 1460 scripsit *in Decretales*, variaque *Consilia*, et juvenis admodum *de Cardinalibus eorumque praestantia, et de Legatis a latere*, Tractatus in Oceano Juris obvios tom. XIII. De caeteris Warthonum vide ad Caveum. Sed cave ei credas Conciliorum Volumina IV ab hoc Barbatico digesta esse, vel lucem vidisse Venet. 1516.

* *Andreas de Bartholomaeis* dictus Bar-

batius Siculus. In MS. Cod. Biblioth. Felini quam Lucae extare saepius dixi, leguntur *additiones ad Bartolum super tribus libris Codicis per Barbaceum;* quod opusculum lucem needum vidisse arbitror. In altero codice eiusdem Felini edita Bononiae est *repetitio Rubricae de fide instrumentorum per Dominum Andream Barbaciam Siculum Messanensem*; impressa Bononiae an. 1474 Ibidem pariter in Codice 188 est tractatus MS. eiusdem de *constitutionibus.* In Cod. 272 MS. est eiusdem Authoris opusculum *de officio Delegati.*

Ad oram primi folii partis primae Consiliorum Barbaciae ex veteri editione Mediolanensi an. 1490 haec manu sua scripsit Felinus. *Iste* (loquitur de Borso Duce Ferrariae) *fecit* pingi Barbaceam suspensum *pede e furca propter violatam fidem et sic stetit in platea Ferrariensi an. 15. Postea rogatus ab eo ad instantiam Roberti filii Sigismundi de Malatestis cupientis a Paulo investiri contra capitula conclavis, cum esset Ariminum devolutum, fecit hoc consilium sperans pro praemio deponi a furca, et ita factum est, et deleta fuit pictura.*

ANDREAS *Bilius* Mediolanenis, Augustinianus, qui An. 1434. Concilio Florentino interfuit, praeter scripta Grammatici, Rhetorici, Logici, Physici, Ethicique argumenti atque in Aristotelem, cujus etiam libros Physicorum et de Anima Latine transtulit, quae apud Philippum Elssium pag. 51 seq. possunt videri, scripsit *Historiae Mediolanensis* et *Lombardicae* libros IX ab Anno 1402 ad 1431 editos primum a laudatissimo Muratorio tomo XIX. Scriptorum Italiae Mediolan. 1731 fol. tum inedita longe plura *querela Pacis*, *De Pace cum Philippo Duce Mediolan. componenda* ad Alphonsum Regem Arragonum: Laudationem funebrem *Joannis Galeazii*, Vice-Comitis, Ducis Mediolan. *Orationem militarem*, et aliam *de S. Augustini laudibus. De suscipienda in Bohemos expeditione: Libros II de concordia et meritis Ordinum* super generali indulto *Alexandri V. De Ordinis Augustiniani forma et propagatione* ad fratrem Ludovicum. *De disciplina Ordinis: De institutione discipulorum* ex doctrina *Bernardi de Senis*, Ordinis Minorum. *Admonitionem ad Manfredum Vercellensem,* Ordinis Praedicatorum, libris II. *Panischolaria * ad Alphonsum, Arragonum Regem*, pro Martino V adversus Clementem Anti-Papam. *De pace ac victoria Romanae Ecclesiae* ad Nicolaum Cardinalem. Commentarios historicos *de detrimento fidei Orientis* sive *de origine Turcarum.* Sermonem *de concessione et translatione B. Monicae*, Matris S. Augustini recitatum a Martino Pontifice. Confer Acta Sanctor. ad 4 Maji. Ad Barcinonenses *de litera H in nomine IHS. De amore et magnitudine Crucis. Hexaëmeron*, sive de Mundo diebus sex condito. *Expositionem in quatuor Evangelia. In Evangelia Quadragesimae. In primum Sententiarum etc.*

ANDREAS *Bordus*, Anglus, ex Carthusiano Medicus defunctus Wintoniae An. 1545. Inter alia adversus Sacerdotes castitatis votum acriter scripsisse, et Prognosticorum et de judiciis urinarum librum, Promtuariumque Physices edidisse traditur a Pitseo pag. 736.

ANDREAS *Boucher*, sive *Carnificis*, Ordin. Praedicat. Prior Duacensis circa An. 1483 scripsit *rationes contra transsubstantiationem corporis S. Joannis Evangelistae in corpus CHristi, quam Bovetus * et Franciscus Marojus* (ita legendum esse, non *Maironis* ut habet Sanderus, notatum Jacobo Qvetif tom. I, pag. 866) *factam volebant per verba CHristi in Cruce pendentis* Job. XIX. 26. Mulier, ecce filius tuus. Contra eundem monstrosum errorem scripsit Nicolaus Eymericus et Dominicus de Dominicis. Vide Nic. Antonii Bibliothecam veterem Hispanam lib. IX cap. 7 § 390 tom. II, pag. 125.

ANDREAS ex *Craynensi*, sive *Carnensi* (in Carinthia) Archiepiscopo R. E. *Cardinalis*, ad Concilium provocans, Pontificum Romanorum auctoritatem variis scriptis ausus est oppugnare. Scripta Warthonus recenset ad Caveum, ut a Petro Numagen Secretario Andreae collecta sunt, editaque

* Paniscolam Imperii sedem Clemens Anti-Papa sibi delegerat. Vide Acta Eruditorum Anno 1755, pag 545.

* al. *Nicolaus Bonetus.*

a Joanne Henrico Hottingero tom. XV. Histor. Ecclesiast. pag. 355-605. Tiguri 1654 8.

* Mire hic allucinatur Fabricius, nec certiora tradit de eius Episcopatu. En quid de hoc Andrea scribit Sigismundus Fulginas, coaevus scriptor in Historia adhuc inedita suorum temporum; narrat enim Pontificem Sistum IV avide *propositam cum Ferdinando Neapolitano Rege parcem arripuisse concilii et schismatis metu quod Andreas Dalmata Archiepiscopus Cyainensis* (forte titularis Cianae in Epiro) *apud Basileam convocare coeperat. Is Florentino bello oratorem Caesaris apud Pontificem egerat, ab eoque magnifice donatus, et in honore habitus erat; ob maledicentiam post modum in Arcem Adriani coniectus fuerat. Tunc vero magnis aemulorum Pontificis oneratus promissis, et ob carcerem Pontifici ipsi infensus; qui etiam levissimus homo esset, et nihil pensi habere solitus, pileum sine decreto S. Collegii ac Pontificis gestare coepit, se Cardinalem S. R. E. tit. S. Sixti mentitus. Nam, ut erat Sistus in promittendo facillimus, spe Cardinalatus eum fortasse lactaverat. Probris deinde et criminibus in ipsum Sixtum jactatis, principes et praesules, ad concilium, in quo labanti Ecclesiae succurri posset, vocabat et invitabat. Nec Basileenses, apud quos constiterat, compendii spe id moleste ferebant. Caesar etiam ipse connivebat, hominis, credo, levitatem contemnens. Et a principio quidem animos multorum erexit. Caesaris deinde autoritate et pietate, crebrisque Pontificis literis nunciisque repressus; pace postremo facta, a Ferdinando, et coeteris inflammatoribus destitutus, diem in carcere obiit.* Haec Scriptor ineditus in codice Feliniano, quibus idem Felinus haec addit sua manu descripta in extrema pagellae ora. *Hic Andreas fuit Fr. Ordinis Praedicatorum, homo satis literatus, linguae omnipotentis, ingenii concitati et iniquissimi. Dum esset Romae imperialis orator, utebatur Sixtus ingenio eius; adeo ut per eius organum responsum dederit, palam oratoribus Gallis petentibus a Sixto Concilium indici. Dixitque Andreas non ad Regem, sed ad Imperatorem et negligentibus tantummodo Cardinalibus id spectare. Demum ob eius loquacitatem, quoniam vitam Sixti publice carpebat, exosus est factus Sixto. Qui cum obtinuisset ab Imperatore eum legatione privari; hoc fecit; hominem in curia privatum poni fecit in castro S. Angeli, ubi fere biennio stetit. Relaxatus demum in Germaniam rediens vociferari coepit pro concilio Basileensi continuando, quod post Eugenium suspensum fuisse, non extinctum praedicabat. Opera demum Sixti in Germaniam carceratus obiit.*

De hoc carcere Andreae ista lego in continuatione ad chronicon Engelhusi auctore Matthia Decringio Menken. Rer. German. tom. 3 pag. 38. *De mandato Papae et Imperatoris cum auxilio Svvitensium, qui Papae fortiter adhaerebant, captus fuit et carceribus perpetuis in urbe Basiliensi mancipatus; in quibus cum per aliquot dies fuisset, articulos contra Papam et sedem Apostolicam factos publice et solemniter revocavit, nec tamen per hoc a carceribus liberatus fuit. Et illam revocationem fecit in carceribus Basiliensibus an. Dom. 1483 in Januario.*

ANDREAS *de Caroloco*, Ordinis Praedicatorum. *Sermones quinque* Parisiis An. 1273 habiti recensentur a Jacobo Qvetif tom. I, pag. 266.

ANDREAS *Ciaffi* Pisanus, JCtus medio Saeculo XV, cujus Tractatus *de Gerundiorum usu in Jure*, exstat in Oceano Juris, sive Tractatu Tractatuum tom. XVIII, pag. 273, 274. Vide Marcum Mantuam in Epitome Virorum illustrium pag. 439.

ANDREAS *Dandulus* ab Anno CHristi 1343. Venetorum Dux, cujus *Chronicon Venetum* a Pontificatu S. Marci Evangelistae ad Annum CHRISTI usque 1280, atque inde ex ejus Historiae Compendio deductum ad Annum 1342 cum continuatione *Raphaini Caresini* ad Annum 1388 ex duobus MStis Bibliothecae Estensis, atque Ambrosiano, diplomatibus ineditis aucto per Joannem Vincentium Pinellum, et annotationibus e *Joannis Bembi* Chronico ab Anno 1383 ad 1410, vulgavit celeberrimus Muratorius tomo XII. Scriptorum Italiae, Mediolan. 1728 fol. Adde Acta Eruditorum A. 1729, pag. 290.

ANDREAS *Dei*, cujus Historiam Senensem ab Anno 1186 ad 1328 edidit tomo XV clarissimus Muratorius, uti ejus continuatores eodem tomo XV et tomo XIX. Italice scripsit, non Latine.

ANDREAS *de Fabriano* Italus, Augustinianus, Philippo Elssio pag. 53. *Theologus et Philosophus Platonicus* audii, nulla tamen ejus scripta commemoranti.

ANDREAS *Dominicus Floccus*. Vide infra, FLOCCUS.

ANDREAS, Monachus et Prior *Fontebraldensis*, sive in Abbatia Fontis Ebraldi in Dioecesi Pictaviensi, scripsit *de morte Roberti de Arbrisselo*, quae incidit in annum 1117. Edita est haec lucubratio cum vita ejusdem Roberti (scripta a Balderico Dolensi Episcopo, defuncto Anno 1130) in Actis Sanctorum 25 Februarii et separato Volumine, Flexiae 1641, 4 et Rothomagi 1668, 8, ut Gallicas versiones aliaque a Jacobo le Long in Bibliotheca Gallicorum Historicorum num. 6012 seq. pag. 279 seq. erudite notata omittam. De Roberto illo praeter Godofredum Viadocinensem Epist. tom. III Operum Sirmondi pag. 833 consulenda Marbodei Rhedonensis Epistola VI, p. 1404 sq. Praefatio editoris ad tomum tertium Sirmondi Operum, Andreas du Chesne notis ad Bibliothecam Cluniacensem pag. 129. Baelii Lexicon iu *Fontevraud* etc.

ANDREAS de Escobar, Ordinis Benedictini, *Hispanus*, Episcopus Megarensis, deinde Civitatensis, hinc Ajacensis, idemque, ut quibusdam placet, Cardinalis, de quo Trithemius II 136 illustrium Benedictinorum. Ex ejus scriptis Nicolaus Antonius tom. II. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 155 memorat ejus Tractatum *contra quinquaginta errores Graecorum*, compositum Bononiae Anno 1437 et MStum in Bibliotheca Vaticana: *Gubernaculum Conciliorum* scriptum Anno 1431. Tractatum *de decimis* obvium in tomo XV. Oceani Juris Parte II, pag. 142. *Lumen Confessorum. Chronicam recollectionem XXIV. Schismatum* ab Anno Christi 354 ad 1407.

ANDREAS *Hoppenrodius*, Pastor in Herstedt in Comitatu Saxoniae Mansfeldensi. Ejus *Annales Gernrodenses* a fundatione Abbatiae per Geronem Saxoniae Ducem A. 941 usque ad Annum 1570 in tomo secundo rerum Germanicarum Henrici Meibomii tomo II, pag. 381–465 cum subjunctis ejusdem Meibomii Observationibus, sive Supplemento ad pag. 476.

ANDREAS HORNUS Anglus, JCtus sub Eduardo II circa Annum 1320. Hujus *Chronicon Claudiocestriae*, sive Glocestriae memorat Pitseus pag. 823 et Baleus Centur. XII, pag. 87 ex Guilelmi Botoneri, sive Buttoneri Antiquitatibus Anglicanis. Omitto Andreae hujus *Summam*, sive *Speculum Justitiariorum*, quod Gallice Londini 1642 et Anglice 1646 8.vo, editum Thomas Warthonus notat auctario ad Caveum, ubi ex eodem refert testimonium de Apocryphis libris removendis a Canone, Tobia, Judith, Maccabaei et Ecclesiastico.

ANDREAS II. *Hungariae* Rex ab An. 1205 ad 1235 Ejus *Epistola ad Innocentium III.* Papam, in Bongarsii gestis DEI per Francos tom. I, pag. 1194 et *ad Honorium III*, pag. 1192 alia *ad Gregorium Papam IX* in Dacherii Spicilegio tom. XII, pag. 554 et tomo III editionis novae pag. 610.

Jacobus de S. ANDREA Ordinis Praedicator. circa Annum 1370. *Alphabetum Etymologiarum ex Isidoro Hisp.* ad Gregorium XI. MS. in Bibl. Bodlej.

Joannes ANDREAS vide supra, *Andreas Aleriensis.*

Joannes ANDREÆ, Jus Pontificium A. 1330 docuit Patavii, deinde Pisis, ac denique Bononiae, ubi diem obiit An. 1348 *Archi-Doctor Decretorum* in Epitaphio filiae appellatus. De scriptis ejus plagiisque vide Gvidonem Pancirollum lib. 3 de claris Legum Interpretibus cap. 19. (et Phil. Villani Vitas).

ANDREAS *JCtus* circa an. 1200 Venetiis, de quo Innocentius Papa tertius lib. I Epist. 387. Alii hoc nomine JCti, de quibus supra, *Barbacia*, *Ciaffi*, *Hornus*, et *Joannes*.

ANDREAS *Leucander*, sive *Whitemanne*, aliis vitiose *Lernander*, redux Hierosolymis factus, Abbas Rameseganus, sive Ramesiensis, apud Girvios in Anglia scripsit circa annum 1020. *Vitam Ivonis* Persae Episcopi, ex quo deinde Gotcelinus Bertinianus, teste Lelando cap. 127. Pitseus *Johannem* pro

Ivone appellat, et scriptum etiam *de Hierosolymitana sua peregrinatione* ei tribuit pag. 183:

ANDREAS *de Longiumello*, Ord. Praed. qui An. 1249 a Ludovico sancto, Francorum Rege missus est ad Chamum Tartarorum, et An. 1247 ab Innocentio IV ad Catholicos seu primates Orientales Jacobitarum Nestorianorumque. Vide Jacobum Qvetif tom. I pag. 140 seq. ubi *Epistolam ejus ad Regem Ludovicum* memorat.

ANDREAS, Archiepiscopus *Lundensis*, Sunonis, sive Svenonis successor, diem obiit An. 1228. Huic historiam suam Danicam dicavit Saxo Grammaticus, inter alia testatus eum *mirificum reverendorum dogmatum opus* esse complexum. Ex ejus *Hexaëmero* quod versibus scripsit hexametris, nonnulla affert Chronicon Danicum editum ab Arna Magnaeo p. 90. Stephanus Joh. Stephanius in notis ad Saxonem pag. 11. *Hexaëmeron, scripsit Andreas Carmine Heroico, opus continens explicationem praecipuorum locorum doctrinae coelestis, sed inprimis agens de creatione Mundi, et Operibus sex dierum, ad imitationem sanctissimi Patris* Ambrosii, *qui ejusdem argumenti libros VI conscripsit. Ejus MS. in membrana exemplar non ita pridem suppeditavit mihi illustris et generosus Heros Dominus* Christophorus Ulfeldius de Svenstrup, *Eques Auratus etc. Certe luce publica dignissimum est poëmation, ut documento sit, illud etiam saeculum doctos homines habuisse, hasque aquilonares regiones etc. Meminit ejusdem Operis Nobilissimus Vir* Arnoldus Huitfeldus, *Regni Danici quondam Cancellarius Magnificus deque patria nostra universa praeclare meritus, in praefatione quam Legibus Provincialibus terrae Scaniae a se editis praefixit.* In hac etiam Hexaëmeri illius editionem promisit, qui *Leges Scanicas* ex Danico per hunc Andream Latine versas vulgavit Hafniae 1590, 4. *Jus Scelandicum* libris XVII. Ejusdem poema *de VII Ecclesiae sacramentis* in aede Cathedrali Lundensi MS. memorat Jo. Mollerus ὁ μακαρίτης in hypomnematis ad Albertum Bartholinum de scriptis Danorum pag. 163, ubi plura de hoc Andrea, lector harum rerum curiosus reperiet.

ANDREAS, *de Luxemburgo*, Imperatoria stirpe progenitus * Episcopus ab A. 1390 Cameracensis, atque inde R. E. Cardinalis, defunctus An. 1396. Ejus *testamentum* obvium in Dacherii spicilegio tomo IX pag. 294 et tomo III editionis novae pag. 755.

ANDREAS *Marchianensis*, sive *Marcianensis*. vide supra, *Arelatensis*.

ANDREAS *de Marinis*, Cremonensis (licet titulus per errorem habeat Veronensem.) Hujus *Epistola* paraenetica ad *Rupertum* Regem Romanorum scripta circa A. 1403 cum ille expeditionem pararet in Italiam adversus Galeatium Mediolanensem. Exstat t. I anecdotorum Edmundi Martene T. I. p. 1696-1700:

ANDREAS Monasterii *S. Michaëlis*, prope Bambergam, Abbatis Ordin. S. Benedicti, circa An. 1498. Scripsit *de Vita S. Ottonis* An. C. 1138 defuncti Pomeranorum Apostoli, Episcopi Bambergensis, *libros IV* ad Benedictum Episcopum Caminensem. Edidit Jac. Gretserus S. J. in Divis Bambergensibus, Ingolstad. 1611, 4 atque inde ex meliori Codice Valerius Jaschius Pomeranus. Colbergae 1684, 4.to Vide Acta Eruditor. An. 1682 pag. 279 Hinc Joannes Petrus Ludewig in scriptoribus rerum Bambergensium tom. I p. 393 Hic Andreas quatuor ante se scriptores de vita S. Ottonis memorat, *Sefridum, Tiemonem, Ebbonem* ex ore *Udalrici* Sacerdotis S. Ægidii edoctum, et *Herbordum*. Ex his *Sefridus* et *Tiemon* videntur superesse in illis libris tribus Anonymi de vita Ottonis, quos ab H. Canisio pridem editos tom. II Antiquar. Lect. p. 235 (ed. novae tom. III pag. 40.) dat laudatus Ludewig. pag. 632 seq. sicut Jaschius eosdem Andreae adjunxerat. Traditur praeterea hic Andreas scripsisse *librum de conceptione Virginis Deiparae*, et opus ingens *de gestis Pontificum, Archiepiscoporum, Antistitum, Abbatum et Abbatissarum quotquot ex Ordine Divi Benedicti in Sanctorum numerum relati sunt.*

ANDREAS *de Modoëtia* (Monza, non procul Mediolano) Ord. Praed. circa An. C. 1270 Monachus S. Eustorgii Mediolan. praeter

* Sammarthan. tomo I. Galliae Christianae pag. 245.

sermones sacros et Commentarios Logicos Physicosque traditur scripsisse *Lecturam in Johannis Evangelium*, collationibus centum et sexaginta. Vide Jacobum Qvetif tom. I p. 259.

ANDREAS *Montis viridis.* vide mox infra, *Palatioli.*

ANDREAS *Nicolai*, Hungarus Ord. Minor. Conventus Cathuniensis circa An. 1464 cujus *Commentarii in Genesin* a Willoto et aliis memorantur.

ANDREAS *Novocastrensis* Anglus Ord. Praed. circa A. C. 1300 cujus *Commentarios in quatuor libros sententiarum* et *in Boëthium de Consolatione Philosophiae* memorat Jo. Baleus Centur. X pag. 44 ex Philippi Wolfii de vitis peritorum virorum. Videndum sintne diversi *Antonii Andreae* Commentarii in quatuor libros sententiarum, Constantino a Sarnano curante editi Venetiis 1578 fol. cui Andreae etiam in indice Bibliothecae Barberinae tribuitur, scriptum post intia repertae typographiae editum de Arte veteri Arist. divisionibusque Boëtii et quaestionibus.

ANDREAS *de Novocastro* in Lotharingia ad Mosam, circa idem tempus Ordin. Minorum Provincialis, inter Scholasticos *Doctor ingeniosissimus* cujus *Commentarii in primum Sententiarum* prodiere Parisiis 1514 fol. Vide Oudinum tomo III pag. 699.

* In Bibliotheca Vaticana extare *Andreae de Novocastro tractatum de Conceptione B. Virginis* notat Montfaucon Bibl. MSS.rum pag. 116.

ANDREAS Lucensis Italus *Palatioli* in Monte Viridi Abbas in Tuscia, Scriptor vitae *S. Walfridi*, qui An. C. 765 diem obiit, editae in Actis Sanctor 15 Febr. tom. II pag. 842 et a Mabillonio tom. IV Sanct. Ord. Benedicti pag. 196.

* Idem est ut arbitror ac Andreas filius Gundualdi Lucensis S. Walfrido coaevus. (obiit Walfridus anno circiter 763 non 765 ut Fabricius hic scribit) vitam longius produxit quam hic censuit Fabricius: comparet enim in instrumento locationis signato an. 807. Vide Soldanum in Historia Passinianensi pag. 20.

ANDREAS *de Perusio* inter eos, qui circa Annum 1330 *contra Edictum Ludovici Bavari* scripserunt, unde Dominicanis accensetur a Jacobo Qvetif. tom. I pag. 576.

ANDREAS de *Petra*, Colossarum et Rhodi Archiepiscopus, Graecus pro Latinis pugnavit in Concilio Basileensi, et Latine dixit Orator Eugenii IV Papae, quae ejus Oratio extat in Conciliorum tomis, et apud Bzovium ad annum 1332 num. 27 seq. Ejusdem quatuor assertiones adversus Graecos defensitatae in Concilio Ferrariensi id. ad annum 1338 num. 8 seq. Omitto Graeca ejus scripta itidem opposita Graecis et adhuc inedita, quae a Jacobo Qvetif tom. I de Scriptis Dominicanorum pag. 803 et ex Allatio ac Lambecio notata a Warthono ad Caveum.

ANDREAS de Bocagnis, *Pistoriensis* ab Anno 1378 ad 1400 Episcopus, Ordinis Praedicatorum, Scriptum reliquit *Quadragesimale* et *volumen Sermonum de Sanctis.*

ANDREAS, Presbyter ad S. Magnum *Reginoburgensis*, sive *Ratisbonensis* Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Ejus *Chronicon generale* a nato Christo usque ad Annum 1422 exstat in tomo quarto Anecdotorum Bernaardi Pez Parte III, pag. 275-636. Idem a *Johanne Chraft* Praedicatore Cambensi interpolatum, continuatumque usque ad Annum 1490 in Joannis Georgii Eccardi corpore historico medii aevi tom. I, pag. 1931-2176. Ab hoc diversum *Chronicon de Principibus terrae Bavarorum*, cum *Leonhardi Bauholzii* ab Anno 1439 paralipomenis usque ad Annum 1486 et cum ejusdem Andreae *Historia fundationum nonnullorum Monasteriorum per partes Bavariae.* notisque Marquardi Freheri editum Ambergae 1602 4. Hanov. 1607 4.to, et nobilissimo Kulpisio curante ad calcem Æneae Sylvii de rebus Friderici III. Angentorati 1685 fol. Joannis Aventini de hoc Andrea testimonium, qui eum ob diligenter et accurate scriptam historiam a civibus suis *Titum Livium* censeri scripsit lib. VII. Annalium Boicorum, a Vossio et aliis jam allatum praetereo.

ANDREAS de Redusiis, sive *Redusius* de Quero, Cancellarius Tarvisinus, Historiam a primordiis Mundi usque ad Annum 1428

condere aggressus pleraque remotiorum temporum ex notis Scriptoribus, ut multis Chronicorum Scriptoribus solenne, repetiit, quae editione indigna ratus eruditissimus Muratorius solum *Chronicon Tarvisinum* ab anno 1368 ad 1428 ex Codice Comitum Collaltinorum vulgavit tomo XIX splendidi operis rerum Italicarum, Mediolan. 1731. Vide sis de hoc Redusio Acta Eruditorum Anno 1733, pag. 354 seq.

In codice Trivisaneo MS. post chronicon Tarvisinum eiusdem scriptoris, ipsi pariter tribuitur ibique occurrit. *Legenda gloriosissimi confessoris S. Prosdocimi*, qui baptizavit Vitalianum regem Paduae, et comitem Tarvisii, ex quo descendunt Domini de Collalto comites Tarvisii. Ita lego in opusculo inscripto. *Lettera discorsiva di Apostolo Zeno sopra le Meditazioni Filosofiche del Sig. Bernardo Trivisano.* Venetiis 1704, 4 pag. 38.

ANDREAS, Abbas *Strumensis.* infra, Andreas *Vallumbros.*

ANDREAS *a Svessa*, Monachus Cassinensis, circa Annum 1578 scripsit *Regesta duo omnium Jurium et bonorum Cassinensis Monasterii*, ut refert Placidus Romanus in supplemento de Viris illustribus Cassinensibus cap. 30.

ANDREAS *Sylvius.* supra, *Atrebatensis.*

ANDREAS *Trajectensis*, Monachus Ordinis Benedictini *Spanhemensis*, in finibus dioecesis Moguntinae, obiit Anno 1483 teste Trithemio cap. 184 de Scriptoribus Germanicis, qui de illo etiam videndus c. 801 de Scriptoribus Ecclesiasticis, et lib. II cap. 141 illustrium Benedictinorum: atque praeter *Carmina* et *Rhythmos*, *Epistolasque* et *Collationes* varias, memorat ejus librum *Soliloquiorum hominis ad DEUM*, aliumque *de profectu virtutum*, *de abstinentia carnium*, et *de usu floccorum* quo Caputii Monachalis genere etiamnum Benedictini utuntur.

ANDREAS de *Turre*, Ordinis Praedicatorum, Episcopus Januensis ab Anno CHristi 1368 ad 1377 praeter Ordinationes in Synodo Januensi Anno 1375 promulgatas scripsit Summam Casuum Conscientiae, ut Quaestiones Quodlibetales Theologicas, Philosophicasque praeteream.

ANDREAS de Albalate, *Valentinus* in Hispania Episcopus ab Anno 1248 ad 1276. Ordinis Praedicatorum. Hujus *Constitutiones Synodales* in Synodis Valentinis Anno 1255, 1256, 1262, 1263, 1267, 1269 et 1273 promulgatae laudantur, partem editae a Cardinali de Agvirre tomo III. Conciliorum Hispaniae pag. 506 et in Harduini Conciliis tom. VII et Coleti tom. XV et ante hos a Gaspare Escolano in Historia regni Valentini. Valentiae 1610 fol.

ANDREAS, Abbas Strumensis Congregationis *Vallumbrosanae*, defunctus An. 1097. Exstat ejus de *Vita* coaevi sui *S. Johannis Gualberti*, * Ordinis Vallumbrosani fundatoris, qui Anno CHristi 1073 idem obiit, obvia in Actis Sanctorum 12 Julii tom. III, pag. 343. *Vita* Magistri sui *Arialdi* Diaconi An. 1075 extincti, et *Herlembaldi* militis An. 1113 in iisdem Actis 27 Junii tom. V, pag. 281. Vide tomum secundum Martii 10 pag. 48 seq.

ANDREAS, natione Anglus, Monachus Augustinianus *S. Victoris* Paris. circa An. 1150. Hugonis de S. Victore discipulus. Hujus *Commentarios in Esaiam* perstringit Richardus de S. Victore libris de Emanuele. Illos Commentarios MStos in Regia Bibliotheca Parisiensi exstare testatur Oudinus, sicut etiam in aliis Bibliothecis Historicam Magistri Andreae expositionem *in Pentateuchum*, *libros Regum*, * *Paralipomenon*, *Parabolas* et *Ecclesiastem*, *Danielem*, *Prophetas minores* et *Maccabaeorum* libros. Idem minime nugacem, sed sensu gravem hunc scriptorem esse judicat. Hisce Pitseus pag. 214 addit quoque *in Josue*, *librum Judicum*, *Ecclesiasten*, et *in Jeremiam*.

Ex Labbei Bibliotheca Bibliothecarum comperi *Andream Saussayium* volumini de S. Andreae Apostoli laudibus et gloria, excuso Parisiis apud Sebastianum Cramoisium 1656

* Hujus Gualberti vita scripta etiam ab aliis Blasio Melanesio, Hieronymo, sive Aucto Florentino, Generalibus Congregationis Vallumbrosanae, et a Jacobo Fornerio, Fontisfrigidi in Dioecesi Bellovacensi Abbate. Vide Sandium ad Vossium pag. 369 editionis a me curatae.

* Andream hunc refellit Lyranus ad 1 Sam. X v. 8 adde Jacobum Quetif tom. I de Scriptis Dominicanorum pag. 479.

fol. notitiam Scriptorum aliorumque ANDREÆ nomine nuncupatorum subjunxisse. Sed in illud volumen Saussayii necdum incidi:

ANDRENSIS Monasterii Historia. Infra, *Gvilelmus Abbas.*

ANGELA Palaestina, Raymundi *Bohemiae* Regis filia circa Annum 1166, quam Carmelitae suis adscribunt, tribuuntque illi *Revelationes* et ad Moniales suas *exhortationum* librum, et *Contemplationes de CHRISTO.* Et de Sancta Eucharistia. Vide Alegre pag. 253.

ANGELA *de Fulgineo* (Fuligno in Umbria) obiit Anno 1309, de qua Waddingus ad illum annum, ubi etiam illius *Testamentum* exhibet. Ejus *libellum spiritualis doctrinae*, *ac multiplicium visionum et consolationum Divinarum Venet. Anno 1521* ex Officina fratrum de Sabio, *editum* refert Possevinus Appar. Sacr. tom. I pag. 77 Latina haec editio postea Parisiis (ubi quoque Gallica prodiit) et Coloniae recusa, demum a Joanne Bollando ex MStis subinde correcta et illustrata, ac aliter distincta, tomo I Actorum Sanctorum ad 4 Januari pag. 186-234 inserta est; etiam Belgicam Antwerpia jam An. 1628 dederat. Libellum non ipsa Angela, sed *ARNALDUS* quidam Ord. Francisc. stilo satis rudi scripsit, qui illius materiam se ex Angelae ore et familiariori conversatione accepisse narrat. Praeter Bollandi Latinam editionem duabus versionibus usus sum, Italica altera Hieronymi de Capugnano, Bononiensis Dominicani, quae Venetiis 1680, 12 vulgata est; altera nova Gallica Petri Poireti, quae Amstelodami (licet frons Coloniam praeferat) An. 1696, 12 tit. *La Theologie de la croix de JESUS-CHRIST*, ordine immutato, lucem adspexit. Ex qua posteriori, resectis, quae offendicula esse poterant, sua Godfridus Arnoldus *Leben der Blàubigen* pag. 298-328 derivavit. Cum duae versiones istae, et maxime Gallica, plurium manibus, quam Latinum Bollandi exemplar, terantur, illas huic in ostendenda B. Joannis Arndii atque Angelae συμφωνία jungam. Contendat itaque lector ex libro Arndii secundo *de vero Christianismo* Caput XIII et XIV cum Angelae Latin. num. 166 seq. 176 seq. Ital. pag. 161 seq. 174 seq. Gall. pag. 32 seq. 51 seq. Caput item XVIII, XIX, XX, XXI cum Lat. num. 179 seq. 202 seq. 206 seq. 215 seq. Ital. pag. 180 seq. 201 seq. 205 seq. 214 seq. Gall. pag. 59 seq. 97 seq. 102 seq. 116 seq. Quae ad historiam Angelae pertinent, Bollandus praemisit, fini quoque libelli egregia, quibus eam aequalis scriptor, Ubertinus de Casalis prooemio operis Arboris vitae crucifixi, et ex Jesuitis Maxim. Sandaeus ornant, elogia annexuit. Dissimulavit tamen, an ignoravit? rigidius ejusdem Sandaei judicium, quod de illa Theol. Myst. pag. 655 tulit. *Hactenus B. D. Joannes Diecmannus* tom. II scriptorum ipsius Germanicorum, editorum Stadae 1709 4 pag. 177, 178.

* Nolo hic longam instituere comparationem, qua demonstretus S. Angela de Fulgineo longe aliam doctrinam tenuisse, quam Pietistae hodie docent. Instituta illa inter S. Angelam, et Joannem Arnd Comparatio nihil evincit aliud nisi quod heterodoxus verba phrasesque e piis persimilibus libellis acceperit, quibus ad impietatem suam obvelandam uteretur. Nec opella S. Angelae tantummodo sic abusus est, sed et S. Theresiam persaepe expilavit. Quis vero sanae mentis reputaverit S. Theresiam, cuius opera insignes Theologi revocarunt ad examen, approbarunt, et commendarunt, Pietismum sapuisse et docuisse?

ANGELICA summa, infra ANGELUS *de Clavasio.*

ANGELICUS Doctor, infra THOMAS Aquinas.

ANGELICUS Grimaldi e Grisaco Mimmatensis Dioecesis Gallus, Episcopus Avenionensis qui Cardinalis An. 1387 diem obiit. ab Eisengreinio pag. 148 b. inter caetera *Antiphonas*, *sacraque responsa* reliquisse traditur.

Joannes ANGELICUS super Quaestiones universales Joannis Duns, sive Scoti. Venet. 1512 fol.

Andreas de ANGELINIS JCtus auctor Commentariorum in secundum Inforciati et secundum Digesti novi.

Richardus de S. ANGELO, Monachus Cassinensis circa An. 1300. Ejus *commentarium in Regulam S. Benedicti* ad Landulfum

Bruncatium S. Angeli Cardinalem. Evolvit illum MS. Cangius in Bibl. S. Germani de Pratis Codice 802. Confer Oudinum tom. III pag. 650.

ANGELOMUS, Monachus Luxeviensis in Burgundia, Ordinis Benedict. Scripsit ad Lotharium, adeoque ante Annum 855 quo Lotharius Imperator et Drogo Metensis Episcopus obiit, * *enarrationes, sive Stromata in Canticum Canticorum*, et post mortem ejusdem Drogonis, Stromata *in quatuor libros Regum* collecta ex Patribus et laudata Sigeberto cap. 86 et Trithemio cap. 266 de S. E. et de illustribus Benedictinis II 42 qui etiam ejus *librum de Divinis Officiis* commemorat. Stromata in Libros Regum ante editionem Rom. 1565 fol. habeo edita Coloniae 1530 fol. per Eucharium Cervicornum, qui in Praefat. *Utinam reliqua eius opera, praesertim quod* in Genesin *edidisse se fatetur*, *exstarent* etc. Ista *in Genesin* Commentaria nuper ex Codice Monasterii ad Petrum, Salisburgensi vulgavit Bernardus Pez tom. I. Anecdotorum pag. 43. Augustae Vindel. 1721 fol. quibus Angelomus prooemium versibus hexametris praemisit. Utraque in Canticum, quae et ipsa excusa Coloniensibus typis, et in libros Regum recusa exstant in Bibliotheca Patrum Coloniensi tom. IX, pag. 780 et Lugdunensi tom. XV, pag. 307, 415. In libros Regum non diffitetur se Drogonis hortatu *ad calcem tenus perduxisse*, *non solum quidem quia filius erat praestantissimi Caroli Caesaris*, *imo frater mitissimi Ludovici Principis*, *verum etiam*, *quia erat praeclarus Pontifex*, *et Abbas meus egregius.*

ANGELRANNUS, sive *Ingelramus*, Abbas Centulensis, qui An. 1045 obiit, scripsit *vitam B. Richardi Presbyteri* libris IV versibus hexametris, quorum liber primus et quartus editus in Actis Sanctorum 26 April. tom. III, pag. 459 et in Actis Benedictinis Mabillonii. Vide Leyserum de Poëtis medii aevi pag. 342 et Jacobi le Long Biblioth. historicorum Galliae pag. 255 infra ANSCHERUS.

ANGELUS *Acciajolus* Episcopus Ostiensis et Cardinalis, defunctus An, 1407 vide supra ACCIAJOLUS. Diversus hic ab ANGELO, Acciajolo Florentino, qui An. 1357 obiit, de quo Ughellus tom. III edit. novae pag. 158 et Julius Niger de scriptoribus Florentinis pag. 39 qui pag. 40 etiam tertium ANGELUM *Acciajolum* commemorat, a quo ait Latine ex Graeco *Plutarchi* versas esse Vitas Alcibiadis, Annibalis, Scipionis Africani, et Demetrii. (vere tamen ab *Acciajolo Donato*).

ANGELUS *Anachoreta* Vallumbrosanus, cujus. fertur Oratio pro Concilio Lateran. contra conventiculum Pisanum Romae An. 1512 ad Julium secundum habita, eodemque anno edita Lipsiae 4.°, ut Epistolam paraeneticam ad matronas Florentinas editam Italice, de qua Possevinus, omittam. Idem, ut videtur. ANGELUS *Fundius* cujus Oratio Senensium nomine ad eundem Julium II habita prodiit Lipsiae An. 1504, sed alius *Jacobus* ANGELUS Florentinus, qui Ptolemaei Geographiam, Quadripartitum et Centiloquium Latine vertit.

* Orationem hic a Fabricio indicatam direxit author ad Julium Pont. non vero illo coram recitavit. Scripsit etiam ediditque epistolas de eodem argumento tres, ad Julium nempe, ad Galliarum Regem, et ad Bernardinum Carvajalem Schismaticorum ducem, et principem: Prodierunt haec omnia volumine duplici in 4 Vallisumbrosae 1511.

Joannes ANGELUS *Bavarus*, ex Aichem, Astronomiae Professor Viennae, obiit teste Ricciolo An. 1512, 29 Septemb. Scripsit Astrolabium planum cum aequationibus domorum Coeli et tractatum de Nativitatibus Venet. 1494. Ephemeridas, Prognostica etc. Abumasaris libros VIII de magnis conjunctionibus recognovit Augustae Vindel. 1489.

ANGELUS *Bellabuccus*, Mediolanensis, Augustinianus, cujus *Viridarium Sacrae Scripturae* excusum Venetiis 1519 4.

ANGELUS Saxo de *Brunsvico*, Professor Gymnasii Erfordensis, atque Ecclesiae Moguntiacensis Presbyter, defunctus Argentorati A. 1481. Hujus expositionem Canonis Missae, et Sermones, Moguntiae in Metropolitana ad populum habitos memorat Eysengreinius pag. 172. Possevinus tres ex

* Vide Labbeum de S. E. tom. I, p. 77.

uno facit Angelos, Brunsvicensem, Saxonem et Angelicum.

ANGELUS *de Camerino*, (Camers, Camertinus,) Italus, Augustinianus vixit circa An. 1340 scripsitque *in quatuor Evangelia, in Epistolas Pauli*, Lecturas *in Magistrum sententiarum* Senis habitas et Bononiae. *Sermones* ad populum Senis et Bononiae habitos, et *Commentarios in Aristotelis peri hermenias et praedicamenta.*

ANGELUS *Capreolus*, Carmelita Brixiensis Congregationis Mantuanae Vicarius Generalis circa An. 1479 auctor *Stellae*, sive operis iu VII rubricas digesti de variis casibus in usus Confessariorum. Brixiae 1511 fol.

ANGELUS *de Cassia* itidem Augustinianus, cujus nihil praeter *sermones* Dominicales et Festivos memorari video.

ANGELUS *e Cingulo*, Piceni opido *Clarenus* a vicino Clareno flumine, Ordinis Minorum, vixit adhuc An. 1317 ut Waddingus docuit. Praeter Latinam versionem Dialogorum *S. Macarii*, et quorundam *S. Chrysostomi* Opusculorum, et *Joannis Climaci*, scripsit *Commentarios in Regulam S. Francisci*, et *Historiam de septem Tribulationibus Ordinis Minorum.*

ANGELUS Carletus, *de Clavasio*, Ligur, Ord. minorum, obiit An. 1485. Praeter excusam Compluti 1562 4. *Arcam fidei* et tractatum *de restitutionibus* scripsit *summam Angelicam* de casibus conscientalibus editam Venet. 1490, 8 et sub titulis ordine alphabetico digestam. Vide Gesnerum et Waddingum, qui editiones Venetas quinque vi disse se testatur quae praeter primam fuere 1492 et cum Jacobi Ungarelli additionibus 1569, 1578, 1582 prodiit etiam Lugduni, tum Argentinae 1513. Norimbergae 1498, 1588 etc. nec non Italice 1593 4.

* Prima editio summae Angeli de Clavasio est anni 1486 per Jacobinum de Suigo loco incerto iu 4. Altera est Veneta per Georgium de Rivabanis Mantuanum anni 1487.

ANGELUS *de Cremona* Augustinianus circa Annum 1479 quaedam opuscula in favorem Religionis scripsisse traditur. Vide Elssium pag. 61.

ANGELUS *Decembrius*, infra DECEMBRIUS.

ANGELUS *Hierosolymitanus* Carmelita Martyr in Sicilia An. 1231 cujus *Prophetias* de regno Turcarum ampliando et Republica Christianorum affligenda memorat Alegre pag. 258.

ANGELUS Gambilionus Aretinus, *JCtus* docuit Ferrariae et Bononiae atque iterum ab An. a1445. Ferrariae, scripsitque ad Leonellum Estensem Ferrariae Marchionem Commentarium *in Institutiones*, editum Lugd. 4.[to], et Venetiis in fol. atque tractationes composuit *de testamentis et clausulis testamentorum, de Actionibus, de juribus appellationum* aliaque quae Gesnerus commemorat. Vide Pancirolum de claris Legum interpretibus lib. II cap. 102 et de aliis JCtis ANGELO *de Periglis*, et ANGELO Ubaldo Perusino, Baldi fratre, Gesnerum.

* Quid de Jcto hoc ferat Bibliotheca Felini paucis hic expediam: *Angeli de Zambelionibus* (sic) *de Aretio de materia Testamentorum et ultimarum voluntatum fol Venetiis 1486. Lectura D. Angeli de Gambilionibus de Aretio super tit de action; in almo Studio Bononiensi edita.* Item eiusdem Angeli *de appellationibus et relation. Quam legit et finem imposuit die 2 Septembris an. D. 1443 in almo studio Bononiensi per Vindelinum de Spira* sine anno et loco. In veteri editione Mediolanensi anni 1490 consiliorum Barbaciae legitur consilium quodam huius Angeli de Gambilionibus. Huius pariter Angeli esse opus puto *lecturas super Instituta Angeli de Aretio* editas Romae 1478 et Mediolani 1483. (Ex. t. VI).

Et ex t. III. *Angelus* GAMBILIO sive de GAMBELLONA, (de GAMBELLIONIBUS) Aretinus Jus Civile docuit Ferrariae primum, deinde ab Anno 1441. Bononiae, postremo iterum Ferrariae ubi diem obiit supremum. Vide Thom. Diplovatatium in ejus vita et Pancirollum II 102. Ejus *tractatus de maleficiis* prodiit An. 1472 fol. sine loci nota et Colon. 1599, 4 et cum Alberti GANDINI de eodem argumento Venet. 1573 et 1598 fol. adjuncta auctoris vita, scriptore Thoma DIPLOVATACIO. Ej. *de Testamentis* in Oceano juris sive tractatu tractatuum tomo VIII Ej. *Lectura supra prima parte Institutionum*, Venet. 1492 fol. ubi Gambilio vocatur

excellentissimus juris utriusque Monarcha, et qui nonnulla ei addidit FRANCISCUS de Aretio, *famosissimus facile Juristarum Princeps.* Sed et *in quatuor Institutionum libros Commentarius* cum additionibus Antonii Caji et Francisci Purpurati ex edit. Veneta 1609 occurrit in Bibliothecis, ut in Bodlejana, in qua extat etiam Commentarius ad tit. Digestorum *de re judicata et de Apellationibus* et Repetitio in Legem *ventre* Dig. *de acquirenda vel amittenda hereditate.* Nec non *Consilium Matrimoniale* Commentarius in titulum *de Actionibus*, quem toto anno Bononiae est interpretatus, num lucem viderit, non comperi.

ANGELUS Cinus a) [perperam Bassus aliis] POLITIANUS (a patria *Monte Policiano*, Opido Hetruriae) vir doctissimus, alterum cum Pico aetatis suae miraculum, atque ex strenuis litterarum instauratoribus non postremus, rebus humanis valedixit Florentiae An. 1494 b) eodem quo Hermolaus Barbarus et Joannes Picus, annos natus non plures quam quadraginta. De eo multa Thomas Crenius in Praefatione ad Angeli Caninii Grammaticam Graecam recusam Amstelodami 1700 8, pag. 17–33, in qua de eruditis Angelis disserere instituit. Plura Wernerus Jacobus Clausius libro de Vita, scriptis et moribus Politiani, c) edito Magdeb. 1718 8.

(12 Nunc vero *Frid. Otto Menkenius in Historia vitae Ang. Politiani ortu Ambrogini omnis doctrinae elegantioris instauratoris felicissimi atque omni laude majoris* Lips. 1736, 4 *cum icon.* nec non *Robertus Alex. Bonafous De Ang. Politiani vita et operibus disquisitiones.* Parisiis 1845, 8. etc.)

Opera ejus tum singula saepe alias, tum pleniore et emendatiore editione junctim excusa Lugduni apud Gryphium An. 1550, 8 tribus Tomis, quorum primus *Epistolarum,* quas merito plurimi fecit Rupefucaldus, d) libros XII et *Miscellaneorum* criticorum primam, quae sola lucem vidit, centuriam continet: secundus versa a Politiano, *Herodiani* Historiam, enchiridion *Epicteti*, *Alexandri Aphrodisei* problemata amatoria, *Plutarchi* narrationes, Magni *Athanasii* in Psalmos opusculum, et *Platonis* Charmidem de temperantia: tertius denique Lamiam, panepistemonem, et alias Politiani *Praelectiones, Orationes* et *Carmina* Graeca Latinaque elegantissima etiam illa complectitur. De singulis diligentius Auctor Historiae Reipublicae Litterariae Gallica lingua editae Amstelodami 1713, 12 tomo III, pag. 233 et tomo IV, pag. 252. In Politiani scripta annotationes exstant Jodoci Badii Ascensii, Nicolai Beraldi, Joannis Murmelii, Joannis Alexandri Brassicani, et Francisci Sanctii. Vide Burmannum ad Petronium pag. 648. Inter edita Politiani scripta non reperitur separatim editus Florentiae *Commentarius de conjuratione Jacobi Paccii* An. 1478 contra Laurentium et Julianum Medices, de quo vide sis Vossium libro 3 de Historicis Latinis pag. 628. Calumnia de contemtu sacrarum litterarum Politiano impacta retunditur in Diario Eruditorum Italiae tom. XVIII, pag. 255 256. Icones ejus apud Jovium elog. pag. 73 atque aere descriptae apud Is. Bullartium tom. I. Academiae Scientiarum pag. 277 et Boissardum tom I, pag. 158 nescio quam similes formae Politiani, invicem certe dissimiles conspiciuntur. Passim commendatur Politianus a summa modestia et humanitate ab Ambrosio Camaldulensi in Epistolis tomo III novae collectionis Edmund. Martene pag. 161, 347, 368 etc.

(13) Fugiit et Cl. Mansium gravis anachronismus Fabricii De pereleganti poeta Leonis X. praeceptore loqui nequiverat Ambrosius. De seniori post cl. Mehus, ita (in III edit. De Claris Pontific. Epist. scriptoribus. Lucae 1784.) Latinissimus Ph. Bonamicus.

" Angelus Bellarminus fuit Eugenii IV. fortasse etiam Martini V ab epistolis. Hoc homine Ambrosius. . . . amicissime utebatur. Id testatur saepe in suis scriptis. Typis edita (in Amb. Traversari 1759) habetur epistola . . . in qua Ambrosii mortem gravissime queritur. "

a) Menagius Anti-Baillet cap. 14 et ad eum not. Bernhardi de Moneta. Giornale de' Letterati d' Italia tom. VI, pag. 255.

b) Non An. 1509 ut in Viri Magni itinere Italico pag. 178 et a multis aliis traditum.

c) Acta Eruditorum A. 1720 p. 42. *Bermischte* Bibliothec tom. II, p. 265.

d) Essais de Litterature tom. I, p. 292.

ANGELUS *Salvettus* Senensis, Ordinis Minorum administer Generalis qui diem An. 1423 in patria obiit, auctor tractatus *de Judicio et Antichristo.* Incipit: *tribus modis homines docentur, exemplo, magisterio et flagello.*

ANGELUS TANCREDUS Reatinus ex milite Monachus atque ex Primis XII. S. Francisci sociis, qui An. 1246 in Coenobio Graecii in valle Reatina cum aliis duobus sociis Leone et Rufino scripsit *Vitam S. Francisci* quae *Legenda trium sociorum* appellatur. Vide Waddingum p. 26.

Richardus de ANGERVILLE, infra RICHARDUS *de Bury.*

ANGILBERTUS Abbas *Centulensis*, sive *S. Richarii* in Gallia, apud Carolum magnum gratiosus, qui eum consuevit Homerum suum appellare. Ejus carmina quaedam servata ab Hariulfo in ejus vita. Exstat illa in Actis Sanctorum 18 Februarii tomo. III, pag. 100 et in Actis Ordinis S. Benedicti Mabillonianis. Vide Leyserum de poëtis medii aevi pag. 270.

ANGILBERTUS, sive *Engilbertus Corbejensis* Abbas circa An. C. 880 versus quosdam elegiacos praemisit aliosque hexametros subjunxit libro S. Augustini de doctrina Christiana, quem obtulit Ludovico Regi Francorum Carolomanni fratri. Utrosque edidit Mabillonius. t. II. Analector. p. 657 sq. atque edit. novae in fol. pag. 425.

ANGLICORUM Historicorum veterum collectiones hactenus lucem viderunt hae octo:

1. MATTHÆI PARKERI, Archiepiscopi Cantuariensis, qui Antiquitatum Britannicarum peritissimus, pluresque de illis veteres scriptores vulgaturus, Londini 1570 fol. edidit *Matthaei* Westmonasteriensis flores Historiarum et 1574 fol. *Thomae Walsinghami* Historiam Angliae, illique junxit ASSERIUM Menevensem de vita Ælfrici Magni.

Parkeri invitatus exemplo WILHELMUS WATS in lucem protulit *Matthaei Paris* praeclaram majorem Historiam Londini 1571 et saepius deinde recusam Tiguri 1606 Parisiis 1644 et Lond. 1640, 1684 folio. GUILELMUS vero HOWARDUS *Florentii Wigorniensis* Chronicon publici juris fecit Londini 1592 4.to, ut alios separatim ab aliis editos praeteram, (de quibus singulis suo loco) *Bedam, Richard. Vitum, Eadmerum, Guilelm. Neubrigensem, Jo. Majorem* Hadingtonensem, et quod *Florentius* libenter secutus, est, *Chronicon Saxonicum* a Christo nato ad 1154 quod scriptum Anglo-Saxonice, sed cum Latina versione et indice Geographico, mappaque Geographica edidit Edmundus Gibson, Episcopus hodie laudatissimus Londinensis. Oxonii 1692 4.

2. *BRITANNICARUM rerum Scriptores vetustiores*, Heidelbergae apud Hieronymum Commelinum 1587 fol. *Galfridi* Monemuthensis, cognomento *Arthuri* de origine et gestis Regum Britanniae, libri XII. *Pontici Virunii* historia Britannica ex Galfridi libris VI prioribus in compendium, omissis fabulosis, contracta. *Gildae* Sapientis Epistola de excidio Britanniae. *Bedae* libri V Historiae Ecclesiasticae Gentis Anglorum, cum Anonymi continuatione libris III ab Anno 731 ad 1100 *Guilielmi* Neubrigensis de rebus Anglicis libri V, et *Joannis Froissardi* epitome de bellis Anglorum et Gallorum.

3. *ANGLICARUM* * *rerum scriptores post Bedam praecipui*, ab HENRICO SAVILIO editi Lond. 1596 et recusi Francof. 1601 fol. *Willielmi* Somerset, Monachi et Bibliothecarii *Malmesburiensis* de gestis Regum Anglorum libri V. Historiae novellae libri II et de gestis Pontificum Anglorum libri IV. *Henrici* Huntingdoniensis Archidiaconi Historiarum libri VIII. *Rogeri de Hoveden* annalium pars prior et posterior. Chronicorum *Elwardi* sive *Ethelwerdi* libri IV et *Ingulphi* Abbatis Croylandensis historiarum liber I. subjunctis ab editore fastis Regum et Episcoporum Angliae usque ad Wilhelmum Conquaestorem.

4. GVILIELMI CAMBDENI *Anglicarum, Hibernicarum, Normannicarum et Cambricarum rerum scriptores*, Francof. 1602

* Joannis Friderici Felleri monumenta, trimestri V, pag. 318. Burchardi Gotthelf Struvii Bibliotheca Historica cap. 6. Hermannus Dietericus Meibomius programmate de Anglicanae Historiae periodis et praecipuis Scriptoribus, Helmstad. 1702 4. Joannes Burchard Menckenius ad Langleti du Fresnoy Isagogen in Historiam tom. II p. 451 etc.

fol. *Asserius* Menevensis de vita Ælfridi Magni. *Anonymi* de vita Wilhelmi Conquaestoris. *Thomae Walsinghami* historia Angliae ab Eduardo I, ubi Matthaeus Paris desinit, ad Henricum V. Ejusdem hypodigma Neustriae. *Thomae de la Moor* de vita et morte Eduardi II. *Guilelmus* Gemeticensis de Ducum Normannorum gestis usque ad An. 1135. *Sylvestri Giraldi* Cambrensis Topographia Hiberniae, sive de mirabilibus ejus, et Historia vaticinalis de expugnatione Hiberniae, nec non itinerarium Cambriae, seu *Baldewini* Archiepiscopi Cantuariensis perr Walliam legationis descriptio, cum Davidis Poveli notis.

5. Spectant etiam ad res Britannicas quam plurima in ANDREÆ du CHESNE collectione, quae NORMANNICARUM a) rerum scriptores ab Anno 838 ad 1220 complectitur, prodiitque Paris. 1619 fol. In ea reperies: 1) Anonymi Gesta Normannorum ante Rollonem ab An. 837 ad 896. 2) Excerpta ex Variis Chronicis ab Anno 912 ad 932. 3) *Abbonis* Monachi carmen de obsidione Parisiorum Anno 886 seq. b) 4) *Dudonis* Vermandensis libri III histor. à Rollone ad An. 960. 5) Emmae Reginae Encomium. 6) Gvilelmi Pictaviensis, Lexoviorum Archidiaconi de rebus Gvilelmi Conquaestoris ad Annum 1070. 7) Wilhelmi Gemeticensis libri VIII emendatiores. 8) Orderici Vitalis Historiae Ecclesiasticae ab An. 1087 ad 1141 libri XIII 9) Gesta Stephani Regis Anglor. et Ducis Normannor. An. 1135–1154. 10) Anonymi Chronica Normanniae ab An. 1139 ad 1293. 12) Appendix variorum minorum Opusculorum.

6. ROGERII TWYSDENI et JOANNIS SELDENI *Historiae Anglicanae Scriptores decem*, cum Seldeni * de iisdem Judicio, et glosario Guilelmi Somneri Lond. 1652 fol. Scriptores illi sunt: 1) *Simeon*, Monachus Dunelmensis Ecclesiae, Historia S. Cuthberti: et de Archiepiscopis Eboraci, de gestis Regum Anglorum et de obsidione Dunelmi. 3) *Joannis*, Prioris Hagulstadensis historia ab A. 1130 ubi Simeon desinit, ad 1155. 3) Historia *Richardi*, Prioris Hagulstadensis. 4) *Ailredi*, Abbatis Rievallensis descriptio belli Standardii, Genealogia Regum Anglorum. Vita Eduardi Regis et Confessoris. Historia de sanctimoniali de Wattun. 5) *Radulphi de Diceto* Londoniensis, abbreviationes Chronicorum. 6) *Joannis Bromptoni*, Abbatis Jornalensis Chronicon ab An. 588 ad 1198. 7) *Gervasii* Monachi Dorobornensis de combustione ac reparatione Cantuariensis Ecclesiae. Imagines de discordiis inter Monachos Cantuarienses et Baldewinum Archiepiscopum. Chronica et vitae Pontificum Cantuariensis Ecclesiae. 8) *Thomae Stubbs* Ordinis Praed. vitae Archiepiscopos. Eboracensium. 9) *Guilelmi Thorn* Cantuariensis, Chronica de rebus gestis Abbatum Cantuariensium. et 10) *Henrici Knightoni*, Leicestrensis Chronica de eventibus Angliae.

7. *Rerum Anglicarum Scriptorum veterum* tomus I * cura JOHANNIS FELLI, Oxoniensium Episcopi, Oxoniae e Theatro Sheldoniano 1684 fol. 1) *Ingulphi* Historiarum liber integrior quam in Savilii editione prodierat. 2) *Petri Blaesensis* continuatio ad Historiam Ingulphi. 3) Anonymi *Chronica de Mailros*, sive Monasterii Mailrosensis ab An. 735 ad 1270. 4) *Annales Burtonenses*, et 5) Anonymi, sive trium Anonymorum Continuationes Historiae Ingulphianae.

Tomus II Oxoniae 1687 folio, curante THOMA GALEO. 1) *Annales Marganenses* ab Anno 1066 ad 1232. 2) *Thomae Wikes* Chronicon Salisburiense ab Anno 1066 ad 1304. 3) *Annales Wawerlejenses* ab Anno 1066 ad 1291 4) *Gaufridi Vinisalvi* Itinerarium Richardi I in terram sanctam, cum duplici carmine Hexametro altero, altero elegiaco in ejusdem Richardi laudem: et 5)

a) Confer Joannis Friderici Felleri ȣ μακαρίτȣ trimestre V pag. 521 et B. Johannis Hubneri nostri Bibliothecam Historicam Hamburgensem tom. X p. 115.

b) Vide quae supra in Abbone.

* Idem Seldenus *Eadmeri* Historiam ab Anno 1066 ad 1122 cum notis et spicilegio ediderat Lond. 1625. fol.

* Acta Eruditorum An. 1685 pag. 145 et tomo I Supplementi pag. 8. Nouvelles de la Republique des Lettres An. 1688 Juin p. 581 et Août pag. 815. Bibliotheque Universelle tom. XI pag. 597.

Walteri Hemmingfort libri III de gestis Regum Angliae ab Anno 1066 ad 1073.

8 *Historiae Britannicae, Saxonicae, Anglo-Danicae Scriptores quindecim,* * eodem THOMAE GALEO curante, Oxoniae 1691 fol. in quo Volumine 1) *Gildae* Sapientis liber querulus de excidio Britaniae, emendatior quam in prioribus editionibus: et Epistola Britannorum deplorandae miseriae et vitiis castigandis. 2) *Eddius*, sive *Heddius Stephanus* de vita S. Wilfridi Episcopi Eboracensis, defuncti An. 709. 3) *Nennii* sive *Ninnii* Abbatis Banchorensis Historia Britonum sive Eulogium Britanniae. 4) *Asserii* Menevensis Annales, sive Chronicon fani S. Neoti, cum paralipomenis alterius auctoris. 5) *Ranulphi Higdeni* Polychronicon. 6) *Guilelmi Malmesburiensis* liber de antiquitate Ecclesiae Glastoniensis. 7) Ejusdem de vita S. Aldelmi, sive liber antiquitatum Malmesburiensium, Galeo liber quintus de gestis Pontificum Anglorum. 8) Anonymi *Historia Ramesiensis* Coenobii, tribus partibus, nam quarta adhuc desideratur. 9) *Elyensis Monachi* Historia Elyensis Ecclesiae, liber primus. 10) Liber secundus additus a *Thoma* Monacho itidem Elyensi. 11) *Joannis Wallingfordi* Chronica ab An. 449 ad 1026, 12) *Radulphi de Diceto* de Regibus Britonum. 13) Anonymi de partitione Provinciae Angliae in Shiras, sive Comitatus, Episcopatus et Regna. 14) *Joannis Fordun,* sive *Fordon* Scoti chronicon, sive Scotorum historia. 15) *Flacci Alcuini* poëma de Pontificibus et Sanctis Ecclesiae Eboracensis, Paulino, Oswaldo, Wilfrido, Cuthberto, Bosa, Egberto, Wilbrordo, Johanne, Wilfrido juniore, Egberto, Balthero, Echa, Ælberto, Eanbaldo. Denique subjuncta est a Galeo appendix, in qua veterum loca de Britannia a) cum notis, aliaque etiam ad genealogias Regum, Britannorumque consuetudines et antiquitates facientia continentur.

9 Omitto LAURENTI ECHARDI, licet minime contemnendam collectionem Historicorum Angliae, Anglice editam, Londini 1706 fol. tribus Volum. b) quoniam ad institutum meum minus spectat, et corpus Historiae Anglicanae exhibet ex recentibus scriptoribus Anglis totum compositum: Volumen *primum* quidem, Joanne Miltono, Samuele Daniele, Jo. Habingtono, Thoma Moro, Eduardo Hallo, Radulpho Hollingshead scriptor annalium: Georgio Buck additis Johannis Strypii observationibus, et Bacone Verulamio. Volumen *secundum* quidem ab Henrici VIII temporibus ex Herberto de Cherbury, Johanne Haywardo cum censuris Johannis Strypii: Francisco Godwino, Gvilelmo Cambdeno, et Thoma Wilsono cum Jacobi Welwoodi observationibus. Volumen *tertium* denique a Carolo primo usque ad Gvilelmi tertii obitum Clarendonio debetur, atque ipsi Echardo, qui etiam Londini 1707 fol. * separato Volumine edidit conscriptam a se Historiam annorum 1678 a Julii Caesaris temporibus ad obitum Jacobi I.

10. HENRICI WARTHONI Anglia sacra sive Collectio Historiarum partim antiquitus, partim recenter scriptarum de Archiepiscopis Angliae, a prima Fidei Christianae susceptione ad An. C. 1540 nunc primum in lucem editarum. Lond. 1691 fol. duo Volumina. Quae in hoc opere contineantur, diligenter exposita sunt in Actis Eruditorum tom. II supplementi sect. III et IV, pag. 105 et 153 seqq.

11. WILHELMI DUGDALE et ROGERI DODESWORTHI Monasticon Anglicanum, quod varia et ipsum diplomata medii aevi, monumentaque vetera offert lectoribus, prodiit Londin. 1655, 1661 duobus Voluminibus in fol. quibus jungendum supplementum egregii Viri JOANNIS STEVENS Lond. 1722 fol. 2 Volum. vide iterum Acta Erud. A. 1724, pag. 381, 541 et de THOMÆ TANNERI notitia Monastica Lond. 1695 8 vulgata, tomum tertium supplementi pag. 71 sq. et Guil. Nichols Bibl. Historicam Angliae scriptorum pag. 144.

* Journal des Savans An. 1692 pag. 711. Acta Erud. A. 1692 statim in limine.

a) Conferendae ad Britanniae descriptionem ex Antonini itinerario observationes Wilhelmi Burtoni: Lond. 1658 fol. et postumae. Thomae Galei Londin 1710, 4. Diem ille obiit Anno 1702.

b) Journal des Sav. 1708 Juin p. 445. B. Menckenii Catalogus Bibl. p. 451.

* Id. 1708 November. pag. 551. History of the works of the learned 1707 pag. 251. Acta Erud. A. 1709 p. 289.

12. Novam pulchramque syllogen scriptorum Historiae Britannicae darent vulgata variis minoribus Voluminibus a Viro clarissimo TH. HEARNE, quae junctim excudi curante aliquo viro docto, esset tanto magis operae pretium, quoniam et digna pleraque quae studiosorum Historiae terantur manibus, et rarissima sunt omnia, editore hoc agente scilicet, ut paucissima tantum singulorum exempla typis exscriberentur. Eorum quae ad meam notitiam pervenere, hic est elenchus:

Aelfredi Annales, de quibus supra

Johannis Lelandi de rebus Britannicis *collectanea*, cum appendice, notis et indicibus. Oxon. 1715, 8 sex parvis tomis. Vide Acta Erud. 1717; pag. 103.

Johannis Confratris et Monachi *Glastoniensis* Chronica sive Historia de rebus Glastoniensibus. Oxon. 1726 8.vo, duobus Volum. cum excerptis e *Richardi de Beere* terrario Coenobii Glastoniensis, diplomatibusque et indice librorum Anno 1248 et reliquiarum in eadem Ecclesia: nec non appendice Epistolarum etc. vide Acta Erud. 1729 pag. 181. Bibl. Angloise tom. XV p. 352.

Adami de Domerham * historia de rebus Glastoniensibus, usque ad Annum 1290. Oxon. 1727, 8 2 Volum. additae emendationes ad Wilhelmum Malmesburiensem a Galeo editum, atque Edmundi Archeri excerpta ex Registris Wellensibus, et diplomata quaedam ad Glastoniam spectantia.

Titi Livii Forojuliensis Vita Henrici V. Angliae Regis, adjuncta Thomae Smithi sylloge scriptarum. Oxon. 1716 8. Acta Erud. 1717, pag. 167.

Thomae Caji Vindiciae antiquitatis Academiae Oxoniensis contra Joannem Cajum Cantabrigiensem. Oxon. 1730 8. Journal des Savans 1732. Fevrier pag. 198.

Walteri Hemingford, Canonici de Gissebürne, Historia de rebus gestis Eduardi I, II et III. Accedunt inter alia Eduardi III historia per Anonymum: Narratio de processu contra Reginaldum Peacockium, auctore Johanne *Whetamstedio*: Excerpta historica e *Thomae Gaswignii* dictionario Theologico: Libellus de Caroli I ab urbe Oxoniensi fuga sive discessu: Notitiasq; domorum Religiosarum in dioecesi Bathowellensi. Oxon. 1731, 8 duobus Vol.

Chronicon *Thomae Sprotti*, Anonymi qui circa An 743 scripsit, Chronica de tempore Mundi: Alterius Anonymi de Abbatia *Ramsey*: *Nicolai Cantalupi* Historiae de antiquitate et origine Universitatis *Cantabrigiensis*. Fragmentum veteris Chronici de rebus *Eduardi IV*. Oxon. 1719 8.

Gvilelmi Neubrigensis, Historia sive Chronica rerum Anglicarum emendatior locupletiorque additis Jo. Piccardi propriisque notis et spicilegio: nec non *tres homiliae* eidem Guilelmo adscriptae et antea ineditae. Oxon. 1719 8. Bibliotheque Angloise tome VII, pag. 174, 501.

Textus Roffensis, de quo mox infra, ubi de priscis Legibus Angliae.

Duo rerum Anglicarum scriptores, *Thomas Otterbourne* et *Johannes Wethamstede* ab origine Gentis Britannicae usque ad Eduardum IV adjuncta praeter historiam fundationis Hospitalis Ewelmensis in Comitatu Oxoniensi, sylloge Epistolarum de rebus Britannicis scriptarum An. 1524 et 1525 et Francisci Codwini Catalogo Episcoporum Bathoniensium et Wellensium. Oxon. 1732, 8 duobus Voluminibus.

Roberti de Avesbury historia de mirabilibus Gestis Eduardi III et *Johannis Joscelini* (auctoris libri de Antiquitate Britannicae Ecclesiae, sive de vitis Episcoporum Cantuariensium, qui ambulat sub nomine *Matthaei Parkeri* Archiepiscopi Cantuar.) Catalogus librorum Saxonicorum et eorum qui Historiam Gentis Anglorum scripsere, et ubi exstent. Oxoniae 1720, 8 cum appendice editoris, Journal des Savans 1725, pag. 513. Bibl. Angloise tom. IX, pag. 38.

Latinis hisce accedunt Anglice ab eodem Hearnio edita *Joannis Lelandi* itinerarium, cum variis dissertationibus editoris. Oxon. 1715, 8, novem tomis.

Collectio variarum dissertationum Anglice scriptarum, de Anglicis Antiquitatibus in quibus familiam ducunt Georgii Hackewilli et Anonymi dissertationes de antiquitate

* Supra pag. 21.

Legum Anglicarum. Oxon. 1720 8 Acta Eruditorum tom. VIII supplem. pag. 325 Hearnii ipsius dissertatio itidem Anglice edita separatim de Antiquitatibus quibusdam recens inventis in comitatu Eboracensi. Oxon. 1710 8.vo. Vide memorias litterarias Trevoltinas A. 1713, pag. 287 et Dan. Larroquani ad Hearnium Epistolam quae in iisdem memoriis legitur pag. 1534.

Anglice etiam ab Hearnio editum *Roberti Glocestriensis* Chronicon Angliae, carmine scriptum Anglico, unde Robertus hic, Ennius Angliae ab editore salutatur. Additur ab eodem glossarium, et Anonymus de mirabilibus Britanniae, et *Wilhelmi Malverne* Abbatis fundatio Abbatiae Glocestriensis. Oxoniae 1724 8.vo, duobus Voluminibus. Acta Eruditorum tom. IX. Supplementi pag. 373.

Petri Langtofti Chronicon rhythmicum ex Gallico Anglice versum auctumque a *Roberto Manningio Brunnensi*, cum glossario, variisque editoris appendicibus. Oxoniae 1725, 8 duobus Voluminibus.

13. Thomae Hearnio jungendus ANTONIUS HALLUS, cui et ipsi praeclaras editiones in acceptis referimus *Johannis Lelandi* quidem de Scriptoribus Britannicis, Oxoniae 1709, 8 et *Nicolai Triveti* Annalium, sex Regum Angliae ab Anno 1136 ad 1307. Oxoniae 1719, 8 deinde Continuationem eorundem Annalium ab Anonymo deductam ad Annum 1336 cum *Adami Murimuthensis* Chronico ab Anno 1303 ad 1336 et Continuatione Anonymi ad Annum 1380 nec non *Joannis Bostoni* Speculo Coenobitarum, vel certe ejus Epitome: atque *Edmundi Boltoni* Hypercriticis, seu dissertatione scripta Anglice, cujus fragmentum Hearnius in Vindiciis Galfridi Monumethensis publicaverat. Prodiit hoc Antonii Halli volumen Oxonii 1722 8. De utroque vide Acta Eruditorum 1722, pag. 105 et tom. IX. Supplementi pag. 181 et de Lelando Historiam operum Eruditorum Anglice editam A. 1709, pag. 113.

14. THOMÆ RYMERI Historiographi Regii collectio magna Actorum publicorum, foederum, diplomatum etc. ad regna Angliae, Scotiae, Hiberniae spectantium ab Henrico I sive ab Anno Christi 1101 ad annum duodecimum Jacobi primi Regis, ex autographis Archivorum Regiorum expressa a) auspiciis Reginae ANNÆ publicata Londini ab Anno 1704 ad 1715 sedecim Voluminibus in fol. b) et ex repetita editione emendata et suppléta a nobilissimo HOLMESIO c) An. 1729 septendecim Voluminibus. Cum prioris editionis pretium esset immane, in sectione publica quoque centum et viginti librarum sterlingarum, hoc est thalerorum 600, etiam posterior haec, cujus tantum ducenta exempla typis exscripta sunt, venditur quinquaginta numis aureis Gvineensibus, hoc est thaleris ducentis et quinquaginta. Regina *ANNA* diem obiit An. 1714, eodem quo et Rymerus: nec diu post Carolus Comes 30 Maji A. 1715. Post Rymeri fata ROBERTUS SANDERSON tomum XVI ab Anno 1586 ad 1616 ex schedis Rymerianis, d) et tomum XVII qui in Anno 1624 desinit, proprio studio adjunxit, recentiora etiam tempora similiter persecuturus, sicut iam An. 1726 lucem vidit e) tomus XVIII qui Acta publica annorum 1625 et 1626 exhibet, itemque alius An. 1732.

* Postquam haec Fabricius scripserat collectionem hanc Rymerianam ad volumina XX jam accretam iterum typis subiecerunt Hagenses Typographi, qui minutioribus typis expressam ad tomos X redegerunt. Coepit editio illa an. 1737.

15 *LEGES veteres Anglorum, Scotorum* etc.

Guilelmi Lambardi Archaenomia, sive antiquae leges Anglo-Saxonum collectae a *Lu-*

a) Kenneti Episcopi Petroburgensis censura, Bibliotheque Angloise tom. XII, pag. 266 seq.

b) Bibliotheque Choisie tom. XVI, pag. 1 tom. XX, pag. 47 tom. XXI, pag. 118, 255 tom. XXII, pag. 525 tom. XXIII, pag. 257 tom. XXIV, pag. 257 tom. XXVI, pag. 1 etc. Quae tomo *primo* continentur, vide in Actis Eruditorum Anno 1709, pag. 529 *secundo* Anno 1710, pag. 87 *tertio* et *quarto* Anno 1710, pag. 225 *quinto* et *sexto* tomo IV. Supplem. pag. 529 *septimo* et *octavo* Anno 1711, pag. 259 *nono* An. 1712, pag. 97 *decimo* An. 1715, pag. 8 *undecimo* tom. VI. Supplementi pag. 289 *duodecimo* An. 1716, pag. 315 *decimotertio* tom. VII. Supplem. pag. 242.

c) Journal litteraire tom. XIII, pag. 474.

d) Acta Eruditorum A. 1721, p. 506 ubi de tom. XIV et seq.

e) Acta Erud. A. 1728, pag. 195.

dolpho Nowello a) et Latina versione b) et notis a Lambardo illustratae Londini 1568, 4 et cum commentario *Abrahami Wheloci*, additis Legibus Normannicis Guilelmi Conquaestoris et Latinis Legibus Henrici I Cantabrig. 1644 fol. Denique post interceptos *Francisci Junii*, *Guilelmi Somneri*, et *Guilelmi Estobii*, morte impeditorum conatus ex longe meliore ac locupletiore editione V. C. *Davidis Wilkinsii*, Lond. 1721 fol. a quo Leges universae Ecclesiasticae et Civiles Anglo-Saxonicae, Normannicae et Latinae ab Ethelberto Rege usque ad Magnam Chartam Henrici III exhibentur cum Speelmanni Codice veterum statutorum Angliae et subjuncto glossario. Vide Mich. de la Roche Memorias Litterarias Magnae Britanniae t. VIII pag. 380 seq. et quae infra in ETHELBERTO.

Joannis Seldeni Janus Angliae et Epinomis tom. III Operum, et Dissertatio ad Fletam, de qua infra, FLETA. Idem Seldenus ad EADMERUM et tom. II Operum pag. 1640 seqq. ubi leges et consuetudines Eduardi Regis et Guilelmi Conquaestoris lingua Gallica Normannica cum Latina Seldeni versione.

Guilelmi Dugdali Origines Juridiciales de veteribus Angliae Legibus, Lond. 1666 fol. Anglice.

Textus Roffensis ab *Earnulpho* Episcopo Sec. XII ut ajunt collectus, in quo inter Roffensis Ecclesiae acta a Saxonum Regum temporibus usque ad Annum 1143 etiam variae occurrunt Leges Ecclesiasticae a Regibus promulgatae, editore *Thoma Hearne*, qui antiquorum Angliae Episcoporum formulas professionum de canonica obedientia Archiepiscopis Cantuariensibus praestanda, et Leonhardi Hutteni, recentioris Scriptoris dissertationem de Antiquitatibus Oxoniensibus adjunxit. Oxon. 1720, 8. Acta Eruditorum tom. VIII Supplementi pag. 189 et Bibliotheque Angloise tom. VIII pag. 322.

a) Nicholson Englith historical library pag. 45 edit in fol.

b) Versio Legum quarundam in Chronico Joannis Bromtoni, praefertur Lambardinae a Speelmanno et a Francisco Junio Praefat. ad glossarium Gothicum.

Magna Charta sive Assisae Henrici III cum aliis statutis antiquioribus recentioribusque saepius prodiit Londini 1508, 1543, 1602 etc.

Joannis Skenaei Regia Majestas, sive leges veteres *Scoticae*, Edinburgi 1609. Londini 1613 fol. Confer Gundlingiana XXVI pag. 86. Idem Skenaeus etiam legibus Scoticis Anglice editis glossarium addidit, Edinburgi 1597 fol.

Leges Wallicae, Ecclesiasticae et Civiles, Hoëli Boni et aliorum Walliae Principum ante Eduardi I tempora, cum versione Latina, notis et glossario Gvilelmi Wottoni et Mosis Guilelmi. Lond. 1730 fol. Acta Eruditorum Anno 1731 pag. 249.

Jo. Dissney view of ancient laws against immorality, Cantabrig. 1729 in folio. Leges non Britannorum modo, sed et Judaeorum, Graecorum, Romanorum, Gothorum, et Lombardorum ante Saeculum XI preditis moribus oppositas persequitur.

16 *De CONCILIIS in Britannia habitis.*

Henricus Speelmannus eques auratus, glossario archaeologico, aspilogia aliisque scriptis inclytus (*Johannis Speelmanni*, qui Psalterium Latino Saxonicum vetus et Ælfridi vitam edidit, Pater) qui An. 1641 biennio ante filium diem obiit, constituerat Concilia Britannica *tribus tomis* vulgare, e quibus *primum* modo in lucem protulit Londini 1639 fol. complectentem Synodos ab initio Christianorum in Britannia sacrorum ad periodum usque dynastiae Anglo Saxonicae, sive Eduardi Regis obitum A. 1066. Concilia, Leges, Constitutiones in re Ecclesiarum Orbis Britannici, et Decreta, videlicet Pambritaunica, Pananglica, Scotica, Hibernica, Cambrica, Mannica, Provincialia, Dioecesana. In Bibliotheca Joan. Burchardi Menckenii ȣ̃ μακαρίτȣ fuit tomus hic à Speelmanno pluribus locis e MSS. Regiis aliisque passim emendatus, versione quoque Latina nova subinde monumentis Anglicis vel Anglo-Saxonicis adjuncta. *Secundus* tomus postumus ab an. 1066 procedit usque ad excussum an. 1531 ab Henrico VIII Papae jugum publicique juris factus est a *Carolo Speelmanno* Henrici nepote Lond. 1664 fol. manum ei admovente quoque et multa egregia

addente *Guilelmo* cujus jam mentione feci *Dugdalo*, minus emendatus alioqui minusque plenus, sed obvius rarissime, pluribus illius exemplis incendio Londinensi An. 1666 absumtis. Tomus *tertius* qui insecuta tempora debebat persequi, nunquam in dias luminis auras prolatus fuit. Interim lubens accepi clarissimum Virum *Dan. Wilkinsium*, cui Leges Angl. Seldeni Opera-Copticam Novi test. et Pentateuchi versionem, paraphrasin Chaldaicam libri utriusque Chronicorum et tot alia debemus, serio parare, proximeque vulgaturum esse novam Conciliorum Britannicorum editionem, tertio tanto locupletiorem Speelmanniana.

* *Concilia Britannica.* Oppignoratam eruditis fidem Cl. Wilkinsius Archidiaconus Suffolciensis et canonicus Cantuariensis liberavit editis in lucem quatuor in fol. voluminibus, quibus non Spelmannica tantummodo Concilia complexus est; sed et alia permulta e MSS. petita codicibus adiecit; novas insuper versiones monumentorum Angio Saxonicorum adornavit, cum data in Spelmanno minus fidelis judicaretur. Denique et reliqua Concilia post annum 1531 usque ad 1717 supplevit. Titulus operis iste. *Concilia Magnae Britanniae et Hiberniae a Synodo Verolamiensi A. D. 446 ad Londinensem A. D. 1717.* Vol. 4. Londini anno 1737.

Scoticorum Conciliorum Acta multa combusta in incendio Edimburgensi Anno 1701.

De *Joannis Colgani* Hiberni, Ordinis Minorum, collectione jactata Conciliorum Hiberniae, vide, si placet, Franciscum Salmonem libro Gallice edito de studio Conciliorum pag. 260 seq. Idem notat pag. 257 seq. omissa quaedam ex Speelmannianis in Regia, et Labbei, Harduinique Magnis Conciliorum syllogis.

Provinciale vetus Provinciae Cantuariensis, sive Constitutiones Angliae ab Anno 1222 ad 1415 cum summariis et annotationibus *Guilelmi Lindewood*, Parisiis 1509 fol. Antwerpiae 1525 fol. Londini 1555. 8 et ex Roberti Scharrok recensione 1664, 8 et novo viri docti studio Oxoniae 1679 fol. additis etiam *Constitutionibus Legatinis* (Legatorum Pontificis) Othonis A. 1236 et Othoboni 1268 cum notis *Joannis de Aythma.* ex edit. Paris. 1505.

Thomae Madox formulare Anglicanum Londin 1702 fol.

Jahannis Iohnsoni collectio Legum Ecclesiasticarum, Canonumque Anglicanorum, Anglice edita Lond. 1720, 8, duobus voluminibus. Vide Acta Eruditor. 1722 pag. 420 et Memorias litterarias magnae Britanniae editas Gallice t. IV pag. 507 et tom. VIII p. 385.

Humfredi Hody historia Angliae Conciliorum et Convocationum, sessionisque Clericorum in Parlamento, adjuncta Parlamentorum, veterumque Angliae Legum historia. Londini 1701, 8.vo Anglice.

Laurentii Howel Synopsis Canonum SS. Apostolorum et Conciliorum Oecumenicorum et Provincialium ab Ecclesia Graeca receptorum, nec non Conciliorum, Decretorum et Legum Ecclesiae Britannicae et Anglo Saxonicae. Londini 1708 fol.

ANGRADUS Fontanellensis in Normannia Monachus scripsit *Vitam S. Ansberti* Rothomagensis Episcopi, defuncti Anno 695 Exstat apud Surium et in Actis Sanctorum 9 Febr.

ANIANUS, * sive ANNIANUS Celedensis, sive Celennensis in Campania Diaconus, amanuensis, et in Synodo Diospolitana Anno 415 promachus Pelagii, de quo multa historiae Pelagianae scriptores Henricus Noris lib. I cap. 19. Jo. Garnerius tom. I ad Marium Mercatorem pag. 151 sqq. etc. Vide et Pagium ad A. 417 num. XI. Latine vertit e Graeco *S. Chrysostomi homilias in Matthaeum* non primas octo solum, sed etiam caeteras usq; ad XXVI, quae a Gregorio Trapezuntio translatae dicuntur, cum is tantum harum fuerit interpolator, editorque, ac caeteras deinde addiderit; ut ex MS. Codice Regis Galliae observat Rich. Simon tomo I Epistolarum selectarum pag. 81, 84 cui adde Mabillonii Museum Italicum p. 164. Versioni suae praemisit Anianus *Epistolam ad Oruntium sive Horuntium* Episcopum ob

* Alius ad quem Theodulfus Aurelianensis lib. II vers. 518.

Anianique mei tecta verenter adi.

haeresim Pelagianam ejectum Italia, et deinde in Synodo Ephesina damnatum. Vertit idem Anianus etiam *septem Chrysostomi homilias de laudibus Pauli*, easque *Evangelo*, Presbytero Pelagiano dicavit. *Epistola ad Evangelum* integrior exstat tomo VI. Operum Bedae, et inter Epistolas selectas quas Colomesius ad calcem Epistolae Clementis Romani recudi curavit pag. 364 et in editione Chrysostomi Montfauconiana t. II pag. 475. ubi ab accuratione et industria Anianus laudatur. Denique vertit etiam Anianus *Chrysostomi homiliam ad Neophytos*, quae incipit: *Benedictus DEUS: ecce stellae etiam* etc. Lapsum gravem in limine statim Versionis homiliarum in Matthaeum deprehendere sibi visus est Erasmus XXVI 59 Epist. Sed Rich. Simonius putat ipsum Graeco Codice usum in quo locus ille aliter legebatur. Huic Aniano Garnerius tribuit *Epistolam ad Demetriadem*, quae inter Augustini et Hieronymi opera legitur. Nam *liber adversus Epistolam Hieronymi ad Ctesiphontem* intercidit, cuius meminit Hieronymus Epistola 98 ad Alupium et Augustinum, et inter Augustinianas 24 (edit. novae 202.) Cum hoc Aniano S. Chrysostomi interprete eundem facit Sigebertus cap. 70. Anianum, quem ait *Codicem Alarici*, de quo mox, edidisse. Sed libenter accedo virorum doctorum sententiae, qui licet suppares aetate, tamen vitae instituto et conditione diversos duos Anianos hos fuisse non dubitant.

ANIANUS Vir spectabilis et Consiliarius Alarici Gothorum Regis, *breviarium Codicis Theodosiani* nec composuit, ut multi sibi persuasere, neque interpretatus est, ut visum Jo. Tilio et Jacobo Cujacio, sed recognitum subscriptione sua ornavit commendavitque, ut ex Alarici Commonitorio sive Auctoritate docuit Sirmondus in quaestione triplici ad calcem tomi III Variorum Opusculor. et tom. IV Operum pag. 393 et Jac. Gothofredus in prolegomenis ad Codicem Theodos. c. V. pag. CXCII seq. Sed ecce tibi Aniani subscriptionem: *Anianus V. S.* * *ex praeceptione Domini nostri gloriosissimi Regis* Alarici, *ordinante viro magnifico et illustri* Gojarico *Comite, hunc Codicem Legum Juris, secundum authenticum subscriptum vel in thesauris editum subscripsi et edidi sub die III Nonas Febr. anno XXII regnante Domino nostro* Alarico *Rege*. A. C. 403. et aerae Hispanicae 442. Vide Canones Isagogicos Scaligeri p. 172. Eidem Aniano Viri docti non magna nedum certa caussa tribuunt *Epitomen librorum IV Institutionum Caji* veteris JCti, saepius editam atque erudite illustratam ab Hieronymo Aleandro juniore. Venetiis 1600, 4.to

ANICETUS, Gesnero ANITIUS, Episcopus Romanus ab An. 157 ad 168 in Isidori Mercatoris Collectione traditur scripsisse *Epistolam ad Ecclesias per provincias Galliae*, quae falsi convincitur a Blondello in pseudo Isidoro pag. 201 sq. Alia ejus decreta, ut synodale *de die Paschatis in die Dominico*, et *de clericorum tonsura* supposita esse arguuntur a Petro Coustant tomo I de Epistolis Pontificum pag. 71 seq. De aliis decretis vide Ludovicum Jacobum a S. Carolo pag. 18. Bibliothecae Pontificiae.

ANICIUS, vide infra, BOETIUS.

ANSBERTUS vide supra AMBROSIUS *Autpertus*; atque infra AUTPERTUS.

ANSBERTUS Archiepiscopus Rothomagensis, defunctus An. 695 de quo Acta Sanctorum 9 Februar. tom. II, pag. 349 seq. supra, ANGRADUS.

S. ANSCHARIUS sive ANSGARIUS, in septentrionalibus populis ad CHristum adducendis strenuus et felix, primus ab An. C. 858 ad 865. Archiepiscopus Hamburgensis, Bremensis etiam Episcopus ab An. 847 quae Ecclesia Hamburgensi juncta An. 865. Scripsit post An. 860 *vitam et miracula S. Willehadi* primi Bremensium Episcopi An. 791 defuncti: quam cum vita S. Anscharii scripta a Remberto, et Remberti (auctore ut videtur Adalgario) vulgavit Philippus Caesar in triapostulatu Septentrionis, edito Coloniae 1642 8.vo, quem prelo iterum subjiciendum dedi tomo secundo Memoriarum Hamburgensium, Hamburgi 1710 8. Vita S. Willehadi, quam scripsit Ansgarius, obvia etiam apud Mabillonium Actorum Benedictinorum Sacculo III. Parte 2 pag. 401

* Vir Spectabilis.

ut S, Ansgarii Vita in Actis Sanctorum 3 Februarii tomo I, pag. 391 et Remberti 4 Februarii tom. I, pag. 566. De Anschario vide infra in REMBERTO et GVALDONE, quos ambos habes etiam in Originibus Lambecii Hamburgensibus, Hāmburgi 1651, 4 quae me curante recusae ibidem 1706 fol. Caetera Anscharii scripta fuere *Epistolae*, quarum una servata in laudato Actorum Sanctorum loco, et in B. Nicolai Staphorstii tomo primo Historiae Ecclesiasticae Hamburgensis, editae Germanice pag. 59, qui et ipse post Adamum Bremensem, Albertum Crantzium, Lambecium, Arrhenium, aliosque, quos laudat, de Anschario diligenter disserit. et pag. 60 mentionem facit *Missalis* adhuc superstitis Ansehariani, et *Codicum magnorum*, in quibus Remberto teste *propria manu per notas conscripserat*, *quae ad laudem Omnipotentis DEI pertinerent*, *et ad peccatorum redargutionem: ad laudem quoque beatae et aeternae vitae et terrorem gehennae, et quicquid ad compunctionem pertinet et lamentum.* Refert idem Rembertus Anscharium *unicuique Psalmo propriam aptasse oratiunculam*, *quod ipse pigmentum vocitare solebat*, *ut ei Psalmi hac de causa dulcescerent.* Videtur id ipsum esse, de quo Crantzius in Metropoli libro primo extremo: *tenemus devotionis ejus breve sed clarissimum monumentum, libellum, Psalmorum Summam paucis includentem, qui qualis fuerit in majoribus, satis attestatur.*

ANSCHERUS Abbas Centulensis, sive S. Richarii circa Annum 1100 scripsit libris III *vitam et miracula S. Angilberti* Abbatis editam in tomo IV. Actorum Benedictin. pag. 130, 814. Confer Acta Sanctorum ad 18 Februar. et Hariulfum libro secundo Historiae Centulensis, et laudati Mabillonii Prolegomena.

ANSEGISUS Lobiensis Abbas, atque inde Fontanellensis, defunctus An. 834 cujus gesta describuntur in Chronico Fontanellensi apud Dacherium tomo II. Spicilegii, editionis novae pag. 278 seq. ubi et pag. 282 seq. *Constitutio* ejus fratribus in Monasterio praescripta. Hic An. 827 collegit digessitque *Capitularia Caroli Magni et Ludovici Pii*, atque ut Albericus * quidem auctor est, statuta *Ecclesiastica libris duobus* et *leges mundanas* eorundem *libris totidem.* De editionibus ejus Operis utilissimi non repetam, quae notavi tom. XI. Bibliothecae Graecae pag. 85 seq. De differentia Baluzianae a prioribus, operae pretium est consulere Carolum le Cointe tomo VII. Histor. Francorum pag. 805 seq. atque Jacobum le Long in Bibliotheca Historicorum Galliae pag. 805 et de Ansegiso Acta Sanctorum 20 Julii tomo V, pag. 90 seqq. Vide etiam Carolum Molineum de Monarchia Francorum pag. 72 seqq. editionis primae.

ANSELLI Archidiaconi *Glossulas MSS. in Psalterium* laudant Cangius et Labbeus, qui in Vaticana inter Codices Reginae Christinae eas exstare testatur. Jacobus vero le Long. suspicatus est sub illo nomine latere *Anselmum*, de quo mox, Laudunensem.

* Alter ab Archidiacono forte est Ansellus ille, quem credo monachum, cuius est opusculum in Cod. 57 S. Illidii Claromontensis apud P. Monfaucon Bibl. MSS. pag. 1263. Est vero operis titulus. *Visio cuiusdam monachi in Monasterio S. Remigii descripta ab Ansello discipulo S. Abbonis abb. Floriacensis jussu Oddonis Abbatis.*

ANSELMUS, Abbas *Beccensis.* Vide mox, Archiepiscopus *Cantuariensis.*

Flavius ANSELMUS, Monachus *Beccensis* a superiore diversus, Scriptor *Vitae Berengarii* Monachi in Urbe S. Papuli in Gallia, quae exstat in Actis Sanctorum 26 Maji tom. VI, pag. 447.

ANSELMUS ex Abbate Ordin. Benedictini *Beccensi* Archiepiscopus ab An. 1093 ad 1109. *Cantuariensis*, doctrina zeloque et ingenii subtilitate nulli suis temporibus secundus. Ejus vitam scripsit *Eadmerus*, de

* Albericus Monachus trium fontium, in Chronico ad Annum 827, cujus verba ita perperam intellexit Trithemius, ut Ansegiso quatuor libros Capitularium Caroli M. et quatuor libros Capitularium Ludovici Pii tribuat, atque in utraque Sylloge binos libros Ecclesiasticis, binos mundialibus, ut non quatuor libri, sed octo prodeant. Verum quatuor tantum fuere, nec plures exstant, quibus alios tres Anno 845 adjunxit *Benedictus Levita.* Ansegisum hunc ab Ansegiso Senonum Archiepiscopo probe distinguendum esse notat Sirmondus in Epistola ad Constantium Caëtanum tom. IV Operum pag. 142.

quo infra suo loco, ut alios juniores praeteream. Vide Surium et Acta Sanctorum 21 April. tom. II, pag. 865 seqq. et Theophilum Raynaudum in syntaxi Operum Anselmi Lugdun. 1630 fol. et tomo XI. Operum. Opera Anselmi recensere juvat ex editione optima Gabrielis Gerberonii Paris. 1675 fol. repetita cum novo supplemento ibid. 1721 fol.

1. *Monologium*, sive Soliloquium et p. 29. *Proslogium* h. e. allocutio ad DEUM, quibus per ideam ipsam summi Entis, ut deinde facere Nicolaus Cusanus in dialogo de *possest*, et post eum Cartesius instituit, b) homo ad Conditorem suum agnoscendum adducitur. Citat hoc Monologium suum Anselmus dialogo de Veritate cap. 10.

2. *Liber apologeticus* contra GAUNILONEM, cujus brevis responsio ad Monologium, Insipientis nomine praemittitur p. 35. Profundas meditationes hoc in scripto Anselmi reperiri notavit illustris Leibnitius in Leibnitianis pag. 412. Vide etiam Dominicum de Colonia in historia litteraria Lugdunensi, quam Gallice nuper edidit tomo. II, pag. 214 seqq.

3. Liber *de fide SS. Trinitatis* et *de incarnatione Verbi* pag. 41 contra blasphemias RUZELINI, qui Abailardi Magister fuit, sive ROSECLINI, velut tritheitae, ad Urbanum II, qui Papa fuit ab A. C. 1088 ad 1099.

4. *Contra Graecos* liber *de processione Spiritus S.* pag. 49. Meminit hujus opusculi Hildebertus II, 9 et 13. Epist. et Anselmus ipse in libello de tribus Waleranni quaestionibus.

5. *De casu Diaboli*, dialogus pag. 62 cujus etiam meminit in dialogo de Veritate. In hoc dialogo de origine mali Anselmus disputat.

6. *Cur DEUS homo*, dialogus cum *Bosone*, libros duobus pag. 74 adversus Infideles, simplicitatem Christianam tanquam fatuam deridentes: scripti Anno 1098. Vide Pagium ad An. 1097 n. 6.

7. *De conceptu virginali et Originali peccato* liber p. 97 ad eundem *Bosonem*, quem charissimum appellat.

8. Dialogus *de Veritate* pag. 109.

9. *De Voluntate* pag. 116 et *de Voluntate DEI* pag. 151.

10. *De libro arbitrio* pag. 117 cujus scripti etiam in dialogo de veritate fit mentio.

11. *De concordia Praescientiae et Praedestinationis*, nec non *Gratiae DEI cum libero arbitrio* pag. 123.

12. *De tribus WALERANNI* Newemburgensis Episcopi *questionibus*, ac praesertim *de azymo ac fermentato* contra Graecos pag. 135 subiuncta Waleranni ad Anselmum Epistola pag. 137 et Anselmi responsione ad illius querelas pag. 139. *Graece* vertit hoc Anselmi scriptum sicut librum de Processione Spiritus S. quoque *Demetrius Cydonius*.

13. *De presbyteris concubinariis*, seu *offendiculum Sacerdotum*, brevis paraenesis pag. 140. Confer Anselmi lib. I. Epistol. 56.

14. *De nuptiis consanguineorum* pag. 141.

15. *Dialogus de Grammatico* pag. 143. Etiam hujus mentionem facit Anselmus dialogo de Veritate.

16. *Homiliae XVI*, pag. 155 quarum ultima in Hebr. II 10 iterum recurrit inter excerpta pag. 546.

17. *Exhortatio* ad contemtum temporalium et desiderium aeternorum. pag. 190.

18. *Admonitio morienti*, pag. 194 in qua inter alia: *Credis quod Dominus JESUS CHristus pro te mortuus est? Credo. Agis etiam de passione et morte sua ei gratias? Ago. Credis te non posse nisi per mortem ipsius salvari? Credo. Age ergo, dum superest in te anima, in hac sola morte totam fiduciam tuam constitue, in nulla alia re fiduciam habens.*

19. Carmen elegiacum *de contemtu Mundi* pag. 195 quod incipit: *Quid deceat Monachum* etc. cum aliis duobus brevioribus carminibus de rerum vanitate pag. 200 et de solo DEO amando pag. 201.

20. *Meditationum XXI liber* pag. 202 quarum decima quarta etiam inscribitur *Enchiridion* sive *Manuale*, vel etiam *liber de salute animae*. Separatim prodiere Lugd. 1609 forma minore.

21. *Orationes* sive Precationes LXXIV in

a) Journal des Savans A. 1721 Octobre p. 447. Mem. de Trevoux A. 1722 pag. 589. Oudinus tom. II pag. 951 seq.

b) De Cartesii sententia dixi lib. de Veritate Religionis Christianae cap. X pag. 525 seqq.

quibus etiam quaedam diriguntur ad B. Virginem Mariam, ad Crucem, ad Sanctos etc. Recusae itidem separatim Romae curante Agvirrio, et Veronae 1726 12. Hoc Orationarium non Anselmi esse, sed Coelestini cujusdam Monachi, qui post Dominicum et Franciscum scripsit, probat Raynaudus in heteroclitis spiritalibus pag. 247.

22. *Hymni et Psalterium de S. Virgine* pag. 303.

23. *Epistolarum libri IV* primus earum 77 quas Monachus, secundus 53, quas Abbas Beccensis, tertius 188, quas Archiepiscopus Cantuariensis scripsit, quartus 108 antea ineditas complectitur. His Epistola pag. 704 et aliae Epistolae tres addi possunt ex Edmundo Martene tom. III. Anecdotorum pag. 283 seqq. nam quam ad Paschalem Warthonus tomo II. Angliae Sacrae pag. 178 vulgavit, jam in Seldeni historia decimarum XII 2 pag. 376 et apud Gerberonum legitur IV 4. Epistolas octo offert Dacherius tomo IX spicilegii, qui Anno 1669 lucem vidit (tom. III editionis novae pag. 433.) Alias Epistolas novem Baluzius tomo quarto Miscellaneorum pag. 471 seq. Parisiis 1683, 8, et in tomo V pag. 306, 342 quibus omnibus aliae etiam adduntur in supplemento novo editionis Anselmi A. 1721 cum *Sermone de Passione DOMINI*, e MS. Regio, et *Tractatu ascetico*, quem ediderat Dacherius tomo III, pag. 24 (editionis novae tom. I, pag. 443.) et Anonymi Carmine elegiaco in Anselmi laudem, ex Baluzii t. IV. Misc. pag. 557 seq.

24. Tractatus *de Pace et Concordia* pag. 705–707.

In Appendicem rejecta primo Dubia scripta.

Elucidarium, sive dialogus summam Christianae Theologiae complexus, libris III, pag. 457 quod opus Gviberto Novigentino Abbati Codices quidam vindicant, Trithemius refert ad Honorium August. alii ad Guilelmum Coventriensem Carmelitam.

Planctus B. Mariae ad Anselmum pag. 488 sive dialogus B. Mariae Virginis et Anselmi de passione Domini.

De mensuratione Crucis ad Luc. IX 23, pag. 494 scriptoris S. Bernardo junioris, qui in eo citatur.

De conceptione B. Mariae Virginis pag. 499 et de VI. Idus Decembris festo in ejus memoriam celebrando pag. 505 seq. pag. 507.

Passio Sanctorum Guineri, Fingaris, Pialae et sociorum An. CHristi 450. Martyrum in Britannia pag. 508. Confer Acta Sanctorum 23 Martii.

Aliena:

GISLEBERTI, sive *Gilberti* Westmonasteriensis ab Anno 1084. Abbatis *Disputatio Judaei cum Christiano* cum praemissa Epistola, qua auctor hoc scriptum censurae Anselmi subjicit pag. 512. Gisleberto vindicatur hoc scriptum etiam a Trithemio, cap. 353, licet sub *Guilelmi de Campellis* nomine edita est in Bibliotheca Patrum Lugdunens. tom. XX, pag. 1884 et sine nomine auctoris, prodierat Colon. 1537 fol. Altercatio Christiani, cum Judaeo de fide Christiana interlocutoribus Gamiele et Paulo.

RUPERTI Tuitiensis Abbatis annulus, seu dialogus Christiani et Judaei de fidei sacramentis pag. 524.

Dicta quaedam ex dictis S. Anselmi collecta p. 545 et miracula p. 548.

Praeter castigationes et emendationes a praeclaro editore, subjiciuntur:

Joannis Picardi Augustiniani, Canonici S. Victoris Paris. notae eruditae ad tres libros priores Epistolarum ex editione Operum Anselmi, Coloniae 1612 folio, quam perinde ut Lugdunensem Theophili Raynaudi Lugd. 1630 fol. recenset Labbeus tom. I de S. E. pag. 80 seq. Exstat et editio Coloniensis 1573, de qua Possevinus, et Norimbergensis 1491 fol. de qua Theophilus Sincerus *Nachricht von alten und neuen raren Buchern*, Frf. 1731 8 pag. 21 seq.

In EADMERI operibus, quae in editionibus Par. 1657 1721 fol. Anselmo subjiciuntur, exstant praeter Anselmi vitam liber quoque *de beatitudine coelestis Patriae* * Anselmo a quibusdam tributus, et liber *de S. Anselmi similitudinibus*, in cujus cap. 47

* *De felicitate Sanctorum* sub Anselmi nomine Antwerpiae 1612, 12 per Henricum Sommalium et sub Eadmeri, Parisiis 1638, 8 edente Joanne Baptista Machallo Soc. Jes. Eadmeri Praefationem dederat Raynaudus tomo XII Opp. pag. 85.

seqq. tractatio illa de beatitudini iisdem verbis recurrit.

Carmen Anselmi *in laudem Lanfranci* Cantuar. decessoris sui exstat ad calcem vitae Lanfranci editae a Dacherio. et in Bibl. Patrum Lugd. tom. XVIII pag. 620 et tom. XII Opp. Raynaudi pag. 86 et in Actis Ord. Bened. Sec. VI 2 p. 659.

Explanationes in S. Matthaeum, Anselmo tributas, PETRI BABIONIS Angli, qui circa An, 1360 vixit, esse notat Raynaudus, qui praefationem ex MS. Lugdunensi exhibet tom. XII pag. 90 seq. Oudino videntur referendae ad GUILELMUM Parisiensem, quod et Raynaudus pridem fuerat suspicatus. *In Cantica Canticorum* et *in Apocalypsin* sunt ANSELMI Laudunensis: *In Pauli Epistolas*, HERVÆUM, Monachum Dolensem Benedictinum habere auctorem noscuntur.

ANSELMUS Abbas *Gemblacensis* in Brabantia, qui Anno 1137 obiit, auctor *Chronici* ab Anno 1112 in quo Sigebertus desiit, usque ad 1136 quod cum auctariis Gemblacensi, Afflligemensi, Valcellensi et Aquicinctino usque ad Annum 1225 edidit, Chronicisque Eusebii, Hieronymi et Sigeberti subjecit, et continuationem ab Anno 1200 ad 1608 ipse adjunxit Aubertus Miraeus, Antwerp. 1608 4.to Vide B. Doctoris mei Thomae Ittigii librum de Bibliothecis Patrum pag. 732 seq. *Libellus de gestis Abbatum Gemblacensium*, quem Oudinus tomo II p. 1131 ait Dacherium tom. VI spicilegii in publicum produxisse. obvius in nova editione tom. II pag. 759 nec Sigeberti, nec Anselmi nec alterius auctoris nomen praefixum habet, Monacho tamen Gemblacensi deberi scribitur.

ANSELMUS, ab An. 1126 ad 1154. *Havelbergensis*, sive Avelburgensis Episcopus, in Marchia ad Avelum, sive Havelam fluvium, sub Archiepiscopo Magdeburgensi: Scripsit *librum de Ordine Canonicorum regularium S. Augustini*, cui scilicet ipse addictus quoque fuit. Exstat in thesauro anecdotorum Bernardi Pez, tom. IV Parte II pag. 75, Ejusdem *dialogos tres*, unum de variis Christianae Relig. formis, et duos disputationum *adversus Graecos* vulgavit Dacherius tomo XIII. spicilegii pag. 88 (edit. novae tom. I pag. 161.) Confer Oudinum tom. II p. 1429 seq. *Vitas* ejus aliquot *sanctorum*, prolixis Voluminibus, et *Epistolas* plures ad diversos Eisengreinius pag. 97 commemorat.

Imerius de ANSELMIS, Cremonensis, Ord. Minor. cujus *discursus super Epistolas Pauli Apostoli*, Voluminibus duobus in folio, memorat Arisius in Cremona litterata.

ANSELMUS Scholasticus et Canonicus *Laudunensis*, in Gallia, qui An. 1117 diem obiit, auctor *glossae interlineatis et marginalis* in totum Vetus et Novum Testamentum, laudatae Henrico Gandavensi cap. 30 de S. E. editaeque cum glossa Ordinaria Hugonis a S. Caro Cardinalis, Basil. 1502 fol. ac saepius deinde alibi, ut infra in *Hugone* et *Nicolao* Lirano dixi. Enarrationes *in Matthaeum* editae in limine Operum Anselmi Cantuariensis, Coloniae 1573, 1612 fol. neque huius, neque Laudunensis, sed Petri BABIONIS, Angli esse jam supra in Cantuariensi notare me memini. Verus autem Anselmi Laudunensis in Matthaeum commentarius Oudino tom. II pag. 938 teste MS. obvius in Bibliotheca Regia Parisiens. Codice 3819 incipit: *Evangelium Graece, Latine bonum nuncium interpretatur.* Per errorem autem in MS. Reg. 246 inscribitur: *Magistri Anselmi de Monte Leonis, Remensis Archiepiscopi*, Nam *de Monte Laois*, est *de Monte Lauduno*, qui Archiepiscopus Remensis nunquam fuit. Commentarii *in Cantica Canticorum* itidem inter Opera Anselmi Cantuariensis An. 1573 et 1612 obvii, etiam MStorum Codicum suffragio vindicantur Anselmo Laudunensi. *Duas* ejus *Epistolas* memorat Sanderus inter MSS. Codices Belgii tom. II pag. 171 *In Psalterium* commentarios Trithemius c. 362.

ANSELMUS *Legiensis*, sive *Leodicensis* Canonicus et Scholasticus S. Lamberti, posteaque Decanus Namurcensis, scripsit circa Annum 1050 ad Annonem Archiepiscopum Coloniensem *gesta Episcoporum Leodicensium* a Theodardo hoc est ab An. 653 ad obitum Gvazonis, sive Wazonis An. 1048 editam cum aliis, quos infra in HARIGERO recenseo, a Johanne Chapeavillo, Leodii 1612, 4. Vide Miraeum ad Sigeberti cap. 163.

ANSELMUS Badagius, Mantuanus patria, ex Monacho Ordinis Benedictini, Episcopus ab Anno 1071 ad 1086 *Lucensis*, cujus vitam ex Sebastiani Tegnagelii antiquis monumentis pag. 83 seq. repetiit B. Georgius Serpilius de Scriptoribus Biblicis Parte VIII pag. 86. Vide etiam Acta Sanctorum 18 Martii tom. II pag. 647. et Octavi Caëtani, Siculi animadversiones in vitam hujus Anselmi inter monumenta contra Schismaticos edita a Gretsero, Ingolstad. 1613, 4. Eum *in Psalmos* et *in Threnos Jeremiae* scripsisse testatur Auctor vitae, et Trithemius cap. 344. In Psalmos memorat quoque Sigebertus cap. 161, sed auctor vitae notat eum desiisse in Psalmi CXXIX verbis ultimis: *Benediximus vobis in nomine DOMINI.* De *Collectione Canonum*, quae ab auctore Vitae diserte memoratur, et sub hujus Anselmi nomine libris XIII MSta exstat in Variis Bibliothecis, et ex qua Gratianum profecisse notavit Latinus Latinius in Bibliotheca sacro-profana pag. 81 b. Vide Baluzium Praefatione de emendatione Gratiani §. 19 et in notis pag. 641, qui decreta post Anselmi hujus mortem promulgata notat in illa reperiri, sed quae in antiquioribus Codicibus desunt, ut notavi tomo XI Bibliothecae Graecae pag. 87 speciatim in Vaticano, de quo vide sis etiam Pagium ad An. 1086 num. 4, Philippum Picinellum in Athenaeo Eruditorum Mediolanensium pag. 39, 40 et de aliis Oudinum tom. II pag. 721. *Hildeberto* autem illam collectionem, ut tribueret, permotus videtur fuisse Antonius Augustinus, quoniam inter Epistolas Hildeberti per errorem legitur praefatio Ivonis. Praeterea *Libri II contra Guibertum Anti-Papam pro Gregorio IV* et *Collectanea ex variis Auctoribus*, *Ecclesiae facultates non esse in potestate Regis aut Caesaris*, exstant in Canisii antiquis Lectionibus tomo VI pag. 202, 235 et novae editionis tom. III pag. 369, 389 et in Bibliotheca Patrum Coloniensi in fine tomi X et in supplementi tomo I pag. 725 Lugdunensis vero tom. XVIII pag. 102. Denique Lucas Waddingus, (qui etiam vitam S. Anselmi cum notis et commentariis editurum se promisit in Bibliotheca Ordinis Minorum pag. 240) sub Anselmi Lucensis nomine edidit quatuor haec Opuscula, recusa itidem in Bibliotheca Patrum Lugdunens. tom. XXVIII. *Meditationem in Orationem Dominicam* pag. 437 *in Ave Maria* pag. 439 *super salve Regina* pag. 441 et *Meditationes de gestis Domini nostri JESU CHRISTI,* versibus leoninis, quorum initium:

Desere jam anima lectulum soporis,
Languor, torpor, vanitas excludantur foris.

pag. 444-408. Quatuor haec scripta indigna Anselmo esse disputat Oudinus, quem vide tom. II pag. 722 sqq.

* Wadingus qui viri huius Sancti vitam cum notis editurum se spondit in Bibliotheca, fidem implevit, ediditque Romae an. 1657 in 4 junctis una simul epistola ad Vibertum, quam et Canisius dederat sub titulo libri primi contra Vibertum. Subiecit librum Apologeticum eiusdem *Contra eos qui dicunt regali potestati Christi ecclesiam subiacere*, quae scriptio in Canisio superiori libro continuatur; Wadingus vero plane a superiori opere diversam statuit. Subiunxit huic opusculum, seu potius superioris librum secundum (ambigit enim num opusculum sit singulare, seu potius alterius pars) *contra eos qui dicunt facultates ecclesiae sub regia potestate manere.* Post haec omnia exhibet quatuor illa opuscula hic a Fabricio indicata. Porro illud *super Salve Regina* jamdiu prodierat, sed isto Wadingi multo contractius, inter opera S. Bernardi, cui adscribitur. Sed nec S. Bernardi, nec Anselmi esset censet Oudinus hic apud Fabricium.

ANSELMUS *Mantuanus.* vide supra, *Lucensis.*

ANSELMUS *Marsicanus* Episcopus post Annum 1210 vide Ughellum tom. VII pag. 506 editionis novae. Scripsit *Vaticinia Pontificum Rom.* sive de Pontificibus, quae illustranda sibi sumsit Paulus Scaliger. Prodiere Coloniae 1570.

ANSELMUS *Mediolanensis* Archiepiscopus circa Annum 1110. Vide Baluzium tom. VI. Miscellaneorum pag. 483 ubi diploma, quo Ecclesiam S. Mariae de Cavalzana concedit Ecclesiae Cluniacensi.

ANSELMUS Ordinis *Minorum* Monachus,

qui in terram sanctam venisse se scribit An. 1508. Ejus *Descriptio* Palaestinae edita a Canisio tom. VI antiquarum Lectionum pag. 1289 et editionis novae tom. IV, pag. 779.

ANSELMUS *de Monte Leonis* Archiepiscopus Remensis, nullus unquam fuit, sed *de Monte Laonis* est *de Monte Lauduno*. Vide supra, *Laudunensis*.

S. ANSELMUS *ab. Novantulanus*, vide Acta Sanctorum tom. I. Martii pag. 265.

ANSELMI *Peripatetici* Rhetorimachiam MS. evolvit Cangius in Codice Thuano 589.

Petri ANSELMI esse *carmen de Eucharistia*, quod Anselmo Cantuariensi ab aliis, ab aliis Petro Blaesensi tribuitur, contendit Caspar Barthius, quem vide tom. II ad Statii IV. Thebaid. 552 pag. 1153.

ANSELMUM Ordinis *Minorum*, auctorem descriptionis Palaestinae, de quo jam dixi, *Polonum* Cracoviensem fuisse, Vossius suspicatur, quoniam distantiam domus Caiphae, a qua Servator ductus est ad domum Pilati, descripturus, tantam esse ait, *quantum distat a S. Bernardino Cracoviae usque ad Ecclesiam S. Spiritus.*

ANSELMUS Monachus Ordinis S. Benedicti *Remensis*, cujus *itinerarium Leonis IX. Papae* Roma in Galliam memorat Sigebertus cap. 152 et Trithemius cap. 333 de S. E. et II 88 illustrium Benedictinorum. Leo IX. Papa fuit ab Anno 1049 ad 1054. De Conciliis An. 1049 Remis atque per alia loca Galliae a Leone IX habitis vide Pagium ad A. 1054 n. XI.

ANSELMUS *de Ribodimonte*, qui An. 1099 scripsit ex Palaestina Epistolam ad Manassem Archiepiscopum, editam a Dacherio tom. VII. Spicilegii pag. 191 (editionis novae tom. III, pag. 431.) Ejus *descriptio Palaestinae* vulgata a Canisio tom. VI autiquarum Lectionum pag. 1289 et edit. novae tom. IV, pag. 779.

ANSO, sive ANSUS Lobiensis, in Belgio Abbas ab Anno 776 ad 800. Scripsit Monachus adhuc, ad Theodulfum, decessorem deinde suum, *Vitam S. Ursmari*, quae exstat * in Actis Sanctorum 18 April. tom. II, pag. 560 et tomo III Sec. Benedictin. pag. 246 et Vitam *S. Ermini*, qui Ursmaro in Abbatia Laubiensi successit, obviam in iisdem Actis Sanctorum 25 April. tom. III, pag. 375 et in Mabillonii Sec. 3 pag. 564.

* Apud Surium 18 Aprilis interpolata a Ratherio.

ANTENOR Episcopus incertae sedis post octavi Saeculi initia, scripsit *Vitam S. Silvini*, Morinorum in Gallia Episcopi, quae non nisi ab auctore medii saeculi noni interpolata ad nos pervenit, obvia in Guil. Catelli Historia Episcoporum Tolosatium, Tolosae 1623 fol. tum in Actis Sanctornm 17 Febr. et in Actis Benedictinis Sec. III, pag. 295.

ANTERIUS Clalidianus Sacra Biblia metro complexus memoratur a Guidone Vicentino, qui A. 1331 diem obiit.

ANTEROS Episcopus Romanus ab An. 235. Novembris 22 ad Aunum 236, 3 Jan. et Martyr, cui supposita apud Isidorum Mercatorem *Epistola* ad Episcopos per Baeticam et Toletanam Provinciam constitutos, a Blondello in Pseudo-Isidoro pag. 278 seq. refellitur. Videndum an majoris fidei est, quod Auctor libri Pontificalis et alii recentiores scriptores tradunt eum *per Notarios res Martyrum accurate descripsisse, et in aerarium Ecclesiae reposuisse.* Vide Ludovicum Jacobum a S. Carolo in Bibliotheca Pontificia pag. 19.

ANTHELMUS. supra, ALDHELMUS.

ANTISSIODORENSE, sive AUTISSIODORENSE Chronicon Monachi S. Meriani Antissiodorensis (*Auxerre* in Gallia Lugdunensi) ab O. C. ad Annum 1212 cum appendice ad Annum 1223 editum a Nicolao Camussaeo, Trecis 1608 4. Antissiodorense Chronicon breve ab An. 1005 ad 1174 in Philippi Labbei Bibliotheca nova MSS. tom. I, pag. 292, 293 Appendix ad An. 1190, pag. 405. Aliud Chronicon Antissiodorense ab A. 1022 ad 1188 in Edmundi Martene Thesauro Anecdotor. tom. III, p. 1384 1385.

M. Aurelius ANTONINUS Imperator ab Anno Christi 161 ad 180 cui tribuitur vulgo *Itinerarium*, de quo dixi in Bibliotheca Latina. De alio itinerario in loca sancta, infra in ANTONINUS *Placentinus.*

ANTONINUS Florentinus patria, Ordinis Praedicatorum, et ab mense Januario a)

a) Giornale de' Letterati d'Italia tom. XIII pag. 409.

Anno 1446 usque ad 1459. Archiepiscopus Florentinus, vero nomine ANTONIUS, propter parvam statnram b) *Antoninus*, atque illo nomine notior praesertim post obitum, et ex quo Sanctis est adscriptus An. 1523 c) Vide Acta Sanctorum ad 2 Maji tom. I, pag. 322, 331 et tom. VII, pag. 553 ubi ejus effigies et pag. 681 seq. Jacobum Qvetif tom. I. Bibliothecae Dominicanorum pag. 817 seq. Papebrocbius tom. I Maji pag. 313 exhibet notis illustratam vitam Antonini scriptam ab ejus per octennium domestico *Francisco Castilionensi*, subjunctis etiam pag. 326. *Leonardi de Ser-Ubertis* additionibus. Scripsere etiam vitam ejus *Vincentius Mainardus* apud Surium 2 Maji, et Italice *Euphrosynus Lapini* (Firenze, Sermartelli 1569, 12) et *Dominicus Maccarani*, Florent. 1708 4. Venetiis et Lucae 1709 8. Scripta huius Antonini distincte referre placet. Sunt itaque:

1. *Summa Historialis* sive Chronicorum Partes III ab Orbe condito ad Annum CHristi 310, *secunda* ad Annum CHristi 1198 et *tertia* ad Annum 1459. Opus titulis XXIV distinctum ac minine contemnendum, licet non est sine exceptione d) ejus auctoritas: prodiit tribus in fol. Voluminibus, Venetiis 1480. Norimbergae apud Antonium Kobergerum 1484, 1491, 1494 et Basileae 1591 apud Frobenium, cum emendationibus Joannis Grandis: Parisiis 1512 per Nicolaum Wolfium: Lugduni apud Joannem Clein, Alemannum A. 1517, 1527. Rothomagi 1525 atque novissima Lugdunensis ex Officina Juntarum et Pauli Gvitii, An. 1586 cum Petri Maturi S J. emendationibus et notis.

2. *Summa* e) *Theologica*, sive *Juris Pontificii et Caesarei Summa*, *Summa Casuum Conscientiae*, Partibus IV. Venetiis 1477 apud Nicolaum Jenson, Spirae 1477. Norimbergae 1478. Venetiis 1480 apud Leonardum Gvild de Ratisbona, Memmingae 1483 Norimbergae 1486 Venetiis 1487 Parisiis 1496 Argentin. 1496. Quarta Pars *de Virtutibus* separatim prodiit Norimbergae 1472 fol. tabula directiva in totam summnam a Joanne Moliore 1490 fol. Summa etiam Lugduni 1511, 1516, 1520, 1529, 1542. Venetiis 1571, 1591.

3. *Summa Confessionalis*, sive Confessorum refugium *de eruditione Confessorum, Interrogatorium* et *de restitutione* Partes III capita XLIX. Memmingae 1483 atque deinde saepius pluribus in locis, etiam Italice. Vide Jacobum Qvetif tomo I, pag. 819.

4. *Annotationes de donatione Constantini*, excusae Coloniae 1535 nihil aliud sunt, quam excerpta ex Summa Theologica Parte II tit. 22 cap. 5 § 16 et Historiali Parte I tit. 8 cap. 2 § 8 ubi *non bene certam* Donationem illam esse profitetur.

5 In Tractatu Tractatuum, sive Oceano Juris, Venetiis 1584 fol. tomo XIV occurrunt libelli *de interdicto Ecclesiastico* pag. 338 *de suspensione* pag. 342 *de excommunicatione* pag. 366 *de irregularitate* pag. 403 et tom. VII pag. 78 *de Usuris*.

6 *Trialogus CHristi* et duorum discipulorum Emaunticorum, considerans dicta Prophetarum de vita, morte et resurrectione Domini. Florentiae 1680, 4.

7 *Flos florum*, sive sermones etc.

* Trialogum Christi et duorum discipulorum una simul cum vita S. Antonini et tractatu de contemptu mundi Fratris Baptistae de Finaria ac tandem epistola Humberti generalis magistri Ord. Praed. habeo impressum ex vetustissima editione Veneta per Jo. Emericum de Spira an. 1495 in 8. De Summa Theologica haec mihi occurrunt annotanda. Prima pars Summae ex officina Nicolai Jenson Venetiis edita est an. 1479, 18 Kal. Januar. Altera pars summae in meo codice impressa est Venetiis per Franciscum de Hailbrun et Nicolaum de Francfordia an. 1474. Tertia impressa est Venetiis per Leonardum Wild de Ratisbona an. 1480. Quarta denique pars excusa est Venetiis apud Nicolaum Jenson an. 1480 14 Kal. Majas. In MS. Cod. Biblioth. Riccardianae extant eius *Postillae super Epistolas et Evangelia totius anni.*

b) Sanderus de Antoniis lib. I pag. 22.

c) Bulla Canonizationis praemissa summae historiali in edit. A. 1586 et apud Cherubinum t. I bullarii pag. 523. Vide et Baluzii Misc, tom. III p. 424.

d) Vide Ancilloniana tom. I p. 165.

e) Julius Niger de Scriptoribus Florentinis p. 50. Hendrechius p. 214.

In altero eiusdem cod. sunt etiam conciones quaedam eiusdem scriptoris, sed forte ab editis non diversae. Vide Catalog. eiusdem Bibl. pag. 32.

(15 *Summa Theologica in IV partes distributa. Veronae ex typ. Semin. 1740 in fol. Vol. IV.* praemissis Vitis a F. Castilioneo. c. add. Scruberti, F. Vinc. Mainardi et E. Lapini conscriptis, Benedicto XIV dicata prodiit cur. Cl. Petro Ballerini. Cura et studio autem F. Th. Mamachi et Dionys. Remedelli. *Florentiae Viviani* 1741. 56 fol. Vol. 2.[do] *Opera omnia ad autographorum fidem nunc primum exacta* excudi optime incoepta, destitere.)

HONORATUS ANTONINUS Constantiniensis, sive Cirtensis in Numidia Africae Episcopus, in Codicibus aliis MSS. Epistolae, *Antoninus* tantum, in editionibus Gennadii cap. 95 et Honorii II 94 simpliciter *Honoratus*, sed in MS. Sangermaniensi antiquissimo Gennadii *Honoratus Antoninus*, scripsit ad *Arcadium* Confessorem An. CHristi 437 in exilium missum a Genserico Vandalorum Rege Ariano, *Epistolam cohortatoriam ad labores pro CHristo ferendos*, quam editam a Baronio ad Annum 437 obviamque in antidoto haeresium Basileae 1528 et in Bibliothecis Patrum Parisiensibus ab Anno 1575. Coloniensi et Lugdunensi recensuit etiam Theodoricus Ruinartus, atque illustravit in historia persecutionis Vandalicae capite IV pag. 433 seq. adde Tillemontium t. XVI Memor. Hist. Eccles. p. 500 seq.

ANTONINUS *Placentinus*, Martyr saeculo VI, sub cujus nomine incerta fide fertur, *Itinerarium de locis terrae sanctae, quae perambulavit*, praemissum a Papebrochio Actis Sanctorum tomo II Maji. Antwerpiae 1680 fol. atque editum primum a Claudio Menardo, Andegavi sive Juliomagi 1640, 4. Alius *Martyr Antoninus* Apamecensis, cujus passio apud Labbeum tom. I Bibliothec. novae MSS. pag. 686 Dolendum est fata intercessisse viri doctissimi Hadriani Relandi consilio. Anno 1718 apud Trajectinos extincti, qui recensita a se junctim edere instituebat Adamanni, Ariulfi et Willibaldi itineraria, cum Mensonis Altingii commentario in tabulas Peutingerianas, Itinerario Antonini Imp. notis Hieronymi Suritae illustrato, Itinerario Burdigalensi sive Hierosolymitano, fragmento tabulae alterius, et itinerario Antonini Martyris ac Joannis Phocae. Sed ecce tibi elenchum itinerariorum horum caeterorumque medii aevi alphabeticum, si quis illa vellet in studiorum usus recognoscere, atque notis indicibusque idoneis additis, Geographiae illorum temporum facem accendere. Litteris currentibus expressi, qui Latine non scripserunt.

Adamanni et Arculfi Episcopi, supra.

Aethici, de quo in Bibl. Latina.

Ambrosii Camaldulensis, de quo supra.

Anselmi Remensis itinerarium Leonis IX.

Antonini Imp.

Antonini Martyris.

Leonardi Aretini IV, 2 Epist. iter ab urbe Roma, Constantiam.

Regis Artus, An. 517.

Nicolai Ascelini An. 1246 apud Vincentium Bellov. libro 32 speculi Hist.

Avieni ora maritima, de quo in Biblioth. Latina.

Rogerus Baco de partibus Orbis septentrionalibus.

Guilelmi de Baldensel A. 1336 in terram sanctam.

Josaphat Barbari, Veneti An. 1436, 1461.

Christophori de Bondelmontibus, An. 1422.

Burchardi descriptio terrae sanctae.

Burdegalense Itinerarium, de quo in Bibliotheca Latina: et Acta visitationis Provinciarum Burdegalensis et Bituricensis ab Archiepiscopo Simone de Bello loco apud Baluzium tomo IV Misc. pag. 205.

Ambrosii Contareni A. 1473.

Cosmas Indoplevstes A. C. 547 de quo in Bibl. Graeca III. 25.

Petrus Delphinus Epist. 106 A. 1479.

Eugesippus de distantiis locornm terrae sanctae, Anno 1040 et alii in symmictis Allatii.

Rudolphi de Frameynsberg apud Canisium.

Franci in loca sancta, saeculo IX jam inclinante.

Gregorii XI vide infra, Petrus.

Hadriani VI vide Ortizius.

Jacobi Ticinensis diarium profectionis.

Joannis de Plano Carpino, An. 1246.

Julii II Papae per Hadrianum Cardinalem, et apud Bzovium ad A. 1506.

Leonis IX vide Anselmus.

Leonis X Bzovius ad An. 1515 n. 3 17 ex Parisio de Grassis.

Andreas Leucander. supra.

Andrea de Lucimel, sive Longiumello, A. 1253.

Joannes de Mandeville. An. 1332 suo loco.

Anonymi Mahometani, quorum alter Anno 851 in Indiam; alter 877 in Chinam iter fecit. Descriptio Gallice edita cum notis ab Eusebio Renaudoto Parisiis 1718, 8, de cujus fide conferenda censura P. de Premare: lettres edifiantes tom. XIX p. 420 seqq.

Barthol. Montuccii Ordinis Praedicatorum, A. 1410.

Nicolai Botrontinensis de itinere Italico Henrici VII Imp.

Nicolai Veneti Iter Indicum in Poggii libro IV de varietate fortunae.

Odonis descriptio itineris Ludovici VII in Orientem.

Odorici Forojuliensis An. 1327.

Blasii Ortizii de itinere Hadriani VI ab Hispania Romam usque.

M. Paulus Venetus circa A. 1295 ex Latina versione Francisci Pipini Ord. Praed. circa An. 1316.

Francisci Petrarchae itinerarium in Syriam.

Petri Amelii de Brenaco, Alectensis iter Gregorii XI Avenione Romam.

Johannes Phocas A. 1185, de quo tom. VI Bibl. Graecae p. 705.

Ratgerii Veronensis itinerarium Romam euntis.

Geographus Ravennas, de quo in Biblioth. Latina.

Ricoldi de Monte Crucis, Ord. Praed. defuncti A. 1309.

Guilelmi de Rubruquis A. 1253.

Rutilii, de quo in Bibl. Latina.

Simon de bello loco, supra, Burdegal.

Simon de S. Quintino A. 1246.

Tabula Peutingeriana, de qua in Biblioth. Latina.

Theodulpbi Aurelianensis itinerarium lib. III carm. 12.

Venantii Fortunati lib. X carmine 9 et XI, 27.

Gaufridus Vinisalvus a Tho. Galeo editus supra 98.

Willebrandi de Oldenburg, itinerarium terrae Sanctae An. 1211.

Willibaldi, de quo, ut de alis, infra suo loco.

* * *

Placet huic indiculo brevem alium etiam subjungere *scriptorum recentium*, qui Avieni, Rutilii, Teodulfi et Venantii exemplo itinera sua, vel aliorum, Latino descripsere carmine.

Isaaci Barrow iter maritimum a portu Ligustico Constantinopolin A. 1657 tomo quarto Operum pag. 211–226 poëmate elegiaco. Londini 1683 fol.

Martini Braschii hodoeporicon Germanicum. Lips. 1598, 8 et tom. I deliciar. poëtar. Germanic. p. 718–741.

Joachimi Camerarii hodoeporica t. II deliciar. poëtar. German. p. 17, 22, 24, 39, 46.

Nathanis Chytraei iter Anglicum, Italicum, Helveticum, Dantiscanum. Brem. 1616, 12.

Georgii Fabricii iter Romanum prius et posterius, nec non Patavinum, Chemnicense et Argentoratense, inter ejus poëmata, et tomo III deliciar. Germanic.

Hugonis Favolii hodoeporicon Byzant. lib. III Lovan. 1563 8.

Felicis Fidleri flumina Germaniae, post Pauli Melissi schediasmata. Francofurti 1574 8.

Huberti Goltzii hodoeporicon tomo II delic. poëtar. Belg. pag. 471–474.

Bernardi Holtorpii, Hagensis, peregrinationes Stanislai a Lasco. Rostoch. 1587 8.vo.

Petri Danielis Huetii iter Svecicum, inter viri docti poëmata saepius excusa.

Salomonis Kuselii itineraria Italiae, Germaniae etc. An. 1617, 1628 8.

Petri Lindénbergii, Rostochiensis iter Venetum, Romanum, Helvetium et Rhenanum. Hamb. 1592 8.

Nicolai Madrisii, Utinensis itinera per Italiam, Galliam et Germaniam. Venet. 1717 8 enarrata carmine non Latino sed Italico, duobus Voluminibus, cum notis.

Jacobi Micylli hodoeporicon editum a Melanchthone 1527 8.

Nic. Reusneri hodoeporicorum sive itinerum totius fere Orbis libri VII. Basil. 1580 8.

Georgii Sabini iter Italicum tom. V deliciarum poëtarum Germanicorum pag. 950 975 et in peregrinationem Stanislai a Lasco pag. 1037 seq.

Johannis Secundi itineraria tria, Belgicum, Gallicum et Hispanicum, edente Daniele Heinsio, Lugd. Bat. 1618 8.

* Adde Arsenii Elassonis Episcopi Itinerarium Hieremiae II patriarchae Cptani in Moscoviam, ubi et Patriarchatus Moscovitici institutio narratur. Vulgarunt opusculum illud viri clarissimi, qui Catalogum Biblioth. MSS. Athenaei Taurinensis edidere t. I, 433.

(Arnulphi) Libellus de situ terrae Hierosolymitanae: Extat in MS. Cod. 291). Vauclerc. Montfaucon Bibl. MSS. pag. 1302.

Bernardus monachus scripsisse videtur Itinerarium suum Hierosolimitanum, e quo nonnulla dat Albericus in chronico ad a. 970 item ad annum 1012 P. Pezius in dissertatione isagogica in primum tomum Anecdotorum scribit extare in Biblioth. Wassofontana, qui Bavariae locus est, codicem saeculi IX, in quo libellus Eudoxii Diaconi *de locis sanctis, ubi Dominus pedibus ambulavit.*

De claris ANTONIIS exstant libri III *Antonii Sanderi*, Canonici Iprensis: typis exscripti Lovaniensibus 1627 4.to, quorum *primus* Antonios et Antoninos sanctimoniae vitae claros, *secundus* illustres dignitate, *tertius* doctrina et scriptis celebres, atque in his etiam ad institutum meum spectantes persequitur, quos excerpere et observatis ejus mea, aliosque etiam Antonios adjungere juvabit.

ANTONIUS Ord. Praedicator. in Theologia Magister scripsit *conclusiones quasdam per schismate* tunc inter duos Pontifices versante, et pro illo sedando, quaerens quid facto opus sit, negatque viam renunciationis spontaneae ab utroque aemulo praestandae eam esse, quae duceret ad pacem Ecclesiae. Scriptum ejus inseruit Aegidius Bellamera JCtus in suo tractatu occasione ejusdem Schismatis edito, et inter ejus consilia inserto. An vero tractatus iste typis prodierit adhuc ignoro. Vivebat sub exitum saeculi XIV.

ANTONIUS *de Ancona* Italiae, Augustinianus, Scriptor *Quaestionum in Epistolam Jacobi.*

ANTONIUS ANDREÆ, Ordinis Fratrum Minorum Regularis observantiae, Aragonius, Scoti A. 1308 defuncti discipulus, *Dulcifluus* cognomento, de quo praeter Waddingum Nic. Antonius tom. II Bibl. veteris Hisp. pag. 97. scripsit in XII. Metaphysicorum Aristotelis libros Quaestiones, editas Parisiis 1495. Venet 1513. In libros VIII. Physicorum: in lib. perihermenias. Quaestiones sex principiorum Guil. Porretani super arte veteri. h. e. in Isagogem Porphyrii et Praedicamenta et Postpraedicamenta Aristotelis et de divisionibus Boëtii. Venet. 1480, 1509, 1517. In libros quatuor Sententiarum, quod opus post. a F. Constantio Sarnano editum est Venetiis, in fol. 1572, 1578. Obiit Andreas circa An. D. 1320.

* Praeter libros hic indicatos scripsit pariter tractatum *de syllogismo demonstrativo*, et *de syllogismo topico*, quae opera simul omnia una cum praecedentibus, nempe *in libros perihermenias*, *in Gilbertum Porretanum et in Boethium* habeo ex editione Bononiensi an. 1481 ex correctione Petri de Senis ordinis minorum. Ex opere *de tribus principiis* Ant. Andreae quaedam adduxit Lucas de Burgo S. Sepulcri in sua Aritmetica de quo postremo opere Fabricius. V. LEONARDUS Pisanus.

ANTONIUS *a S. Angelo*, Patavinus JCtus, decessit An. 1411. Scripta ejus nulla memini referri.

ANTONIUS ARENA, Provincialis de Bragardissima villa de Soleris, scripsit ad suos compagnones studiantes, qui sunt de persona friantes, bassas dansas iu galanti stilo bisognatas, cum guerra Romana, totum ad longum sine require, et cum guerra Neapolitana, et cum revoluta Genuensi, et guerra Avenionensi, et epistolam ad falotissimam garsam pro passando lo tempus. Liber scriptus ab autore studioso juris Avenione, An. 1519 versibus elegiacis, dictionibus Latinis et Gallis ridicule permixitis. Ejusdem opus de bello Massiliensi. *Haec Sanderus.*

ANTONIUS *Assisias*, Ordinis Minorum, circa Annum 1466 cujus *Anacephalaeosin Bibliorum* Willotus, Waddingus, aliique memorant.

ANTONIUS AVERARIUS, sive de AVERARIA Mediolanensis, Carmelita, Baptistae Mantuani discipulus, scripsit *Sermones de Virtutibus*, impressos Mediolani 1509 qui et auctori emortualis fuit *Artium epitomen*, *Epistolas* et *Carmina*.

ANTONIUS *Beccatellus*. infra, *Panormita*.

ANTONIUS BECHARIA, sive BECARIA, Veronensis, *Dionysii* Afri poëma de situ orbis Latine reddidit oratione prosa. Venetiis 1477, 1498 4. Parisiis 1501 4.to, et apud Henricum Petrum, Basileae 1534 4.to. Alius Antonius Tudertinus, qui transtulisse putatur vitam Pelopidae, Timoleontis, Agesilai, Pompeji, Agidis et Cleomenis in antiquis Latinis editionibus apud *Plutarcum*. Infra, *Tudertinus*.

* Viri huius summi, qui vivebat circa an. 1480 laudes obiter attingit Matthaeus Bossus Veronensis in Epist. 14 primarum Epistolar. et in Epist. 3 secundar. Epistol. scribens apud Episcopum Veronensem obtinere illum summos honores et in schola Victorini Feltrensis literis Graecis Latinisque apprime excultum. Accepisse vero se ait ex eo libellum a se scriptum quem *epitoma* esse et *totius Ethicae breviarium* comperit, cui tamen nondum manum ultimam author admoverat.

De ANTONII *Becki*, Dunelmensis Episcopi An. 1310 defuncti scriptis fusius in Opere de Pontificibus, sive Episcopis Britannicis dicturum se promisit Joannes Lelandus: sed nec ipse, nec Baleus XIII. 87 nec. Pitseus pag. 825 vel unum ex illis commemorant.

(16 Nec Godwinus De Praesulibus Angliae Lond. 1743 f. pag. 743.)

ANTONIUS DE BITONTO, Ord. Fratrum Minorum, scripsit Sermones Dominicales. Joannes Gruninger excudit Argentinae An. D. 1495. **Ant. de Bitonto* libelli sermonum plures editi sunt. Penes me habeo *Sermones Quadragesimales* impressos Venetiis per Joan. Hertzog an. 1496. *Sermones Dominicales per annum* impressi per Bonetum Locatellum impensis Nicolai de Francofordia 1492 (f. imp. Venet.) Denique Expositiones Evangeliorum Dominicalium editae sunt Venetiis sumpt. Joannis de Francofordia per Jo Hertzog an. 1486 in 8 maiori.

* ANTONIUS *Brojanicus* seu e Brognolingo Veronensis Domitii Calderini in amoenioribus literis praeceptor, cuius in MS. Codice Veronensi opuscula quaedam metrica servari asserit Cl. Maffeius Veron. Illustr. lib. 3 pag. 232 edit. in 8. Extat inter caetera elegia ad Franciscum Patricium Senensem ad bonas literas docendas publice Veronam conductum. Opusculum est alterum metricum: *De origine florentissimae urbis venetorum;* quod itidem in Bibliotheca collegii mei Lucensis servatur, sed alteram plane praefixam ferens epistolam, quam quae in Veronensi Codice legitur. In illo enim dicata est Dominico Georgio; incipit epistola:

Dominice, quo fulget stirps alta Georgia nato.

In nostro est Epistola *ad Serenissim. ac Christianiss*, *principem Dom. Christophorum Maurum*, incipit:

Quem sibi pro meritis excellentissime princeps,
Florentes Veneti constituere caput.

Ipse est codex quem author misit Hermolao Barbaro, ut in adnotatione in prima pagella adscripta legitur.

ANTONIUS DE BURGES, sive, DE BURGOS, JCtus Hispanus, scripsit super Decretalium tertium: De emptione et venditione librum, Papiae 1471, 1511. Venetiis 1575 4 alia vide apud Hendreichium pag. 798.

ANTONIUS DE BUTRIO, Bononiensis JCtus, docuit in patria, hinc Ferrariae ac deinde in patria iterum, ubi etiam sepultus est An. 1408 ut praeter Fichardum tradit Pancirollus, qui epitaphium ejus refert lib. 3 cap. 27 de claris Juris interpretibus. Edidit in jure super Decretalibus libros V, super Clementinis lib. 1. Repertorium Juris civilis lib. 1. Opus Consiliorum, e quibus CCCCXIX, quod est de schismate tollendo, exstat etiam apud Bzovium ad A. 1407 pag. 268-270 De emptionibus et venditionibus, De Notario lib. 1. Hujus opera impressa sunt Venetiis A. D. 1532.

* Consilium eius alterum ab edito ad Patres concilii Pisani directum, factum illorum

pro tollendo schismate approbans, nactus sum quamvis non integrum in Codice MS. Felniano, edidique in meo Conciliorum Supplemento t. III pag. 1041. vide Lapum Biragum.

ANTONIUS *Cartularius*, Patavinus, defunctus An. 1440 cujus opus *de vita et moribus Philosophorum* Vossius III, pag. 802 aliiq; memorant e Scardeonii libro III de rebus Patavinis: simile an idem, quod *Gualtero Burley* alii, alii *Guilelmo Ramesey* tribuunt, et quod sine nomine auctoris habeo editum Argentinae ex Officina Joannis Knoblauch 1516 4. Vide, quae infra in *Gualtero*. Hunc ipsum librum *Antonius a Sala* Monbellensis JCtus pro suo edidisse atque Vincentio Gverrerio Montisbelli Comiti dicasse traditur Casali 1603 4.to. Vide Vincentii Placcii nostri ὁ μακαρίτης Pseudonymos, num. 2400. Ex eodem videtur expressus, libellus quem teneo excusum Italice Venetiis 1521 8.vo, hoc titulo: *Vite de Philosophi moralissime.*

* Libellus de vita et moribus Philosophorum vix crederetur editus ab Ant. Cartulario Patavino; nam est apud me opusculi huius curiosi editio, ut arbitror prima, quam suspicor Nurimbergae, adornatam. Nam in eius fine sic lego. *A. D. quadringentesimo septuagesimo septimo pridie nonas Maii, opusculum (Philosophorum vita) insigne ob legentium profectum editum Antonii Coburgers civis inclitae Nurimbergensium urbis industriae fabrefactum, fideliterque impressum finit feliciter.* Non vero saepe accidit, ut qui liber italum auctorem habet, primum Germanis typis excudatur. Nullam quin etiam libelli eiusdem Italam editione novi.

ANTONIUS CERMISONUS, sive CERNESONUS, Ordinarius Medicinae Professor Patavii per annos multos, ac praeceptor Mich. Savonarolae Medici, scripsit *Consiliorum adversum omnes aegritudines a capite usque ad pedes* lib. 1 et *de urinis*, ex fontibus Avicennae. Moritur Patavii admodum senex, anno salutis partae 1435. vide Nic. Comnenum Papadopoli de Gymnasio Patavino tom. I, pag. 285.

M. ANTONIUS *Coccius Sabellicus*, infra SABELLICUS.

ANTONIUS URCEUS CODRUS, Herberia Regiensis, vir abundans ingenio, docuit Bononiae obiitq; A. 1500. Æt. 54. Vita scripta a Barthol. Blanchino. Bononiae 1502. Et ipse Codrus scripsit varia, quae subjunctam habentia Vitam exstant impressa Basileae apud Henricum Petrum, An. D. 1540 fol. Sunt autem haec: *Orationes*, sive ut ipse appellabat, *Sermones*, quindecim videlicet. 1) De metamorphosi humana in belluas. 2) In enarratione Rhetorices ad Herennium, et Lucani. 3) In laudem Homeri. 4) Utrum ducenda sit uxor. 5) In laudem Aristotelis 6) De mendaci mortalium vita. 7) Rursus in laudem Homeri. 8) In eundem. 9) In laudem vitae pastoritiae. 10) In laudem litterarum Graecarum. 11) In Hesiodum. 12) De medio, sive de mediocritate virtutum parente. 13) In laudem liberalium artium. 14) In laudem virtutis. 15) Pro juvene quodam ad magistratus Bononienses. *Epistolae* undecim, Familiares partim, Grammatici partim argumenti. *Sylvarum* libri duo, cum praefatione Philippi Beroaldi junioris, mire opus collaudantis. *Satyrae* duae: *Ecloga* una: *Epigrammatum* lib. I. Confer Memorias litterarias Gallice editas Hagae 1716 8. Parte II. et de Codro ipso Joannem Guascum in historia literaria Regiensi edita Italice 1711. Regii in 4 pag. 69 seq. Diarium eruditorum Italiae tom. XIII, pag. 303 seq. et Menagiana tom. IV, pag. 150. Aululariam quoque Plauti Codrus versibus CXXII additis ex ingenio suo explevit.

ANTONIUS *Corarius* Venetus, Episcopus Bononiensis et R. E. Cardinalis, qui diem obiit An. 1445. De eo Ughellus tomo II Italiae Sacrae pag. 30 seq. ubi Vitam illius a Vespasiano Florentino scriptam memorat: atque inter scripta illius *Historiam sui temporis*, nescio quorum injuria amissam dolet.

ANTONIUS *Cornazanus,* Trithemio et aliis Ferrariensis, sed in titulo veteris editionis Placentinus, cujus liber versibus scriptus *de fide et vita CHRISTI* prodiit An. 1472. Ejusdem memoratus carmen *de vita et obitu Deiparae Virginis*, atque *elegiae poëmatiaque* alia. Sermone autem soluto *Vita Bartholomaei Colonei* Imperatoris Veneti, et *Orationes.*

* Vatis huius carmina quaedam nondum in lucem publicam protracta vulgata sunt non ante multos annos Venetiis an. 1740 in priori vol. op. inscripti *Miscellanea di varie operette.*

(16 Vitas Christi et Deiparae, ut alia *Cornazani* scripta Latinos titulos praeseferentia, non Latine sed vernaculo seu italico idiomate esse exaratas est et erat subiungendum. Vide Poggiali St. Letter. di Piacenza. Piacenza 1779 t. I p. 87.)

* ANTONIUS Corsetus siculus J. U. D. et Professor Paduae florebat, teste Mantua in elogiis, circa an. 1489. In codice quodam Bibliothecae Felini impresso haec leguntur. *Antonii Corsicti Siculi* Juris utriusque scholaris in studio Bononiensi singularia ac notabilia dicta ad excellentissimum juris, utriusque monarcham Consiculum vulgo Barbaceam in fol. in domo Baldaxaris de Azoguidis Bononiensis civis 1477. Ab ipso autem Felino adnotatur in margine: *ineepta cumulatio rerum tritarum.* Eiusdem ordinariam juris Pontificii legentis in Academia Paduana *tractatus ad status pauperum FF. Jesuatorum confirmationem,* quo firmat religiosam eorum professionem, asseritque frui illos omnibus juribus, quae ordinibus aliis religiosis concessa sunt. Extant in fine Bullae Pontificum pro religiosis illis datae, quarum prima est Martini V succedit Eugenii IV, Nicolai V, Pii II, Sisti IV, Innocentii VIII et Alexandri VI Prodiit opus istud Venetiis an 1495 in 4.

Eiusdem *Repetitio rubricae de jurejurando* Venet. 1490 fol.

Eiusdem *Repertorium in opera Abbatis cum nonnullis in eadem materia consimili insertis* fol. an. 1486 sine loci. adnotatione.

Dedit etiam *consilium* super tuitione Montis pietatis, teste Mantua in epitome viror. illustrium. Paruit vero illud in 4 editum Venetiis an. 1498.

ANTONIUS de *Cremona*, Ordinis Minorum, cujus *Quadragesimale* e Waddingo Cangius memorat.

ANTONIUS de *Cucharo*, Ordinis Minor. clarus circa Annum 1500 scripsit *Elucidarium de Conceptione Beatae Virginis Mariae.*

ANTONIUS Constantinus *de Fano,* sive *Fanensis*, in Ovidii fastos scripsit, Venetiis 1502 fol. Ex ejus *Epistola de Camelopardali* ad Galeottam Manfredum Faventinorum Principem, data Fani 1487 plura excerpsit Bochartus lib. 3 hierozoici cap. 21 addito etiam ejusdem ad Laurentium Medicem *Epigrammate.*

ANTONIUS E FANTIS, Tarvisinus, Ordinis Minorum, praeter *sermones* de Sanctis scripsit *Commentaria in primum et secundum sententiarum Scoti*; edita Lugd. 1530, 4 et *Mare magnum Scoticae subtilitatis.* Ejusdem speculum Spirituale rationale, Venetiis 1546 folio. Vide Waddingum pag. 32 Bibl. Ordin. minor. et Henricum Willot in Athenis ejusdem ordinis.

ANTONIUS FIDEI, Florentinus, Carmelita, Episcopus ab A. 1414 ad 1433. Suanensis (*Soana* sub Archiepiscopo Senensi) scripsit *quaestiones Theologiae*, librum de fide Catholica, et ad plebem conciones. Vide Julium Nigrum de Scriptoribus Florentinis p. 59.

ANTONII *Funccii*, quam pag. 179 memorat Sanderus, Chronologia ab Orbe condito nulla fuit, nam Possevinus ad quem provocat XIII. 6 Bibliothecae Selectae, loquitur de Antonii Contii Chronicis Canonibus, quos Corpori Juris Civilis ille adjunxit, et in quibus ait Funccii Chronologiam confutatam, intelligens Chronologiam notissimam Johannis Funccii, Norimbergensis, quam ille An. 1552 dicavit Alberto Seniori Marchioni Brandenburgico, editam Basileae 1554, 4.

ANTONIUS GALATEUS, Liciensis Salentinus Philosophus, Medicus, ac Poëta, Hermolao Barbaro charus et Johanni Joviano Pontano, scripsit praeter Podagrae Encomium, et alia Hetrusca poëmata etiam Latine *de situ Elementorum*, *Quaestiones Physicas*, et *de situ Japygiae* librum, cum *Urbis Calliopolis descriptione*, et *de villa Laurentii Vallae* * editum Basileae 1558, 8 atque inde in tomo nono Thesauri Scriptorum Italiae Burmanniano Lugduni Batavorum 1722 fol. et cum notis Bernardi Tafuri, Patricii Netinensis, in tomo septimo Sylloges, cui titulus: Raccolta d' opuscoli scientifici et filologici. Venet. 1732, 12.mo

* Giornale de' Letterati d' Italia tom. X pag. 523.

* *Antonius Galateus* de Ferrariis Galatone in Salentinis natus, ex quo Galateus, scripsit praeter ea, quae hic indicantur *Epicedium* seu *Epitaphium in Alphonsum Regem* de quo in Ephemerid. Literator Italiae tom. XXIII pag. 403. Liber *de bello Hydruntino* sive de capto Tarento a Turcis an. 1480 et ab Alphonso liberato Latine nunquam prodiit, sed versio italica a Jo. Michaele Martiano publici juris facta est Cupertini an. 1583 in 4 et iterum Neapoli 1612, 4. De Laudibus Venetiarum prodiit curante Dominico De Angelis in vitis literatorum Salentinorum p. 1 pag. 55. *De situ terrarum ad Sannazarium. De Hierosolymitana peregrinatione; et liber de optimo genere philosophandi.* Quaestiones illae phisicae quarum hic meminit Fabricius ex Vossio, forte nihil sunt aliud, quam opuscula de situ elementorum, de maris et aquis et fluviorum origine, quae prodierunt Basilaee an. 1558.

ANTONIUS *Gaynerus,* infra *Guaynerius.*

ANTONIUS GAZIUS, Patavinus, Medicus, anno aetatis 28 scripsit librum de sanitate tuenda, quem *Coronam floridam* appellavit. Liber constat capitibus trecentis, excusus Venetiis 1491 fol. Lugd. 1514, 4 et 1534, 8 item alia, quae apud Merklinum et Mangetum videantur. Vitam perduxit usque ad 1530.

ANTONIUS *Genuensis.* infra *de Rampelogis.*

* ANTONII de S. Georgio, Episcopi Alexandrini, Papae referendarii et S. Palatii auditoris *consilium in Materia Feudi pro comitatu de Fuxo.* Extat in Cod. MS. Felini n. 398.

ANTONIUS GERALDINUS Amerinus, Protonotarius Apostolicus, et Poëta laureatus, scripsit Poenitentiales Psalmos Latino carmine, vide Lud. Jacobillum in Bibliotheca Umbriae p. 50. Bucolica sacra 12 eclogis, in quarum novem prioribus vitam Christi, in reliquis missionem Spiritus Sancti, ultimum judicium, ac vitam beatam describit: impressae sunt a Thoma Anselmo, Phorcae A. D. 1507 et Basileae a Roberto Winter, A. 1534 et Lipsiae a Valentino Schumano quaternionibus quatuor. Scripsit praeterea de Regum Hispaniae rebus gestis, vario carminum genere. Fastos quoque elegiaco carmine. Heroum hymnos lyricis versibus Heroicis, ut de se ipso author testatur. Ejus oratio habita Romae 1486 in obsequio canonice exhibito per illustrem Comitem Tendillae, et Protonotarium Metimnensem, et ipsum Geraldinum, nomine Ferdinandi Regis, et Elizabeth Reginae Hispaniae, Innocentio VIII Papa M. impressa est Romae (opinor) sesquicharta. *Haec Sanderus* p. 188.

* Est mihi libellus bucolicorum Antonii Geraldini eclogarum XII rotundo charactere nitidaque charta, ac puro margine elegans; in fine haec lego. *Incoeptum opus Caesaraugustae an. sal. octogesimo quarto supra quadringentesimum et millesimum Kal. Januariis absolutum XV Kal. martias. Impressum Romae anno sequenti cura auctoris serenissimor. Regis et Reginae Hispaniarum legati VIII idus Junias.*

ANTONIUS DE GISLANDIS, al. *Geslandis, Ghislandis, Ciscandis.* Jacobo Echardo tom. II Biblioth. Dominic. p. 13 *Ghlislandis,* Lombardus, Ord. Praed. et Inquisitor Taurinensis, scripsit Resolutiones 8000 dubiorium Evangelicorum lib. 2 qui impressi exstant. Taurini 1507 fol. Lugd. 1510, 1522, 8. Venet. 1524, 1574, 1585, 1592, 1598, 4. Paris. 1532, 1543, 8.

ANTONII *Godi,* sive *de Godis* Vincentini Chronicon ab Anno 1194 ad 1260, quo extinctus Tyrannus Eccelinus, scriptum An. 1313 editumque cum Alberto Mussato (de quo supra pag. 101) a Felice Osio Venetiis 1636 fol. et in tomo sexto Thesauri Scriptorum Italiae Burmanniani, et tomo octavo Scriptorum Italiae corporis laudatissimi Mediolanensis. Joannes Baptista Pajarinus ait, Antonium Vincentinas antiquitates scripsisse ab Anno 1000 ad 1313.

ANTONIUS GRASELLUS, Venetus, et Presbyter Ecclesiae S. Apollinaris, edidit librum *de recuperanda gratia:* alterum, quem inscripsit *Exercitium spirituale,* Anno 1474 Venetiis. Meminit hujus Franciscus Sansovinus, in suo opere de urbe Veneta, ut a Possevino et aliis jam notatum.

ANTONIUS GUAYNERIUS, (Trithemio, cap. 795 Gesnero et Sandero GAYNERUS) natione Papiensis, Medicinae Doctor, scrip-

sit de aegritudine stomachi lib. 1. De febri lib. 1. De aegritudinibus in generali lib. 1. De pleuresi lib. 1. De fluxibus lib. 1. De arthretica in juncturis lib. 1. De passionibus calculi lib. 1. In tertium Avicennae lib. 1. De aegritutinibus capitis. De peste. De venenis. De aegritudinibus matricis. De balneis. De aegritudinibus juncturarum, Antidotarium. Impressa Lugduni cum additionibus Joan. Falconis 1518 et 1525, 4. Ejusdem De balneis Aquae civitatis in Monteferrato antiquissimae liber, excusus est Venet. apud Juntas 1554 fol. cum aliorum scriptis de balneis pag. 43. Diem obiit in patria circa Annum Domini 1440.

ANTONIUS GUERNERIUS, Medicus Papiensis, cujus Tractatus de mulierum aegritudinibus lucem vidit Anno 1474 fol. Idem, ut videtur, cum superiore. * Ab his omnibus libri a Fabricio recensitis forte diversus est libes inscriptus *Practica Medica*, qui superest in Cod. MS. Biblioth. Riccardianae. Facile etiam auctori adscribendus est liber Antonii Magistri *De abortu*, quem alter codex eiusdem Bibliothecae offert. Vide ejus Catalog. pag. 36.

ANTONIUS JANUENSIS, Ordinis Fratrum Eremitarum S. August. scripsit *Figurarum moralium lib. 1*. Floruit An. D. 1418 et Concilio Constantiensi interfuit. Vide Trithemium cap. 745.

ANTONIUS *Ilerdensis* ex Provincia Aragoniae, Ordinis Minorum, cujus *Collationes pro mortuis* ex Evangeliis et Epistolis per totum Annum, MStae a Waddingo laudantur.

ANTONIUS *Lucensis*, Ordinis Minorum, circa Anuum 1320, cujus *Sermones* Quadragesimales et de Tempore memorat Waddingus pag. 34 Bibliothecae Franciscanorum.

ANTONIUS MANCINELLUS Veliternus, insignis Grammaticus, scripsit Venetiis Saeculo decimo quinto declinante, ubi et opera ejus An. 1493 ad 1498, 4. * impressa reperiuntur, quae ex Gesnero Sanderus commemorat, et Joannes Nortwegus Nomenclatore Auctorum in promtuario Grammatico citatorum, Francofurti 1621, 8 p. 193. sunt videlicet: *Scribendi orandique modus*, recusus Venetiis 1517, 4.to *Vocum proprietas* ex Donato, Aulo Gellio, Asconio Paediano, Macrobio, Rhetoricis Ciceronis, Tusculanis quaestionibus, Vegetio de re militari, Capro, Pompejo Festo, Nonio Marcello, Tullio de Natura Deorum, Tullio de Divinatione, Lactantio Firmiano. *Epitome, seu Regulae Constructionis*, hoc ordine: Personalia verba, Impersonalia, Adverbia localia, Infinita, Gerundia, Supina, Distributiva, Partitiva, Relativa, Interrogativa, Comparativa, Superlativa. Participia, Figurae. *Summa declinationum quinque,* de patronymicis variis. Unus, totus, solus, etc. De numeralibus, De compositis è duobus rectis, recto et obliquo, e duobus genitivis. A qui et quis deducta. Composita pronomina. *Thesaurus de varia constructione* verborum et nominum juxta ordinem alphabeti. *Spica Voluminum quatuor*, *De declinatione*, versibus hexametris. Carmen de generibus nominum: Carmen *de praeteritis*: Carmen *de supinis*. *Versilogus* hexametro versu. *Carmen de floribus,* id est, electis vocabulis. Carmen *de figuris:* unamquamque figuram versibus explicatam, scholia sermone soluto sequuntur. *De poëtica virtute*: *Carmen de vita sua*, patria, parentibus et studiis: *Laurentii Vallensis epitome, portusque elegantiae*, ordine alphabetico. *Lima* elegantiarum ejusdem, secunda auctior editio Venet. 1493 repetita 1505. *Rhetoricen ad Herennium esse Ciceronis, assertio*. Commentariolus *in Rhetorices ad Herennium primum librum*. Venet. 1497 et Coloniae 1535, 4. *Speculum de quatuor virtutibus* carmine heroico, Gymnicus excudit Coloniae, prodiit etiam Basil. 1543, 8. Commentarii *in Virgilii Bucolica et Georgica*, cum Servii, Christophori Landini et aliorum commentariis, impressi Venet. 1507, 1520, 4. Praeter enumerata hactenus opera, extant ejusdem auctoris *Epigrammata* quaedam, recusa in Gruteri deliciis Poëtarum Italorum tom. II pag. 6-11 una cum *distichis praeclaris paraeneticis* ad Festum filium. *Libellus de arte, Donatus me-*

* Haec editio Operum Mancinelli fuit in Bibliotheca Celeb. Viri Theodori Hasaei, Brem. 1752, 8 pag. 555. Exstat illa recusa Basileae 1501 et 1503, 4.

lior, Commentarius *in Odas Horatii*, *carmen Epodon*, *et Seculare carmen*, recusus in poëtae editionibus Paris. 1511 Venet. 1540 et 1553 Basil. 1586 fol. cum aliorum commentariis. Commentariolus *in Somnium Scipionis*, separatim etiam Daventr. circa A. 1510, 4. *Lexicon de verborum significatu. Centiloquium. Joannis Tortellii lima quaedam.* Annotationes *in Svetonium*, excusae, et *in Juvenalis Satyras.* Antonii Mancinelli *latini sermonis emporium*, in quo pleraque e Terentio aliisque probatissimis auctoribus collecta exponuntur, typis escriptum est Venet. apud Fr. Bindonum, A. 1550. *De assumtione B. Virginis* ex sermonum decade edita Parisiis 1511, 49 in Bibliotheca Mariana Petri de Alva et Astorga, Madrit. 1648 fol.

* Est mihi prae manibus operum Ant. Mancinelli editio duplex; altera Mediolanensis annor 1503, 1504, 1505, 1506 alia Veneta annor. 1519, 1521. Utramque diligenter excutiens, haec habui peculiaria quae in additamentis hisce scribam: Principio quidem de auctoris vita hoc lego carmen, quo tota describitur.

Ter septem fueram solummodo natus ad annos.
Cum mihi mercedem patria grata dedit.
Quattuor hinc hyemes ter legi peste fugatus,
Sermonetanis annua musa fuit.
Quinque per autumnos vidit me Roma legentem;
Phanenses anno me sonuere lares.
Inde duos annos, Venetum totidemque Kalendas
Excolui pubem dogmata nostra docens.
Quattuor in patria Venetis deductus ab oris.
Edocui messes Gallica tela tremens.
Binas jam hic hyemes Orvinae grammata pubi
Nostra placent, doceo quemque libenter ea;
Inde mihi merces studioso publica nunquam
Defuit ex illo tempore, quo docui.

Antonii Mancinelli vita 1500.

Quadragiata octo Lachesis mihi contulit annos.
Conferet ulterius; Calliopea notet.

Natus est igitur Mancinellus an. 1452. Quo vero ordine singula opuscula dederit ipse pariter declarat in vitae sylva, quam scribebat an. 1492 his versibus.

Verborum regimen variatos, spica, figurae
Thesaurus: flores hic vigilata prius.
Gymnasium post Roma dedit: Commenta Maronis:
Tum satyri: hinc Flacci: versilogumque paris.
Pomponj hortatu Venetas deductus ad oras.
Laurenti limam scribis; et inde modum.
Somnia quis major declaras Scipio visus:
Rethoricemque simul, vel Ciceronis opus.
In patria speculum de moribus, officiisque.
Sermonumque decas scribitur: hortus item.
Lexicon: Emporium, diversa epigrammata: Persi.
Sollni: Aeneidos: glossaque fit Valeri.

Scribebat haec author an. 1492. Anno vero 1500 opusculum de regulis constructionum et summam declinationum quinque jam novies prodisse Romae, Venetis, Mediolani etiam atque etiam, et Lugduni *ut ferebatur*, ipse scripsit in epistola regulas Constructionis praemissa. Ex quo suspicari licet primam operis impressionem, saltem quorundam non Venetam, sed Romanam fuisse. Quin et hoc asserit non obscure idem Mancinellus in epistola praemissa eiusdem regulis constructionum ad Nicolaum Rubeum data an. 1492 in nova impressione eiusdem opuscoli Veneta, quam anno sequenti perfecit, quamque Fabricius habuit pro priori. *Et si Romae*, scribit, *alias editae et impressae jampridem fuerint construtionis regulas, et summam quamdam declinationis; de varia constructione thesaurum; Venetiis itidem imprimi volui.* Epistolam hanc frustra quesivi in edit. Veneta an. 1521. Quae alioqui editio auctior est caeteris ex recensione authoris paulo ante obitum perfecta, ut ibidem expressum est. Licet vero in prioribus editionibus *summae declinationis* nihil adiunctum reperitur, sicut nec apparet in Mediolanensi anni 1504. Veneta tamen habet annexum Lexicon, seu ut ibi scribitur *summam declinationis, lexicon;* quod opusculum praecedit epistola data Romae an. 1500. Hoc vero lexicon ex secuudis authoris curis, in hac ipsa impressione Veneta an. 1521 primo prodivit; a Fabricio tamen omittitur.

Thesaurus de varia constructione idem est in omnibus editionibus.

Spica voluminum quatuor habet Ascensii expositionem in editione Veneta, cujus supra memini. *Versilogus* habet item adiunctam Badii Ascensii expositionem in eadem Veneta editione, sicut etiam expositio eadem recurrit in Carmine *de floribus et de figuris.* Libellus *de poetica virtute* idem est in omnibus editionibus, sicut et *vitae sylva*, seu carmen de vita sua. Caetera opuscula a Fabricio indicata nihil mo-

ror; quaedam tantummodo adiicienda, quae viro docto exciderunt. *Speculum de quatuor virtutibus* Carmine heroico scriptum et *distica paracnetica* ad Festum filium, quae Fabricius tamquam duo diversa distinguit, unum idemque sunt opus. Deest in Fabricio *Catonis carmen de moribus* ab eodem castigatum et commentario illustratum, cui in Collectione Veneta accedit commentarius alter Ascensii. Desunt pariter *solemnia festa totius anni* distichis expressa, libellus *de parentum cura in liberos*, et alter *de filiorum obedientia* erga parentes, *oepolium eclogarum quattuor, Cassitae fabula colorum nomina* et *de coronis*, *in Solinum* commentarius atque *decas Sermonum*; quae omnia ab illo scripta discimus in Carmine de Vita sua, tum etiam exprimuntur in primo folio opuscul. de Regulis constructionis editionis Mediolanensis an 1504. Adde ex editione nostra Veneta *Platonis sententias* itidem *Aristotelis sententias.*

ANTONIUS MARIA VISDOMINUS, sive *Vicedominus*, scripsit librum *de otio et Sibyllis:* adjecta sunt etiam varii *elegi*. Liber impressus Bononiae, A. 1500 4. Idem Simlero teste scripsit Commentaria in Tragoedias Senecae.

ANTONIUS, ab A. 1430 Episcopus MASSANUS in Hetruria, Ordin. Minor. minister Generalis, de quo multa Waddingus tom. V. Annal. Ejus *adversus Graecorum errores* exstabat in Bibliotheca Cardinalis Sirleti, quam deinde Ascanius Cardinalis Columna est assecutus. Huic Antonio Waddingus etiam tribuit *Officium S. Caerboni*, sui in Ecclesia Massanensi praedecessoris.

ANTONIUS A *Matelica*, Ordinis Minorum, Picenus (licet Henricus Buillot eum confundit cum Bituntino) *Postillam* ad omnes lectiones veteris et novi Testamenti, quae in sacris Liturgiis recitantur, e *Lyrano* contexuit, additis de suo *quaestiunculis. Sermones* item Dominicales, qni Anno 1495. Argentorati prodierunt: et *commentarios in libros quatuor Magistri Sententiarum* Nicolao V Pontifici maximo dicatos. *Summam casuum conscientiae.* vide Waddingum p. 35.

ANTONIUS *Melius*, Monachus Cremonensis Augustinianus, ac Doctor Parisiensis, post A. 1517. Cremonae diem obiit. Scripsit *de potestate absolvendi et dispensandi.* Item librum cui titulus, *Scala paradisi:* et alium *de vero et legitimo intellectu Privilegiorum*, ac *Elementa juris Canonici.* Praeterea *de usuris. De casibus reservatis.* Gregorii quoque Ariminensis opusculum de impraestantiis sive imposturis Venetorum dicavit Innocentio Astensi. Vide Elssii encomiasticum Augustinianum pag. 82 et 319,

* Ant. *Melius* non Cremonensis, ut habet Fabricius sed Cremensis, scripsit opusculum *de potestate dispensandi*, *et absolvendi in casibus reservatis.* Quare duo distincta Opuscula ex uno eodemque imperite Bibliothecarius noster confecit. Prodiit Lipsiae an. 1525 in 4.

ANTONIUS *Moncliauus*, Ligur, Ord. Minorum, edidit opus, quod inscripsit, *Sursum corda*, et commentarios *in mysticam S. Dionysii Theologiam* A. 1522 Bonon. apud Hieron. Benedictum.

ANTONIUS *de Montefalcone* Umbriae opido Ord. Minor. scripsit *Vitam S. Clarae* conterraneae suae, de qua Acta Sanctorum 7 Maji, et Waddingus tom. III Annal. ad An. 1308 et 1491 num. 65.

* *Antonius de Nateriis Episcopus Feltrensis et Bellunensis in studio Papiae legens* A. D. 1392. Eius repetitio cap. de judiciis et altera item ejus repetitio superest in Cod. 419 MS. Felini.

ANTONIUS *De Nomis*, e Marciala, Tuscus Aug. Ordinis Theol. *e libris S. Augustini* quaedam capita totius paene sanctae scripturae tractationem continentia, collegit, quae praenotavit *flores Doctorum S. Patris Augustini.* Exstat in Bibliotheca S. Spiritus, Florentiae, ubi ipse decessit An. 1438. Eum saepe Oratoris munere functum fuisse pro Rep. Florentina scribit Michaël Pocciantius.

S. ANTONIUS *de Padua*, ante Monachatum Ferdinandus, Lusitanus, inter primos S. Francisci sodales, Ulyssiponensis, defunctus Patavii 13 Junii Anno 1231 aetat. 36 atque proximo insecuto Anno Sanctis adscriptus a Gregorio IX atque *Arca Testamenti* appellatus est. Vide infra, STERO, Cherubini bullarium tom. I, pag. 100 et

tom. II. pag. 517. Surium et Acta Sanctorum 13 Junii, Waddingum tomo I Annalium libro V. Theophilum Raynaudum tomo VIII Operum. Omitto *Novenam* hujus Antonii, sive revelationem, qua dicitur An. 1617 foeminae cuidam Bononiensi persuasisse, eos omnes, qui per IX dies Martis, in honorem totidem Ordinum Angelicorum, peccata sua essent confessuri, et S. Antonii altare visitaturi, certissime exaudiendos, votorumque suorum compotes futuros esse. Quam superstitionem duobus scriptis confutavit Hermannus Conringius, Helmstadii 1675-1677 4 adversus Capucinum Dionysium Werlensem. a) Eloquentiam S. Antonii admirati sunt, qui eum audierunt, hodie qualis illa fuerit licet quodammodo b) cognoscere ex ejus *Sermonibus Quadragesimalibus*, et *de tempore*, Parisiis 1521 et cura Raphaëlis Maffaei, Venetiis 1575 8, nec non *Sermonibus de Sanctis. Expositionem Mysticam in omnes fere Sacrae Scripturae libros*, et *Concordantias Morales Sacrae Scripturae* libris V vulgatas a Waddingo, Romae 1624 adjunxit Johannes de la Haye, qui Antonii hujus et S. Francisci Opera edidit Parisiis 1641 fol. Confer Nicolaum Antonium lib. VIII. Bibliothecae veteris Hispanae c. 2. tom. II, pag. 33 et Hendreichium pag. 216. Denique sermones quosdam antea ineditos in lucem dedit Antonius Pagi, Avenione 1684 8.

ANTONIUS, Poëta a Sigismundo Imperatore laurea ornatus, et JCtus, Eques ex familia Beccatellorum Bononiensium, natus Panormi Siciliae, atque inde notus nomine *Panormitae*, diem obiit Anno 1471 aetatis 78. de quo praeter Jovium, et elogia Sicula Hieronymi Ragusae, Nicolaique Toppii Bibliothecam Neapolitanam in *Antonio Bologna*, et Petri Baelii Dictionariun in *Panormita*, vide sis Antoninm Mongitorem de Scriptoribus Siculis tomo I, pag. 55 seqq. Celeberrimi sunt Panormitae *libri quatuor de dictis et factis Alphonsi*, Regis utriusque Siciliae et Aragoniae, cujus secretioris scrinii Magister fuit, et de quo supra pag. 197, ubi et de *Æneae Sylvii* compendio, quod ex Panormitae libris composuit, cum quo prodiere Basileae 1538 4. Witebergae 1585 4. Rostochii 1590 4. Davide Chytraeo curante, et Hanoviae 1611, 4 additis etiam *Jacobi Spigelii* scholiis, ut Hispanam versionem Joannis de Molina, Burgis 1530 et Caesar-Augustae 1553, 4 vulgatam omittam. Mille aureos praemium ab Alphonso Panormitam tulisse notavit Joannes Jovianus Pontanus libro de liberalitate cap. 29 tomo I. Operum pag. 328 cujus etiam Dialogus *Antonius* tom. II, pag. 1196 seq. ad hujus Panormitae laudes pertinet. Ejus *Epistolarum* libri V cum *Orationibus* II ad Ligures et Alphonsum Regem, et *Carminibus* Panormitae prodiere Venetiis 1553 4.to. Aliae *Orationes duae* ad Caëtanos et Venetos de pace, exstant apud Barthol. Facium de rebus gestis Alphonsi, Lugduni 1560, 4 lib. 3 pag. 103 et lib. 9 pag. 259. Aliae *Epistolae* quoque in libro an. 1586, 8 cui titulus: *Regis Ferdinandi et aliorum Epistolae*, ac *Orationes utriusque militiae*. Oratio *in Coronatione Friderici III*. quam An. 1452 Romae habuit, exstat in Freheri Scriptoribus Germaniae tomo III statim sub init. repetita ex veteri Veneta editione. Carmen cui titulum fecit *Hermaphroditum*, ne Pogio quidem probatum propter lasciviam, dicatumque Cosmo Medices MStum adhuc servatur. Caetera Mongitori memorata, nescio an affecta interciderint, Commentaria in Plautum, poema elegiacum in Rhodum, Tragoediae et librum de rebus gestis Ferdinandi Regis, et Oratio in laudes Ambrosii Isfar, Abbatis S. Martini apud Neapolitanos. *Laurentii Vallae* bilem in Antonium effusam licet videre libro quarto in Barthol. Facium pag. 593 seqq. Operum, quem tamen in libris de vero bono pag. 898 singularibus laudibus mactaverat.

ANTONIUS *de Parma*, Ordinis Camaldulensis Prior generalis, Concilio Constantiensi Prior generalis, Concilio Constantiensi interfuit, quod celebratum constat ab Anno 1414 ad 1418. Laudantur a Trithemio cap. 747 ejus *Sermones* de tempore, de Sanctis et per Quadragesimam.

a) Vide D. Joannis Fabricii Theologi Helmstadiensis Bibliothecam tom. IV, pag. 594 et Joannis Henrici van Seelen Delicias Epistolicas pag. 414.

b) D. Ittigii praefat. ad B. Tilem. Andreae Rivini GOTT. *Gevvidmete Vesper-Stunden*, Lipsiae 1694 4.

ANTONIUS *de Rampelogis*, Januensis, sive Genuensis Augustinianus, Patavii, Bononiae, Genuae docuit, et circa Annum CHristi 1400 ad 1418 scripsit *Repertorium Biblicum*, sive Compendium figurarum Biblicarum ordine alphabetico: excusum Coloniae 1505, 4. *Sermones, Quadragesimale, Casus Cosceintiae.* Vide Elssium pag. 77.

* Ant. *de Rampegolis* Genuensis opus inscriptum *Aurea Biblia* prodiit ulmae per Joannem Zemer de Rutlingen in 4 anno 1475 Codicem hunc offendi in Bibliotheca Coenobii Benedictinorum Viennensium S. Mariae ad Scotos, et quantum tunc intelligere potui, idem est opus ac figurae ejus Biblicae. Quod animadvertisse operae praetium duxi, quia P. Dominicus Gandolphus Genuensis in sua Dissertatione historica de ducentis Scriptoribus Augustinianis excusa Romae in 4 A. 1704 ambiguum se versari ait an aurea Biblia a Gesnero laudatum opus, idem omnino sit cum figuris, sive aliud longe diversum. Porro apud illum antiquissima impressio Aureorum Bibliorum est Parisiensis A. 1513 in 4.

ANTONIUS Harena, *Raudensis*, Philippo Picinello in Atheneo Scriptorum Mediolanensium pag. 48 *Antonius Rho* Mediolanensis, Ordinis Minorum, tenui loco natus, unde Albertus Sartianus ei dicavit opusculum, *quod nihil nocet ad virtutem, humili loco nasci.* Laurentii Vallae primum amicus, cui etiam in Dialogis tribus de Voluptate vero Bono primas partes Valla tribuerat, deinde ejus indignationem incurrit, quod in scripto quodam Latinam eloquentiam professo visus esset Vallae elegantias contemsisse, illasque reprehendisse: itaque ad Joannem Lucinam Alphonsi Regis Secretarium edidit adnotationes in errores Antonii Raudensis, quae cum elegantiis saepe recusae, etiam in Operibus Vallae leguntur pag. 390 seqq. Obiit Valla Anno 1454. Raudensis hic idem est, qui *Lactantio* multos errores objecit, acriter eo nomine reprehensus ab Adamo Genuensi; et Francisco Philelfo, ut notare me memini in libro de veritate Relig. p. 232.

* Scripsit etiam orationem in laudem Philippi Mediolanensis principis, quam Petrus Candidus Decembrius in multis arguit in libro VIII suarum Epistolarum, quae sane epistolae adhuc in MSS. latent. Vide Card. Quirini Diatribum praeliminarem ad Epistolas Barbari pag. 530. Praestat hic addere quae de hoc Antonio scripsit Jo. Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum ad an. 1430. « *Antonius Ruudensis* natione Mediolanensis Ord. Minorum theologus clarissimus, et omnibus disciplinis non mediocriter eruditus hac ipsa tempestate floruit qui et ipse, ut in omnibus se doctum ostenderet, singulorum quorumcumque tum Oratorum Paganorumque Theologorum opera ferme explanare voluit, et quam maxime Lactantium virum doctissimum emendare tentavit, quod melius et dignitati et religioni suae fuisset ab illiusmodi scribendi genere se continuisse, quam contra tantum virum doctissimum, et disertissimum invehere. Eam ob rem quasdam invectivas contra se provocavit. Ad hunc rogatus Philelphus vir doctissimus litteras dirigit commonefaciens ut Augustinum Patrem imitetur, quia et ille etsi sanctus et sapientissimus fuisset, quae imprudenter erravit, tamen retractare curavit.»

ANTONIUS *de Rosellis*, sive *Roxellis*, Aretinus JCtus, qui obiit Patavii Anno 1467 teste Trithemio, scripsitque *Monarchiam Mundi* libris III hoc est de potestate Imperatoris, Papae, ac Concilii, et an apud Papam sit potestas utriusque gladii, et de materia Conciliorum. Venetiis 1485 fol. Et in Jure Civili *de successionibus*, *de legitimatione spuriorum* etc.

* In MS. Codice Felini num. 183 extat eius *expositio super Decreto Gratiani et lectura in materia leg. ff. de re judicata.* In altero etiam codice 184 sunt *repetitiones Canonum* eiusdem authoris. Porro authori huic negocium facessivit liber eius *de Monarchia*, qui catholicos scriptores plures armavit, censurasque ecclesiasticas in caput eius induxit. Nicolaus Francus Tarvisinus Episcopus et in toto Veneto dominio Apostolicus legatus, in suis constitutionibus de reformatione pro tota legatione sua datis an. 1491 mandat, ut infra statutum tempus librum MS. *de Monarchia*, si quis penes se habuerit, sub anathematis poena comburat. Has constitutiones ex MS. codice Tarvisino in meo Conciliorum supplem. tom. VI dedi.

In Cod. MS. Felini n. 184 legitur *solemnis Repetitio famosissimi Juris utriusque Doct. D. Antonii a Rosellis legentis ordinariam Decreti Paduae A. D. 1461. In cap. Quod autem de poen. et remiss.* Eius est etiam Tractatus de *jeiuniis* ad Paulum II Pontificem. Editus fuit vetustissimis typis sine loco et anno in 4.

M. ANTONII *Torquati*, Medici et Astrologi Ferrariensis *prognosticon de eversione Europae* ad Matthiam Hungariae Regem ab An. 1470 ad 1538 exstat in Freheri scriptoribus rerum Germanicarum tomo II pag 38.

ANTONIUS TROMBETTA, sive TUBETTA, Patavinus, Ordinis Minorum, Patavii Metaphysicam professus per annos XLII inde Archiepiscopus Athenarum et Episcopus Urbinas, scripsit *formalitates e doctrina Scoti.* Obiit An. 1518.

ANTONIUS *Pacini*, a) TUDERTINUS, ex Tuderto Umbriae opido Doctor in Academia Florentina Laurentii de Medicis, *Vitas* quasdam *Plutarchi,* (vide ANT. *Becharia*) vertit Latine circa Annum 1465 b) non satis certum tamen quas, cum ad Lapum illarum quaedam referantur. Praeterea Oxoniae MS. servatur ejus *Oratio in laudem Florentiae:* et *Consolatio ad Archiepiscopum Capuarum Cardinalem de obitu fratris.*

* Quasnam Graecas Plutarchi vitas verterit Lapus, quas vero Antonius Tudertinus optime distinguit MS. Codex. Bibl. Caesenatensis Malatestarum, in quo singulae vitae cum nomine singulorum interpretum, et ad singulas cum eorumdem interpretum praefationibus describuntur. Has igitur dedit Tudertinus. Pelopidis cum praefat. ad Julianum Caesarinum S. R. E. Card. tit. S. Sabinae. Camilli cum praefat. ad Laurentium Medicem. C. Marii cum praefat. ad Aloysium Archiep. Florentinum. Fabii Mariani cum praefat. ad Card. Morinensem. Vitas a Lapo versas latine has exhibet Codex. Periclis cum praefat. ad Joannem Vitellescum Archiep. Florentinum et S. R. E. Card. Solonis cum praefat. ad Eugenium IV Valerii Publicolae cum praefat. ad Jordanum Cardinalem. Artaxersis, Arati. Card. Papiensis judicium de versionibus Antonii Tudertini habes in epistola eius 102 ad Donatum Acciajolum.

Oratio vero illa in laudem Florentiae, quam Fabricius ex MS. Oxoniensi laudat, est etiam in codice servato apud virum humanissimum Marium Micheli Cathedralis Ecclesiae Lucensis Canonicum, eamdemque mecum comunicatam reperi dictam ab Antonio esse, cum novi Magistratus munus suum inirent, est autem non in laudem Florentiae tantummodo sed et Florentinorum. Incipit *Maximum et amplissimum munus* etc.

ANTONIUS de Balocho, dioecesis *Vercellensis*, Ordinis Minorum, scripsit *quadragesimale* duplex, unum *de duodecim Mysteriis Christianae fidei*, et alterum *de aeternis fructibus Spiritus S.* Venet 1492. Lugd. 1504 et librum *de Virtutibus* Hagenoae 1513, 4. Vide Waddingum p. 29.

ANTONIUS *Zarotus* Parmensis, quo curante Horatius Anno 1470, 1474 prodiit.

* Nescio cur iste obtinere possit locum scriptoribus operum assignatum, compertum enim mihi est primas tenuisse illum inter typographos illustres Mediolanenses et quidem triginta solidis annis et quod excurrit. Nam anno 1470 artem suam exercere illum coepisse et Fabricium hic admonet, et Saxius in historia Literario-typographica Mediolanensi confirmat. Sed et adhuc anno 1505 nondum ab impressione librorum cessasse productis documentis idem Saxius demonstrat. Lege ibid. pag. 94.

ANTONIVS *Zeno Policola*, Venetus, scripsit de natura humana, et de Embryone, ad Senatum populumque Venetum, Venetiis 1491, 4 item libros septem, Planetarum nominibus inscriptos, de reliquis humanae vitae aetatibus. *Sanderus.*

Petrus APOLLONIUS *Collatius*, presbyter Novariensis circa An. C. 1481 scriptor variorum poëmatum, de quibus dixi in Bibl. Latina IV 2.

APONIUS *in Cantica*, citatur ab auctore veteris collectionis de virtutibus et vitiis apud Mabillonium fol. 62. Analect. et ab Angelomo ac Beda in Canticum, pluribus locis. *Libri sex Commentariorum ejus in Can-*

a) Giornale de' Letterati d' Italia tom. XVIII pag. 353.

b) Ibid. tom. XV, pag. 321.

tica Canticorum, desinentia in Cantic. IV, 7 ad virum desideriorum, servum Christi, Armenium presbyterum, edita a Joanne Fabri, prodiere Friburgi Brisgoiae 1538 fol. cum *Udalrici Regii* censura locorum quorundam, et *Lucae* Abbatis Praemonstratensis qui circa A. 1133 scripsit, *summariolis in Apponii commentarios,* ad B. Milonem, Morinensem Episcopum. Utraque recusa in Bibl. Patrum Parisiens. Colon. tom. IX et Lugd. tom. XIV p. 128.

APRIGIUS, sive APRINGIUS, circa A 540 Pacensis, sive Pacis Juliae, seu Augustae, *(Badajos,)* in Hispania Episcopus, de cujus *commentario MS. in Apocalypsin,* sed a capite VI ad XVII manco ac utcunque suppleto ex Victorino, et Isidoro, vide Nic. Antonium lib. IV. Biblioth. Hispanae c. 2 tom. I p. 210 sq. Non ita praeclare de hoc Commentario opinatur cel. Mosheimius pag. 356 Hist. Eccles. qui tom. VI Bibl. Brem. p. 749 testatus est, se nactum illius Codicem An. 1030 scriptum Barcinone, qui fuerit Ariae Montani. Etiam in *Cantica Canticorum* scripsisse Aprigium notat Trithemius c. 211. Sed non meminit Isidorus Hisp. c. 17.

Petrus de AQUILA, sive AQUILANUS, Ordinis Minorum, et ab An. 1344 Inquisitor Fidei apud Florentinos, scripsit circa A. 1337 *quaestiones in quatuor libros sententiarum,* editas primum Spirae 1480 deinde curante Constantio Sarnano, tunc Patavini Gymnasii Lectore, postea R. E. Cardinali, Venet. 1584. Paris. 1585, 8.vo Hic Sarnanus Aquilano primum nomen SCOTELLI indidit, quod perinde ut *Doctoris Sufficientis*, inter Scholasticos ei haesit. Vide Oudinum tom. III p. 803 sq.

ARATOR Ligur a) relictis foro aulaque subdiaconus Romanus, *Floriano* Abbati dicavit et *Vigilio* Papae b) obtulit. *Actus Apostolorum Petri et Pauli versibus expressos hexametris* libris II, quorum posterior incipit ab Actorum capite XIII. Hos Anno Christi 544 cum applausu publico recitatos notat ex veteri Codice Vaticano Labbeus tomo I Bibliothecae novae MSS. pag. 688. Prodiit cum Commentariis *Arrii Barbosae*, Lusitani, Salmanticae 1516 fol. et sine illis inter Poëtas Christianos *Aldi* Venetiis 1502, 4 et *Georgii Fabricii* Basileae 1562, 4 nec non in Bibliothecis Patrum: et cum Sedulio ac Juvenco, Mediolani 1469, 8 Lipsiae 1515, 4 Lugduni 1553, 1588, 12 et ex *Theodori Pulmanni* emendatione, Basileae 1537, 1551, 8 separatim quoque Argentorati 1507, 8. Coloniae 1573 forma minore, et sine anni nota et loci in 4,to ut dixi in Bibliotheca Latina III 2, 12.

Spero et ipse novam me daturum editionem Aratoris emendatam ex Codice Cantabrigiensi, cujus Lectiones communicavit mecum vir illustris ac doctissimus Ericus Benzelius, Episcopus hodie Lincopensis dignissimus, a quo praeclaram Philonis Judaei editionem jampridem exspectamus. Aratori praemittere animus est Acta Apostolorum Graece et Latine expressa e Codice Laudiano ad editionem Thomae Hearne, Oxoniae 1715, 8. eique adjungere florum sparsionem ad eadem Acta et ad Grotii in illa commentarios, lustrantem veterum loca a Grotio passim laudata, praeludentemque simili labori in universum Novum JESU CHRISTI Testamentum. In Usuardi Martyrologio prid Kalend. Julii, elogium de Aratore neutiquam expungendum esse, adversus Sollerium Jesuitam D. Bouillartus, Benedict. Presbyter, recte contendit in praeclara sua Usuardi editione Paris. 1718, 4. Dictio, sive suasoria nona Ennodii Ticinensis est *de orbo parentibus Aratore, quem Laurentius Archiepiscopus Mediolanensis suscepit.* De hoc Laurentio vide sis Acta Sanctorum 27 Julii tom. VI pag. 435 seq. Idem Ennodius in natalem infantis Aratoris:

> Jure colis proprium natalem, pulcher Arator,
> Qui, si non coleres, numquid Arator eris?

Carmen Elegiacum Aratoris *ad Parthenium* sororis Ennodii filium, Virum illustrem, a quo ad poësin sacram excitatus inprimis fuerat, edidit Sirmondus An. 1611 ad calcem notarum in Ennodium, et tomo I. Operum pag. 1911. atque de hoc Parthenio vi-

a) Athalaricus Gothorum Rex in scripto, quo Comitem privatorum constituit Aratorem: *Mittit et Liguria Tullios suos.*

b) Adde Sirmondum ad Ennodii lib. IX Epist. 1 ad Aratorem. Philippi Picinelli Atheneo de' Letterati Milanesi pag. 53.

dendus est ad librum sextum Epistolarum Ennodii, idem pag. 1494 seq. Idem Carmen obvium in Bibliotheca Patrum Lugdunens. tom. X, pag. 141. Plura loca Aratoris emendat et illustrat Caspar Barthius in Adversariis, ut jam notatum clariss. Leysero de Poetis medii aevi pag. 147 seq. Aratoris *Epistolae* MSS. memorantur a Thomasino in Bibl. Patav. pag. 25.

ARCHANGELUS, Neapolitanus monachus S. Trinitatis Cavae, congregationis Casinensis, alioqui S. Justinae de Padua: scripsit *Historiam Monasterii Cavensis*, quae est in monasterio Cavensi MS. sed adhuc tamen imperfecta. Haec Arnoldus Wion in Ligno Vitae tom. I, pag. 403. Venetiis 1595. 4.to.

ARCHARDUS, Monachus Cisterciensis et novitiorum sub S. Bernardo director circa An. 1140 praeter sermones breves ad Novitios suos, scripsit *vitam S. Geselini* Eremitae editam ab Arnoldo Raisio Duaci 1626 12.mo

ARCHITHRENIUS. vide JOHANNES *Hanvillensis.*

ARCIMBOLDI Mediolanensis, Catalogus haereticorum citatur a Cangio, eundem Hendreichius tribuit Archiepiscopo Mediolanensi hujus nominis, aitque lucem vidisse An. 1554. Quia hunc Catalogum non vidi, nescio an referendus sit ad Vidonem Antonium Arcimboldum, qui Ecclesiae Mediolanensi praefuit ab An. 1488 ad 1497 vel Joanni Angelo Arcimboldo tribuendus Legato Leonis X in Germaniam, patronoque Jo. Tetzelii, indulgentiarum institoris, ac deinde Episcopo Novariensi, ac denique ab An. 1550 ad 1555. Mediolanensi Archiepiscopo.

ARCULFUS, vide supra in Adamanno pag. 15. Apud Anonymum Mellicensem de scriptoribus Ecclesiasticis cap. 29 hic pro Arculfo dicitur ARTWOLFUS.

ARDERICUS saeculi decimi scriptor Nicolao Carminio Falconi V. C. auctor videtur *Collectaneorum Historicorum*, quae sub nomine *Anonymi* Salernitani edidit celeberrimus Muratorius parte priore tomi secundi scriptorum Italiae p. 281 seq. Mediolani 1723 et quorum *paralipomena* deinde *ab* A. 760 *ad* 960 exhibuit parte posteriore p. 159 ibid. 1726 fol.

ARDO *Smaragdus*, Scriptor *vitae S. Benedictini Anianiensis*, et fortasse aliarum quarundam lucubrationum. Vixit circa A. 863. Vide infra SMARAGDUS.

ARGINI Parmensis epitome ex libris Diogenis Laërtii de vitis Philosophorum, MS. in membrana, fuit in Bibl. illustris Ehrencronii pag. 433.

ARIALDUS Cassinensis Presbyter circa Annum 1080, quem eleganti sermone tractatus quosdam scripsisse ait Petrus Diaconus cap. 22 nullum autem nominat.

ARIALDUS Diaconus Mediolanensis, a quo *Arialdistae*, qui concubinariorum libidines cum legitimis confundentes nuptiis, ambas pariter damnabant, contrariamque sententiam infamabant nomine Nicolaitarum. Vide G. Calixtum de conjugio Clericorum pag. 567 seqq. Arialdus, cujus mox sententiam Pontifices Romani approbarunt, Coelibatus Sacerdotum acerrimus propugnator interfectus An. 1066 et cum Herlembaldo adscriptus Sanctis. vide Acta Sanctor. 27 Jun. tom. V, pag. 279 seqq. Pagium ad A. 1058 n. 3 An. 1061 n. 5 An. 1066 n. 9 ubi de Arnulpho Mediolanensi, qui contra Arialdum scripsit et ad Annum 1076 num. 8.

ARIBO, sive *Erbo*, Germanico nomine *Erbe*, * Latino *Haeres*, Graeco *Cyrinus*, Ordinis Benedict. et ex Abbate S. Dionysii Schlechdorfiensi Episcopus *Frisingensis* ab Anno 760 ad 783. Scripsit *Vitam S. Corbiniani* primi Frisingensis Episcopi. Exstat apud Surium 8 Septembr. et in Mabillonii Actis Benedictinis Sec. 3 pag. 500. Vita *S. Emmerani* Pictavorum Episcopi, apud eundem Surium 22 Septembr. De hoc Emmerano vide infra, ARNOLDUS Emmeran. et MEGINFREDUS.

ARIBO ex gente Comitum Summontarianorum (de Hohenwart) Archiepiscopus *Moguntinus* ab Anno 1021 ad 1031 praefuit Concilio *Moguntino* Anno 1023 et *Selgenstadensibus* An. 1024 et 1026 atque praeter *Epistolas* ad Bernonem Abbatem, laudatas Trithemio cap. 309. Scripsit *Commentarium in Psalmos graduum*, quem memorat Sigebertus cap. 140. Plura de hoc Aribone Ge-

* Vide Velserum III. Rerum Boicarum pag. 508.

orgius Christianus Johannis ad librum V. Nicolai Serarii, tomo I. Rerum Moguntiacarum pag. 463 seqq.

ARIBO *Musicus*, qui post Wihelmum Abbatem Hirsaugiensem, hoc est post Annum 1090 scripsit *Musicam*, eamque Episcopo suo consecravit.

Aribo tractatum depinxit Musicus istum,
Atque dedit dono Pontifici proprio.

Vide Anonymum Mellicensem de Scriptoribus Eccles. cap. 106.

ARIULFUS, sive HARIULFUS, Abbas ab A. 1105 in Flandria Aldeborgensis, antea Monachus Centulensis, sive S. Richarii in Gallia, quo tempore *Cronicon Centulensis* monasterii, usque a temporibus Clotharii Regis coeptum a SAXOWALO, perfecit librisque IV absolvit A. C. 1088. Edidit hoc primum Dacherius tomo IV spicilegii, in cujus operis nova editione emendatius integriusque est recusum tom. 2 fol. 291. *Angilberti Vitam* ex libro secundo hujus Chronici repetiit Mabillonius sec. IV. Benedictin. pag. 91, qui alia etiam hujus Ariulfi publicavit, ut praeter *Epitaphium* et *Carmen* in Analectis tom. I, pag. 431 (edit. novae pag. 378.) libellum *de miraculis S. Richarii*, ad Radulphum Remorum A. 1110 sec. V, pag. 465 et *Vitam S. Magdelgisili* ad Gervinum Ambianensem Episcopum sec. IV 2 p. 537 quae exstat etiam in Actis Sanctor. 30 Maji tom. VII, pag. 265. Vita *S. Arnulfi* Svessionensis Episcopi, interpolata a Surio, et omisso triplici prologo vulgata, XV. Augusti sub falso nomine LISIARDI, qui Arnulfo successit. Vita *B. Gervini*, Ariulfi in Aldenburgensi Abbatia decessoris in Actis Sanctorum 17 April.

ARLOTTUS Vicentinus de *Rainone*, sive *Raynone*, Vir nobilis et eloquens, Vicentini populi res contra Patavos, sive Patavinos gestas fidemque erga Caesarem diserto stylo tradidit, indignantibus Gibellinis, quorum factione in exilium missus est, et magna ejus historiae pars combusta, capitalisque poena et legentibus imposita est, ut ex Jo. Baptista Pajarino jam notavit Vossius pag. 696.

ARLOTUS *de Prato* Tusciae opido, Ordinis Minorum Generalis, obiit Anno 1287 Hic *Concordantias Biblicas* scripsisse traditur ab Albicio, et ex ejus libro Conformitatum, quem An. 1389 absolvit, notavit Oudinus tomo III pag. 569. Arlotique hujus esse putat Concordantias Latinas, quae post editiones Norimbergensem 1485 Bononiensem 1486 Frobenianas Basileenses 1496 1525 et 1543. et Parisiensem Roberti Stephani 1555 toties recusae sine auctoris nomine variis in locis, *Hugoni de Caro* tribuuntur ab Antonino Florentino aliisque. Alii referunt ad *Conradum Halberstadiensem*, vel *Richardum Stavenesby*, vel ad *Johannem de Derlingtonia*, sicut particolarum Concordantias ad *Joannem de Segovia*, ut in singulis hisce notavi. Arlotum secutus est Isaac Nathan, ut ipse profitetur, qui Hebraicas Concordantias composuit. Vide eruditissimi nostri Wolfii Bibliothecam Hebraeam tom. I pag. 681.

Bernardinus ARLUNUS, JCtus et Patricius Mediolanensis, traditur scripsisse historiarum sectiones tres ab origine Urbis Meediolanensis ad sua usque tempora, sive ad initia Saeculi XVI quas Johannes Oporinus edere voluit cum praefatione Antonii Majoragii.

* In Codice quodam MS. Ambrosiano apud Mantfaucon extant eiusdem Arluni *orationes* et *opuscula*. Item *Historia Mediolanensis*, *de bello Veneto*. Item *De rebus patriae*, quod posterius opus idem est cum historia Mediolanensi. Alia eiusdem opuscula videnda apud Argelatum in Biblioth. Mediolanensi. *

Alius *Nicolaus de Arluno*, Germanus, Episcopus Azotensis, et *Joannes Petrus* ARLUNUS, Medicus Mediolanensis, cujus scriptis a Merklino et Mangeto memoratis et An. 1532 et 1553 editis, addes commentationem, *vinumne mixtum an meracum*, *obnoxiis juncturarum doloribus magis conveniat*. Perusiae 1573 8.

ARMANDUS *de bello visu*, non Bononiensis, sed Gallus e Provincia, * Ordinis Praedicatorum, Romae tempore Johannis XXII. Lector sacri palatii, defunctus circa An. 1334 de quo Jacobus Quetif tom. I, pag. 583 seq.

* Vide Baluzium notis ad Papas Avenionenses tom. I, pag. 759.

Notissima ejus *declaratio dictionum ac dictorum difficilium in Theologia ac Philosophia*, post editionem Basileensem 1491 saepe vulgata Venet. 1584. Argentor. 1605 Witeb. 1623. *Collationes pro festivitatibus Sanctorum*, Paris. 1519 4.° *Collationes* sive *sermones* ex solo *Psalterio* per totum fere annum declamabiles Paris. 1519 4. Lugd. 1525 8. Brixiae 1610 4 ut commentarium *in Thomae Aquinatis de ente et essentia*, aliaque inedita ejus, quae apud Qvetifum videri possunt, praetereara.

ARNALDUS *Albertinus*, ex Majoricensi Canonico Inquisitor in Valentiae et Siciliae regno, denique Pactensis in Sicilia * Episcopus. Scripsit *de secreto quando debeat aut non debeat revelari*, Valentiae 1528 *Repetitionem rubricae de haereticis*, Valent. 1534 fol. addito etiam superiore scripto: et cum speculum Inquisitorum tripartium magnam partem naufragio periisset, auctorque ipse diem obiisset A. 1445. pars postuma lucem vidit Panorwi 1553 fol. iterumque Venetiis, Romae aliisque etiam in locis, ac denique in Oceano Juris sive tractatu tractatuum tomo XI. Parte II, pag. 52 sub titulo: *de agnoscendis assertionibus Catholicis et haereticis*.

ARNALDUS *de Brixia*, discipulus et armiger Petri Abailardi, a quo nomen *Arnaldistarum*, apud Ottonem Frising. II 20 de gestis Friderici Barbarossae, et alios Cangio laudatos in *Arnaldistae*, et contra quos bulla Innocentii IV A. 1243 apud Laurentium Cherubinum tom. I, p. 111. Vide Prateoli elenchum haeresium pag. 65 seq. qui etiam de aliorum Arnaldistarum *Arnaldi Villanovani* sectatorum jactatis erroribus pag. 66 seq. Sicut de *Arnaldistis*, nostra memoria a viro eximio Antonio Arnaldo, qui A. 1694 exul diem obiit, ita nuncupatis, vide Casp. Sagittarium t. I introduct. in Histor. Ecclesiast. pag. 875 seq. Caeterum parum credibile, quod de Arnaldo, sive Arnoldo Albigensi narrat Lucas Tudensis III 17 contra Albingenses t. XXV. Bibl. Patrum edit. Lugdun. p. 247 quanquam nihil de eo dubitandum contendit Barthol. Germon de veteribus haereticis Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus cap. 13 p. 325. *Quidam etiam haereticus, nomine Arnaldus de confinibus Galliae venit in Hispaniam, zizaniam erroris Haereticis seminando. Inter caetera pravitatis opera, erat studium, sanctorum Patrum Augustini, Hieronymi, Isidori et Bernardi opuscula minora corrumpere, subtrahendo vera et adjiciendo falsa. Erat enim Scriptor velocissimus, et corrupta sanctorum opuscula vendebat, vel dabat Catholicis, ut tali fallacia posset decipere et illaqueare incaute legentium mentes. Accidit quadam die, cum translationis beatissimi Confessoris Isidori celebraretur festivitas, erat ipse scribens, et dicti Confessoris Synonyma pervertebat. Visum fuit ei, quod aqua calida de tecto domus super caput ejus deflueret. Cumque lavaret manum dexteram ut caput tergeret, brachium ejus fractum est, ac si valido ictu esset percussum, et lumen oculorum amisit. Exclamavit succursum, et convenientibus plurimis, quod illi acciderat, indicavit. Responsum fuit ei a quibusdam Catholicis, quia eo, quod in festivitate beati Isidori scriberet, hoc evenerat illi. At ipse coepit CHristi Confessorem Isidorum blasphemare, et infidelitatis suae sectam nefandis verbis detegere. Sed abreptus a Diabolo, subito tandiu crudelissime vexatus est, donec funditus spiritum exhalavit. Ut cuncti patenter intelligant, quam enorme scelus est apud DEum, sanctorum Patrum scripturas pervertere, justo DEI judicio Arnaldus Haereticus, morte crudelissima in civitate Legionensi cunctis videntibus trucidatus est. Daemon namque, qui loqui videbatur in ipso, declarabat, qua de causa, B. Isidoro compellente, invadendi et occidendi ipsum acceperat potestatem. Caute igitur sunt sanctorum Patrum scripturae legendae, et antiquioribus eorum libris fides potius tribuenda, dum aliqua dissona reperiuntur in novis transcriptis, ne irrepat virus Haereticae pravitatis, et inferat mortem in Scripturis Sacris dare studium cupienti.*

(17 Non invidendam hac parte celebritatem hic et praeclarissimum Florentinum ingenium sibi adauxere ex quo Tragoedia cuitit.

* Non Pacensis in Hispania. Vide Nicolaum Antonium tomo I. Bibliothecae Hispanae pag. 135.

Arnaldo da Brescia typis prodiit (Firenze) 1843, 8, in qua op. *Apologia di Arnaldo* (di Gio. B. Guadagnini) *Pavia* 1790 *v.* 2 *in* 8. non parum author in notis praesertim usum esse profitetur.

ARNALDUS *Catalanus*, infra, *Villanovanus*.

ARNALDUS *Franciscanus* Scriptor Vitae S. *ANGELÆ* Fulginatis, de qua supra p. 93.

ARNALDUS de vico Limina non procul *Patavio*, ubi Abbas S. Justinae in carcere Anno 1254 obiit, cujus hoc Epitaphium edidit Mabillonius pag. 28 itineris Italici:

Hic aderam Pastor, me perfidus ille tyrannus
Misit captivum fallax Ecelinus asylum
Et longus carcer vita spoliavit ibidem.

ARNALDI Cescomitis, *Tarraconensis* Archiepiscopi, *Epistola* Anno 1337 ad Benedictum XII Papam, et aliae duae ad Joannem de Convenis, Episcopum Cardinalem Portuensem scriptae apud Baluzium tom. II. Miscellan. pag. 267. Parisiis 1679 8.vo

ARNALDI *de Verdala* Galli, Episcopi ab Anno 1339 ad 1351. Magalonensis, *seriem Episcoporum Magalonensium* a Ricvino A. 770 usq; ad Galterium A. 1133 edidit Labbeus tom. I. Bibliothecae novae MSS. pag. 793–802. Paris. 1657 fol.

ARNALDUS *de Via*, Cadurcensis Dioecesis, Joannis XXII Papae nepos, Cardinalis diem obiit An. 1338.

ARNALDUS *Villanovanus*, quem Galli sibi vindicant, et Hispani civem contendunt suum, certe Barcinone medicinam fecit circa Annum 1480. atque inde *Catalani* cognomentum tulit, artis Medicae ac Philosophiae, etiam Poetices laude insignis, imperitis propter Chemiae peritiam etiam suspectus de Magia, et quia fratrum mendicantium aliisque abusibus et superstitionibus infestum se gerebat, etiam plus quam suspectus de haeresi. Quo de viro ejusque fatis et scriptis, quae complura exstant, sufficit unicum consulere Nicolaum Antonium lib IX. Bibliothecae veteris Hispanae cap. 1 tom. II, pag. 74 seq. De erroribus ei imputatis vide, si placet, Natalem Alex. tom. VII. Hist. Eccles. pag. 102 seq. edit. in fol.

ARNO Decanus et Prior Abbatiae *Reichersperqensis* in Bavaria, diem obiit Anno 1175. * Ejus *scutum Canonicorum Regularium* vulgatum a V. C. Raymundo Duellio libro primo Miscellaneorum, Augustae Vindel. 1723, 4 pag. 3–55. Idem Arno cum fratre suo Gerhoho, cui Anno 1169 in Praelatura successit, scripsit Opus prolixum *de Eucharistia* oppositum, *Folmaro* Praeposito Triesfensteinensi, sive Petrae stillantis in Franconia, infra Herbipolim, de cujus sententia et caeteris adversariis infra, FOLMARUS.

ARNOBIUS, ex Rhetore Ethnico Siccae in Africa Christianus, egregios pro fide Christiana *libros VII ad gentes* scripsit circa An. C. 310. cum jam saeviret persecutio jam non in milites solum, sed in Christianos omnis Ordinis. Vide si placet Pagium ad A. 302 n. 15 seq. Non ante A. 326 diem obiisse eruditi sentiunt. Librorum singulorum analysin, quibus adversus alienos ab Christianorum fide scribens vix dum Catechumenus * abstinet ferme sacrorum scriptorum testimoniis, dedere Abraham Scultetus tomo I medullae Patrum pag. 372 seq. et Nicolaus Nourritus tomo II apparatus Bibliothecae Patrum, et ex eo Memoriae litterariae Trevoltinae An. 1716 pag. 812 seq. De editionibus Arnobii non repetam, quae dixi in Bibl. Lat. IV 3 pag. 289 seq. editionis Venetae tomo II. et ad S. Hieronymi Catalogum cap. 79 et libro de Veritate Relig. pag. 225 sq. Tantum juvat addere, in Bibliotheca V. C. Stephani Baluzii fuisse editionem primam Romanam Fausti Sabaei 1542 fol. emendatam et illustratam manu *Nicolai Fabri:* Eadem cum variis notis eruditorum, ad margines libri adpositis, incidit in manus eruditi nostri *Magni Crusii*, ** Pastoris hodie Rendsburgensis, qui Arnobium ex Codice unico Bibl. Regiae Paris. emendatum novo studio edendum in se suscepit, eique ineditas notas *Antonii Carpentarii*, Medici Paris. et *Francisci Guieti, Petrique Danielis Huetii* et suas est adjuncturus. Idem studium audio esse celeberrimi atque meritis

* Chronicon Reichersbergense pag. 248. Hundii Metropolis Salisburg. tom. III, pag. 168.

* Tillemont. Memor. Hist. Eccles. t. V, p. 574 edit. Paris.

** Vid. diss. ejus Epistolicam p. 28 seq.

in elegantiores literas laudatissimi Viri *Josephi Wassii*, Cantabrigiae. Nam de *Gessio* idem moliente Fracofurti, nihil percepi nisi quod legitur in Memoriis litterariis Trevoltinis A. 1722 pag. 2023 et de *Wakero* An. 1724 pag. 945. *Mr. Walker*, *qui a ramassè tant de diverses leçons pour la nouvelle edition du Nouveau Testament*, *que l'on attend de Mr. Bentley*, *prepare una nouvelle edition d'Arnobe*, *qu'il enrichera des notes de plusieurs Savans*, *tant imprimées que MSS.* *Gelenianas* Arnobii editiones mirum in modum interpolatas esse non tantum Theodorus Canterus est conquestus et Barthius XCIV 1. Adversar. sed et elegantissimus Graevius Epist. ad Nic Heinsium tom. IV sylloges Burmannianae pag. 331 et Auctor praefationis ad edit. Lugd. Bat. 1651 4.to *Ingenii fiducia Gelenius malo exemplo usus conjecturas suas textui inseruit*, *antiquas lectiones suo imperio ejecit*, *et Arnobium nobis effinxit*, *qui Arnobii speciem non referret.* Editioni Hanoviensi cum notis Gever. Elmenhorstii 1603, 8,vo subjiciuntur Variae Lectiones e MSto et ex editionibus Romanis Francisci Sabaei et Fulvii Ursini. In Bibliotheca Petri Francii tria fuere exempla editionis Lugdun. Batav. 1651 4,to quorum binis Francius ipse, alteri alius quoque Varias Lectiones adscripserat, tertius abbundabat MStis annotationibus Salmasianis. Plura Arnobii loca emendant et illustrant *Desiderius Heraldus* animadversionibus in Salmasii Jus Atticum lib. VII cap. 24 Parisiis 1650 fol. pag. 600 seq. *Adrianus Behotius* in Apophoretis, Parisiis 1622 8,vo et *Henricus Ernstius*, cujus notae breves in Arnobium postumae prodiere Hafniae 1726, 12 una cum ejus Censura in Orationem Hippolyto adscriptam de consummatione Mundi et de Antichristo. MSti Regii Paris. Lectiones cum editione Heraldi accurate collatas a Salmasio habuit Nicolaus Heinsius, ut testatus est litteris ad Gisbertum Cuperum tom. II Sylloges Burmannianae pag. 714 et tom. IV pag. 329, 334, 335 et 337 ubi *magnam mendarum vim etiamnum Arnobium obsidere* Graevius quaeritur.

ARNOBIUS Junior circa An. C. 460 ad Leontium Arelatensem et Rusticum Narbonensem Episcopos scripsit *commentaria in Psalmos*, de quo Jo. Maldonatus Epistola ad Franciscum Turrianum pag. 19 b. *auctorem commentariorum*, *qui* Arnobio *falso adscribuntur*, *ego suspicor fuisse* Faustum *Galliarum Episcopum*, *nam stylus hominis Galli est et non Africani: et Augustini tempore vixisse certum est. Certe idem quod Faustus, de Praedestinatione sentit*, hoc est cum Semi-Pelagianis, ut de utroque ostendit Henricus Noris hist. Pelagianae lib. II. c. 15 contra Vossium disputans. Unde non defuere, qui scriptorem horum Commentariorum eundem etiam voluere auctorem *Praedestinati*, quem Sirmondus vulgavit. Vide Tillemontium tom. XVI. memoriar. p. 21. Edita sunt Agent. 1522, 4 cum Erasmi commentario in Psalmum 2. Vide Erasmum lib. XXVIII Epist. 9 edit. Lond. Deinde recusa Colon. 1532, 8. Basil. 1538, 8 ex Laur. de Barre recensione Paris. 1639, 8 cum *annotationibus* ejusdem Arnobii ad quaedam Evangelistarum loca (post editionem Gilbert Cognati, Basileae 1543, 8) a Schotto recensitis, et in Supplemento Biblioth. Patrum Parisiensi tom. pag. 388, 815. et in Biblioth. Patrum Lugdunens. tom. VIII pag. 203, 329. Latini Latinii castigationes ad editionem Basileensem 1637 exstant in ejus Biblitheca sacro-profana pag. 95–98. *Altercationem* cum *Serapione Ægyptio*, ad Vigilium Tapsensem referunt Oudinus et Colomesius: certe non ad illum Arnobium, qui in Psalmos scripsit, cum hic faventior sit Semi-Pelagianorum sententiae: altercationis auctor vero totus probet Augustinum. Vide Oudinum tom. I pag. 1283 sqq. pag. 1328 sq. Hanc ad calcem Irenaei Colon. 1569 subjecit Fevardentius (in Grabiana et Massvetiana Irenaei editione omissam) et in Supplemento suo tomo I pag. 352 recuderunt Parisienses et Lugdunenses tomo VIII Biblioth. Patrum 236.

AROLDUS, Petri Waldi post Annum 1175 socius in opido Galliae Narbonensis *Albio* adversus persecutores quaerens perfugium, inde *Albigensibus* inter haereticos nomen dedit, ut Waldus *Waldensibus*. Ab Arnaldo de Brixia non sine causa diversum conjicit B. Jacobus Thomasius, in filii Christiani Hi-

storia Sapientiae et Stultitiae tomo I p. 47. Quae eadem sententia Thuani, Usseri, Legeri. * De his *Arnoldistis.* sive *Arnaldistis* Bonacursus apud Dacherium tomo XIII spicilegii, et editionis novae tom. I pag. 214 seq. et B. Ittigius de Bibliothecis Patrum pag. 248 qui ejusmodi Arnoldistas, docentes, quod ob Clericorum malitiam, Ecclesiae Sacramenta vitari debeant, in hunc usque diem dari annotat.

ARNOLDUS ex Canonico Herveldensi *Altabensis*, in Bavaria Monachus Ordinis Benedicti, scripsit Vitam *S. Godehardi* Hildheimensis Episcopi Anno 1037 defuncti, quae interpolata apud Surium, sincerior ex integriore editione Lipsiensi An. 1518 et Christophori Broweri illustribus luminibus Germaniae, Mogunt. 1616, 4 repetita est in Actis Sanctorum 4 Maji tom. I pag 501 seq. et sub WOLFHERRI nomine in Leibnitii Scriptoribus Brunsvicensibus t. I pag. 482.

ARNOLDUS, sive ERNALDUS, Abbas Bonae Vallis in Allobrogibus, Ordinis Cisterc. diversus a Carnotensi apud Combefisium et alios fingitur auctor Vitae S. Bernardi. Sed vita illa scripta est ante Annum 1161, quo tempore nullus fuit Abbas Bonaevallis Viennensis Ordinis Cisterc. ut a Mabillonio probe notatum. Vide Oudinum tom. II pag. 1293 seq. Idem hic Ernaldus, qui *vitam S. Bernardi* a Guilelmo Abbate S. Theodorici coeptam continuavit. Editiones vide infra in *Guilelmo*, cujus primus liber est: ut tertius quartus et quintus Gaufridi.

ARNOLDUS *Bonavillarensis*, sive, ut vitiose etiam editur *Boravillacensis* Abbas apud Tho. Jamesium, Rob. Cocum, aliosque idem cum Carnotensi, de quo mox.

ARNOLDI BOSTII, Carmelitae Gaudensis, qui An. 1499 * diem obiit, opusculum *de praecipuis aliquot Carthusianae familiae Patribus* a Theodoro Petreo Carthusiae Coloniensis alumno editum Coloniae 1609 8.vo Ad hunc Arnoldum exstant Epistolae Joannis Trithemii, qui in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 930 testatur eum quoque scripsisse *de illustribus Viris Ordinis sui* sive Carmelitis: *De patronatu Mariae* Carmelitici Ordinis, carmine et prosa compositum, MS. Coloniae: et *contra Vincentium Novocastrensem* Dominicanum, pro conceptione immaculata, (de qua etiam ad Bostium scripsit contra eundem Vincentium Robertus Gagvinus:) Praeterea *De quatuor novissimis. Epistolas. Carmina.*

° Bibliotheque Germanique tom. IX, pag. 16.

° Trithemius in Chronico Spanhemensi p. 410. Male apud Vossium cıc ccccc xıx pro cıɔ cccc xcıx.

ARNOLDUS *Budericus* Augustinianus, Prior monasterii A. 1417 prope Aldenardam conditi scripsit, teste Valerio Andrea, *Odarium de laude DEI*, *libros XII* Epistolam apologeticam *contra detractores Monasteriorum:* et *De modo servandi Ordinem Canonicorum regularium.* Denique *diactarium.*

ARNOLDUS *de Busco* Augustinianus, cujus librum de viris illustribus Ordinis sui et monasterii Windesheimensis. et alium de laudibus S. Annae memorari video a Vossio aliisque. Vixit et hic medio saeculo decimo quinto.

ARNOLDUS Abbas Bonae Vallis in Francia *Carnotensis*, Ord. Bened. amicus S. Bernardi, qui morti vicinus ad eum An. 1153 scripsit Epistolam 310. Ejus *homilias V* in Psalmum CXXXII. *Ecce, quam bonum et quam jucundum,* cum libello *de donis Spiritus S.* edidit Casimirus Oudinus in Opusculis sacris Galliae et Belgii scriptorum, Lugd. Bat. 1692 8. *In Psalmum XLIV* etiam habere se testatus est Mabillonius. Caetera hujus Arnoldi Johannes Fellus edidit ad calcem S. Cypriani, cui liber *de Cardinalibus CHristi operibus* praeter rem tributus ab aliis fuit, cum Arnoldus eum scripserit ad Hadrianum IV Papam ab A. 1154 ad 1159. Tractatum *de septem verbis Domini in Cruce*, post Francisci Titelmanni editionem Antwerpiae 1532, 8 dederat etiam Combefisius in Bibl. Concionatoria, feria sexta parasceves. Sermo *de laudibus S. Mariae*, cum duobus superioribus scriptis obvius quoque in Bibliothecis Patrum Parisiensibus, Coloniensibus, et Lugdunensi tom. XXII, pag. 1280. *Meditationes*, quae incipiunt: *noli timere Sion*, primus ex MSS. laudatus Fellus in lucem protulit A. 1682.

ARNOLDUS *Corbejensis*, Ordin. Benedictin. circa A. 1030. *Proverbia Salomonis versibus hexametris* reddidit.

ARNOLDUS, sive ARNOLFUS, Comes de Cham et Vochburg, *Emmerammensis*, sive S. Emmerammi, Monachus et Presbyter circa An. 1010 scripsit libros duos, unum *de miraculis B. Emmerammi*, Pictaviensis apud Gallos Episcopi, defuncti Anno 652 * et alterum † dialogi more *de memoria cultorum ejus*. Utrumque edidit Canisius tom. II, pag. 35 et novae editionis tom. III, pag. 103 una cum *Epistola ad Burchardum Abbatem* pag. 89. *Carmen acrostichon* in vitam Emmerammi scriptam a Meginfredo, edidit Bernardus Pez tomo IV Anecdotorum Parte II, pag. 37 et *Homiliam de octo beatitudinibus* pag. 29. Idem videtur viris doctis Arnulfus Monachus, quem Sigebertus cap. 157 ait excipientem de *Proverbiis Salomonis* convenientiores sententias, et litteram, et allegoriam metrico lepore scripsisse et digessisse, quod Arnoldo Emmerammensi alii tribuunt, quem itidem illustribus Benedictinis accenset Trithemius II 92. alii Arnoldo Corbejensi.

ARNOLDUS *Halberstadensis* Episcopus, cujus Epistolam ad Henricum Episcopum Herbipolensem *de institutione Episcopatus Bambergensis* scriptam Anno 1011 edidit Baluzius tomo IV. Miscellaneorum pag. 435.

ARNOLDUS *Haldrenius* patria Vesaliensis, Theologus Coloniensis A. 1534 obiit, de cujus Macrobio Anno 1521 edito, dixi in Bibliotheca Latina III, 12. De aliis ejus Sweertius, et diligentius Valerius Andreas.

Henricus ARNOLDI, Prior Carthusiae Basileensis, scripsit circa Annum 1485. *Dialogum de modo perveniendi ad perfectam DEI et proximi dilectionem.* Edidit Bernhardus Pez tomo sexto Bibliothecae Asceticae antiquo-novae. Ratisbonae 1724 8vo.

ARNOLDUS, *Hildesheimensis* Prior incerta fide traditur, quem constat Abbatem deinde fuisse Lubecensem. Vide infra, *Lubecensis*.

* Vide Labbeum tomo II Bibliothecae novae MSS. pag. 729.

† Hic est, quem Anonymus Mellicensis c. 62 memorat *Dialogus Collectitii et Admonitii de Virtutibus Sanctorum, qui in monasterio S. Emmerammi in pace sepulti novissimam exspectant tubam.*

ARNOLDUS, *de Hollandia*, infra, *de Roterodamis.*

ARNOLDUS *Kivet*, supra, ALBERTUS *Kivet* pag. 41 est enim unus idemque.

ARNOLDI *Lalaini* (de Lalaing) Praepositi S. Mariae Brugensis, Epistola de Congressu Imperatoris Friderici et Caroli Burgundiae Ducis An. 1473 facto Augustae Trevirorum, non Latine scripta, sed ex Gallico Latine versa a Rodolpho Agricola, prodiit Basileae 1518, 4 et recusa in Freheri Scriptoribus rerum Germanicarum tomo II, pag. 302.

ARNOLDUS *Leodiensis* Ordinis Praedicator. Saeculo XIV. Auctor libri de mirabilibus mundi, ordine alphabetico. Vide Jacobum Echardum tom. I, pag. 721.

ARNOLDUS ex Monacho Ægidiano Brunsvicensi, Ordinis Benedictini, primus Abbas *Lubecensis* Coenobii S. Joanni Evangelistae dicati ab Henrico Leone, ab Anno 1175 ad 1210 vel etiam diutius. Vide Joannis Molleri dissertationem de Helmoldo § 27 seq. Scripsit *derelictorum Helmoldi Supplementum* ab Anno 1171 ad 1209 *libris VI* ad Philippum, Episcopum Ratzburgensem, qui Helmoldi libris Chronici Slavorum duobus solent subjici, constituuntque in Bangertiana ἐκδόσει librum III qui primum et secundum Arnoldi complectitur, et lib. IV V VI VII. De hac caeterisque editionibus et continuationibus infra in HELMOLDO.

ARNOLDUS *de Meldorpe*, Saeculo duodecimo scripsit librum meditationum et adhortationum ad fratres in varia loca Sacrae Scripturae per capita LXVII quorum titulos ex Codice MS. in Bibliotheca templi S. Petri hujus Urbis Hamburgensis edidit B. noster Staphorstius tomo III Historiae Ecclesiasticae Hamburgensis pag. 365 seq.

ARNOLDUS *Narbonensis* ab Anno 1212. Archiepiscopus, primus contra Albingenses Inquisitor, cujus *Epistolam de Narbonensi Principatu* contra molitiones Comitis Montisfortis, exhibent Sammarthani tomo I. Galliae Christianae pag. 378 (ex Guilelmi Catelli libro I. Historiae Comitum Tolosanorum, Tolosae 1623 fol.) et pag. 379 seq. alteram *de victoria adversus Mauros* Christianos ad locum *Hanas de Tolosa* reportata Anno 1212 17 Kal. August. ex Ughelli Italia.

Sacra tomo I ubi de Sabinensi Episcopo Joanne de S. Paulo pag. 191 (edit. novae pag. 164.)

ARNOLDUS Geilhoven *de Roterodamis*, Augustinianus in Valle viridi, Decretorum Doctor, obiit Anno 1442 cujus Opus in duas Partes tributum, cui titulus; γνῶθι σεαυτόν (corrupte *Gnotosolitos*) sive *Speculum Conscientiae*, lucem vidit Bruxellis 1476 1479 fol. Aliud *de septem Mundi Ætatibus, ac Romanis Pontificibus, Regnis, bellis, deque vita ac moribus Philosophorum et Poëtarum:* sicut etiam *Speculum Collationum*, sive *Repertorium Juris: Confessionale foeneratorum, Moralisationum currus triumphalis: de practica electionis, de verbis DOMINI, in Regulam S. Augustini* etc. inedita esse existimo. Vide Oudinum tomo III, pag. 2298 seq.

ARNOLDUS *Saxo*, supra *Altahensis*, vide Vossium pag. 363.

ARNOLDUS Hessels *Tungrensis* Canonicus Augustinianus, obiit 1466 relicto tractatu de peccatis mortalibus et de differentia inter peccatum mortale ac veniale.

ARNOLDUS Luydius *de Tungris*, Theologus Coloniensis, Joannis Reuchlini adversarius, cujus speculo oculari scripta quaedam opposuit edita Coloniae An. 1512 4. Alia ejus vide sis apud Valerium Andream pag. 82 qui testatur diem obiisse Leodii An. 1540.

ARNOLDUS *Vesaliensis*, supra *Haldrenius*.

ARNOLDUS *Villanovanus* Medicus, supra, ARNALDUS.

ARNOLDUS *Vogburgensis*, supra, *Emmerammensis.*

ARNOLFUS. vide, ARNULFUS.

Vitus ARNPECKIUS. vide, VITUS.

ARNULFUS *Aretinus* Canonicus ac Diaconus circa Annum CHristi 1080 scripsit *Vitam SS. Floridi et Amantii*, quam Cangius legit in Codice Naudaeano 27.

ARNULFUS, sive ERNULFUS *Belluacensis* Monachus S. Symphoriani, inde Prior Cantuariensis, hinc Petri Burgensis Abbas in Anglia, ac denique ab Anno 1114 ad 1124 Roffensis Episcopus, amicus S. Anselmi Cantuar. Vide Warthoni Angliam Sacram tom. I, pag. 329 seqq. ubi *Collectanea* hujus Arnulfi *de rebus Ecclesiae Roffensis:* et Joannis Picardi notas ad Anselmi Epist. 117. Scripta ejus a Baleo II 70 haec memorantur: *Solutiones ad quaestiones Lamberti*, Abbatis Bertiniani. *De corpore et sanguine DOMINI. De septem verbis DOMINI in Cruce. De Operibus sex dierum. Homiliae et Sermones.* Sed ex his alia ad Arnoldum Bonaevallensem, alia ad Arnulfum Lexoviensem referenda sunt, sicut etiam de alio accipiendum Arnulfo, quod ait hunc Roffensem Praelatorum vitia acerbe insectatum fuisse. Vide infra, *Haeresiarcha.* Arnulfi hujus *Epistola ad Walchelinum*, Episcopum Wentanum, *de incertis conjugiis*, in Dacherii spicilegio tom. II, pag. 410 (editionis novae tom. III, pag. 464.

ARNULFUS Monachus *de Boëriis* Ordinis Cisterc. in Dioecesi Laudunensi Saeculo XII exeunte scripsit *Speculum Monachorum*, quod exstat ad calcem operum S. Bernardi tom. II edit. novissimae Mabillonianae, Paris. 1719 fol. pag. 816 seq.

ARNULFUS Monachus *S. Emmerammi* ex Comitibus de Cham et Vochburg. Vide supra, ARNOLDUS.

ARNULFUS *Haeresiarcha*, de quo Martinus Polonus lib. 4 de Romanis Pontificibus, ubi de Paschali II. Hic est Arnulfus Presbyter, qui Praelatorum vitia liberius castigavit, atque Cleri Romani insidiis sublatus est sub Honorio II.

* Articulus iste quantus est, indignus est prorsus qui scriberetur a viro isto doctissimo. Arnulfus hic alius plane non est a Maginulfo, qui unus fuit ex tribus Romanae Cathedrae adversus Paschalem II, occupatoribus. Porro de istis narrat auctor vitae Paschalis II Albertum, Theodoricum et Maginulfum alterum, post alterum in Romana Cathedra post Guibertum successisse Paschali II adhuc regnante: eos vero poenas tanto scelere condignas luisse. Quod autem tres isti iidem omnino sint, qui verbis Martini Poloni loco hic a Fabricio indicato exprimuntur, plane constat ex verbis eiusdem Martini. Sic enim ille habet *contra ipsum Pontificem surgentes quidam ex clero Romano tres heresiarchas, videlicet Albertum, Arnulfum et Theodoricum diversis tempori-*

bus erigere in Papam praesumpserunt. Qui sicut in principio D. Papae multas infestationes fecissent, in fine tamen ab ipso prostrati sunt. Nec plura lego sive apud Martinum, sive apud alium de eodem Maginulfo: quare miror, cur Fabricius asseruerit hunc Maginulfum factione cleri Romani sub Honorio II succubuisse.

ARNULFUS ex Sagiensi Archidiacono *Lexoviensis* in Normannia Episcopus ab Anno 1141 ad 1177. Regem Galliae Ludovicum VII An. 1147 in Palaestinam secutus est, et ex illa redux magnis negotiis tractandis tum in Gallia, tum in Anglia Pontificis Legatus, adhibitus fuit. Vide Sammarthan. tom. II Galliae Christianae pag. 648 seq. et Brancasium in Apologia pro hoc Arnulfo, * Gallice edita. De scriptis Arnulfi haec habeo, quae addam clariss. Cavei industriae: Editio *Epistolarum*, *Concionum*, et *Epigrammatum* curata ab Odone Turnebo, Hadriani filio, Parisiis 1585, 8, repetita etiam est in Bibliotheca Patrum Coloniensi tom. XII deinde in Lugdunensi tom. XXII. *Tractatus de Schismate* a Dacherio editus, exstat in nova Spicilegii editione tomo I, pag. 152. Sed etiam *Sermonem in Annunciatione B. Virginis* vulgaverat Dacherius tom. XIII. et *Epistolas tredecim*, quae cum fragmento alterius sermonis recusa sunt tom. III edit. novae pag. 507 seq.

ARNULFUS *Lugdunensis* Archiepiscopus, qui a Jacobo Bergomensi et aliis memoratur, nullus fuit. Vide Joannem Picardum ad Anselmi Epist. 117 p. 577.

ARNULFUS *Mediolanensis*, Arnulphi I Archiepiscopi ab Anno 971 ad 975 Mediolanensis, fratris pronepos, a) et ab Arnulfo II ac III itidem Archiepiscopis Mediolanens. ab Anno 999 et 1093 distinguendus: auctor *Chronici gestorum Mediolanensium* distincti in *libros quatuor* ab *Anno Christi 925 ad 1076* editi ab illustri Leibnitio tomo III Scriptorum Brunsvicensium pag. 727–746 et in tomo quarto Thesauri Scriptorum Italiae Burmanniani, Lugduni Batavorum 1722 fol. sed melior editio b) cum variis Lectionibus et notis in tomo quarto Corporis Muratoriani Mediolanensis. Citatur hic Arnulfus a Gualvaneo Flamma aliisque junioribus. Vide Gundlingiana XIX, 3.

ARNULFUS a *Monte S. Eligii* apud Atrebatum Canonicus Regularis circa Annum Christi 1170 ad Frumaldum Atrebatensium Episcopum scripsit *Commentarium in Canonem Missae*, quem MS. in variis Belgii Bibliothecis memorat Valerius Andreas pag. 89 Biblioth. Belgic. Praefationem edidit Edmundus Martene tomo I Anecdotorum pag. 477 in qua Arnulfus ait hanc expositionem se excerpsisse ex Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Gregorio, Isidoro, Vigilio, et Fulgentio.

ARNULFUS *Roffensis*. vide supra, *Belluacensis*.

ARSENINUS, Grammaticus et Rhetor Patavinus, circa An. 1216 auctor *Quadrigae*, sive regularum dictandi, libelli sententiarum et proverbiorum etc.

ARSENIUS Leodiensis, Ordin. Benedictini Monachus S. Pauli Romae, inde Abbas S. Mariae de Florentia, Anno 1442 scripsit *Epistolam* pro commendatione Regulae S. Benedicti *ad Johannem de Turrecremata*, quae Cardinalis hujus Commentariis in illam Regulam praefigitur excusis Paris. 1494 fol. Colon. 1575 fol.

Galfridus ARTHURUS. infra GALFRIDUS.

De ARVERNIA. infra GERARDUS, PETRUS.

ARVODOLPHUS, Monachus Fuldensis, qui circa An. 1160. *Vitas Sanctorum* scripsit memoratas Georgio Wicelio in Praef. Hagiologii et Johanni Bollando, sed adhuc quantum scio ineditas.

S. ASAPHUS, ex Nortwallia Britanniae, Abbas Elguensis atque inde Episcopus circa An. 590 traditur scripsisse *Ordinationes Ecclesiae suae*, et *vitam* Magistri sui *S. Kentigerni*. Vide Pitseum pag. 103 et Kentigerni vitam in Actis Sanctorum 13 Januarii.

Historia de Episcopis et Decanis *Asaphensibus* et Londinensibus a prima Sedis utriu-

* Apologie d'Arnoul, Eveque de Lizieux, par Mr. de Brancas. Memoires de Trevoux 1725 pag. 1619

(a Ughellus tom. IV Italiae Sacrae pag. 98 99 116 editionis novae Pagi ad Annum 497 num. IX.

(b Memoires de Trevoux 1727 pag. 2212.

sque origine usque ad An. 1540 cum appendice veterum diplomatum et Instrumentorum edita ab H. Warthono Lond. 1595, 8. Hic primum Episcopum S. Asaphi fuisse sibi persuadet fuisse Gilbertum A. 1143.

Nicolaus ASCELINUS, Ord. Minor. qui cum Joanne de Plano Carpini A. 1246 auspiciis Innocentii IV iter suscepit in Tartariam et alias Asiae regiones, cujus descriptio Latine MS. Lugduni Batav. inter Codices Isaaci Vossii. Ampla ex eadem excerpta apud Vincentium Bellovacensem speculi hist. libro postremo sive 31. Gallice post alias editiones in sylloge Petri vander Aa, Lugduni Batavorum 1729, 4to: Recucil de divers voyages curieux faites en Tartarie etc.

ASCLEPIODOTUM, de vita Diocletiani aliquid in literas misisse, ex Vopisci Aureliano c. 44 non ab re viri docti colligunt. Fuit Asclepiodotus, incertum an ille, praefectus Praetorio sub Constantio. Alius deinde junior Consul An. C. 423 de quo Jacobus Godofredus in prosopographia Codicis Theodosiani.

ASCLEPIUS Afer, de quo Gennadius (qui A. 495 scripsit) cap. 73 *in Bojensi* (Numidiae) *territorio vici non grandis Episcopus, scripsit adversum Arianos et modo adversum Donatistas scribere dicitur. In docendo autem ex tempore, grandi opinione celebratur.*

Simon ASH, sive *Fraxinus* Canonicus Ecclesiae Herefordiensis in Anglia circa A. C. 1190 amicus Sylvestri Giraldi Cambrensis, pro cujus *speculo Ecclesiae*, quo vitia saeculi sui et Cisterciensium mores ille notaverat, scripsit *apologiam duplicem*; leoninis versibus alteram, alteram elegis defensurus adversus *Adamum Dorensem* Monachum Cisterciensem. Utriusque specimen apud Joannem Prince in illustribus Devoniensibus, et ex eo in Actis Erud. A. 1702 p. 285 ubi et *Epistolae* illius ad diversos, et *Carminum* libri, atque aliud *ad Magistrum Giraldum* scriptum memorantur.

Liber, ASINI *poenitentiarius*, de quo Matthias Flacius in Catalogo testium veritatis pag. 903 edition. primae Basil. 1556 8.vo *Nactus sum perelegans poëmation, titulo Poenitentiarius Asini, 200 annis vetustius. Nam erat adscriptum, completus anno Domini 1343. Dubito, an de descriptione, aut prima compositione. In eo inducuntur, Lupus, vulpes et asinus, poenitentiam agentes. Primum confitetur lupus vulpi, quae facile eum absolvat, et insuper etiam excuset. Deinde lupus consimilem ctementiam vulpi confitenti exhibet. Verum ubi asinus, qui stramen cuidam Romam religionis ergo peregrinanti circa tibias vinctum detraxerat, optime sperans (utpote qui sciret sua peccata leviora esse, quam lupi aut vulpis) ibi demum omnis severitas disciplinae ostenditur, nec ulla prorsus venia dignus reperitur asinus, sed mox a suis spiritualibus patribus devoratur.*

Immensum scelus est, injuria quam peregrino
 Fecisti, stramen subripiendo sibi.
Non advertisti, quod plura pericula passus,
 Plurima passurus, quod peregrinus erat:
Non advertisti, quod ei per maxima terrae
 Et pelagi spacia sit peragranda via.
Non advertisti sanctos, nec limina sancta.
 Sanctorum sanctam sed nec Hierusalem.
Ille retransivit eadem loca, tam violentum
 Ex inopinato sensit adesse malum.
De Papa taceo, cujus protectio talem
 Conduxit, cujus tu vilipendis opem:
Totius Ecclesiae fuerit cum nuncius iste,
 Pertulit abstracto stramine damna viae.

ASSERIUS ex Menevia Cambriae metropoli, Episcopus in Anglia Schireburensis, qui Æifredo Regi auctor fuit condendae Academiae Oxoniensis: Diem obiit An. 909. Ejus *Historiam de rebus gestis Ælfredi Regis* optima fide scriptam vulgavit Matthaeus Parkerus, cui *Joannes Asseres* dicitur, Londini 1574 deinde inter Anglicarum rerum Scriptores Guilelmus Cambdenus, Francof. 1602 fol. hinc cum notis Henrici Speelmanni prodiit Oxoniae 1670 fol. denique edidit Thomas Hearne, A. 1707 8. Ejusdem *Chronicon*, sive *Annales* a Julii Caesaris in Britanniam adventu usque ad suam aetatem primus edidit Thomas Galeus inter Scriptores rerum Anglicarum, Londini 1691 fol. pag. 141. una cum paralipomeno alterius auctoris (quod additum jam memorat Baleus II 25) usque ad An. 914. Unde non valet argumentum, quo annales hosce Asserio abjudicat Oudinus, quod ad Annum

909 leguntur haec verba: *Asserius Schireburnensis obiit, et Fritestanus suscepit Episcopatum Wintoniae.* Annales illos *Chronicon S. Neoti* vocat Lelandus, quod in Monasterio S. Neoti illos vidisset sine nomine auctoris. Idem cap. 118, 119 vitam Ælfredi, *librum Annalium* appellat, in quo Regis gesta *pro rei Majestate tanquam rarus Apelles depinxerit,* cujus venustate captus Marianus Scotus ex ea selegerit, quibus suam Historiam interpolaret. Testatur etiam *Boëtium de Consolatione Philosophiae* lucidis commentariolis ab Asserio illustratum.

ASTENSIA Chronica. infra in VENTURA.

ASTESANUS ex Asta Subalpinorum Urbe, Ord. Minor. defunctus circa Annum 1330. Auctor *summae de casibus conscientiae,* quae ab eo *Astesana,* sive *Astensis,* appellatur, distincta libris VIII. Prodiit Norib. 1482 et Venet. 1519 fol. Waddingus editiones etiam Venetas A. 1468 et 1480 commemorat. *Canones Poenitentiales*, qui cum Gratiani decreto edi solent, et ab Antonio Augustino iterum vulgati sunt ad calcem Poenitentialis Romani et aliorum hujus argumenti librorum, Venet. 1584, 4 petiti sunt ex summae Astesanae lib. V tit. 32.

ASTESANUS, alter priori suppar atque itidem Ord. Minor. cui praeter *Sermones* a Waddingo tribuuntur *Commentaria in Apocalypsin,* et Commentaria *in libros Sententiarum.*

ASTRONOMUS, qui Vitam Ludovici Pii scripsit ab A. 776 ad 814. optimus ex scriptoribus temporum illius Imperatoris, editus a Petro Pithoeo, Reubero, Andrea du Chesne tom. II pag. 286 et Gallice etiam versus a Lud. Cousino Paris. 1683, 12. Vide Jacobi le Long. Bibl. Histor Galliae n. 6789 seqq. p. 332.

ATHELARDUS. supra, ADELARDUS.

ATHELNOTUS, Lelando *Æthelnotus*, aliis *Eylnotus*, Trithemio *Egelnotus,* Monachus Ordinis Benedictin. apud Canutum Magnum Dacorum sive Danorum Anglorumque Regem, gratiosus, Archiepiscopus Cantiorum, sive Cantuariensis ab Anno 1020 * ad 1038 a Trithemio cap. 319 praeter *Epistolarum* librum traditur scripsisse *in laudem Mariae.* Nihil autem ejus scriptorum sibi venisse ad manus testatur Jo. Lelandus cap. 129.

* Warthoni Anglia Sacra tom. I p. 86.

ATHELSTANUS, Eduardi Senioris Filius, Angliae Rex ab Anno 924 ad 939 a doctis quibusdam Hebraeis in regno ejus ad fidem conversis Vetus Testamentum ex Hebraeo in sermonem Anglicum verti curavit, atque teste Pitseo pag. 173 scripsit et ipse non pauca, quae servantur MSta tum Anglice, tum Latine. *Librum de rebus Astrologicis*, et *correctionem Legum antiquarum*, *novasque Leges* et *Constitutiones ad clerum, aliosque subditos.* Legum Ecclesiasticarum veterem versionem Latinam exhibet Speelmannus tomo I Conciliorum Angliae pag. 401 seqq. et pag. 396. Concilium Gratcleanum sub Athelstano habitum. Aliae Leges Athelstani in Chronico Joannis Bromtoni, in Guilelmi Lambardi Archaeonomia, et Abrah. Wheloci ac Dav. Wilkinsii editionibus Legum Anglicarum.

ATILIUS, sive *Attilius Fortunatianus*, incertae aetatis Grammaticus, cujus *ars Grammatica* et *de metris Horatianis* exstat in Grammaticis Eliae Putschii pag. 2661–2706. De aliis Attiliis in Bibliotheca Latina.

ATINENSIS Ecclesiae Chronicon ab Anno primo Julii Caesaris ad An. CHristi 1355 editum ab Ughello tom. X. Italiae Sacrae pag. 37. Exstat et in tomo septimo Scriptorum Italiae corporis splendidi Mediolanensis.

Paulus ATTAVANTIUS, Florentinus Ordinis servorum Mariae, de cujus Ordinis origine *dialogum* ad Petrum Medicem Cosmi filium scripsit, discessitque ex hac vita A. 1499 aet 80. Ejus Thesaurus Concionatorum, sive Quadragesimale de reditu peccatoris ad DEum, prodiit Mediolani 1479. Praeterea memorantur a Possevino et aliis ejus Quadragesimale Paulinum. Sermones de Sanctis. Commentaria ejusdem in VII. Psalmos poenitentiales, in XII minores Prophetas, in Orationem Dominicam et in Apocalypsin. Declaratio Litaniarum et collectarum. Vita B. Francisci Senensis, nec non Philippi Florentini, Ordin. Servorum instauratoris. Breviarium Decreti, Decretalium, Sexti et Clementinarum. Vide Julium Nigrum de scriptoribus Florentinis pag. 445

(ubi typorum errore vocatur *Paulo Attaccanti*) et accuratiorem de hoc scriptore notitiam in Diario eruditorum Italiae tomo XXVIII, pag. 106 seq.

* Dialogus Pauli huius a cl. Lamio semel excusum est seorsum typis Florentinis; iterum vero eodem curante prodivit. an. 1742 in vol. XIV Deliciarum. In praefatione haec alia eius opera praeter ea quae Pocciantus et ex illo Fabricius hic exibet ex Cerracchino recensentur: *historia et miracula imaginis Annunciatae; gesta BB. ord. Servorum; oratio de laudibus eiusdem ordinis; Gentis Gonzagae historia.* Addit Pocciantus *Commentaria in opera Dantis et Petrarchae.*

ATTO Abbas *Vallumbrosanus* et deinde Episcopus *Pistoriensis* * ab A. 1133 ad 1153 scripsit *vitam S. Jaannis Gualberti,* Ordinis Valumbrosani fundatoris, quae exstat in Actis Sanctorum 12 Julii tom. III, pag. 365. Sed *vita S. Verdianae*, quam ad hunc Attonem, quidam referunt, junioris est scriptoris, cum Verdiana diem obierit An. 1242. Vide Acta Sanctor. Calendis Februarii, et Raph. Badium ad Laurentii Jacomini Hetruscam vitae illius versionem editam Florentiae 1692, 8.vo Giornale de' letterati in Modena, Anno 1692 pag. 315 seq.

ATTO, sive HAITO II ab A. 945 ad 960 et ultra *Vercellensis* Episcopus, cujus *Capitulare* capitibus sive canonibus 100 et libellum *de pressuris Ecclesiasticis* et *Epistolas IX* edidit Dacherius tomo VIII spicilegii (in edit. nova tom. I p. 402 sqq.) Testatur etiam Dacherius vidisse se MSS. hujus Attonis *sermones* XVII et *polyptychum* sive *perpendiculum*, quo noxia redarguere et honesta sancire docet.

* Actonis Vercellensis Episcopi epistolas XI (nisi forte mendum sit typographicum pro IX.) cum Poliptico, et canonibus servat Bibliotheca Vaticana. Montfaucon Bibl. MSS. pag. 116.

(18 Munificentia Victorii Amad. Sabaudiae Ducis prodierunt *Attonis Vercellensis Opera* (scil. *Expositio epistolar. IX S. Pauli: canones: Epistolae XIII. De pressuris ecclesiasticis Partes III.*) *cur. Can. Carolo Burontio Del Signore. Vercellis* 1768 t. 2 fol.)

AUCTUS, sive *Actus*, *Actius*, Florentinus idem cum Attone Monacho Vallis umbrosae, Ordinis Benedict. et Episcopo Pistoriensi, de quo jam dictum. Adde Acta Sanctorum 22 Maji tomo V pag. 194 ut Julium Nigrum de Scriptoribus Florentinis pag. 72 seq. praeteream. Scripsit praeter *Vitam S. Joannis Gualberti*, Vallumbrosani fundatoris, apud Surium et in Actis Sanctorum 12 Julii, etiam Vitam *Bernardi Uberti* Cardinalis, medio Saeculo XI de quo Ciacconius pag. 436. (19 Et *Affò Vita di S. Bernardo degli Uberti Ab. Gen. di Valombrosa Card. e Vescovo di Parma. Parma Carmignani 1788, 4*) et *de translatione capitis S. Jacobi Apostoli* Pistorium: nec non *Epistolas,* Bernhardo Vallumbrosano, vitae ejus scriptori memoratas.

AUDELAUS Presbyter circa A. 700 de vita S. Fortunati; presbyteri dioeceseos Spoletinae, t. I Act. Sanctor. Junii pag. 75 seq.

AUDENTIUS Episcopus Hispanus teste Gennadio c. 14 scripsit *de fide adversus haereticos* Manichaeos, Sabellianos, Arianos et Photinianos, qui Gennadii tempore Bonosiaci vocabantur et JESUM docebant Divinitatis initium tunc a DEO Patre accepisse, cum de Maria virgine homo DEO fabricante conceptus et natus est. De Bonoso, a quo nomen Bonosiacis, vide infra, BONOSUS.

AUDOENUS, infra, DADO.

AUDRADUS MODICUS * Episcopus, ex cujus *libro Revelationum* scripto circa A. 853 excerpta leguntur apud Andream du Chesne tom. II scriptorum Hist Francorum p. 990-903. In his mentio libri *de fonte Vitae* scripti carmine hexametro ad Hincmarum Archiepisc. Remensem, quod edere voluit Labbeus, ut innuit p. 57 Bibl. MSS. Sed primus vulgavit Casimirus Oudinus primo loco inter Veterum aliquot Galliae et Belgii opuscula. Lugduni Batav. 1692, 8. praeter rem tamen Hincmaro tribuens, qui Andradum auctorem habet.

* Huius meminit Albericus Monachus trium fortium ad an. 842 ubi et accepta

* Ughellus tomo III Italiae Sacrae pag. 296 seq. Vide infra, AUCTUS.

* *Modici* nomen videtur adscitum ex modestia, ut *Cernui* etc. Vide infra, de BALBIS.

quaedam ex eius libro profert. Extitisse vero dicit ex sacerdote Chorepiscopum Senonensem. quam dignitatem deponere jussus fuit in concilio Parisiensi an. 849 quo in Concilio omnes pariter *chórepiscopi, qui erant in Francia, depositi sunt.*

S. AVENTINI elogium apud Labbeum t. II. Bibl. novae MSS. p. 349.

Joannis Thurmaier, sive Duromarus (Thurinomarus) AVENTINUS a patria, civitate Bavariae Abensberga, a qua Abusinensem potius dicendum fuisse notat Lambecius, a) quoniam civitas illa in itinerario Antoniniano Abusina appelletur. Natus An. 1474 b) magna doctrinae et ingenii laude relicta obiit Ratisbonae Anno 1534 ubi An. 1529 ob haereseos suspicionem c) a Principibus Bavariae, quibus operam suam navarat, missus in carcerem et non diu post iterum libertati redditus fuerat. De vita ejus et scriptis praeter Hieronymum Zieglerum, et G. H. A. sive Hieronymum Augustum Groschufium, atque Annalium Aventini editores, et Danielem Guilelmum Mollerum Dissertatione de Joanne Aventino, Baeliumque, et Auctores Dictionariorum Historicorum, consulendi Parnassi Boici Scriptor d) Parte VII pag. 28 seq. Isaacus Bullartius tomo I Academ. pag. 146 (qui effigiem quoque aere descriptam exhibet, ut Boissardus tomo II imaginum pag. 222.) Joannes Georgius Betulius, sive Burchardus in Epistola ad Amicum edita Hanoverae 1710, 8. Joannes Georgius Schelhornius in Amoenitatibus Litterariis tom. V pag. 81, 302 et tom. VI p. 596. Scripta Aventini distincte referre operae pretium duxi:

1. *Annalium Boicorum* a primis Germanoribus temporibus *libri septem* usque ad An. CHristi 1450. quo opere non solum Bavaricis, sed totius Germaniae rebus insigne affundit lumen, quanquam in antiquitate etiam fabulis honorem esse permiserit. Coepit illud Opus Anno 1519, 6 Februarii, ut ex autographo ejus in Bibliotheca Guelpherbytana W. E. Tentzelius e) notavit. Non edidit Aventinus ipse; sed viginti demum annis interjectis post ejus obitum Hieronymus Zieglerus, Ingolstadii 1554 fol. nec sine locorum quorundam alteratione vel omissione. Integriores deinde nactus vulgavit Nicolaus Cisnerus, Basil. 1580 fol. recusos ibidem 1615, 1627 et denique prodiere curante celeberrimo Viro Nicolao Hieronymo Gundlingio, Lipsiae 1710 fol. in qua editione dolendum auctores, quos Plinii exemplo sub cujusque libri initium Aventinus nominaverat, desiderari. Loco Zieglerianae autem praemisit Gundlingius, vitam Aventini scriptam a Groschufio, addidit etiam ejusdem Aventini Abacum, de quo mox sum dicturus, et Helvetiam Francisci Guillimanni. Opportunum est in hac editione libris divisis in capita, capitibus in minores sectiones sua singulis argumenta praemitti. Libri septimi capite extremo Aventinus: *Alberti IV.* (Principis Bojariae) *vitam et egregia facinora, item ea, quae sub ipso deinde prole ejus gesta sunt, quae ego maxime memorabilia existimo, proprio operi dicari decrevi.* Illud nunquam lucem vidit, quod sciam, sicut nec alia ejus, quorum spes facta a Gesnero pag. 386 Bibliothecae. *Chronicon de quatuor Monarchiis, Ecclesiastica Historia* ab Orbe condito ad nostra tempora. *L. Apuleji* et *Symmachi* dialectica. Grammatici *Diomedes*, utraque ars *Donati*, *Servii* de quantitate syllabarum, et centimetrum: *Manlius Theodorus*, quem ait scitissime de metris scripsisse: et *Eurycius* discipulus Prisciani, quem maximum assertorem Analogiae ait optime scripsisse de conjugationibus. Notae in *Claudianum* Poëtam et Germaniam *Taciti*. *Pondera, mensurae, mone-*

a) Lambecius tom. II pag. 471. Adde Aventinum ipsum libro VII cap. 26. Schelhornii Amoenitates Lit. tomo V pag. 86.

b) Sic Parnassus Boicus ex Aventini autographo, licet Nicolaus Reusnerus in Iconibus pag. 58. Paulus Freherus pag. 1443 et alii communiter ponant An. 1466.

c) Pirckheimerus Epistola ad B. Rhenanum edita a Gundlingio praefat. ad Annales Aventini. D. G. Mollerus Dissertat. de Aventino § XI. Altdorf. 1698, 4.

d) *Neu-eroffneter Musen-Berg von Denck. und Lesswurdig keiten aus der gelehrten Welt, zumahlen aus den Landen zu Bayern, zu Munchen* 1725.

e) *Monahtliche Unterredungen* Anno 1694 pag. 755. Curieuse Bibliotheq. Anno 1704 pag. 440.

ta, pedes, passus, perticae, stadia ad nostram formam redacta. Hymnus *de coelesti sphaera* correctus cum Graecis, quae ante deerant, atque veris *Coeli imaginibus*: per quem hymnum, Germanici Aratum intelligo. *Errores recentiorum in Cosmographia et Astronomia. Imperatorum veterum monetae* cum imaginibus et inscriptionibus. *Dictionarium* Graeco-Latinum et Latino-Graecum cum quotidianis collocutionibus Graeca ac Romana Lingua.

Paralipomena ad Annales, nec in Gundlingiano Aventino obvia, nobilissimus Struvius ex Bibliothecae Jenensis Codice edit. Cisnerianae vulgavit in tomo I Actorum Litterariorum ex MSS. fasciculo VIII pag. 20–28.

Epitome horum *Annalium* edita Germanice, cum Tabulis XXX Historicis et Genealogicis, Norimbergae 1522 in folio. *Bayrisches* Chronicon: *in Latein verfertiget und in syben Büecher getailt, ein Kurtzer Auss zug.* Vide laudati Schelhornii amoenitates Litterar. tom. V pag. 82. seqq.

Germanicam versionem Annalium absolvit Aventinus An. 1533 quam inscripsit *Chronicon* et divisit in *libros VIII* licet non ulterius, quam Latinum opus progrediatur. Multa vero passim addidit, ut in libro statim primò, alia etiam omisit, ita ut utraque Latina et Germanica conjungere, atque una ex alteris supplere et illustrare sit necesse. Prodiit demum (itidem ut Latina post auctoris mortem) cum praefatione Simonis Schardii, Tabulisque XXX Historicis et Genealogicis, Francofurti 1566 fol. atque restituta a Nicolao Cisnero libri I. Lacuna 1580 et Francofurti 1622 fol. adde quae notavit Joannes Fridericus Fellerus in clarissimi Struvii *Historisch-Politischem Reichs.* Archiv. III p. 254 sqq.

2. *Abacus et vetusta Latinorum per digitos manusque numerandi et loquendi consuetudo,* prodiit Ratisbonae 1532, 4 et ad calcem Annalium edit. Gundlingianae, Lipsiae 1710 fol. Confer, si placet, quae de *Bedae*, quem Aventinus est secutus, aliisque hujus argumenti scriptoribus dixi in Bibliotheca Latina IV 6, 12 tom. II edit. Venetae pag. 447 seq.

3. *Chronicon*, sive *Annales Schirenses*, editi primum Biponti 1600, 4 et cum Conradi Philosophi, Praepositi Schirensis, qui An. 1241 obiit, Chronico originis et fundationis ejusdem monasterii, Augustae Vindel. 1616, 4 et cum notis P. F. Stephani, Abbatis Schirensis, Ingolstad. 1623 fol. et cum eodem Conrado, Stephanique notis, et continuatione Georgii Christiani Johannis, Argentorati 1716, 4.

4. *De antiquitatibus ac monumentis Utinensibus, sive Otingensibus*, (Alt-Oeting in Bojaria superiore) Norimbergae 1518, 4te et in Joannis Petri Ludewig Scriptoribus Bambergensibus, Francofurti 1718 fol. tomo II et Germanice cum auctario Martini Eysengreinii, Praepositi Otingensis, Ingolstad. 1751, 8. Meminit hujus libri a se editi Aventinus lib. IV annalium Boicorum IV 17 § 4 et 5.

5. *De Turcarum origine et causis, cur ita invalescant, et quomodo pelli possint.* Latine in Philippi Loniceri Chronicis Turcicis tomo I pag. 113. Francofurti 1578 fol. post editiones Germanicas Henrici Mulleri in commentariis de rebus Turcicis, ibidem 1563, 1573 fol. quas expresserunt etiam Leonh. Fronspergerus *im Kriegs Bach*, t. III, pag. 300 et Goldastus in *Politischen Reichs-Handeln,* pag. 470. *Von Gegen-Wehr. und Ursachen des Turckischen Krieges.* Prodiit et separatim Biponti 1597 4,^to^ scriptusque hic liber ab Auctore Anno 1529 cum Solimannus Imperator Viennam oppugnandam sibi sumsisset.

6. *Vita Henrici IV* aliaque hoc titulo: *Divis Dionysio Areopagitae, Hemerano, Bolsgango, tutelaribus Bojariae numinibus S. Illustriss. que Principibus Bojorum Vilelmio Litavico, Ariovisto D. D. Imp. HENRICI IV. Caes. Aug. Ducis vero Bojorum septimi vita. Ejusdem* Epistolae *inventae a Johanne Aventino, editae vero a sodalitate litteraria Bojorum. Clariss. atque Illustriss. Principis Friderici Ducis Saxoniae* etc. *Epistolae ad Johannem Aventinum. Ejusdem Principis capita rerum, quas ipsi absolvit Aventinus: ad eundem Principem Aventini CARMINA: Auctores quidam quos Aventinus invenit, et qui nondum impressi sunt. Sodalitatis lite-*

variae Bojorum carmina, cum Privilegio Imperiali. Typis exscriptum est Augustae Vindelicorum in Sigismundi Grimm Medici, et Marçi Wirsung officina, Mense Augusto Anno MDXVIII in forma quadripertita. Libri, quos invenisse se in epistola ad Leonardum de Eck de Wolfseck, ejusque et principum suorum auspiciis publicaturum ait, sunt sequentes: * *Divi. Cyprianus et Victor Martyres CHRISTI. Jus pontificium integrum. Lex Salica integra cum additamentis Caroli Magni, Litavici primi, Lutharii primi, Augustorum. Fragmenta quaedam veterum JCtorum.* Vitrobius de Metallis. *Alberti Magni Magia. Mathematica Hermanni Comitis Veringens. et ejus Chronicon. Jordanus Episcopus integer, cum annotation. et commentar. Albert. Bojemi. Provinciarum Rom. Imperii cum insignioribus urbibus descriptiones. Regino et Romerius praesules de rebus Germanicis. Veronardus Noricus de rebus Bojorum. Albertus Bojemus itidem Decurio Batharinus, consiliarius Otonis primi comitis Palatini Rheni et Ducis Bojorum. Fortunatus Episcopus Pictonum, qui XI libros carminum ad Gregorium M. Pont. Max. scripsit; ejus sunt* Salve festa dies et Crux fidelis, *quae imperiti aliis falso tribuunt. Euticius Grammaticus. Aspar Grammaticus. Diomedes integer.* Theodorus Mallius de metris. *Ars Donati. Grammatica vetus Graeca. Lexicon Graecum et Latinum vetustissimum, quod Pomponius Laetus se in Norico legisse gloriatur, et Hermolaus citat.* Prioribus literis Friderici Saxoniae Elect. ad Aventinum Torgaviae Dominica Esto mihi a A. MDXIV exaratis haec est inscriptio: *Von Gottes Gnaden Friderich Herzog zu Sachsen* etc. *und Churfurst* etc. *Unserm lieben besondern dess hochgebohrnen Fursten unsers lieben Oheyms Herzog Ernsts zu Bayern* etc. *Zuchtmaister* Johann Aventin Magister.

7. In Bibliotheca Amplissimi Senatus Lipsiensis servantur MSS. libellus *de origine Urbis Ratisbonae* scriptus in Comitiis Reginoburgicis An. 1532. Et alius *de veterum Romanorum disciplina militari, atque de expeditionibus Christianorum Saracenicis* An. 1529. Et alius, quem jam editum dixi, *de causis Turcicae potentiae.* Vide B. D. Gottfridum Christianum Goetzium de Bibliotheca Lipsiensi pag. 31.

8. *Epistolae* quaedam manu Aventini scriptae servantur in Bibliotheca Celsissimi Gothani Ducis * e quibus duas publicavit W. E. Tentzelius in Diario Litterario vernaculo, quod curiosae Bibliothecae titulo exstat editum Anno 1704 pag. 440 seq.

Epistola ad Joachimum Vadianum data Anno 1530. ubi referuntur argumenta librorum X. *Germaniae illustratae,* sive *Capita rerum, quibus illustrabitur Germania ab Aventino, modo contingat benignus Mecoenas.* Exstat apud Gesnerum pag. 385. Bibliothecae, et in Aventini Abaco, et in vita ejus scripta a Groschufio, et in Goldasti centuria Epistolarum Philologicarum Francof. 1710 et Lipsiae 1674, 8 pag. 187-195. Non dubium autem videtur, idem opus esse, quod deinde in septem libros Annalium Aventinus contraxit.

Rudimenta Grammaticae Lipsiae 1519 et 1522, 4 editio secunda locupletior. Auctor se vocat *Joannem Aventinum Duromarum.*

AUGIENSE Chronicon ab Anno 709 ad 954 cum additione Wilhelmi, Archiepiscopi Moguntini, in Miscellaneis Baluzii tom. I, pag. 496. 500.

AUGUSTENSE Chronicon ab An. 973 ad 1104 tom. I. scriptorum rerum German. Freheri.

AUGUSTINUS *de Ancona,* vide infra *Aug. Triumphus.*

AUGUSTINUS *de Asculo*, Augustinianus circa A. 1385 qui scripsit Moralia in Genesin, Lectiones in Scripturam, in Evangelia Dominicalia, in libros Ethicorum Aristotelis et in quatuor sententiarum libros Petri Lombardi. Librum prolixiorem *de Conversatione novitiorum,* qui MS. Cantabrigiae servatus, ad alium auctorem referendum esse ipse Caveus monuit.

* (Ex t. VI. 347) Cl. Mazzuchellus an-

* Secuti sumus in iis enarrandis ipsius Aventini orthographiam.

* D. Ern. Sal. Cypriani Catalog. Codicum MSS. Gothan. p. 67 n. CXXI.

num quo scriptor iste floruit, recte emendat. Scribendum enim fuerat floruisse an. 1297 quo destinatus fui a Bonifacio VIII. ut sacras omnium ubique fidelium confessiones audiret. Alia eius opera vide ibidem apud eundem Mazzuchellum I. 239.

AUGUSTINUS de Roma, Gregoril M. discipulus, ex Abbate Romano legatus A. 598 in Angliam et Archiepiscopus primus *Cantuariensis,* defunctus A. 604. de quo praeter Warthonum tomo priore Angliae sacrae, adeunda Acta Sanctorum 26 Maji tom. VI, pag. 373 seq. ubi etiam pag. 575 vita scripta a *Goccelino* Monacho ex editione Mabilloniana, et pag. 411 historia translationis. Ejus *interrogationes XI ad Gregorium M.* Papam, cum Gregorii responsis, in editionibus Gregorii M. ad calcem ejus Epistolarum, et in Bedae historia Anglorum lib. I. cap. 27 quae in editione Abrahami Wheloci etiam veterem Saxonicam versionem adjunctam habet.

AUGUSTINUS DATHUS, Senensis Philosophus et Orator defunctus in patria Anno 1479 cujus *Historiae Senensis* libri III. *Historia Plumbinensis*, *Stromata*, sive Miscellanea Critica et Philosophica, opus imperfectum *de immortalitate animorum*; et *Orationes*, *Epistolae*, aliaque scripta junctim vulgata a nepote, Senis 1503 fol. et recusa Venet. 1516 fol. apud Caveum diligenter recensentur.

(20 Vide laudatissimum op. *Jo. Nicolai Bandierae de Aug. Dato Libri duo. Romae*, *Zempel* 1733, 4.)

AUGUSTINUS *Eucadius* ex solo mihi notus Vossio, qui notat ei vitas VIII. Imperatorum et descriptionem Danubii fluvii MSta exstare in Bibl. Caesarea.

AUGUSTINUS *de Favaronibus* Romanus, Augustiniani Ordinis ab A. 1419. Generalis et Episcopus ab A. 1431. Caesenas ac denique *Nazarenus* Archiep. in ditione Neapol. Obiit A. 1443. Hic unus ex illis quos ad examinandas S. Brigittae revelationes An. 1419 designaverat Urbanus VI. Commentaria ejus in Epistolas Pauli, Cononicasque et Apocalypsin, scriptaque de perfecta justitia militantis Ecclesiae, de principatu Papae, de potestate Principum in collatione bonorum suorum Ecclesiis facta, aliaque apud Elssium pag. 93 seq. commemorantur. In quibus etiam liber A. 1435 reprobatus in Concilio Basileensi sessione 22 tomo VIII. Harduin. pag. 1199 (atque inde in Indice Romano) tributus in tractatus tres, quorum primus *de sacramento unitatis JESU CHRISTI et Ecclesiae:* secundus *de CHristo capite et ejus inclyto principatu:* tertius *de charitate CHristi circa electos et ejus infinito amore.*

S. AUGUSTINUS natus An. 354. Idibus Novembris Tagastae in Numidia Doctor Ecclesiae inclytus, ex auditore Manichaeorum A. 387. conversus et baptizatus a S. Ambrosio, nec diu post ab An. 396. Episcopus in Africa *Hipponis Regii*, sive *Hipponensis*, et post diligentem operam cum insigni laude positam in agro Domini, et post certamina advers. Ethnicos, Arianos, Manichaeos, Pelagianos, et Donatistas, diem obiit, teste Prospero, A. C. 430 die 28 Aug. Theodosio XIII et Valentiniano III Coss. De vitae ejus scriptoribus atque de editionibus operum jam dixi in Biblioth. Latina IV 3. neque aliud in praesenti velim dictis addere, quam luculentam illam editionem eruditorum Benedictinorum, quae iterata fuit Parisiensibus typis et Amstelodamensibus, novissime etiam recusam esse Venetiis, praelo Jo. Baptistae Albrizzi An. 1733 in qua nonnulla S. Augustini scripta etiam collata exhibentur cum MS. antiquissimo Bibl. Capituli Veronensis.

Eodem tempore clarus AUGUSTINUS post Chromatium Episcopus Aquilejensis, Primas Venetiarum, Histriae, Norici utriusque et Rhaetiae ab A. 414 ad 422 cujus hoc elogium in aula Patriarchali apud Utinum, litteris plus quam uncialibus descriptum notavit Henr. Norisius: * *Augustinus urbe Roma a Gothis devastata consternatos Aquilejensium animos jejuniis et supplicationibus sacris ad Divinam opem implorandam erexit.*

AUGUSTINUS de Besignano, *Neapolitanus* Ord. Minor. medio saeculo XV cujus *expositio super Magnificat.* MS. inter libros Bi-

* Tom XII Augustin. edit. Amst. p. 516.

bliothecae Petrinae hujus Urbis. Vide. B. Staphorsti nostri Hist. Ecclesiae Hamburg. tom. III p. 252, 259 seq.

AUGUSTINUS *Novellus* de Terano sive Interamnensis, Eremita S. Augustini obiit Anno 1310 de quo Elssius pag. 100 seqq.

AUGUSTINUS *De Novis*, Ticinensis, sive Papiensis Canonicus circa A. 1500. cujus *historia quadripertita* ab orbe condito ad sua tempora, recensita a Samuele Cremonensi circa An. 1511. et adhuc inedita. De aliis ejus scriptis nihil habeo, quod Warthoni ad Caveum observatis adjungam.

* *Canonici Regularis Ticinensis scrutinium conciliorum quatriconsulti collegii*, quo opere Canonici ordinis ab Apostolicis institutionem, eiusque supra caeteros monasticos ordines praestantiam demonstrat. Sunt autem variorum collegiorum consilia pro Canonicorum Regularium praestantia: his vero author commentarium suum adiecit. prodiit opus Florentiae an. 1500 in fol. fugit vero illud Wartonum. (Audifredi pag. 369.)

AUGUSTINUS *Patricius* * de Piccolominibus. Francisci Piccolomini Cardinalis et Archiepiscopi Senensis a secretis in legatione in Germaniam sub Paulo II. idem Canonicus Senensis, atque inde Episcopus ab An. 1483. Pientinus (*Pienza* in Hetruria) et Ilcinensis, et Innocentio VIII. Magister Ceremoniarum, defunctus sub Alexandro VI An. 1496. Scripsit *Summam Conciliorum Basileensis* An. 1431 *et Florentini* An. 1438 seq. habiti, quae in tomis Conciliorum Labbeana tomo XIII, pag. 1488 et Harduin. tom. IX, pag. 1081 ad calcem Florentini legitur scripta circa An. 1480.

Descriptionem adventus Friderici III Imperatoris ad Paulum II apud Raynaldum ad Annum 1469. quae integrior apud Mabillonium Musei Italici tom. I, pag. 256-272.

Historiam Conventus Ratisbonensis Anno 1471 celebrati ad Jacobum Piccolomineum Cardinalem, inter cujus Epistolas Mediol. 1506 atque alibi vulgatas prodiit et in Freheri Scriptoribus rerum Germanic. tom. II, pag. 288.

Vitam Fabiani Bencii, Politianensis, Sacrorum Canonum Professoris, defuncti Romae 30 Novembris An. 1481 ad Bartholomaeum Paganuccium JCtum, editam a Mabillonio Musei Italici tom. I, pag. 251-255.

Libellum *de Senae urbis antiquitate*, et alium *Historiarum Senensium* ab An. 1186 ad 1388 utrumque adhuc ineditum, de quo vide Diarium Eruditorum Italiae tom. XVIII, pag. 355 seq. et de libro *de annatis* pag. 359.

Idem Patricius cum *Jacobo Lucio*, Episcopo Cajacensi, et *Johanne Burchardo*, Caerimoniarum Magistro et postea Hortensi Episcopo, recensuit jussu Innocentii VIII. *Pontificale Romanum* de ritibus Pontificum in ordinationibus, benedictionibus, exauctorationibus etc. Romae 1485, 1487. Lugduni 1511 fol. Sicut vero antiquiora atque inter se passim diversa diversis temporibus Pontificalia MSS. feruntur, ut quibus ex Bibliotheca Regia et Colbertina usus est ad libros de antiquis ritibus V. C. Edmundus Martene. Ita post Patricium sub Leone X. Pontificale novo studio iterum recensitum est ab *Alberto Castellano*, Venetiis 1520 et Lugduni 1542. Inde sine nominibus illorum, quorum opera ad hunc laborem usi sunt Pontifices, Pontificale novo studio recognitum lucem vidit auctoritate Clementis VIII. An. 1596 et Urbani VIII An. 1644. quod recusum habeo Coloniae 1682 8.vo exstat et editio Antwerpiensis 1707, 8 de qua D. Joannes Fabricius Helmst. tom. VI. Bibliothecae pag. 543.

Cerimoniale Romanum ad eundem Innocentium VIII An. 1488, sive *libri III de sacris caerimoniis Ecclesiae Romanae* in eligendo et colendo Pontifice, in excipiendis Cardinalibus et externis Principibus, eorumque Legatis etc. ab eodem Patricio recogniti, et postea editi a *Christophoro Marcello*, Archiepiscopo Corcyrensi, cui gravis eo nomine plagii dica scribitur a *Paride de Grassis*, Episcopo Pesarensi, aliisque, * sed strenue defenditur ab Apostolo

* Baelii Dictionnaire in *Patrice*. Giornale de' Letterati d' Italia tom. XVIII pag. 145 seq. ubi V C. Apostolus Zenus accurate et diligenter de hoc Scriptore disserit.

* Vide Mabillonium tomo II Musei Italici pag. 584

Zeno in tomo XVIII Diarii Eruditorum Italiae pag. 367 seq. Prodiit hoc Cerimoniale Rom. 1516 cum Privilegio Leonis X. Venetiis 1516 fol. Florentiae 1521. Coloniae 1557 8. Romae 1560 fol. Coloniae 1572 8. Venetiis 1573, 1582, 1616. et cum nihilominus esset rarissimum, curante nobilissimo *D. Christ. Godofredo Hofmanno* recusum est novissime in tomo secundo novae collectionis, Lipsiae 1733 4.to

AUGUSTINUS *de Roma.* supra, *de Favaronibus*, et *Cantuariensis.*

AUGUSTINUS *Ticinensis.* supra, *de Novis.*

AUGUSTINUS TRIUMPHUS, Anconitanus Ordinis Augustin. interfuit Concilio Lugdunensi An. 1274 juvenis, et post varias obitas legationes, officiaque Carolo et Roberto Regibus Siciliae praestita obiit Archiepiscopus Nazarenus Neapoli 1328 aetatis 85 de quo Cornelius Curtius in elogiis Augustinianorum pag, 129 seq. et Philippus Elssius pag. 89 seq. encomiastici Augustiniani. Epitaphium habet Missonus itinere in Italiam pag. 429. quod cum icone, vita, et elencho operum praemittitur etiam Triumphi summae *de potestate Ecclesiastica* ad Johannem XXII post priores An. 1473 et 1579 editiones recusae Rom. 1582. cujus exempla quaedam Annum 1584 alia 1585 praeferunt, fol. *Milleloquium* ex S. Augustini scriptis, absolutum a Barthol. Urbinate Episcopo prodiit Lugduni 1555. In *Canticum Deiparae, salutationem Angelicam*, et super *Missus est Angelus,* post editiones Romanas recudi fecit Petrus de Alva et Astorga in Bibliotheca Mariana, Madrit. 1648 fol. Longe plura ejus edita atque inedita apud Elssium videantur, qui pag. 102 memorat itidem illius Tractatum *de cognitione animae, ejusque potentiis* recensitum et Bononiae Anno 1503 editum ab AUGUSTINO *Placentino*, Eremita, qui scripsit etiam destructionem arboris Porphyrianae.

AVITUS *Viennensis* Episcopus et Poëta. supra, ALCIMUS.

et Commentario praevio ad illum tomum p. VI. Baelii Lexicon in *Grassis* nota D. Johannis Georgii Schelhornii Amoenitates Litterarias tomo III pag. 145 seq. Theophili Sinceri *Nachr chten non raren Buchern* pag. 275 seq.

AVITUS Presbyter *Bracarensis* in *Hispania*, Latine e Graeco vertit, teste Gennadio cap. 47. *Luciani* a) Presbyteri Hierosol. sive Caphargamalensis, *narrationem de inventione sepulchri et reliquiarum corporis S. Stephani* Martyris primi: praemissaque ad *Palconium*, Episcopum Braccarensem, Epistola, reliquias illas per *Orosium* misit An. 416 b) Exhibent narrationem illam Latine ex Aviti versione Surius 3 Augusti, Baronius ad Annum 415. Combefisius tom. VII. Bibliothecae Concionatoriae pag. 573. Editiones Augustini Lovan. tom. X. Benedictinorum vero Paris. Amstelod. et Venet. ad calcem tomi VII *Epistolam ad Papam Palconium* edidit Mabillonius tomo IV Analector. pag. 181 (pag. 386 editionis novae in fol.) Quam parum illa narratio mereatur fidei, disputat Bochartus tomo I. Operum pag. 1228 seq. Non dubitavit tamen de ea S. Augustinus XXII 8 de C. D. nec Grotius ad Act. VIII 2. Vide et infra, EVODIUS et SEVERUS.

AUMINUS *Keldus*, Scotus Episcopus, Cangio notus ex solo Dempstero, qui ait eum obiisse A: 1298.

AUNARII, aliis AUNACHARII, Episcopi Autissiodorensis, qui Anno 573 Concilio Parisiensi subscripsit, *Epistolam ad Stephanum Presbyterum*, de scribenda Vita *S. Germani*, c) qui ab Anno 420 ad 448. Episcopatum Autissiodorensem gessit, in Bibliotheca S. Germani de Pratis Codice 633 legit Cangius. De aliis vitae S. Germani Scriptoribus infra CONSTANTIUS Lugd. et HERICUS.

AURELIANUS Clericus Remensis Ecclesiae, ad Bernardum Archicantorem, postea Episcopum, teste cap. 110 Sigeberto, scripsit Tonarium Regularem, sive *de regulis modulationum*, *quas tonos sive tenores appellant, et de earum vocabulis.* Ab hoc Aureliano *Epistolas Martiali Lemovicensi* suppositas

a) Vide Eustratium de vita functorum statu cap. 25. Photium Cod. 171. Nicephorum XIV 9. Nicolaum Antonium III 2 Bibliothecae veteris Hispanae.

b) Marcellinus Comes ad Annum 415, 416 fasti Idaciani et Chronicon a Ruinarto editum in Historia persecut. Vandalicae pag. 113, 114 Baronius ad Martyrolog. Rom. 3 Augusti.

c) Sammarthani tom. II. Galliae Christianae pag. 267 268.

fuisse suspicatur Barthius XLV. 7 et 21 Adversar. nullo alio ductus argumento, quam quod *Vita et Acta Martialis Lemovicensis* sub AURELIANI nomine feruntur, edita Parisiis 1522, 8 et cum Abdia Basileae 1552 fol. adde Acta Sanctorum 30 Junii tom. V, pag. 535 sed ille Aurelianus commentitius se auditorem illius adeoque Apostolorum temporibus propriorem profitetur. Noster, qui de Musica scripsit, a Trithemio cap. 294 notatur vixisse circa A. C. 900.

AURELIANUS non Lugdunensis, ut legas apud Miraeum in auctario c. 151 sed Arelatensis fuit, qui *Vigilium* Papam velut Chalcedonensi Synodo per trium capitulorum damnationem iniquum monuit. Vide Baronium ad Annum 550 num. 8 seq. *Epistola* ejusdem Aureliani ad *Theudebertum I* ab Anno 534 ad 547 Francorum Regem, apud Andream du Chesne tom. I. Histor. Francorum pag. 855. *Instituta Regulae ad Monachos et ad Virgines* vulgavit Lucas Holstenius Parte secunda pag. 58 et Parte tertia pag. 35 Codicis Regularum, Romae 1661 Parisiis 1663, 4.

AURELIUS *Brandolinus*, infra, BRANDOLINUS.

AURELIUS Episcopus Carthaginiensis ab Anno 391 ad 429 strenuus Ecclesiasticae doctrinae et disciplinae assertor adversus Ethnicos, Donatistas, Caelestium, ac Pelagianos, et Tertullianistas, de quo diligenter et accurate Tillemontius tomo XII Memoriarium Historiae Ecclesiasticae pag. 554 seq. ubi etiam de Conciliis sub eo habitis Milevitano, Hipponensi, et Carthaginiensibus. De Dea Coelesti ejusque cultu per Aurelium Carthagine everso Baronius ad Annum 392 et Caveus in Parte secunda Historiae Litterariae S. E. *Epistola Encyclica* de damnatione Pelagii et Caelestii ex Cresconio apud Baronium ad Annum 419 et Conciliorum Tomis. *Epistolam* Aurelio suppositam *ad Damasum* rejicit Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 544 cum Baronio ipso ad Annum 274 et Possevino.

De AURELIO *Apollinari*, qui teste Vopisco cap. 1 Numerian. gesta Cari Imperatoris jambis scripsit: nec non de AURELIO, sive AURELIANO *Festivo*, Aureliani liberto, quem Lampridius cap. 6 ait Firmi Tyranni vitam tradidisse: ac de liberto Patris Aurelii Alexandri Severi AURELIO Philippo, et de AURELIO *Vero*, quos Alexandri Severi Imperatoris vitam in litteras misisse, ex eodem Lampridio cap. 3 et cap. 48 novimus, quemadmodum et de Scriptoribus Latinis, quorum scripta habemus, AURELIO Olympio Nemesiano Poëta, opportunior locus dicendi fuit in Bibliotheca Latina.

AURELIUS AUGUSTINUS. supra, AUGUSTINUS.

B. Pontii Martyrium, quod circa Annum Christi 257, 2. Id. Maji obiisse traditur, contubernalis ei, qui fertur scripsisse, non AURELIUS vocatur, ut a Joanne Gottfrido Oleario pag 96 Bibliothecae S. E. sed VALERIUS, apud Baluzium, qui primus edidit tom. II Misc. p. 124.

AUSONIUS, de quo dixi in Bibliotheca Latina III, 10. sed quoniam nonnulla videor mihi ab eo tempore de illo scriptore observasse non indigna fortasse Lectoris studio, caput illud integrum cum auctariis novae editionis Bibliothecae Latinae volui.

Decimus Magnus AUSONIUS a) Burdegalensis, Grammaticus et Rhetor doctissimus, Poëta vero suavis atque ingeniosus, Christi b) etiam sacris addictus, etsi ejus

a) Ausonii hujus Pater Julius Ausonius, Vasatensis, Medicus Valentini senioris. Ejus libros de medicina memorat Marcellus Empiricus. Fertur et illius dictum, *beatum esse non qui ha'et quae cupit, sed qui non cupit quae non habet.* Adde Josephum Scaligerum in Ausonii vita, Vossium libro de Philosophia pag. 105 et Joannem Fridericum Gronovium libro II. Observationum cap. 17. bonus vir fuerit Ausonius ille pater, docet filius Epicedio in eum scripto, quo inter alia testatur nonagenarium obiisse. Genealogiam integram vide parentalibus subjectam pag. 143 edit. Jacobi Tollii. Alius fuit Ausonius Sophista, de quo Svidas.

b) Olaus Borrichius Vir. Clariss. in libro de Poetis pag. 75 et doctissimus Caveus Parte II Historiae Litterariae Scriptorum Eccles. pag. 100 Christophorus item Hendreichius in pandectis Brandenburgicis tom. I, pag. 560 non dubitant Ausonium religione Ethnicum pronunciare: quin vir insignis doctrinae Ludovicus Antonius Muratorius tom. I. Anecdotorum Bibliothecae Ambrosianae pag. 114 ait neminem dubitare, quod a religione Christiana alienus Ausonius fuerit. Addidit Borrichius, etiam propterea a Pontio Paulino amico identidem objurgatum. Et pag. 74. *Paulinus discipulus Ausonii, quem colebat ut*

rei rara (certa tamen) in scriptis suis reliquit vestigia. Ab Imp Gratiano, quem non minus ac Valentinianum fratrem in bonis litteris instituerat, promotus ad Quaesturam, et An. CHristi 376 ad Praefecturam praetorii Italiae, et An. 387 ad Praefecturam praetorii Galliarum, et Anno C. 379 ad Consulatum, obiit imperante Honorio post A. C. 392 major octogenario. De Ausonio consulenda vita Fl. Malli Theodori scripta ab *Alberto Paulo Rubenio*, et vulgata a Joanne Georgio Graevio. Ultraject. 1699, 12 pag. 17 seqq. et *Joannes Ægidius Lacarry* S. J. in historia Galliarum sub Praefectis Praetorio Galliarum a Constantino M. ad Justinianum Paris. 1675, 4 et *Jo. Baptista Souchay* in vita Ausonii nuperae editioni praemissa, nec non *Beletus* diss. de Ausonio recitata in Academia Regia Scientiarum et litterarum elegantiorum Burdegalensi. *Biblioth. Françoise* An. 1726 mense Majo et Junio pag. 52 seqq. Idem Beletus novam parat Ausonii ἔκδοσιν, in qua singulis poëmatiis caeterisque lucubrationibus tempus et alios characteres historicos est assignaturus. *Journal des Savans* 1730 Octobr. pag. 176. Vicarium Africae fuisse notat Josephus Scaliger lib. 2 lect. Ausonianar. cap. 17. ubi et alia. Consulatum suum incidere in Annum Urbis conditae 1118. qui ex supputatione Ausonii Epocham Varronianam tredecim annis intervertentis c) respondet Anno Chr. 379. testatur ipse Epigrammate 3 pag. 93 edit. Tollianae.

Mille annos centumque et bis fluxisse novenos
Consulis Ausonii nomen adusque leges,

Et Epigrammate 2.

Annis undecies centum conjunge quaternos,
Undecies unumque, d) super trieterida necte
Haec erit aeternae series ab origine Romae.

Fastos digessit Ausonius usque ad Annum Urbis conditae 1122 CHristi 382. Hinc epigrammate 4.

Hactenus adscripsi fastos; si sors volet, ultra
Adjiciam. Si non, qui legis adjicies.
Scire cupis qui sim? titulum qui quartus ab imo est
Quaere, leges nomen Consulis Ausonii.

Sed jam pridem isti Ausoniani fasti interciderunt. Vir illustris Ezech. Spanhemius tomo II de usu numismat. pag. 414 ait a sanioribus Criticis Ausonium religione gentilem credi, non Christianum. Verius tamen est CHristi sacris addictum fuisse, ut argumentis non inficiandis jam ostendi, licet carmen Paschale et versus rophalicos alterius scriptoris esse ponamus. Nolim tamen assentiri Trithemio Ausonium Episcopum Burdegalensem Concilio Treverensi (An. C. 386) interfuisse affirmanti cap. 114 de scriptoribus Ecclesiasticis. Alius fuit Ausonius

praeceptorem, sed ut aversum a Christiana religione subinde increpabat. At enim dubio procul fallitur vir doctus una cum Vossio, qui pag. 55. Poët. latin. de Ausonio: *Poëta* inquit, *fuit gentilis, qaemadmodum ex Paulino liquet.* Videtur etiam pro Ethnico habere Bailletus in Judiciis de Poëtis, tam Philippus Brietius syntagmate de Poetis Latinis, quae sententia non minus a veritate est repulsa, quam quod Gaddio persuasum propemodum a Trithemio esse video, Poetam hunc eundem Episcopum quoque extitisse Burdegalensem tom. I de Scriptoribus non Ecclesiasticis pag. 57. Christianum vero fuisse Ausonium, ut ad alia argumenta ex ipsius scriptis recurrere non sit necesse, idem Paullinus luculenter testatur ad eum scribens in haec verba.

Inque tuo tantus nobis consensus amore est,
Quantus et in CHRISTO connexa mente colendo.

Rectius itaque Gyraldus dialogo 10 de Poetis: *Christianus quidem Ausonius fuit, ut ex ejus versibus et item Paullini eius discipuli facile colligimus, sed petulantior tamen et lascivior* (respicit Gyraldus tum Epigrammata quaedam lasciva et flammis judice Caesare Scaligero expianda, tum obscoenum centonem nuptialem Valentiniano Imperatore rogante, qui nuptias simili lusu descripserat, ab Ausonio compositum) *quam ut inter Christianos numerari dignus.* Josephus quoque Scaliger Ausonium *serio Christianum fuisse* scribit lib. II cap. 32 Auson. lect. Adde his Theophilum Raynaudum in Hoplotheca contra ictum calumniae tom. XII Opp. p 420. et Baeli Dictionarium edit. 2. Objurgavit vero Ausonium Paullinus non ut aversum a Christiana religione, sed quod ille religiosum Paullini secessum palam improbaret. Fortassis male quoque ferebat Paullinus in Ausonii carminibus legere se quaedam ἐθνικώτερον scripta, quale est illud cap. 1 in Professoribus Burdegalensibus:

Et nunc, sive aliquid post fata extrema supersit,
Vivis adhuc, aevi quod periit meminens.
Sive nihil superest, nec habent longa otia sensus,
Tu tibi vixisti, nos tua fama juvat.

c) Vide Antonii Pagi Criticam Baronianam ad Annum CHristi 302 num. 15 seq. et Petri Relandi fastos Consulares pag. 461. Pagius consimili epocha cum Ausonio Arnobium quoque usum conjicit.

d) Undecies unum i. e. undecim, quibus quatuor cum trieteride additi conficiunt duodeviginti.

Martyr, Seculo VIII Episcopus Engolismensis in Aquitania, de quo Acta Sanctorum tomo V Maji 22 pag. 131 seq.

II. Extat *Liber Epigrammatum*, quibus praemittitur Theodosii e) Epistola, qua Ausonium parentem vocat, eumque rogat ut scripta sua audacter ad se perferat, non minus patrocinii et amoris reperturus, quam docti Poëtae et scriptores quondam ap. Aug. invenere. Hanc Epistolam sequitur 1 triplex praefatio versu scripta, una ad Theodosium Imp. altera ad Syagrium, tertia ad Latinum Pacatum Drepanium, quem filium i. e. discipulum appellat. *Hugolinus Martellus* Florentinus commentatione de expedita discendi ratione ad Ausonii epigramma CXLI de Demosthene, Florent. 1591. scriptoris mentem minus est assecutus, ut notatum Gabrieli in syntagmate de studio liberali, quod vide sis pag. 582, 583. tomo I methodorum de Naudaeo studiis instituendis junctim editarum curante Thoma Crenio. 2 *Ephemeris* f) sive *totius diei negotium*, vario carminis genere. 3 *Parentalia* quibus carorum suorum, ut ipse loquitur, obitus commemorat. 4 *Commemoratio Professorum Burdegalensium* 5 *Epitaphia Heroum qui bello Trojano interfuerunt*, adjecta a Guilelmo Cantero et aliis peplo Graecorum Epigrammatum in eosdem heroas, auctore Aristotele, sed ut Joannes Tzetzes ad Hesiodum monet, non Stagiritae. Addidit Ausonius alia *quaedam Epitaphia* ut de Niobe, Didone, Diogene Cynico etc. 6 *De XII. Caesaribus a Julio Caesare usque ad Heliogabalum* g) *tetrasticha*. Haec saepius ad calcem Svetonii vulgata sunt. *Tetrasticha* Ausonii *de Caesaribus* occurrunt etiam P. I elogiorum Joannis Papirii Massoni pag. 147 seq. 7 *Clarae urbes* sive *Ordo nobilium urbium* scorsim prodiit cum Hippolyti a Collibus de urbium incrementis. Etiam Pictav. 1565 una cum commentario Eliae Vineti. 8 *Ludus*, sive *Sententiae septem Sapientum* ad Latinum Drepanium Pacatum Pro-Cos. 9 *Idyllia XX* h) quorum primum est *Carmen Paschale* Proco i) dictum, quod incipit:

Sancta salutiferi redeunt solennia Christi.

Neque confundi debet cum hypobolimaea, Ausoniique nomine falso edita *oratione Paschali versibus* k) *rophalicis*, qui incipiunt pag. 326.

Spes Deus aeternae Stationis conciliator.

Idyllii septimi in Bissulam major pars et lascivior periit. Decimum sive Mosella elegantissimum est, et cum selectis Tibulli Propertiique elegiis illustratum a Paulo Duizio, Mussiponti 1615, 8. et cum commentariis Marqv. Freheri separatim prodiit Heidelbergae 1619 fol. Vide etiam Clarissimi Viri Conradi Samuelis Scurtzfleischii dissertat. historico-politicas pag. 520 seq. Tertium decimum est *cento Virgilianus Nuptialis* et *fescenninus*, cujus iterum memini infra libro IV cap. 1. Henricus Meibomius, qui hunc Centonem cum Probae et Capiluporum suisque centonibus Virgilianis edidit Helmstadii 1597, 4 satis se causae putavit in eo repperisse, ut Ausonium Christianum fuisse negaret et paganis audacter adscriberet, qua in re virum doctum fefellit ratio. *Cupido Cruci Affixus* ibidem mihi dictus, Idyllii sexti locum occupat. Cum variorum notis recusus est Hagae Comitis Anno 1742. 8. l) ad calcem Pervigilii Veneris, de quo dictum est supra. Carmine Germanico reddidit Martinus Opitius libro silvarum quinto. Hujus

e) Haec Epistola praeter causam suspecta videtur Mariangelo Accursio, Caspari Barthio XII 12. et LVIII 5 Adversar. absurde auctorem suspicato Ascensium.

f) Hanc qui legerit, Christianum fuisse auctorem minime dubitabit. Vide edit. Tollii pag. 96, 98 seq.

g) Scripserat in caeteros quoque Imperatores usque ad Theodosium, sed reliqua tetrasticha perierunt.

h) Idyllia quaedam illustrata a *Francisco Sylvi* Ambiano. 1516.

i) Forte a *Proconsule* dictum, uti Idyllium VIII est precatio Ausonii Consulis.

k) Versus rophalici dicuntur, quod ῥοπάλου, sive clavae more voces gradatim surgunt et augentur numero syllabarum, sive per singula vocabula singulis syllabis increscunt, ut Homeri ille Iliad. libro tertio vers. 182 de quo praeter Eustathium Gellius XIV 6. ὦ μάκαρ Ἀτρείδη μοιρηγενὲς ὀλβιόδαιμον. Calix ῥοπαλωτὸς apud Dionem in Commodo pag. 825. E. *in clavae figuram formatus.* Svidas in κύλιξ ῥοπαλ. Pro *Rophalicis* versibus minus bene alii legunt *Euryphallicos*. Vide Bernhardi Monetae notas ad Menagiana tom. IV pag. 180.

l) Journal des Savans 1715 pag. 195.

idyllii sexti de Cupidine crucifixo locum insignem v. 16 seq. *Fulmineos Semele* etc. illustrant Viri Clariss. Oudinus S. J. et Ravionus de Varennes. Journal des Savans 1718 pag. 197 205. Memoires de Trevoux 1717 pag. 1181 1189. *Gryphum ternarium*, sive Jdyllion undecimum illuminavit Scaliger Ep. 199. Claudius item Minos Divionensis, Parisiis 1574 4,[to] et Franciscus Sylvius, Ambianas Anno 1516 ac Franciscus Sanctius Brocensis una cum Ovidio in Ibin, Salmanticae 1596 8. At Idyllium decimum quintum de ambiguitate vitae scorsium excusum cum commentario Henrici Vagetii Hamburgi 1637 8.[vo] Idem cum distichis Catonis, aliisque prodiit 1500 4. Idem Idyllium Alcaicis versibus latinis expressum a *Salmonio Macrino* lib. V. hymnorum pag. 188 Graeca metaphrasi donavit *Fridericus Jamotius* pag. 57 poëmat. Idyllium hoc Ausonii Graece redditum a Fed. Morello 1596 12. Elegiam ejusdem argumenti scriptoris recentioris edidit Barthius XLV 16. Advers. Ad *Idyllion de Viro bono*, sive Πυθαγορικὴν ἀκρόασιν dissertatio Magni Danielis Omeisii lucem vidit Altorfii 1705, 4. in qua et plura de Ausonio. 10 *Eclogarium variorum poëmatiorum et Epigrammatum*, quorum pars ut in aliis quoque Ausonii carminibus expressa e graecis, qui in Scaligeri editione et aliis quibusdam adjuncta leguntur. Epigramma Graecum *Posidippi* sive *Cratetis* Cynici, quod expressit Ausonius et amplificavit, una cum contrario *Metrodori* legitur in Anthologia Epigrammatum Graecorum lib. 1 pag. 27 seq. In MS. Codice Antonii Eparchi qui hodie servatur in Bibl. Regis Christianissimi, prius illud exstat sub *Heracliti* nomine, alterum *Democrito* tribuitur. Vide Bandurium ad antiquitates Constantinopolitanas pag. 882 *Apophthegmata Graeciae Sapientum* cum Scholiis Erasmi, distichis Catonis et aliis quibusdam, Francof. ad Oderam 8. *Carmen Paschale* cum notis *Speltini*, in collectione poematum Speltini, Erfurti 1501 4.[to] 11. *Liber Epistolarum XXV.* uti omnia hactenus enarrata, vario carminis genere. Idylliis et Epistolis nonnullis subinde Epistola prosa scripta praemittitur. 12 *Oratio Panegyrica ad Gratianum Imperatorem*, qua illi pro Consulatu gratias agit, saepe numero edita cum XII Panegyricis, uti dictum est supra. *Periochae in Homeri Iliadem et Odysseam*, quas emendasse se profitetur *Christianus Rittershusius* Epistola ad Josephum Scaligerum tomo II sylloges Burmannianae pag. 329. 14 In editione Vineti (sicut in nupera ad usum Delphini pag. 418, sed in notis) leguntur etiam *tetrasticha in singulos menses*, quae Scaliger in sua omisit, at in Catalectis Veterum Poëtarum edidit sine auctoris nomine, quod et in sua veterum Epigrammatum latinorum editione fecit P. Pithoeus. In vetustissimo Calendario Romano, quod e Codice MS. Bibliothecae Caesareae vulgavit Petrus Lambecius ad calcem libri quarti commentariorum, et Graevius inseruit tomo octavo thesauri Antiquitatum Romanarum, Montfauconus tomo primo supplementi Antiquitatis explicatae: tetrasticha ista, quae Graevius et nuperus Ausonii editor Ausonio haud indigna judicat, imaginibus mensium singula sunt subiecta, illasque pulcre referunt. Confer Eustathium de Ismenis et Ismeniae amoribus libro quarto, ubi duodecim mensium imagines prisco more depictas describit. Accuratissimus fuit Ausonius in lege metrica syllabarum observanda, Graecis nonnullis exceptis, in quibus pronunciationi et accentibus pro more temporis sui se praebet plus nimio obsequentem, ut notavit Nicolaus Heinsius Epist. ad Joannem Fridericum Gronovium tom. III sylloges Burmannianae pag. 542.

III. Ausonium Gesnerus primum editum narrat ab Aldo, sed Laurentius Pignorius Epist. 16 auctor est Ausonium nos debere Matthaeo Bosso, Angelo Politiano, ac Thaddaeo Ugoleto: et Sauchaeus Venetam se An. 1470 fol. sine Typographi nomine evolvisse testatur: in Beughemii incunabulis Typographiae memorari video ἔκδοσιν Mediolanensem. Anni 1490. quam editionem Ausonii An. 1490 principem vocat Rosweidus ad Paulini carmen IV, pag, 836. deinde Venetam An. 1496 fol. cum praefatione Georgii Merulae: Exstat etiam Veneta An. 1494 Parmensis 1499 et Ausonius excusus Mediolani An. 1497 cum Terentiano Mauro.

Vide Diarium Venetum, Giornale de' Letterati d'Italia tom. XVII, pag. 303. Possideo editionem cum *Thaddaei Ugoleti* Parmensis praefatione vulgatam Venetiis 1501 4. passimque notatam manu viri summi *Andreae Alciati.* Epigrammata quaedam accesserunt primum Ausonio ex Bibliotheca *Georgii Merulae* Alexandrini. Fertur quoque editio Lipsiensis 1515, 4 et Parisiensis a *Michaële Humelbergio* emendata, apud Jodocum Badium Ascensium, *Hieronymi* etiam *Aleandri* m) castigationum spem facientem, Anno 1517, 4. Eodem Anno Aldus Ausonium vulgavit 8.vo Omitto editiones Basileensem *Valentini Curionis* Anni 1523. Lugdunenses apud Gryphium 1540, 8 et 1549. Parisiensem a Vineto castigatam, curante Vineti amico Jacobo Goupylo Anno 1551. Lugdunensem Ludovici Miraei 1557, 8. Antwerpiensem Theodori Pulmanni, minore forma An. 1567. Prae reliquis vero laudanda luculenta Ausonii editio, cura viri docti *Eliae Vineti* vulgata, Burdegalae A. 1575, 4 una cum commentariis ejusdem A. 1580 eadem forma excusis, et post ejus n) obitum An. 1590, 4 titulis quorundam exemplorum Annum 1604 praeferentibus, in qua editione additae praeter Scaligeranas animadversiones notae Turnebi, Junii, Canteri, Lipsi. Huic Vineto antequam commentarii ejus in lucem emitterentur, *Josephus Scaliger* suos Ausoniarum Lectionum Libros II inscripsit A. 1573. in quorum postremi capite ultimo, Poëtae vitam succincte narratam tradidit. Iidem deinde frequenter editi sunt cum Ausonio non tantum Lugduni 1575, 12. sed et apud Commelinum 1588, 8vo, et eodem Anno et 1608 minore forma Genevae, alibique ab eo tempore saepius, additis selectis Vineti notis et excerptis ex opere Adversariorum Adr. Turnebi, et scriptis Philologicis Adr. Junii, Guilelmi Canteri, et Justi Lipsii. Ante Vinetum et Scaligerum diatribas in Auson. Ovidium et Solinum vulgaverat *Mariangelus Accursius* Romae 1524 fol. qui plagii postulatus, quod labores Fabricii Varani, Episcopi Camerini sibi tribuisset, crimen illud a se removit hoc concepto jurejurando: *Quod Dii hominesque, fas fidesque audiat, sacramenti religione et si quid est jurejurando sanctius, affirmo, idque rite pariter ac sine dolo malo dici, caeterisque accipi volo, me nec ullius unquam scripta perlegisse, ac ne conspexisse quidem, unde vel tantillum lucubrationes nostras redimiri juvarique datum fuerit. Quin imo laborasse quoad ejus fieri licuerit, ut si quippiam alterius, post observationem quoque meam editam occurrerit, e nostris protinus aboleverimus. Quod si pejerem, tum Pontifex perjurio, malus autem genus diatribis contingat, usque adeo ut si qua bona aut saltem mediocria in ipsis fuerint, imperitorum turba pessima, bonis leviuscula tricisque viliora censeantur; famae si qua manent munera, vento evolent, proque vulgi levitate ferantur.* Conradus Rittershusius pag. 113 ad Guntheri Ligurinum memorat exercitationes suas ad Ausonium, in quibus plura loca Nazarii et aliorum Panegyricorum emendaverit. Sed nec illae, nec *Casparis Barthii* animadversiones ad Ausonium, aut *Henrici Ernstii* notae atque variae lectiones unquam viderunt lucem, quod sciam; licet exstant Rittershusii ad Panegyricos observationes quaedam, ut supra Lib. II cap. 22 dicere me memini.

Ab eo tempore eleganter hunc scriptorem Lugduni Batavorum 1671, 8 in lucem emisit *Jacobus Tollius* cum notis integris Scaligeri, et in Mosellam Marqu. Freheri, selectisque in Ausonium animadversionibus

m) Vide Mich. Maittaire tom. II Annal. Typogr. pag. 306.

n) Obiit Vinetus Anno 1587. Ejus secundae editionis commentarii meminit Josephus Scaliger pag. 405 Epist. gryphum ternarii Ausoniani expositurus ad Nicolaum Michaelium: *Scis quam non vulgaris eruditio sit in poëmatis Ausonii. In quibus Gryphus ternarii meli ribus aevi n stri Grammaticis crucem fixit, quamquam conatus omnium elusit recondita et velo aenigmatum summota doctrina: Nam Sylvius Ambianus nihil nisi triviali moneta percussit. Bonus Vinetus non solum sibi, sed et erudito ibus, etiam in iis, quae plana sunt, diffidit. Et quamvis in commentario secundo, quod nuper po t ejus mortem recoctum est, multa de nostris lectionibus Ausonianis in suas diatribas transscripserit, nihil tamen quo doctioribus Ausonius fa miliarior fieret expromsit.* Confer etiam, si placet, Thomae Crenii Part. IV Animadvers. pag. 11 seq. ubi et alia quaedam ad notitiam editionum Ausonii facientia.

Accursii, (quanquam integras titulus, sed false promittit) Vineti, Barthii, Acidalii, J. F. Gronovii et Joannis Georgii Graevii, de cujus postremi consilio Ausonium illustratum edendi occurrit quoque mentio in Epistola Benedicti Hoepferi, Tubingensis, data An. 1673, 29 Maji, editaque in semestri primo Annalium Academiae Helmst. 1722, 8^{uo}, pag. 185. In frontispicio editionis Tollianae abesse Epistolam *Theodosii* Augusti, et in opere ipso, *Paulini* ad Ausonium Epistolas, miratus Nicolaus Heinsius Epistola ad Joannem Fridericum Gronovium tom. III sylloges Burmannianae pag. 541, 542 infinita adhuc notat superesse in Ausonio castiganda illustrandaque, atque inter alia laudat librum veterrimum Vossianum.

Denique in usum Delphini Ausonius illustrari coeptus est a *Juliano Florido*, Canonico Carnotensi, de cujus Apulejo supra dixi. Illam editionem imperfectam relictam, Florido etiam 15 Septembris Anno 1725 Parisiis extincto, recensuit, supplevit, emendavit, dissertationem de vita et scriptis Ausonii, suasque animadversiones adjunxit *Johannes Baptista Souchay* Regiae Inscript. et humanior. literar. Academiae socius. usus etiam notis ineditis *Martini Desposii*, quae in Bibliotheca Regia MStae asservantur. Parisiis 1730 4.to Journal des Savans An. 1730 Octobris pag. 163. Journal Literaire tom. XVI, pag. 461. Acta Eruditorum Anno 1732 pag. 489.

S. AUSTREGISILI, Archiepisc. Bituricensis An. 611 defuncti Vita apud Surium et in Actis Sanctor. 20 Maji. Res gestae ac miracula tribus libris comprehensa auctoribus antiquis sed anonymis apud Labbeum tomo II. Bibl. novae MSS. pag. 350. S. Austregisili elogium id. pag. 363 adde Carolum le Cointe tom. II annalium p. 738 seq.

Chronicon AUSTRIACUM ab A. C. 852 ad 1327 in tomo I scriptorum Germ. Freheri pag. 431.

Aliud ab Anno 928 ad 1319 in Hieromyni Pez scriptoribus rerum Austriacarum tom. I.

Aliud ab Anno 1012 ad 1189 idem pag. 547.

Aliud a Conrado I sive Anno 912 ad 1273 pag. 685.

Vide et infra, VITUS *Arnepeckius*.

Scriptores rerum AUSTRIACARUM veteres ac genuini editi ab HIERONYMO PEZ Bernardi fratre, Austriaco Ipsensi Monacho Mellicensi Ordinis Benedict. duobus Voluminibus * Lips. 1721 et 1725 fol. a quo Volumen etiam tertium atque aliud AUSTRIÆ DIPLOMATICÆ libenter exspectamus.

AUTBERTUS Cassinensis, et antiquior hoc Ambrosius AUTBERTUS. Vide supra, AMBROSIUS pag. 215 seq.

AUXILIUS Grammaticus, de quo Ausonius Epigrammate 138.

AUXILIUS Francus Presbyter a Formoso ordinatus circa An. 894 scripsit *libros II de ordinationibus a Formoso factis*, contra Stephanum VII Sergiumque, † et contra intestinam Rom. Ecclesiae discordiam, sive ut Sigebertus cap. 112 *super persona Infensoris et Defensoris*, *de ordinationibus*, *exordinationibus et superordinationibas Romanorum Pontificum, et ordinatorum ab eis exordinationibus et superordinationibus*. Edidit Joannes Morinus ad calcem operis praeclari de sacris ordinationibus pag. 348 edit. Paris. 1655 et edit. Antwerp. 1694 pag. 285, 294 unde repetuntur in Bibliotheca Patrum Lugd. tom. XVII statim in limine, et in recentioribus editionibus tomo XII Baronii. Ejusdem *Dialogus super causa et negotio Formosi Papae* apud Mabillonium tom. IV. Analect. pag. 610-624 et edit. novae pag. 28, 32, 39.

* *Auxilius Francus* ne fuerit, An. Italus, incertum est, cum ipse nihil ea de re prodat. Ordinatum se a Formoso Papa quamquam affiirmare videtur, non facile tamen affirmanti assenserim, nam et alibi scribit assedisse se cum caeteris Episcopi synodo cuidam Romae a Nicolao I Pontifice habitae cum profecto constet Nicolaum Formosum praecessisse. Quamobrem cum ait in dialogo se ordinatum a Formoso loquitur non in sua, sed in persona clericorum, qui cum ordines a Formoso recepissent validitatem

* Quae in singulis contineantur, distincte exponunt Acta Eruditorum An. 1721 pag. 521 et An. 1725 pag. 585. et Acta Eruditorum Germanica Parte 72 tom. VI pag. 1057 et Parte 109 tom. X p. 61.

† Vide Baronium ad A. 908.

ordinationis huius suae defendebant. Haec ego scripsi in meis ad Pagium animadversionibus ad an. 897.

Bernardus AYGLERIUS, Gallus, Abbas An. 1263 Cassinensis, atque inde Cardinalis, defunctus An. 1282 Ejus *Speculum Monachorum* in tres divisum partes prodiit Venetiis et Colon. 1530 forma minore. Ineditus Commentarius *in regulam S. Benedicti* memoratur a Joanne Baptista Maro ad Placidum Romanum de viris illustribus Cassinensibus cap. 2. et a Placido ipso *regesta duo*, unum collationum beneficiorum et officiorum, alterum inquisitionum jurium et bonorum in castris et villis Monasterii Cassinensis.

AYMERICUS *de Peyraco*, Abbas in Gallia Moyssiacensis Ord. Bened. circa An. 1400. Ejus *Vitam Urbani V* Papae cum notis edidit Baluzius in Papis Avenionensibus tom. I pag. 415. De ejus Chronico Universali ad sua usque tempora perducto, et de gestis Caroli M. ad Johannem Ducem Bituricensem. Vide Caveum.

AZONEM JCtum Bononienses civibus suis adscribunt, Cremonenses contendunt Casalensem patria fuisse. Vide Arisii Cremonam litteratam tomo I pag. 89 seq. et diarium eruditorum Italiae tomo X pag. 281. seq. Joannis Bosiani, JCti Cremonensis discipulum et juris scientia clarissimum maxima auditorum corona stipatum (10000 ajunt, interdum) Bononiae docuisse inter omnes constat, sed fabula est supplicio affectum A. 1200, quod Bulgarum JCtum in fervore disputationis occidesset, vel citata Lege *ad bestias*, propter artis excellentiam absolutum a supplicio capitali, quod refellit Sigonius extremo libri IV historiae Bononiensis, et Busaeus tomo III hist. Academiae Paris. pag. 675. Adhuc Anno Domini 1230 vixisse Trithemius cap. 487 testatur, adstipulante Boissardo tomo I iconum pag. 59 aliisque. De Ejus *summa Juris, questionibus*, *brocardicis*, aliisque scriptis, quibus *Codicem* ac *Digesta* illustravit, vide Hendreichium etc.

(2) Fuit Bononiensis. Vide *Sarti de Claris Archigymnasii Bonon. Professoribus* I. 91 *Fantuzzi Scrittori Bolognesi. Summae* plurimae prodierunt editiones: Omnium optima forsan quae *studio Hieronymi Gigantis* prodiit *Lugduni* 1576 fol. *sumptibus Phil. Tinghii Florentini.*

AZO, sive ASSO, Monachus Dervensis, qui A. 992 obiit, scripsit post Alemannum, de quo supra p. 147 *vitam S. Bercharii* Abbatis Altvillarensis An. 685, 16 Octobris martyris, ex qua Vincentius XXIII 114 sq. speculi Hist. et *Frodoberti* Abbatis Trecensis, in Actis Sanctor. 8 Januar. Non tuto hujus Azonis fide stari, docet Carolus le Cointe ad An. 612 tom. II annal. Francorum p. 631 seqq.

LIBER II.

De BABENBURG, sive de BABENBERGA, *(Bamberga,)* vide infra JOANNES *Bab.* LUDOLPHUS, UDALRICUS.

Petrus BABION, Anglus, qui circa A. 1330 vixit, auctor *Commentarii in Matthaeum*, editi inter Anselmi Cantuariensis opera, et *sermonum variorum*, qui adhuc supersunt MSS. vide Oudinum tomo III p. 799 seqq.

BACHIARIUS laudatus Gennadio cap. 24 scripsit *de fide libellum*, in quo *satisfacit Pontifici Urbis* (Leoni M. ut Baleus volunt et Pitseus: vel Siricio aut Anastasio, ut Muratorio videtur) *adversus querulos et infamatores peregrinationis suae*, quam bellicos tumultus patriae suae * fugiens susceperat. Possit videri apud Pontificem in suspicionem adductus fuisse Pelagianismi, tanquam patria Britannus, si Baleo, Pitseoque credimus: sed ne verbulo quidem id a se removet Bachiarius neque, aliud quicquam habet, quod controversias illas tangat utcunque, quam pag. 23. *Justorum peccatorumque distantiam non ex conditione Creatoris, sed arbitrio credimus accedere voluntatis.* Bachiarii libellum primus in lucem

* Vide Miraeum ad Gennadi caput 56. Tillemont tom. XV p. 475.

protulit illustravitque notis, vir eruditissimus Ludovicus Antonius Muratorius tomo II Anecdotorum Latinorum, Mediolan. 1698, 4. Bachiarii sententiam de poenitentia et salute Salomonis affert Fulbertus Carnotensis Epist. 81. Nescio, unde hauserit Pitseus pag. 88 et Baleus Centur I, qui *Bacchiarium Maccaeum natione Britannum, S. Patricii discipulum* appellant, et librum etiam *de prognosticis nativitatum* ei tribuunt. De *Epistola* ad Januarium *de recipiendis lapsis*, vide infra, BRACHARIUS.

Tiberius BACILERIUS. infra, TIBERIUS.

Rogerus BACONUS Ilcestriensis Anglus, summi Vir ingenii, et illis temporibus *Doctor mirabilis* salutatus, obiit Oxoniae An. 1284. vel ut alii A. 1292 aetat. 78. de cujus vita et scriptis Antonius Wood in Athenis et in Antiquitatibus Oxoniensibus pag. 136 seq. Lucas Waddingus in Annalibus Ordinis Minorum ad Annum 1266 et 1278. et in Bibliotheca ejusdem Ordinis pag. 309 seq. Joannes Lelandus c. 236 Baleus IV 55 (ubi omittit, quod Baconem *praestigiatorem* vocaverat in summario de Scriptoribus majoris Britanniae edito Gippeswici 1548 4.) Pitseus ad An. 1284 pag. 366. Baelius in Lexico, et Caveus. A crimine Magiae Rogerum libenter absolvunt hodie omnes cum Joanne Dee, Anglo, et Gabriele Naudaeo, Gallo: Facile autem apparet eum non modo Matheseos et Physices peritissimum fuisse, atque in Chemicis, Opticis * et Astronomicis plura egregia observasse, et specula comburentia pulveremq; pyrium invenisse, et Calendarii emendandi monstrasse rationes: sed etiam in aliis partibus Philosophiae et Theologiae longe sapuisse ultra captum illorum temporum, ut apparet vel ex ejus *Epistola de laude Sacrae Scripturae* ad Clementem IV. ex qua insignia excerpta produxit Humfredus Hody de Bibliorum textibus Originalibus pag. 419 seq. et Henricus Warthonus in auctario ad Jacobi Usserii historiam dogmaticam de Scripturis sacrisque vernaculis pag. 420 seq. justi Voluminis molem eam exaequare testatus. In eadem Epistola exstat hoc ejus paullo liberalius promissum: *Certum est mihi, quod infra tres dies ego quemcunque diligentem et confidentem docerem Hebraeum, ut sciret legere et intelligere quicquid Sancti dicunt et Sapientes antiqui in expositione sacri textus, et quicquid pertinet ad illius textus correctionem et expositionem, si vellet se excitare secundum doctrinam datam. Et per tres dies sciret de Graeco iterum; ut non solum sciret legere et intelligere quicquid pertinet ad Theologiam, sed ad Philosophiam, et ad Linguam Latinam.* Epistolam Clementis IV ad Rogerum A. 1266 datam vulgavit Edmundus Martene tomo II. Anecdotorum pag. 358 et Rogeri *opus majus de utilitate scientiarum*, quod ad Clementem IV Anno 1267 misit, proxime a clarissimo Viro Samuele Jebbio * Londini edendum cupide exspectamus. Liber *de retardandis senectutis accidentibus et sensibus confirmandis* prodiit Oxoniae 1590 8. Apud Lelandum pag. 259 in Catalogo Rogeri Operum legendum *de operibus Naturae occultis*, ubi perperam excusum est *de operibus non occultis*. Quod vero *Antidotarium* inscribitur apud Lelandum; Pitseo, Baleo, Waddingo est *Antidotarium vitae humanae*. Similiter libri *de locis*, ut apud Lelandum legitur, integer titulus est *de locis stellarum*. Librum *de fluxu et refluxu maris Britannici*, Woodio notante, Baleus V, 42 ad Gvalterum Burlejum refert, et librum *de utilitate Astronomiae*, VIII, 27 ad Gvilelmum Botonerum: quo in libro mentio fit tractatus, *testimonia Gentilium conferentia Christianae Religioni* complectentis. Idem Woodius notat *Rogerinam majorem* et *minorem*, alteri quam Baconi auctori adsignari.

* Poeniteret hic non meminisse novae editionis insignis huius scriptoris, quam nuncia veneta promiserunt eruditis, atque, ut audio, jam prodiit typis Francisci Pitteri. Hanc cum nondum viderim hic describere nequaqum valeo.

(22 *Opus maius ad Clementem IV* primum edidit Sam. Jebb *Londini* 1733 fol.

* Ut macroscopiorum et tuborum opticorum inventionem. Vide Guil. Molineusii treatise of diodtriks Part. 2 cap. 6.

* Bibliotheque raisonnée tom. VIII p. 22.

recusum postea *Venetiis* 1730, 4. addito *Prologo Galeato.*)

Robertus BACONUS, Rogeri frater natu major (vel certe patruus) Ord. Praedicatorum, qui Theologiam Oxoniae in scholis B. Edoardi docuit, obiitque Anno 1248. Ejus sunt *vita S. Edmundi*, Archiepiscopi Cantuariensis, et *Tractatus super Psalterium*, quae Rogero perperam tributa a quibusdam notat laudatus Wood tomo I. Antiquitatum Oxoniensium pag. 140 quem vide sis etiam pag. 64 b. *Syncategorematum* librum quoque Roberto adscribi, Caveus monuit.

Joannes de BACONE, sive BACONTHORPIUS, ex pago Nordovolgiensi, sive Nordfolciensi, Carmelitarum in Anglia ab Anno 1329 Provincialis, princeps Averroistarum, et *Doctor Resolutus*, ingenio magnus, corpore parvus, diem obiit Anno 1346. De quo Trithemius cap. 415. Lelandus cap. 374. Baleus V. 1 Pitseus ad annum 1346 pag. 451. Alegre in Paradiso Carmelitici decoris pag. 294 seq, etc. Scripta edita sunt: *De fide et Baptismo. Compendium Legis CHristi. Compendium Vitae Christianae. Commentaria in quatuor libros sententiarum:* et *Quodlibeta,* de quibus Warthonus ad Caveum. Praeterea memoratur scripsisse Commentarios *in utrumque Testamentum:* in pleraque *Aristotelis:* in *Augustinum* de Trinitate et de Civitate DEI, in *Anselmum* de incarnatione Verbi, et cur DEUS homo? *Contra Idololatriam. De aeternitate DEI. De adventu Messiae. De CHRISTI Dominio. De cessatione Legalium. De Judaeorum perfidia:* et *contra Judaeos, rationes: Concordiam CHRISTI et Prophetarum. In Canones Pontificum. De beatorum visione,* contra Papam Johannem XXII. *De non ducenda fratria* palinodiam canens, qui Pontificis Romani auctoritati in cancellandis Divinis de matrimonio legibus * nimium ante tribuerat. *Contra magicas artes. Contra superstitiones. Contra vanitates Saeculi. Contra Joannem de Poliaco. De astrorum scientiis. De Jurisdictione claustralium. Tractatum de suo Ordine.* Speculum *Carmelitarum* et in eorum Regulam, atque *Defensorium*, sive eorundem Jurium Compendium. *Placita Theologica. Determinationes. Quaestiones. De conceptione Mariae libros IV. De paupertate CHRISTI. De Praeceptis et Consiliis. De peccatis et remediis. De dignitate Ecclesiae. De perfectione Justitiae. De generali Judicio. Sermones. De sphaera judiciali. De multiplicatione specierum. De santificatione festivitatum. De vocali in coelo laude. De potentiis animae, quaestiones.* Novissime Josephus Zagaglia * Theologus Carmelita Ferrariensis, defunctus An. 1711 aetat. 92. Baconthorpii memoriam renovavit, ejusque placita Theologica ac Philosophica secutum se professus est in operibus, quae vulgavit de DEO, de Angelis, de actibus humanis, de Incarnatione 7 Volum in fol. et in iis, quae reliquit MSta de Gratia, de Fide, Spe et Charitate.

Gvilelmus BADY Ordin. Carmelit Doctor Oxon. et Episcopus in Anglia Wigorniensis circa An. 1380. cujus *Constitutiones Synodales* et librum *de poenitentia* et *sermones:* ex Pitseo pag. 532 memorant Alegre pag. 312. Hendreichius pag. 381 et alii.

Arnaldus BADETUS Ord. Praed. ex Priore Burdegalensi inquisitor Tolosanus, jam clarus circa An. 1499. quo prodiit Avenione in 4 ejus *Breviarium de mirabilibus Mundi secundum triplicem viam Theologorum, Astrologorum, Philosophorum. Margarita virorum illustrium* Tolosae 1525 4. De futura temporum dispositione pernoscenda. Tolosae 1525 4. *Destructorium haeresium*, Paris. 1532 8. Lugd. 1536. Vide Jacobum Echardum tom. II, pag. 96.

Jodocus BADIUS Ascensius, Roberti Stephani socer, scriptis pariter atq; opera solerti typographica in illo diluculo renascentium litterarum praeclare de studiis promeritus, diem obiit non ante An. 1535. De illo Baelius in Lexico, voce BADIUS: Hendreichius pag. 372. Mich. Maittaire in vitis Stephanorum pag. 17 et 109 seq.

BAGAROTUS, Gallus, JCtus Bononiensis, circa An. 1200 qui cum Azone audiit Joanem Bossianum, scripsitque *de dilatoriis exceptionibus, de reprobationibus testium*, qui ambo tractatus obvii in Oceano juris

* Vide Lelandum p. 350.

* Mem de Trevoux 1715 p. 1661.

tomo III Parte II, pag. 128 et tomo IV, pag. 298 et *librum cavillationum*, qui fertur etiam sub nomine Bonacursii. Vide Gvidonem Pancirollum lib. 2 de claris Juris interpretibus cap. 24.

Bertucius BAGAROTUS, qui Patavii docuit Jus Pontificium circa Annum 1502 et ante eum frater *Petrus*, qui Anno 1482 obiit, ac frater alter *Antonius* deinde Jus Civile. Vide Comnenum Papadopoli tomo I de Gymnasio Patavino pag. 226.

Paulus BAGELLARDUS *de Flumine*, Medicus, cujus liber de aegritudinibus infantium Venet. 1487 4 et alius de morbis puerorum prodiit Lugd. 1538, 8. Vide Merklinum.

Joannes Januensis de BALBIS Ordin. Praed. An. C. 1286 absolvit *Prosodiam* sive Grammaticam, et *Catholicon* sive Lexicon pro illa aetate minime contemnendum, frequenterque MS. in variis Bibliothecis, atque editum in ipsis primordiis typographiae a Johanne Fausto Moguntiae 1460 * deinde saepius Venetiis 1483, 1487, 1491, 1495, 1520 et ex M. Petri Ægidii in utroque jure Licentiati recognitione Lugd. 1506. et ab Ascensio Badio Paris. 1506 Lugdun. 1514, 1520 fol. per Joannem de Platea. In voce *Janua* haec de se auctor ipse: *A Janua porta dicta est Janua* (Genua) *quaedam Civitas potens, nobilis, pulchra et dives juxta mare sita, et est quasi introitus et porta Lombardiae Tusciae provinciae. Hujus Civitatis oriundus fuit compilator praesentis libelli, qui dicitur* Prosodia sive Catholicon. *Compilator siquidem hujus operis dictus* Frater Joannes Januensis de Balbis, *de ordine Fratrum Praedicatorum modicus, qui etiam compilavit alium libellum in Theologia, qui dicitur* Dialogus de quaestionibus animae ad spiritum: *qui et composuit* opus Paschale, (sive de modo inveniendi festa mobilia) *ubi scilicet de facili reperitur Pascha: scilicet hoc opus paschale composuit antequam ordinem intraret.* Vide Oudinum tom. III p. 579. ubi etiam de aliis ejus scriptis, nescio an editis, *Postilla in quatuor Evangelia secundum conservationem scholasticam*, et *tabula sive syllabo in sacram Scripturam*, quibus Jacobus Quetif ex Raphaële Soprano et Augustino Oldoino * addit tractatum *de potentia DEI.*

BALBUS Mensor inter Gromaticos sive rei agrariae scriptores, de quibus in Bibl. Latina.

BALDRICUS Aurelianensis, ex † *Burgulensi* apud *Andegavos* Ordinis Benedictini Abbate Archiepiscopus in Aremorica *Dolensis*, adeoque neutiquam in duos vel tres distrahendus, obiit An. 1131. Hujus adhuc Abbatis *Carmina Historica* honori illustrium defunctorum tributa pleraque, et in his leonina quaedam, vulgavit Andreas du Chesne tomo IV scriptorum historiae Francorum pag. 251–277. In laudem Odonis Hostiensis Episcopi legitur carmen pag. 275. qui nullam in Baldrici libro mentionem sui fieri questus fuerat pag. 278. in quo tamen Baldricus celebrasset *urnam*, *leporem*, *corvum*, *cancrum*, *asellos*, et *stellas*, quae carmina vel non habuit du Chesnius, vel edere omisit. Idem Baldricus jam Episcopus scripsit *Historiam Hierosolymitanam libris IV* ab Anno 1095. quo habitum Concilium Claromontanum, cui ipse adhuc Abbas interfuit, et in quo expeditio Hierosolymitana decreta fuit, usque ad captam An. 1098 a Christianis Hierosolymam. Exstat in Bongarsii Gestis DEI per Francos tom. I pag. 84-158 sed in tomo quarto du Chesnii incassum illam quaesiveris: unde emendandus Caveus, sed Oudinus quoque, qui oratione ligata scriptam affirmat. *Libri II de Vita S. Samsonis*, Episcopi Dolensis apud Mabillonium Sec. I Benedictin. pag. 165. *Vita S. Maglorii*, Dolensis Episcopi, ibidem p. 223 et *S. Maclovii*, Episcopi Alectensis, ib. pag. 217. *Confirmatio Bonorum Monasterii S. Florentii*: apud Dacherium tomo VII spicilegii pag. 196 et tomo III editionis novae pag. 459.

* Pro una editione habeo tres illas Moguntinas, quas laudat Jacobus Quetif tomo I Bibliotheca Scriptorum Dominicanorum pag. 462 neque diversam ab Anno 1460 puto, quam Joannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad Annum 1450 memorat. De illa Anni 1460 vide Jani Georgii Betulii, sive Burchardi Epistolam p. 74 et Bibl. Aprosianam pag. 612.

* Athenaei Ligustici pag. 284.

† Vide Acta Sanctorum t. I Aprilis pag. 451.

Libellum de visitatione infirmorum, quem Caveus MS. memorat. Oudinus suspicatur esse unum ex duobus illis, qui inter supposita S. Augustino leguntur tom. VI editionis Amstelod. pag. 734 seq. *Translatio et Miracula capitis S. Valentini Martyris*, in Actis Sanctorum 14 Februarii tomo II pag. 758. *Vita S. Roberti de Arbrissello* apud Surium et in Actis Sanctorum 26 Februarii tom. III pag. 603. *Vita Hugonis*, Archiepiscopi Rothomagensis, et *Relatio de Monasterio Fiscammensi* in Arturi du Monstier Neustria pia, Rothomag. 1663 fol. pag. 282 et 227.

BALDERICUS cognomine *Rubeus*, Episcopus *Noviomensis* et *Tornacensis* ab Anno 1097 et 1112. Scriptor Historiae, sive *Chronici Cameracensis et Atrebatensis* a Clodoveo usque ad Annum 1030 libris III. quos Georgius Colvenerius edidit Duaci 1615, 8 cum notis. Chronici illius Codex fortasse originarius in Bibliotheca Atrebatensi. Vide iter Litterarium duorum Benedictinorum Gallice editum tom. II pag. 74. Huic Chronico jungenda *Vita Lietberti*, Cameracensis Episcopi, cui a secretis Baldericus fuit, edita a Dacherio tom. IX spicilegii pag. 675 et tom. II editionis novae p. 138. *Chronicon Morinense*, sive Ecclesiarum *Tarvanensis* et *Ambianensis*, quod apud Cenomanenses Benedictinos MS. servari scripsit Swertius et Valerius Andreas, nemo adhuc in lucem protulit. Ad illud scribendum hortatus Baldericum fuerat Godfridus Ambianensis Episcopus, in Epistola, quam afferunt Sammarthani tom. III Galliae Christianae pag. 816. *Confirmatio Bonorum, quae Monasterio Lehunensi sunt a Bosone Milite restituta*, obvia apud Dacherium tom. VIII spicileg. pag. 169 et tom. III editionis novae pag. 463.

BALDEWINUS. infra, BALDUINUS.

BALDUINUS *de Avennis*, vixit Saeculo XIII circa Annum 1285. cujus *Genealogiae ex Chronicis Hannoniensibus collectae* apud Dacherium tom. VII spicileg. pag. 584 et tom. III edit. novae p. 286.

Jacobus BALDEWINUS, sive BALDUINUS Bononiensis, Azonis et Odofredi Beneventani auditor, deinde JCtus celebris, etiam Genuae Praetor per biennium, Auctor *Glossarum in Jus Civile*, Digestorum nempe libros et Codicis, quas laudat Trithemius cap. 454 qui ait eum floruisse circa Annum 1240 et Guido Pancirollus lib. II cap. 27.

BALDUINUS patria Devonius, ex Abbate de Forda, Ordinis Cisterciensis, Episcopus An. 1181 Wigorniensis, atque inde Archiepiscopus ab Anno 1184 ac 1190. * *Cantuariensis*, de quo adire juvabit Oudinum t. II pag. 1612 seqq. Quod Giraldus Cambrensis hunc Balduinum scripsit *Monachum fuisse meliorem quam Abbatem, et Episcopum quam Archiepiscopum*, congruit Urbani III sententiae, qui Epistolam ei inscripsit hunc in modum: *Urbanus servus servorum DEI Monacho ferventissimo, Abbati calido, Episcopo tepido, Archiepiscopo remisso salutem.* Plura scripsit Opuscula Theologica, ex quibus illud *de Sacramento altaris*, et alia quindecim edidit Bertrandus Tissier, Prior Bonifontis, tomo quinto Biblioth. Cisterciensis Paris. 1662. Caeterorum editorum et ineditorum titulos, vide si placet apud laudatum Oudinum, Caveumque et in Caroli de Visch Bibliotheca Cisterciensi p. 30 seq. Baleum III 27 Pitseum pag. 259 seq. etc.

Alius BALUDINUS, sive Beadwinus antiquior, Episcopus Orientalium Anglorum de quo Beda IV, 4. et Lelandus c. 108.

BALDUINUS Flandriae Comes et Hanoniae, captaque a Latinis An. 1204. *CPoli*, *Imperator* coronatus 17. Calend. Jun. ut testatur ipse in Epistola edita ab Edmundo Martene tomo I anecdotor. pag. 793. Aliae ejus Epistolae duae de illa expeditione apud Arnoldum Lubecensem VI 19 et 20 p. 463 et 492 edit. Bangertianae. Posteriorem dedit etiam Miraeus in Codice piarum donationum c. 99. Bruxell. 1624 4.° Epistola ad Innocentium III Papam, apud veterem scriptorem gestorum illius Pontificis, quae Baluzius Epistolis Innocentianis praefixit, cap. 91 pag. 52 seq. et in Petri d'Outreman CPoli Belgica, Tolosae 1643, 4. Cum vero Papyrius Massonus in Urbano II laudat BALDUINUM *Carnotensem*, belli sacri, cui interfuit primum scriptorem, intelligitur ab

* Vide Warthoni Angliam Sacram tom. I p. 112.

eo *Fulcherius,* qui Balduini Hierosol. Regis a sacris fuit, ut observatum Jacobo Bongarsio Praef. ad gesta DEI per Francos.

BALDUINUS *Devonius*, supra, *Cantuariensis.*

M. BALDUINUS de Marrochio, Mathematicus, cujus *Tractatus ad sciendum diem mensis et festa sanctorum*, *et Algorismus* inter MSS. Codices Belgii memorantur ab Antonio Sandero pag. 203 Bibliothecae Belgicae MS.

BALDUINUS Canonicus S. Cornelii Ninivensis, sive Ninovensis in Flandria, Ordinis Praemonstratensis, scripsit *Chronicon a CHRISTO nato* usque ad Annum 1294. quo ipsum auctorem obiisse testatur Joannes le Paige in Bibliotheca Praemonstratensi pag. 306. MStum servari in Abbatia Ninovensi notat Sanderus pag. 22. sed in lucem nemo hactenus, quod meminerim, protulit, quanquam Miraeum in Chronico suo Praemonstratensi non parum illi debere monuit Vossius pag. 493 de Histor. Lat. Hunc Balduinum non diversum esse a Balduino de Avesnis, sive Avennis, de quo supra, suspicatur Sandius ad Vossium psg. 181.

* Scriptarum ab illo Genealogiarum additamenta in quibus de posteritate Philippi I. Galliarum. Regis, vulgavit Leibnitius Accession. Histor. II. 579.

RALDUINUS Paderbornensis Parochus, scriptor historiae universalis usque ad sua tempora, hoc est usque ad A. 1418. Vide GOBELINUS PERSONA.

Hieronymus BALDUNGIUS, Medicus Tigurinus, qui Tractatum de Podagra scripsit ad Sigismundum Austriae Ducem, et aphorismos compunctionis, Theologici argumenti, Argent. 1497 4.

Petrus BALDUS *Ubaldus*, Perusinus, Bartholi discipulus, inter JCtos celebris, obiit Ticini, *Lucerna Juris* extincta A. 1400 aetatis 77 de cujus Commentariis in Jus Civile, Consiliorum Voluminibus, aliisque scriptis editis et ineditis Ludovicus Jacobillus in Bibliotheca Umbriae. *Allegationes pro Urbano sexto* legitimo Papa Raynaldus subjecit tomo XVII Annal. De Baldo vide etiam Jovii Elogia, Pancirollum II 70 de claris JCtis, Boissardi Icones tom. I, pag. 100. Baelii Lexicon, Augustini Oldoini Athenaeum Augustum de doctis Perusinis pag. 36 seq. qui etiam pag. 40 seq. de altero *Baldo de Bartholinis*, qui BALDUS *Novellus* appellatus, scriptorque tractatus *de dotibus*, et aliorum Iuris Civilis commentariorum, obiit Pisis A. 1490.

* An. Baldus designatus sit aliquando nomine Petri de Ubaldis, penitus ignorare me fateor; mihi tamen certo certius constat fuisse alterum Petrum de Ubaldis Perusinum a Baldo celebri JCto plane diversum, ex quo editus est *Tractatus de duobus fratribus*, quem et Pancirolus laudat et mihi pariter suppetit in MS. Cod. Feliniano in Biblioth. Canonicor. Maioris Ecclesiae Lucensis, et typis prodiisse non dubito. Profecto in fine eiusdem opusculi haec leguntur. *Compositus fuit iste tractatus de duobus fratribus et aliis quibusque consociis per me Petrum Petri nepotem de Ubaldis de Perusio utriusque J. Doct. licet minimum Petri, juris utr. huius*, sic lego, *nepotem.* Porro iste Petrus integrum affert *Consilium Ludovici Pontani de Urbe,* qui sane aliquandiu post Baldum vixit, et floruit. Pancirolus l. 2. c. 72. censet Petrum hunc Petri nepotem patrem habuisse Matthaeum, qui natus est ex Petro Baldi fratre. Petrum autem illum tradit claruisse pluribus editis in lucem publicam opusculis, nempe *de permutatione Beneficiorum, de Canonica, Episcopali et Parochiali et de collectis.*

De anno emortuali Baldi variae quidem sunt sententiae scriptorum de quibus consulendus est Belius in lexico. Cur tamen ego a sententiis eiusdem Belii, itemque Fabricii recedam, qui ambo annum mortis eius signant diem 28 Aprilis 1400. faciunt ea, quae statim hic annotabo. In MS. Cod. Biblioth. Canonicor. Maior. Ecclesiae Lucensis extat *Repetitio in materia juramenti* super l. 2. ff. de Jure jur. *edita per acutissimum juris interpretem D. Baldum de Perusio.* Hanc vero descripsisse tradit scriba ex originali *scripto man. prop. D. Baldi*, quae scriptio facta est an. 1413. Porro in fine huius scripti haec leguntur tamquam ab ipso Baldo expressa. *Repetita fuit haec lectio per Bal-*

dum de Perusio Civ. Perusinum I. V. D. in felici civitate FLORENTIÆ legente ordinarie Ius Civile, quae ultra omnes floret Italiae, ac imperat feliciter et jugiter. Amen. Actum 1413 hic in dicta civitate ad honorem et gloria Magni Domini et Salvatoris nostri J. C. et gloriosae suae genitricis, atque BB. Joannis Baptistae et Zenobii reparatae Florentiae provinciae specialium protectorum. Et quia scriptum quod in multiloquio error non deerit, et ego maxime multa locutus sum, ne existimem proterve dixisse quae dixi correctioni suppono omnium rectius sentientium et praecipuae correctioni Dominorum excellentissimor. Collegii Florentini Amen. Haec disertissima verba, quae vix ullam ambiguitatem admittere possunt fere ad sensum demonstrant Epitaphium Baldi sepulchro impositum recentius esse et ab authore nec plane coaevo, nec satis rerum a Baldo gestarum gnaro dictatum. Nam in epitaphio illo obiisse exprimitur an. 1400. Diu quidem multumque haesi dubius num scriptum hoc a me prolatum ad Baldum de Bartolinis, qui pariter. juris civilis scientia claruit, referendum esset. Sed cum in Fabritio hic legamus Baldum hunc juniorem obiisse Pisis an. 1490. vix fieri potuit an. 1413 adeo scientia excelluisse ut praelectionem illam scriberet.

(23 Non Petrus sed Baldus Francisci dicendus. Petri *de Ubaldis* tres distinguendi. Conf. *Vermiglioli Biografia degli Scritt. Perugini. Perugia* 1829, 4. At Baldi annum emortualem hucusque incertum tot clarissimor. virorum venia dixerim. De *Repetitione in mat. juramenti* hic a Mansio relata, nec de Lucensi Cod. MS.[to] Vermigliolius satis curavit. Ex eo Baldum legisse Florentiae (ut jam ab an. 1364 ex documento prope *Fabronium Hist. Acad. Pisanae*) certi sumus, ex eo opinio Trithemii, Simleri et Riccioli quae inscriptionem sepulchralem tantum contra se habet, Baldum obiisse an. 1423. optime sustinetur.)

Joannes BALEUS Sudovolgius, sive Sufolciensis Anglus natus A. 1495 deinde Episcopus A. 1552 in Hibernia Ossoriensis, * sed mox Maria regnum adepta, quia Romana ipse sacra minime probabat, exul, ac post quinquennium demum sub Elisabetha iterum reversus in Angliam, et praebenda contentus Cantuariensi diem obiit An. 1563 mense Novembri, aetatis 68. Acerbiorem in Pontifices calamum ipse excusat Praef. in Acta Pontificum, caeterum ut de eo Montacutius pag, 39 apparatus, *impotentis linguae et calami plerumque scriptor, in multis non rejectitius.* Ejus *summarium de Scriptoribus majoris Britanniae* editum Gippeswici in Anglia, 1548 4.[to] Sed longe plenius locupletiusque lucem vidit Basileae 1557 fol. atque inscribitur *Scriptorum illustrium majoris Britanniae, quam nunc Angliam et Scotiam vocant, Catalogus*, cujus prior pars Centurias novem, posterior A. 1559. Centuriam X XI XII XIII XIV complectitur. Utraque effigiem Balei habet praefixam, quae exstat etiam apud Jacobum Verheyden pag. 147. In hoc Catalogo itidem inserta passim *Acta Pontificum*, quae deinde separatim excusa cum Roberti Barns vitis Pontificum, curante Joanne Martino Lydio, Lugduni Bat. 1615, 8 sicut Baleum quoque secutum esse se profitetur Stephanus Szegedinus, Pannonius in speculo Pontificio, cujus quartam editionem habeo typis exscriptam sine loci nota A. 1602 8. Ut Baleus in Catalogo scriptorum Lelandum, ita Baleum secutus est Pitseus, licet hic, utpote sacris Romanis addictus, strenue in eum invehitur. Caetera sua scripta, sed inedita pleraque, ipse refert Baleus, quae rectius pleniusque apud eundem Centur. VIII 100 pag. 703. quam apud Hendreichium in Pandectis pag. 389 lector ubi volet videre poterit.

* Vide Thomam Pope Blount in censura scriptorum pag. 682.

Robertus BALEUS JCtus, circa An. 1460 qui scripsit *Alphabetum sanctorum Angliae, Chronicon Urbis Londinensis*, ac *instrumenta libertatis ejus Urbis*, deque ejus *Praefectis et Consulibus* ab Anno 1189 ad 1461 et *gesta Regis Eduardi III.* Vide Baleum XI 58 et Pitseum pag. 654.

Robertus BALEUS Norvicensis, Ord. Carmelit. Prior Burnhemiensis defunctus Anno 1503 scriptor *Annalium Ordinis sui*, ut ejus historiam *Eliae* Prophetae, et Officium *Si-*

meonis Stock, Angli, et *sermones* praeteream. Vide Baleum XI 59. Pitseum pag. 686 et Alegrium in Paradiso Carmelitici decoris pag. 379.

Henricus de BALMA, Opido Burgundiae, Monachus S. Francisci, et Confessarius S. Coletae Virginis, de qua Acta Sanctor. 6 Martii, obiit A. 1439. Vesuntione, scriptor variorum librorum asceticorum, qui S. Bonaventurae vel Thomae Kempensi tribui ab aliis solent. Vide Oudinum tom. III pag, 2341 seq,

Hugo de BALMA, Carthusianus, cui itidem mysticum opus de triplici via, et Theologiam Mysticam tribuunt, quod rectius legitur inter opera Johannis Gersonis. Vide Raynaudum de bonis et malis libris pag. 142.

Pontius du BALMEY, sive de BALMETO, Episcopus Bellicensis in Comitatu Burgundiae defunctus A. 1140. Cujus laudantur scripta *de aeternitate*, *de Pace conciliunda*, et *vitandis schismaticis*, *De contemtu Vanitatis saeculi.* Vide Sammarth. tom. II Galliae Christianae pag. 359 Essay de litterature tom. I, pag. 129.

BALTHARIUS, sive BALTHERUS, Monachus Seckinganus, siye Saconiensis in Svevia circa Annum 900 scripti * ad Notkerum Balbulum *Vitam S. Fridolini,* Abbatis Seckingensis, qui An. 450 diem obiisse traditur. Exstat ad calcem breviarii Glaronensis, et in Actis Sanctorum 6 Martii tom. I, pag. 433. De S. BALTHERO Presbytero ibid. pag. 448. Consulendus etiam Johannes Colganus in Actis Sanctor. Hiberniae, editis Lovanii 1647 fol.

BALTHASAR del Rio, Hispanus, Scholasticus Myndoniensis, Jacobo Serrae Cardinali Arborensi a secretis, in Concilio Lateranensi An. 1513, sessione septima habuit Orationem *de expeditione contra Turcas suscipienda* in illud Matthaei XVII. v. 20 *Nihil impossibile erit vobis.* Prodiit cum

* Sive interpolavit. Vide Carolum Cointium tom. I. Annalium pag. 272 Falluntur vero, qui ad Notkerum velut auctorem vitam illam referunt, quo nomine AEgidium Schudum, Sebastianum Munsterum, Johannem Stumpfium, et Christianum Urstifinm reprehendit Goldastus tomo II Scriptor. Alemannicor. pag. 164.

Epistola ad Ferdinandum, Hispaniarum Regem, Romae 1513, 4 et in tomis Conciliorum tom. XIV. Labbei pag. 165 et tom. IX Harduin. pag. 1700.

BALTHERUS. supra, BALTHARIUS.

Divi BAMBERGENSES *Jacobi Gretseri*, Ingolstad. 1611 4,^{to} complectuntur veteres Scriptores de Vita *S. Henrici* Imperatoris, *S. Kunegundis* Imperatricis, et *S. Othonis* Episcopi Bambergensis, cum novem Diplomatibus S. Henrici et Innocentii III bulla de S. Kunegundis Canonizatione.

Joannis Petri Ludewig JCti, scriptores rerum Episcopatus Bambergensis, Francofurti et Lipsiae 1718 fol. * duobus Voluminibus offerunt Lectori: in tomo priore quidem, praeter Divos *Gretseri*, de quibus jam dixi, et *Andream* Bambergensem de Vita S. Ottonis, ex editione Valerii Jaschii Pomerani, Colbergae 1681 4to Codicillumque *Diplomatum Bambergensium* ab Anno 1000 ad 1500 et in his pag. 1196. Statuta Episcopatus Bambergensis in Synodo sub Henrico III A. 1491. etiam recentiorum Scriptorum, Martini Hofmanni libros V Annal. Bambergensium antea ineditos ab origine Episcopatus Anno 1007 ad 1600 et ejusdem Bambergam: et Abbates Coenobii Benedictinorum S. Michaëlis carmine elegiaco ex edit. Norimb. 1595 4.to Libellum consuetudinum Bambergensis Principatus, editum sub nomine Justi Veracii 1681 12. Joannis Petri Ludewig continuationem Bambergensium Episcoporum ab Anno 1600 ad 1718. additis Joannis Salveri, Herbipolitani sculptoris, aere descriptis Episcoporum imaginibus.

In Volumine posteriore occurrunt Chronicon *Schwarzacensis* Coenobii Ordinis Benedictini (quod est non procul a fluvio Schwarzach, ubi in Moenum illabitur) ab Anno 800 ad 1590 Origines *Banzenses.* Vita Johannis Burchardi, Abbatis in Schwartzbach, Banz, et S. Stephani in Wirtzburg An. 1587 defuncti, scripta a Conrado Dinnero. *Chronicon Reicherspergense* ab Orbe condito ad Annum CHristi 1194 una cum diplomatibus et diplomatum codicillo appen-

* Acta Erud. A. 1718 pag. 289. *Abgesonderte* Bibliothec pag. 869 seq.

dice ex editione Christophori Gewoldi, quae prodierat Monachii 1611 4. Joannis Aventini historia *Oettingensis* (de qua supra) Origines *Murensis* Monasterii in Helvetia, Ordinis Benedict. ex editione Spirembergiensi 1618 4. Origines et Genealogia Comitum de Habsburg, Monasterii Murensis fundatorum, auctore Dominico Tschudi, Abbate Murensi, ex editione Constantiensi 1651 8. et P. Wuiae, Canonici irregularis, historia Episcopatus *Caminensis* in Pomerania, ab ejus originibus, sive Anno 1124 ad 1618.

BANCHINUS, sive BANKINUS, Londinensis Augustinianus, interfuit An. 1382. Concilio Londinensi contra Wiclefitas, et praeter Sermones, ac Determinationum Variarum Librum scripsit contra Positiones Joannis Wiclefi. Vide Pitseum pag. 539 Baleum VI 97.

BANDONINIA alumna *S. Radegundis*, cujus *Vitam* a Venantio Fortunato scriptam addito altero libro complevit. Exstat apud Surium ad 13 August. et Mabillonium Saec. I. Ben. pag. 326. S. Radegundis obiit A. C. 590.

Origines BANZENSIS, sive *Banthensis* ab Anno 1060 *Coenobii* ad Moenum fluvium Ordinis Benedict. in Dioecesi Wirtzburgensi (hodie in Bambergensi) descriptae ab HENRICO abbate circa Annum 1123 et primum editae a laudato Joanne Petro de Ludewig tomo secundo Scriptorum Bambergensium.

BAPTISTA *de S. Blasio*, JCtus Patavinus, circa Annum 1480 de cujus scriptis Trithemius cap. 900 et Hendreichius pag. 589.

BAPTISTA Paneccius *Ferrariensis*, Ordinis Carmelit. circa Annum 1494 scripsit *Floridam*, sive Chronicon a Christi ortu ad sua tempora: *Chronicon sui Ordinis*, *Chronicon Ferrariense*, *Vitam S. Mechtildis*, aliaque memorata Trithemio cap. 890. Alegrio pag. 369 Augustino Superbo de illustribus Ferrariensibus etc. et in his librum de monte Sina, et Carmina varii generis, et Sermones, Baptistae Mantuano dedicatos et impressos Bononiae, Anno 1506.

a) Sive *Spagnolus*, idem enim est nomen: neque erat, quod eo nomine Possevinum reprehenderet Andreas du Saussay continuatione Bellarmini de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 5.

BAPTISTA *Fulgosus*. infra, FULGOSUS.

Joannes BAPTISTA Hispaniolus, a) patria MANTUANUS, eoque notior nomine, Carmelitarum ab Anno 1513 Prior Generalis, diem obiit in patria Anno 1516 aetat. 68 b) Poëta insignis, ut summorum virorum judicia a Christiano Daumio in libro de causis amissarum radicum Latinae Linguae pag. 79 seq. notata, et Laurentius Cupaerus in praef. operibus Mantuani praemissa, et Petrus Lucius in Bibliotheca Carmelitana adversus Jovium disputans, longe magis autem Operum ipsius inspectio lectori erudito et aequo facile persuadebit: quanquam audiendus etiam fortasse Lud. Vives, qui pag. 299 libri 3 de tradendis disciplinis, *magis copiosum et facilem*, *quam tersum et sublimitati argumentor. respondentem* notat. Certe iniquam puto Dempsteri censuram, cui *Poëta perbarbarus est et corruptus*: itaque potius probo Balthasaris Bonifacii judicium XV. 3 Historiae ludicrae, cui Mantuanus *patria Maronis haud indignus*, *et inter Mincii cygnos numerandus*, *Ovidio quam Virgilio proprior*, *licet ab utroque longo intervallo distans*, *venae etsi non usquequaque purae*, *uberrimae tamen*, *miraeque felicitatis et facilitatis in rebus explicandis*. Multa scripsit non carmine solum, sed prosa quoque junctim edita post plures singulorum editiones Antwerpiae a laudato Cupaero Antwerp. 1576 8, quatuor Voluminibus, quae recenserem, si vellem actum agere, et quae a Warthono ad Caveum, annotatis antiquioribus etiam editionibus, et ab Alegrio in paradiso Carmelitici decoris pag. 385 Ludovico Jacobo a S. Carolo in Bibliotheca Carmelitica, et Possevino tom. I apparatus pag. 167. tomorum etiam numero et ordine enumerantur, repetere. Editionis Parisiensis Ascensianae poëmatum Mantuani Parisiis 1513 fol. tribus tomis, cum notis Ascensii, Murrhonis et Brantii in illorum pleraque; notitiam distinctam exhibet Gesnerus in Biblioth. pag. 128 seq. Exstant separatim quoque, prosa scripti de patientia libri III et liber de vita beata, iisdem typis expressi in

b) Reinesii Epist. ad Daumium pag. 20 seq. 51 153. Lud. Ellies du Pin tom. XIV Biblioth. Eccles. pag. 97.

folio. Effigiem Mantuani dabit Boissardus tom. I. Imagg. pag. 168. Apud Trithemium cap. 912 scripta quaedam Mantuani memorantur, quae in editione Antwerpiensi frustra quaeres, ut praeter Epistolas multas ad diversos, Orationesque, liber de ortu et diversitate Religionum, Apologia pro fratre Petro, et introductorium subtilis Scoti. Mantuani eclogae, novissime cum notis excusae Coloniae 1688 12. Vide Basnagii Bellovallii histor. Operum Eruditorum Anno 1688 Octobri pag. 194.

* Orationem eius in Omnium SS. celebritate habitam coram summo Pontifice anno 1458 habere se manuscriptam in quodam Codice adfirmat Baruffaldus in opusculo ap. Calogerà tom. 26 p. 175.

(24 Merlini Cocai Opus Macaronicorum notis illustr. cui accessit vocabularium etc. Amst. (Mantuae) 1768. 71. 2. vol. 4. fig. *Bapt. Mantuani Poemata praestantiora praemitt. in Auctorem rer. gest. Commentaria* (a P. F. M. *Soldinio*) *Florentiae* 1783. 4. c. icon.)

Joannis BAPTISTÆ *de Vera Cruce*, Philosophi ac Medici Romani, *Confutatio Hebraice Sectae*, de priore ac secundo CHristi adventu, Argentorati 1500, 4 ex Hebraico Latine sive ab auctore ipso, sive ab alio versa. Vide Rev. Wolfii nostri Bibliothecam Hebraicam tom. III pag. 353 seq. et tom. VI pag. 547 seq. et Prosperum Mandosium VI 90 Bibliothecae Romanae tom. II pag. 70.

BAPTISTA Marchio Pallavicinus, Episcopus Regiensis, diem obiit Anno 1466. Vide Ughellum tom. II pag. 311. Ejus Oratio carmine scripta elegiaco ad S. Mariam Virginem exstat MS. in Bibliotheca Caesarea. Vide Lambecium tom. II pag. 987. Incipit:

> Alma, decus superum, Virgo Regina decusque,
> Quo datur ad summi tecta Tonantis iter.

Hoc carmen ejus, aliaque etiam, edita Viennae in 4.to Vide Hendreichium p. 447.

* Carmen illud de B. M. V.

> Alma decus superum etc.

versio est italicae cantilenae editae a Leonardo Iustiniani, cui ingenium erat ad haec natura comparatum.

> Maria, verzine bella,
> Scbala che ascendi all' alto Cielo.

Animadversionem hanc debeo erudito V. cl. Lambacher Biblioth. antiq. Vindobon civi. tom. 1, 69.

Pallavicini huius carmen inscriptum: Historia flenda *crucis et funeris* D. N. Jesu Christi ad Eugenium IV prodiit Tarvisii an. 1494 in 4 cui praeter Carmen de morte accedit in fine carmen illud cuius superius memini de B. M. V. Idem carmen de cruce cum aliis piis Poematiis Variorum excusum est Viennae in Austria in 4 an. 1516. iterumque cum aliis aliorum Anteverpiae 1548, 12.

BAPTISTA *Monsfeltria* ex Conjuge Principis Pisaurensis Galeatii Malatestae, Monacha S. Clarae ab A. 1445 assumto Hieronymae nomine, obiit A. 1447 scripsitq; *Orationem* in laudem Martini V Papae. Librum *de vera Religione*, aliumque *de humanae conditionis fragilitate*, et *Epistolas*. Vide Waddingum p. 46 seq.

* Hanc faeminam laudari credo a Campano Orat. in fun. Baptistae Sfortiae Urbin. Duciss. illis verbis: *Proaviam eius maternam habuit Baptistam ex familia ortam Urbinatum principum Gentilem Friderici... celebratissimam suorum temporum faeminam, cuius doctrina atque eloquentia admirationi fuit etiam iis, qui doctissimi eloquentissimiq. fuerunt, ut constet orasse aliquando apud Sigismundum Caesarem, et Eugenium Pont Max. incredibili cum admiratione utriusque, neque minore cum gratia, et scripsisse non pauca de conditione vitae, et religione cui postea maximis relictis opibus sese incitavit, exemplumque praebuit filiae etiam ita faciendi. Responsa etiam ad eam leguntur summorum hominum de Philosophiae commentariis, et sacris questionibus reddita, in quibus nescias eloquentiae ne plus invenias et doctrinae, religionis etiam sanctimoniae* (sic) *addiscas.* Vide et Guinifortii Barzizii Epistolam ad Constantiam Varanam eiusdem Baptista ex matre neptem. p. 134. edit. a Furieto curatae.

BAPTISTA *Platina*. infra, PLATINA.

BAPTISTA *de Salis*, sive *de Rosellis*, Ligur Provinciae Januensis, Ordinis Minorum, scripsit opus de casibus * et consiliis ad

* Vide Tobiam Eckardum in Codicibus MStis Quedlimburgensibus pag. 22.

animam, seu conscientiam pertinentibus, quod ab ipso *summa Rosella* appellatur. Prodiit Parisiis 1499. Vide Trithemium c. 926.

* Sub nomine Baptistae de Salis editam reperio summam Rosellam, seu Bosellam Genuae an. 1484. Hanc autem editionem ego in Bibliotheca mea servo.

BAPTISTA *Trovamala*, Ordinis Minorum, apud Lovanienses, scripsisse traditur et ipse Summam casuum Conscientiae, litterarum digestam ordine, quae *Baptistiniana* ab eo dici consuevit. Prodiit Romae 1479 Augustae 1484. Norimbergae 1488. Venetiis 1495, 1498, Parisiis 1515 et Argentinae 1516. Hic Baptista rectius cum superiore idem, eademque summa habetur a Labbeo tom. I de S. E. cap. 482 quanquam alii distinguunt, ut Waddingus in Bibliotheca Ordinis Minorum pag. 47.

BAPTISTA *Varana*, filia Principis Camertensis, Monacha S. Clarae, quae A. 1500 diem obiit, cum scripsisset historiam Conversionis suae, et An. 1488 de doloribus octo animae CHristi, et An. 1491 recordationes, sive instructiones spiritales novem. Carmina etiam Latina et Italica, Epistolasque. Vide Waddingum.

(25 Suae vidit eversionem gentis et ob. die ult. Maii An. 1525. Conf. *Lilli Istoria di Camerino* et *Pascucci* (Matteo) *Vita della B. Batt. Varani Principessa di Camerino e fondatrice del Monastero di S. Chiara con alc. operette spirituali della medesima. Macerata 1680. 4.*

* Pigeret hic illaudatam praeteriisse Varanam alteram hac antiquiorem, quam lego orationem eloquentiss. ornatissimamq. scripsisse, et recitasse coram Blanca Maria Philippi M. Vicecomitis Mediolanensis Ducis filia cum aetatis annum XIV non excederet. Testis huius est et laudator Guinifortius Barzizius in epistola ea de re ad illam scripta data an. 1431 pag. 131 edit. a Furietto curatae. An vero Latina haec sit oratio, seu vernacula ignoro.

Franciscus BARBARUS, Candiani filius, Nobilis Venetus ac Praefectus Brixiae, illam civitatem adversus motus internos, atque exercitum Mediolanensem per tres menses fortiter defendit An. 1438. Idem clarus etiam litteris, ac Chrysolorae discipulus, Graecâ et Latina lingua valuit, et florens etiamnum Annis scripsit libros duos *de re uxoria*, recusos Amst. 1639, 12. Latine, * nec minus Italice, Alberto Lollio Ferrariensi interprete Venetiis 1548, 8. Vertit etiam e Plutarcho vitam *Aristidis* et *Catonis* dicavitque fratri Zachariae. Ejusdem *Orationes* et *Epistolarum libri XVI.* celebrantur. Plures ad hunc Francisci Philelphi Epistolae. Habuit hic Franciscus etiam filium Zacharia, et ex hoc nepotem Hermolaum, Patriarcham Aquilejensem. Sed et fratris, Zachariae, filius Hermolaus appellabatur, Veronensis Episcopus. De singulis distincte sum dicturus. Franciscus hic diem obiit Anno 1454. de quo praeter Trithemium cap. 766. Baelium in Lexico, accurate Apostolus Zenus t. XXVIII Diarii Eruditorum Italiae pag. 130 seq. qui pag. 213 etiam Volumina duo *Epistolarum* MSS. memorat, e quibus historia litteraria seculi XV insigniter illustrari possit: et Evangelista Manelmus Vicentinus de gestis Francisci Barbari, editus a Joanne Andrea Astezato, Brixiae 1728, 4to, cum *Francisci Barbari actione gratiarum, habita populo Brixiano*.

*Epistolarum viri huius doctissimi collectionem satis amplam e MSS. Cod. fere ex integro erutam dedit Eminentiss. ac eruditiss. S. R. E. Cardinalis Ang. M. Quirinus, cui et appendicem ex aliis eiusdem Barbari et aliorum ad ipsum epistolis ex aliis MSS. Codd. adiecit, ut simul omnes summam conficiant epistolar. 368. Prodiit opus Brixiae an. 1743 in 4. Praemisit huic volumini author eruditissimus volumen in quo totam Barbari Historiam latissime et diligenter exponit. Eiusdem Barbari *commentariolos Brixienses* memorat Nic. Restis in sua Epist. ad eundem Barbarum, quae est 133 in eadem collectione. Praefationem versionis de vita Aristidis et Platonis ex Plutarcho vulgavit Card. Quirinus in Diatriba praeliminari ad collectionem epistolarum Barbari. Ex eius orationibus vulgatae sunt ab. Emin. Quirino *Oratio funebris pro amico.*

* Latine saepius viderunt lucem, ut notavit Hendreichius pag. 410. Prodiit etiam Gallica versio, Jolio interprete Parisiis 1667.

Laudatio in Albertum Guidalotum. Vulgavit etiam vir doctiss. *Prooemium eiusdem in Fl. Blondi Italiam Illustratam.* Ibi pariter pag. 282 extat alia eius *oratio. Ad popolum Brixianum* dum solemni ritu pileo donaretur in Ecclesia SS. Fausti et Iovitae habita an. 1437.

Hermolaus BARBARUS, Zachariae, qui Francisci frater erat, filius, Protonotarius Apostolicus, Episcopus *Trevisanus,* atque inde *Veronensis*, defunctus An. 1471. Scriptor *Vitae S. Athanasii*, et narrationis *de translatione corporis ejus in civitatem Venetiarum.* Ejusdem *homilia in S. Athanasium*, aliique *Sermones*, quos Aquilejensi praeter rem Vossius tribuit, et *Lectura* Theologica et Juris Canonici, spissum Volumen in majoris folii forma memoratur. Vide idem Diarium pag. 140 seq. et 165, 167, 246. Mabillonium tom I Musei Ital. pag. 204.

Hermolaus BARBARUS, Zachariae filius, Francisci nepos, Zachariae alterius patruelis, Pomponi Laeti discipulus, praecoci ac felici ingenio, vir eruditissimus, et post alias pro Republica functiones Patriarcha *Aquilejensis,* de quo haec Petrus Alcyonius libro priore de exilio pag. 60 seqq. *Innocentius VIII Pontifex Maximus, meo potissimum rogatu,* Hermolaum Barbarum, *Venetum*, *Aqulejensibus sacris publice praefecit.* a) *Hunc ego summa observaatia colui: hominisque tum summo ingenio, summaque industria, tum studiis, ac omni doctrina magnopere delectabar. Et eo magis, quod intelligebam illum tantarum virtutum laude, et patriae, et Italiae, et Reipublicae nostrae esse ornamento. Ante quidem in Urbem a Venetis missus, legationis munere fungebatur apud Pontificem Maximum et nos, summi ordinis Antistites: dein exilio affectus est, quod ejusmodi sacerdotium Aquilejense suscepisset, spreta auctoritate, ut dicebant, sui Senatus.* b) *Ne vivam, si acceptior nobis non erat, et nescio, quo pacto admirabilior illius privati* c) *virtus nobis videbatur*, *quam ante cum publicam personam gereret, ac tanti Senatus res procuraret. Quam ob rem multum honoris ei privato deferebamus, quod intelligebamus, sapientiae, gravitati, constantiae, moderationi animi illius totum id deferri oportere: Magistratum autem gerenti cum honorem habebamus, Senatui duntaxat Veneto, a quo legatus missus erat, nos honorem habere suspicabamur. Exilium igitur Barbaro, non solum calamitatem detraxit, sed etiam dignitatem auxit. Quod quidem ita constanter, moderateque ferebat, ut facetissime jocaretur: Musas illud sibi a patria impetrasse, quoniam aegre ferrent hominem suis sacris initiatum, ambitione vulgarium honorum distineri, et plebejis occupationibus impediri. Itaque plura scripsit biennio exul, quam XX ante annis, cum patria frueretur, et honoribus illius florentissimus esset, Recognitionem erratorum* Pliniani *codicis*, d) *Explanationem librorum de anima* Aristotelis, e) *cum jam ante ejusdem Philosophi libros talis argumenti, in Latinum convertisset, et XVI libros de ratione disserendi* f) [*veteres Peripatetici, Organon eos appellant*] *et V. Rhetoricos,* g) *et unum Poëticum*, h)

a) An. 1491 post defunctum 11 Martii Marcum Barbum. vide Ughellum t. V Italiae Sacrae p. 130. Fallitur itaque Bembus, qui ab Alexandro VI Patriarcham creatum scribit Hermolaum. Adde Diarium Eruditorum Italiae tom. XXVIII pag. 155 seq. et 159 Niceron Memoires pour servir à l'Histoire des hommes illustres tom. XIV p. 12.

b) Nicolaus Comnenus Papadopoli Gymnas. Patavin. tomo II pag. 28.

c) *Accepta enim Senatus voluntate, cessit sponte adeptae dignitati, seque Patriarchatu sponte abdicavit.* Petrus Delfinus Epist. ad Ugolin. Verinum lib. 2 Epist. 92.

d) Praecipuum hoc opus *castigationum Plinianarum*, quae primae, cum Epistola ad Alexandrum VI prodiere Romae 1492 typis Eucharii Argentei, sive Silber, et secundae cum emendationibus Hermolai *in Pomponium Melam*, in quibus et in Senecam, in Quintilianum, in Columellam simile studium se posuisse innuit. Romae Idibus Februarii 1493 fol. Mediolani 1494 fol. De utrisque dixi in Bibliotheca Latina. Dissertatio autem, qua probaverit Hermolaus, Plinium fuisse Novocomensem, memorata a Varillasio pag. 189 Anecdotorum Florentinorum, nulla unquam fuit. Vide Diarium Eruditorum Italiae tomo XXVIII pag. 184. Niceroni Memorias tom. XIV pag. 25.

e) Haec nunquam lucem vidit.

f) Hos vulgare post *Rheto icam* voluit, teste Gesnero, Daniel Barbarus, Hermolai pronepos: sed promissum implere ei non licuit.

g) Edidit Daniel Barbarus, Venetiis 1544, 4to, unde saepius recusa Lugduni, Basileae, Parisiis.

h) Hic nunquam in lucem prolatus esc.

octoque Dioscoridis *Medicos*, i) *quos alio etiam opere instruxerat, quod Corollarium inscribebat. Adjecerat quoque pulcherrimam expositionem ad libros Analyticos* k) *posteriores* Aristotelis *ante in Latinum translatos, Et haec quidem omnia, adhuc diligentissime asservari vidi a fratribus illius, cum sedecim abhinc annos Venetiis Bibliothecam illius excuterem: atque incredibili sum laetitia elatus, cum cognovi, doctissimi, amicissimique hominis elucubrationes non intercidisse, quod ne evenisset, magnopere verebar, cum in suburbano Oliverii Caraphae,* l) *collegae mei, ex pestilentia obiisset, et domestici, intimique familiares fuga saluti suae consuluissent, omniaque tanquam bona caduca, in medium reliquissent. Sed ejus generis scripta ab interitu, et furto vindicata fuisse narrabant Zenotelis* m) *cujusdam opera, quem ille habebat ad manum. Solebat autem persaepe mihi recitare, quae ex Aristotele faciebat Latina, judiciumque exquirebat meum, quod sic tamen interponebam, ut perspicere posset, placere mihi suam industriam, et disciplinae Peripateticae intelligentiam, quae pernecessaria est homini in tali scribendi genere versanti: non satis autem probari dicendi rationem, qua, in sententia Aristotelica exprimenda utebatur: sed hoc illius aetatis fuit vitium, ut a puritate Latina linguae* n) *abhorreret.* Hactenus Alcyonius, cui juvat addere, quod non quidem Cardinalis fuit Barbarus, ut a Trithemio praeter rem traditur, sed si diutius vixisset, cooptatus fuisset ab Alexandro VI in ordinem purpuratorum, qua de re et de aliis ad Hermolaum pertinentibus Petrus Baelius in Lexico, Nicolaus Comnenus Papadopoli tom. II Gymnasii Patavini pag. 28 et Auctores Diarii Erud. Italiae tom. III p. 52 et maxime tom. XXVIII p. 159 sq. qui jubent consulere Dissertationem Historicam P. Gandulfi Augustiniani, a quo praeter rem *Augustinianis* adscribitur, cui errori ansam praebuit *libellus thesium* ab eo Lectore Philosophiam Patavino A. 1478 editarum, quas *in Coenobio* Patavino *S. Augustini*, Philosophiam Peripateticam propugnaturus Barbarus per plures dies defendit, teste Thomasino, aliisque. *Antonii Mancinelli* Orationem in funere *Metelli Badii*, ad funus Hermolai Barbari pertinere, notatur in eodem Diario tom. XXVIII pag. 157 in quo diligentissime de hoc Hermolao disseritur. Effigies et elogia apud Jovium, Boissardum tom. I pag. 176 etc.

Caetera scripta Hermolai edita sunt: Latina versio *Themistii* paraphraseos in Aristotelem cum notis, coepta Anno aetatis XVIII editaque An. XXVI hoc est 1480 Venetiis ad Sixtum IV, recusa Tarvisii 1481 et Venetiis 1500 1502 1530 1542 1549 1554 1560 1570 1587 fol. Paris. 1528 fol. Basileae 1533 fol. et 1545 4.to *Compendium Ethicorum Aristotelis* dictatum Patavii An. 1478 sed editum Venetiis 1544, 8. a Daniele Barbaro. *Compendium scientiae naturalis ex Aristotele*, Venetiis 1545, 8. atque inde Basileae, Parisiis, Lausannae, Marpurgi etc. *Orationes* 1) in funere *Nicolai Marcelli*, Venetiarum Principis, habita An. 1474 inter Orationes clarorum Virorum, Venetiis 1558, 4 Parisiis 1577 et inter Orationes funebres Francofurti apud Wechelium 1613, 8 pag. 77 2) *ad Federicum* Imperatorem, et *Maximilianum*

i) Ab Anno 1482 ad 1489 elaborata versio *Dioscordis* cum corollariis Hermolai, et Joannis Baptistae Egnatii notis edita Venetiis, Argentorati Coloniae. Vide quae lib. IV Biblioth. Graecae cap. 5.

k) Videtur his operam dedisse Venetiis A. 1485 sed nunquam in lucem prolatae sunt istae lucubrationes. Caeterum credat, qui volet Petro Crinito haec tradenti libro VI de honesta disciplina c. 11. *Et revera perexilis vocula daemonum et exigua est: quod olim noster quoque Venetus Hermolaus dicebat, vocem se daemonis pertenuem et paene subsibilantem audisse, qua ille* de Aristotelis entelechia *interrogatus sibi ipsi et Georgio Placentino responsitavit.*

l) A. 1493 aet 39 mense Julio prope Romam, unde in ejus cenotaphio apud Jovium:

Barbariem Hermolaus Latio, qui depulit omnem
Barbarus hic situs est, utraque lingua gemit.
Urbs Venetum huic vitam, mortem dedit Inclyta Roma,
Non potuit nasci nobiliusve mori.

m) Didymi Zenotelis Fertini, sive Feltrensis, quem hominem lectionis multae vocat Hermolaus castigat. in lib. 7 Plinii.

n) Hic est tamen, quem *latinissimum Barbarum* Ficinus vocat in Epistolis; cui adde Jo. Pici Mirandulani *Encomium Barbaries* ad Hermolaum, quod obvium quoque in Dornavii amphitheatro tomo II p. 129 seq.

Regem Rom. An. 1486 excusa tum alibi, tom. II. Freheri Scriptorum Historicorum Germaniae. *Epistolae octo* sparsim editae, de quibus Diarium Eruditorum Italiae tom. XXVIII, pag. 204 seq. (et Niceron tom. XIV. Memor. pag. 26 seq.) et *Praelectiones,* ac *Praefationes* quaedam, de quibus pag. 206 (Niceron pag. 28.) Inedita vero: libri duo *de coelibatu,* scripti Anno XVIII aetatis. *De conscribenda historia* liber. *Carminum,* sive Versuum multa millia. *De re uxoria* poëma sexcentorum versuum, et a libro ejusdem tituli prosario, quem avus edidit, longe diversum, quo negat uxorem ducendam viro sapienti, sicut nec ipse hoc unquam fecit. (Recte itaque Trithemius titulum scripsit: *de re uxoria, metrice,* pro quo apud Nicolaum Comnenum est *de re uxoria et meretricia.*) *Compendium Galeni. Bona pars Scriptorum Aristotelis Latine versa. Contra barbaros Philosophos. Quaestiones Geometriae. Quantum Astronomia Medicinae conveniat.* Latina versio *Plutarchi* de Iside et Osiride, et Dialogi, quare Oracula defecerint. *Quinque libri Epistolarum* MSS. apud Baptistam Nanum, Senatorem Venetum. *Orationes* complures. Etiam commentatum esse in *Gilberti Porretani* librum de sex principiis, notat Augustinus Oldoinus in Athenaeo Romano pag. 313. *Erotemata Grammaticalia Graeca* et Graece scripta, quae Veronae MS. exstant, dubitat Zenus, an ad Hermolaum Veronensem referenda sint potius: versionem autem *Gennadii* Patriarchae Constantinopol. de fide Catholica, tribuit Marco BARBO in Aquilejensi Patriarchatu Hermolai nostri decessori: *Dionysiique Areopagitae* versionem amico Hermolai, Hieronymo Donato.

Josephus, sive rectius *Josaphas* * BARBARUS, Antonii Filius, Patricius Venetus, obiit Venetiis, admodum provectus aetate An. 1494. Non ipse quidem Latine, sed Italice scripsit *duo* sua *Itinera* Reipublicae obita nomine, quorum alterum An. 1536 suscepit *ad Tanaim* in Tartariam Precopensem, ubi passim per Annos sexdecim est moratus: alterum *in Persiam* ad Asambejum Regem An. 1471. Sed Latine ex Italico *Jacobi Geuderi*, Herolzbergensis, versione legitur in Petri Bizarri Scriptoribus rerum Persicarum, Francofurti 1601 fol. pag. 441 158. Italice prodiit Venetiis 1543, 8 et in Johannis Baptistae Ramusii Sylloge Itinerum tom. II pag. 112. Venetiis 1556 fol. recusa 1588 1606 ut Gallicas, Anglicas, Belgicas versiones praeteream.

* Vide Diarium Eruditorum Italiae tomo XVIII pag. 404.

Zacharias BARBARUS, Francisci frater, Hermolai, Aquilejensis Patriarchae, Patruus, cui frater versionem vitarum e Plutarcho dedicavit.

Zacharias BARBARUS, Francisci filius, Hermolai Aquilejensis Pater, Venetorum ad Sixtum IV Legatus, et Procurator S. Marci, obiit A. 1492 aet. 70 in quem M. Antonii Sabellici exstat Oratio.

Daniel BARBARUS, nepos fratris Hermolai, Aquilejensis Patriarchae, Legatus Venetae Reipublicae in Angliam, ac denique Patriarcha et ipse ab Anno 1559 Aquilejensis, a) neutiquam, ut Baelio aliisque visum, diversus ab illo, b) qui *in Porphyrii voces* A. 1542 commentatus est, diem obiit A. 1569. Caetera ejus scripta sunt: 1) *Catena Graecorum Patrum* c) in quinquaginta *Psalmos* primores, Latine reddita, Venetiis 1469 fol. Diciturque etiam, quod desideratur Catenae in Psalmos reliquos, eodem interprete translatum extitisse apud Franciscum Barbarum, Patriarcham Aquilejensem. 2) Versio Italica *Vitruvii* cum notis, Venetiis 1556 fol. 1567, 4 et 1629 4. Notae Latinae in eundem scriptorem leguntur in editione Venet. 1567 fol. et praestantissima Amstelodamensi 1659 fol. 3) Commentarii in tres libros Rhetoricorum *Aristotelis*, Venetiis 1544 4 Basileae 1545, 8 et Lugduni Anno eodem et 1558 8. Parisiis 1549 8.vo 4) *De Eloquentia* Dialogus Italice editus ab Hieronymo Ru-

a) Vide Ughellum tomo V, pag. 154 seq. qui pag. 156 seq. etiam de *Francisco* Barbaro M. Antonii filio, Patriarcha ab Anno 1585 ad 1600 et fratre ejus ac successore *Hermolao*, qui A. 1622 obiit.

b) Diarium Eruditorum Italiae tom. XXVIII pag. 218.

c) Vide Possevinum et B. Serpilii Vitas Scriptorum Biblicorum Parte VIII pag. 532 seq.

scelli, Venetiis 1557 4. 5) *Prattica della Prospettiva*, Venetiis 1568 fol.

Omitto edita ab eo Hermolai Barbari scripta postuma, de quibus supra.

BARCINONENSE Chronicon ab An. 1136 ad 1310 ad calcem Marcae Hispanicae Petri de Marca, Paris. 1688 fol.

BARDUCCIUS Petri de Canisianis, cujus Epistola *de morte S. Catharinae Senensis* An. 1380 exstat in Actis Sanctorum t. III Aprili pag. 959.

BARINGUEDUS. infra, BERENGARIUS.

Marinus BARLETIUS Scodrensis, sive Scutarinus, Dalmata (non confundendus * cum Mariano altero Scodrensi Becichemio) Scriptor *librorum XIII* de vita et laudibus *Scanderbegii*, * sive *Georgii Castriotae*, Joannis filii, Epirotarum Principis, qui post res fortiter adversus Turcas gestas diem obiit A. 1466. Prodiere Argentorati 1537 fol. et Francofurti 1578 fol. tomo III Chronicorum Turcicorum Philippi Loniceri pag. 1. Praeter versiones Lusitanicam duasque Germanicas, de quibus Hendreichius p. 420 exstat etiam Italica Petri Rochae Venetiis 1568, 8 et Gallica Pouceti, Paris. 1709.

Ejusdem *de expugnatione Scodrensi* a Turcis libri III Venetiis 1504, 4 et Basileae 1556, 4 et Francofurti 1578 fol. in tomo tertio Chronicorum Loniceri Turcicorum p. 231. Epitomen ex utroque opere compositam a Georgio Bertholdo Pontano edidit Aubrius Hanoviae An. 1609.

Petrus de BARRERIA Ruthenensis Gallus, Episcopus ab Anno 1377 Æduensis, et An. 1379 Cardinalis, scripsit *Tractatum de Schismate* adversus Joannem de Lignano, defensorem partium Urbani VI. Editus est a Caesare Egassio Bulaeo tomo IV Historiae Academiae Parisiensis pag. 529. Vide Baluzii Papas Avenionenses tom. I. pag. 1260 et Oudinum tom. III p. 1177 seq. Diem obiit An. 1383 ut notant Sammarthani t. II Galliae Christianae pag. 52.

Joannes BARROCIUS, cujus *Agiodiarium* libris IV carmine ad Petrum Barrocium Episcopum ab An. 1488 ad 1507 Patavinum exstat MS. Patavii, teste Thomasino pag. 5.

* BARTHOLOMÆUS Albicius. Quandoquidem iste Wadingo teste scripsit commentarios regulae S. Francisci vix diversum esse puto a Magistro illo Bartholomaeo, cuius declarationem super regulam Fratrium Minorum habeo excusam vetusto et praeclaro opere in collectione quadam rerum Franciscanarum edita Brixiae per Jacobum Britannicum Brixianum an. 1502. V. ALBICIUS supra pag. 48.

BARTHOLOMÆUS *Anglicus*. infra, *de Glanvilla*.

BARTHOLOMÆUS *ab Apona*, Ordinis Minorum, qui Joannem Palaeologum et Josephum Patriarcham Constantinopolitanum dicitur permovisse, ut Concilio Florentino An. 1438 praesentes adfuerint. Ejus *summam Casuum Conscientiae*, et *Interrogatorium pro Confessoribus* Waddingus memorat.

BARTHOLOMÆUS *de Barateriis*, JCtus Placentinus, cujus *libellus feudorum reformatus* ad *Philippum*, Mediolani Ducem, MS. vide Pancirollum de JCtis II 101. et Labbei Bibl. MSS. p. 285.

BARTHOLOMÆUS *Barensis*, infra, *Vigiliensis*.

BARTHOLOMÆUS *de Beca*, infra, BECA.

BARTHOLOMÆUS *Blanchius*. Supra in Antonio Codro Urceo A. 1500. vide Hendreichium.

BARTHOLOMÆUS *de Bononia*, Ordinis Praedicatorum, circa Annum 1338 teste p. 49. Andreae Rovetta, in Armeniam alter Apostolus claruit, et cum Joanne Angelo Bononiensi composuit Commentaria super Evangelium *missus est*, et super Canticum, *Magnificat*. Diversus adeo hic a BARTHOLOMÆO *de Bissna*, itidem Bononiensi, et ex eodem Praedicatorum Ordine, qui Episcopus Astensis An. 1409 diem obiit. Hujus *Commentaria*, sive *Postillae* memorantur *in Evangelia Matthaei et Lucae*, et *super Epistolas Canonicas*. Idem, ut videtur, Auctor *Commentariorum in quatuor libros sententiarum*, et *in veterem Logicam ac sex Principia*. Vide Jacobum Quetif. tom. I p. 722.

* Reines. pag. 116 Epist. ad Daemium.

* *Scanderbeg* Alexandrum Dominum denotat, quo nomine Barletius ab Amurate II ob virtutem est appellatus. Vide Herbeloti Bibliothecam Orientalem in *Morad*. et Vossium III, 6 de Hist. Latin.

BARTHOLOMÆUS *de Bregantiis*, sive *Bragantiis*, infra, Vicentinus.

BARTHOLOMÆUS *Brem*, Anglus Philosophus, Cangio notus e Pitseo, qui nihil ejus nisi *Quaestiones Logicas* commemorat, neque docet de aetate.

BARTHOLOMÆUS *Brixiensis*, JCtus et Juris Canonici Professor charus S. Dominico, et apud Gregorium IX gratiosus, diem obiit An. 1250 aetatis 84 scripsit *Chronicon de Urbibus Italiae*, Brixia praecipue ac Bergamo, de quo videndus Vossius: praeterea *Glossas in Decretum Gratiani*, supplendis glossis Joannis Semecae, Parisiis 1581 fol. et *Apparatum*, seu *Commentarium* in V libros decretalium Gregorii, in Corpore Juris Canonici, Romae 1582 Lugduni 1584 Parisiis 1612 fol. Ejus inedita alia ab Oudino tom. III pag. 92 seq. et apud Hendreichium pag. 436 seq. laudantur *Brocardica in Jure Canonico. Summa duplex Quaestionum* dominicalium et venalium: *Summa Juris. Reformatio Libri Ordinis Judiciarii, auctore Tancredo.* Inde emendandus Labbeus pag. 317 Bibliothecae novae MSS. ubi *Magistro Tranclerio* excusum pro *Tancredo.*

**Casus secretorum* non quidem ille scripsit sed in melius reformavit, cum antea compositus fuisset a Benincasa. Eiudem summarium sive Repertorium libri Decretorum extat in Cod. CCLIX Taurinensi. Index Codd. MSS. Taurin II, 77.

BARTHOLOMÆUS *Capovacensis*, sive *Capivaceus*, Patavinus JCtus, circa Annum 1358 defunctus, cujus *Responsum* adversus Richardum Malumbram inter Baldi Consilia Volum. 3 Consil. 419 laudat Nicolaus Comnenus Papadopoli tom. I Gymnasii Patavini pag. 198.

BARTHOLOMÆUS *Carthusiensis* Prior in Ruremunda Geldriae oppido, defunctus Anno 1446 de quo Hendreichius pag. 437 et Arnoldus Bostius cap. 23. qui laudat ejus *Summam vitiorum*, librum *de exercitio et materia Ordinis ac Devotionis:* Tractatum *de esu carnium* Benedicti regulam professis prohibito: *De proclamationibus capitularibus: De juramento et voto.*

* Vix alium ab hoc esse credo Bartholomaeum illum Carthusiensem, cuius scriptum pro authoritate Concilii supra Papam legi in Codice Bibliothecae Caesareae Vindobonensis in quo monumenta plura Concilii illios continentur. In fine scripti illius legitur: *Explicit tractatus per quendam Religiosum fratrem Ord. Carthusiensis ;* tum addit alia manus aeque antiqua *videlicet per Magistrum Bartholomaeum Doct. Theologiae olim rectorem Studii Heydelbersensis.* Scriptum: *Victus modestia imperantis.*

BARTHOLOMÆUS *Cluniacensis* Abbas ab Anno 1328 ad 1230 Scripsit *Speculum claustralium* ex dictis SS. Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Origenis, et aliorum, sive *Sermones* per totum Annum de tempore, ac de Sanctis et de communi Sanctor. Vide librum, Voyage Litteraire de deux Religieux Benedictins tom. II pag. 108 et Oudinum tom. III p. 45.

BARTHOLOMÆUS *Coloniensis*, cujus poëmata quaedam Latina MSS. exstare in Bibliotheca Caesarea testatur Lambecius tomo II pag. 981. Vixit circa An. 1500 vide Hendreichium.

BARTHOLOMÆUS *de S. Concordio*, Pisanus Ord. Praedicatorum, ac Decretorum Doctor, cujus *Summa casuum conscientiae* secundum Alphabetum ordinata et absoluta Pisis An. 1338 exstat MS. in Bibl. templi Petrini hujus Urbis Hamburgensis, ut notavit B. Staphorstius noster tomo III Histor. Eccles Hamburgens. pag. 292. Haec summa ab eo dicta *Bartholina,* vel *Pisanella*, et *Magistruccia,* sine anni nota et temporis prodiit sub tempus incunabulorum typographiae, ac deinde Parisiis 1470 Venet. 1476, 1481, 1483. Reutling. 1484 Mediolani 1494. Januae sive Genuae sine anno, et Lugd. 1519. Vide Jac. Quetif. tomo I pag. 623 ubi etiam de Codicibus MSS. in variis Bibliocis, de versione Hispanica, et de supplemento *Nicolai Auximani* Ordin. Minor. composito Mediolani A. 1444 et cum illa summa edito Venet. 1481, 4. Notat quoque in summam *Angelicam,* de qua supra p. 95 ab auctore suo Angelo de Clavasio Casus omnes ex Pisanella fuisse illatos. Caetera scripta Bartholomaei hujus sunt: *De documentis antiquorum.* Tarvisii 1601, 8. et ex

Italica versione eleganti, *Ammaestramenti* etc. Florentiae 1580 et 1661 forma minore: (24 nec non *Latine et Italice Ibid.* 1734 in 4.) *Sermones quadragesimales* Lugd. 1519,8 ut inedita, praeteream, *notas in Virgilium et Senecam* Tragicum: *De pronunciatione vocum Latinarum. De orthographia. Tabulam ad inveniendum Pascha. De memoria artificiali Compendium moralis Philosophiae* et *de virtutibus ac vitiis*, sive ut in alio Codice inscribitur: *De quatuor virtutibus Cardinalibus, quibus thronus Ecclesiae praesidentis, tanquam columnis quatuor, sustentatur et roboratur.* De Chronico ejus inedito ecce tibi testimonium Jac. Sponii recherches d' Antiquité p. 214 *Dans la Bibliotheque des RR. PP. Dominicains du Convent de Sainte Catherine de Pise, l'on y trouve un manuscrit d' une ancien Chronique Latine en parchemin, laquelle contient plusieurs choses arrivèes dans ce venerable Convent. Elle commence ainsi*, Incipit Chronica Conventus *S. K. P. L. O. P.* Prologus, in Toga, etc. *Cette Chronique fut commencèe par Frere Barthelemy de* San Concordio, *fameux Praedicateur, et Autheur du Livre intitulè* Ammaestramenti degli Antichi, *lequel ayant étè corrigé il y a quelques années, fuit mis sous la presse par le sçavant François Ridolphi, Academicien de la Crusca. Frere Barthelemy étant mort en 1347 dans un âge decrepit, (car il fut Religieux Dominicain pendant prés de soixante dix années) cette Chronique fut continuée par frere* Ugolino di Sernovi *Pisan, de la famille des* Cavalasari, *lequel mourut de fievre continuë à Florence, étant pour lors Visiteur de l'Ordre. Après lui Frere Dominique* de Peccioli *Pisan, entreprit de la continuer, et après avoir redit tout ce que ses predecesseurs avoient raconté, comme il le raporte lui-même, il continua d'écrire jusque à sa mort, qui arriva en Decembre de l'an 1408. comme l'écrit Frere Simon de* Cascia, *Religieux du Convent de Sainte Catherine, qui entrepit aprés lui d'en faire la continuation. Dans le commencement de cette Chronique, l'on y raconte la mort de Frere Alexandre* Spina *de Pise, arrivée en l'année 1313 oú il est dit, que les Lunettes ayant été inventées de son temps par un homme qui en faisoit un grand secret, il en fit lui-même, et en fit part a tout le monde. Voci les termes de la Chronique:* Frater Alexander de Spina vir modestus et bonus, quaecumque vidit aut audivit facta scivit et facere: Ocularia ab aliquo primo facta et communicare nolente, ipse fecit et communicavit corde hilari et volente. Ingeniosus in corporalibus in Domo Regis Æterni fecit suo ingenio mansionem.

BARTHOLOMÆUS *de Cotton*, Monachus Norwicensis, circa An. 1300 scriptor *Historiae Anglicanae* in tres divisae libros, quorum *Primus* de rebus Anglicis, in Codice Bibliothecae Cottonianae desideratur: ex *secundo* qui res sub Regibus Saxonicis et Normannicis gestas usque ad Annum 1298 complectitur, res ad Ecclesiam Norwicensem spectantes Henricus Warthonus tom. I Angliae sacrae pag. 397–402 vulgavit sub titulo *annalium Norwicensium* ab An. 1042 ad 1295. et ex libro *tertio* qui est de Episcopis et Archiepiscopis Angliae, *Historiam de Episcopis Norwicensibus* a Felice Burgundo, qui An. C. 650 obiit, usque ad Johannem An. 1299 p. 403–412 cum notis, in quibus testatur Bartholomaeum ea quae habet de Episcopis Norwicensibus ad Normannorum usq; tempora, hausisse ex Wilhelmo Malmesburiensi de gestis Pontificum Anglorum lib. cap. 2.

BARTHOLOMÆUS *Culey* sive *Convuay* subtilis Magister Oxoniensis, cujus libros duos in Aristotelem de generatione memorat Baleus XI 20.

BARTHOLOMÆUS *Duniacensis*, apud Hendreichium pag. 437 apud Sanderum p. 151 Biblioth. Belgic. MSS. et apud Cangium, lege *Cluniacensis.*

BARTHOLOMÆUS Episcopus ab Anno 1161 ad 1184 in Patria Iscanus, sive *Exoniensis* (non Oxoniensis, ut Oudino et Jacobo Petito visum) qui Regis Angliae Henrici II causam de clericis maleficis in foro saeculari judicandis egit adversus Thomam Archiepiscopum: Regis etiam ad Pontificem Alexandrum III Legatus, de quo Oudinus tom. II pag. 1570. Johannes Prince de illustribus Devoniensibus, et ex eo Acta Eruditorum Anno 1702 pag. 289. Hujus *Poeni-*

tentiale in variis Bibliothecis MS. occurrit, ex quo excerpta dedit Jacobus Petitus pag. 331–340 ad Theodori Poenitentiale: scripsit etiam *Dialogum contra Judaeos* ad Balduinum, Ordinis Cisterciens. Abbatem prius Foranum, et jam Wicciorum Episcopum, qui Bartholomaeo librum suum de Sacramento Altaris dicaverat. *Homiliam in necem Thomae*, Archiepiscopi Cantuariensis An. 1180 et praeter alios *Sermones* atque *Epistolas*, libellum *de Praedestinatione et de libro arbitrio*, quem Baleus Pitseusque in duos libros dirimunt. Vide Lelandum c. 198 Baleum III, 23 Pitseum pag. 249 seq. qui tribuit illi etiam librum *contra falsitatis errorem*, et alium *de Mundo et corporibus coelestibus.*

BARTHOLOMÆUS *Facius,* infra, FACIUS.

BARTOLOMÆUS *Ferrariensis* Ord. Praed. circa A. 1403 auctor *Voluminis sermonum.* De Ferrariensi altero infra in *Mutinensi.*

BARTHOLOMÆUS *de filiis Ursi*, Ord. Minor. cujus exstat sub tempora nascentis typographiae editum *Quadragesimale*, quod inscribitur *Gratia DEI.* Sermones, in folio.

BARTHOLOMÆUS Anglus circa A. 1420 *Florarius* dicitur ab opere quod *florarium* inscripsit teste Baleo XI, 42 et Pitseo pag. 605 qui initium hoc illius apponunt: *Gratias ago Gratiae largitori, quia.* Memoratur etiam liber ejus *de abstinentia* qui incipit: *Est statutum prandendi tempus.*

BARTHOLOMÆUS *Fontius.* infra FONTIUS.

BARTHOLOMÆUS *de Fusniaco*, ex Episcopo Laudunensi, quo munere se abdicavit, Monachus Cisterciensis, cujus *Epistola Apologetica* ad Synodum Remensem A. 1158. qua a dissipati Ecclesiastici patrimonii probro se purgat, exstat in tomis Conciliorum Labbei tom. X pag. 1184. Harduini tomo VI Parte 2 pag. 1375. etc.

BARTHOLOMÆUS *Gaëtanus,* qui A. 404 pro patriae libertate adversus Petrum Gambaram decertans mortem oppetiit, scripsit *libros duos annalium Brixiensium*, atque *in Brixiensem historiam annotationem*, quae mihi notae non nisi ex Vossio III hist. Latin. pag. 801.

BARTHOLOMAEUS Anglicus *de Glanvilla* sive *Glannovillanus*, ex Comitibus Sudovolgiis sive Suffolciensibus (Lelando sudovolcaris,) Monachus Ord. Minor. circa A. 1360 auctor Operis in *libros XIX* distributi *de proprietatibus rerum* Argent. 1488 1505. Norimb. 1492 Francof. 1601 longe diversum a Thomae Cantipratani opere de natura rerum, de quo infra, atque editum quoque sub titulo *allegoriarum* sive *tropologiarum in utrumque Testamentum*, Paris. 1573 addito libro XX *de rerum accidentibus*, numeris, mensuris, ponderibus et sonis: et libro *de proprietatibus apum.* Etiam Gallicam hujus operis versionem jussu Caroli V. Galliarum Regis a Joanne Corbichone compositam vidisse se Lelandus cap. 348 testatur, et partem illius esse puto quem Baleus singillatim nominat librum *de Mundo ac coelestibus. Sermonum liber*, editus Argentor. 1491. Inedita apud Baleum VI. 15 memorantur: *Chronicon de Sanctis. Postillae Scripturarum.* Quibus *librum contra Laurentium Vallam,* et *Practicam* adjungit Pitseus pag. 495. quae *Practica Juris* vocatur apud Waddingum pag. 50. De *Postilla in Matthaeum et Marcum* adeundus Warthonus ad Caveum. At de libro contra Vallam merito dubitat Vossius et cum Bartholomaeo altero, Facio nempe nostrum confusum a Pitseo suspicatur, neque enim fert aliud temporum ratio, cum Valla quinquagenarius obierit A. 1457.

BARTHOLOMÆUS *Graunwyse* itidem Anglus Ordin. Minor. et Glanvillano suppar aetate, si Waddingo credimus, qui eum circa An. 1358 ait scripsisse *decora Franciscanae Religionis adversus dedecora exprobantium sibi hostium.*

BARTHOLOMÆUS *Iscanus*, supra *Exoniensis.*

BARTHOLOMÆUS, infra PTOLOMÆUS *de Luca.*

BARTHOLOMÆUS *Mutinensis*, qui Ferrariae Inquisitor, sive Fidei Censor obiit An. 1448. Scripsit *libros sex de CHristo JESU abscondito*, *in solennitate Corporis CHristi.* Venetiis 1558. Concionem *de veritate stigmatum Catharinae Senensis.* Tractatum *moralem praedicandum in Civitate*

pestilentiata. Sermones de tempore, de Sanctis et Quadragesimales. *Commentarium in regulam S. Augustini.* Vide Jac. Qvetif tom. I, pag. 807 et 749.

* Est et alius *Bartholomaeus Prignani Mutinensis*, cuius vulgatum est carmen elegiacum *de vita quieta ad Rev. Pressum Capharellum Romanum Asculanum Episc. Bononiae legatum* impressum Rhegii per Albertum de Mazalibus an. 1487 die XI K. Sept.

BARTHOLOMÆUS *de Neocastro*, Messanensis, Messanae Judex ac Regni Siciliae fisci patronus, quem Jacobus Aragoniae Rex legatum misit An. 1286 ad Honorium IV. Scripsit *Messanam*, sive *XV libros de rebus gestis Petri Aragoniae Regis Siculorumque adversus Carolum post Gallorum cladem*, An. 1282 hexametro carmine: et *Historiam sui temporis*, oratione soluta, *ab* An. 1250 sive *morte Friderici II. Imp. et Siciliae Regis, usque ad An.* 1294. Utrumque opus in lucem dare voluit Antoninus Amicus: prius etiam Hieronymus Surita. Vide conspectum meum thesauri litterarii Italiae pag. 165 et Mongitoris Biblioth. Siculam tom. I, pag. 96 seq.

* Authoris huius historiam quam plures in se susceperunt edendam, Cl. Muratorius e MS. Cod. Siculo tandem evulgavit Rer. Italic. t. XIII. Res gestas complectitur ab an. 1250 usque ad an. 1494. Totum opus in cap. quidem CXXIV non vero in libros, praeter quam Fabricio narratum fuit, distribuitur. In praefatione indicat author hoc se opus metrica oratione dedisse, dein vero roganti filio acquieturum soluta oratione illud refinxisse. Quare valde suspicor historiam illam metricam, cuius hic Fabricius meminit, eamdem cum nostra fuisse, oratione tantum variata.

BARTHOLOMÆUS Ordinis Minorum, supra *Glanvillus*, de *S. Concordio*, de *Apona*, etc.

BARTHOLOMÆUS Mortui Maris in *Normannia*, Monachus Ordin. Cisterc. cujus *Commentarii in IV Evangelia* memorantur a Carolo de Visch pag. 33 Bibl. Cisterc.

BARTHOLOMÆUS *de Osa*, sive Ossanus, Bergomensis, quem Anno 1340 floruisse Trithemius cap. 590 annotat, scripsit *Opus historiarum* libris XVI quibus Vitas et gesta Imperatorum Pontificumque tradidit, hactenus quantum comperi, ineditis.

BARTHOLOMÆUS *Patavinus*, Augustinianus, cujus *commentarios in quatuor Evangelia* Jacobus le Long pag. 627 Biblioth. Biblicae, ex Elssio commemorat.

BARTHOLOMÆUS *Platina*, infra PLATINA.

BARTHOLOMÆUS Ord. Praed. qui de Casibus Conscientiae scripsit. Vide supra *Concordio.*

BARTHOLOMÆUS Lapaccius ex *Rimbertinis*, Florentinus Ord. Praed. Magister sacri Palatii apud Pium II et Episcopus ex Argolicensi et Cortinensi ab Anno 1449 in Hungaria Coronensis obiit 1466. Ejus libri duo *de glorificatione sensuum in aeterna beatitudine* (in compendium missi ex Joanne Tambaco) lucem viderunt Parisiis 1614 8.vo Inedita apud Julium Nigrum pag. 83 aliosque memorantur: *De distinctione Spiritus S. a Filio,* ad Bessarionem. *De incarnatione. De effusione sanguinis CHRISTI*, ad Pium II. *Controversia de CHRISTI divinissimo sanguine. In Psalmum*, Miserere: *Sermones*, *Orationes*, etc.

BARTOLOMÆUS *Raccolius*, sive *Roqvacallius*, Carmelitarum Ordinis Prior Generalis ab Anno 1424 et Episcopus ab Anno 1433 ad 1445 Massiliensis, praeter *Sermones* ad Clerum habitos scripsit *in quatuor libros Sententiarum.* Vide Alegrium pag. 333 et Sammarthani Galliam Christ. tom. III, pag. 664.

BARTHOLOMÆUS *Ruremundanae* Carthusiae Prior. Vide supra *Carthusiensis.*

BARTHOLOMÆUS *de Saliceto* JCtus, qui primus Ferrariae Jus Civile docuit circa Annum 1390 infra, SALICETUS.

BARTHOLOMÆI *Sulmonensis* Poëmata MSS. memorat Labbeus Biblioth. MSS. pag. 303.

BARTHOLOMÆUS *de Tolomaeis*, sive *Ptolemaeis*, cujus vita B. *Luchesii* A. 1260 defuncti exstat in Actis Sanctorum 28 April. tom. III, pag. 594.

BARTHOLOMÆUS Tridentinus, quem vitas Sanctorum scripsisse ait Simlerus, videndum, sit ne exsculptus ex Bartholomaeo *Vicentino* de quo infra.

* Viri huius mentionem fieri lego a Petro de Natalibus Equilino Episcopo in praefatione catalogi sui de Sanctorum gestis, nec ab eo quidquam memorari constat de gestis Sanctorum ab hoc Bartholomeo peculiari libello descriptis, sed ait tantummodo F. Bartholomaeum de Tridento in Chronicis suis de SS. actis tractasse. En eius verba. *Nec non F. Bartholomaeus de Tridento Ord. Praedicat. in chronicis suis.*

BARTHOLOMÆUS *Veronensis*, Abbas S. Nicolai de littore Venetiarum, Congregationis S. Justinae de Padua * Ordinis Benedictini circa Annum 1440 scripsit Chronicon Abbatiae suae ab ejus primordiis ad sua tempora, adhuc ineditum.

BARTHOLOMÆUS de Bragantiis, Ordinis Praedicatorum, Episcopus Nimonicensis in regno Cypri, et ab Anno 1250 ad 1270 *Vicentinus*. Vide Acta Sanctorum 1 Julii, Jacobum Qvetif tom. I, pag. 254 seq. Ughellum tom. V, pag. 1052 ubi narratio ejus *de reliquiis spineae Coronae CHristi* Anno 1260 Vicentiam perlata, et apud Barbaranum in Historia Vicentina, ubi etiam pars ejus *Testamenti*, sicut apud Pium *de translato Corpore S. Dominici* An. 1267. Sed longe plura ejus inedita feruntur, quorum titulos dabit Qvetifus pag. 258 in his sunt: *Commentarii in Genesin, Leviticum, Isaiam, Ezechielem, Hieremiam, Danielem, Cantica Canticorum, libros Maccabaeorum, librum Sapientiae, Matthaeum, Marcum Joannem, Actus Apostolorum, Epistolas Canonicas.* Scholia in libros *Dionysii* Areopagitae. *Sanctorum Vitae* in Epitomen redactae. Liber *de animalibus*. Tres quaterni, *Chronicas aetatum* continentes. Liber *de informatione Regiae prolis, ad Margaritam illustrem Francorum Reginam.* Liber *de regressu animae in seipsam. De naturali appetitu dominii. De naturali appetitu Divinae speciei. De suspectione mentis in radium Divinum. De venatione Divini amoris. Contemplationes cum rhythmis et versibus diversarum festivitatum* etc.

BARTHOLOMÆUS Barensis, Ordinis Praedicatorum, Episcopus in Apulia *Vigiliensis* circa Annum CHristi 1327. Vide Ughellum tom. VII, pag. 944. Hujus *Commentarii in Pentateuchum* ab Altamura et aliis memorantur.

BARTHOLOMÆUS Augustinianus, *Urbinensis* ab Anno 1347 ad 1350. Ejus *milleloquium Augustini*, ad Clementem VI Papam, sive Commentarii in Vetus et Novum Testamentum ex S. Augustini operibus concinnati, quos Augustinus Triumphus affectos reliquerat et Bartholomaeus ad umbilicum perduxit, prodiere Lugd. 1555 fol. Paris. 1645 fol. (a quibus diversum * opus licet ejusdem instituti, quod itidem ex Augustino collectum edidit *Jo. Gastius* Theologus Basilensis, Baslleae 1542 fol. recusum Venet. 1543 4.to) *Milleloquium Ambrosii* Lugd. 1556 fol. Omitto inedita, quae apud Elssium pag. 115 laudantur. Compendium *Ægidii Romani de regimine Principum.* Liber *De bello*, sive ut in Codice Regio Paris. 428 *de re bellica Spirituali. De quatuor novissimis. Quadragesimale. Contra errores qui inventi fuere tempore Ludovici, Ducis Bavariae,* quibus Occamum, Marsilium, et alios Majestatis Principum in saecularibus assertores notari, Warthonus recte monuit.

BARTHOLOMÆUS *de Yano*, Ord. Minor. de quo Waddingus in Annalibus ad Annum 1435 et cujus summam Casuum Conscientiae et Interrogatorium Confessorum p. 53. Bibliothecae Franciscanor. memorat, idem cum Bartholomaeo ab *Apona*, de quo supra ex ejusdem Waddingi p. 49.

* BARTHOLUS Lucanus Utinensis scripsit adstrictam carmine orationem Innocentio VIII dicatam impressamque loco et tempore incerto, in qua probare nititur electos homines e Paradisi Edem deliciis nihil retulisse incommodi, quod non industria et ingenio valeant evadere. Impressoris nomen hoc disticho exprimitur:

Argirius opus hoc Eucharius arte magistra
Impressit summa perlege, lector, ope.

BARTHOLUS Picenus Saxoferratensis Jurisconsultissimus sua aetatis, *speculum*

* Vide Arnoldi Wion lignum Vitae tom. II, pag. 585 seq.

* Vide Oudinum tomo III pag. 965.

et lucerna Juris Civilis, *Monarcha Juris* appellatus tum ab aliis tum a Thoma a) Diplovatatio Graeco, qui de claris JCtis Latine scripsit, et in his vitam Bartholi tradidit, quam integram dedi lib. VI Bibl. Greсae cap. 6 tom. XII p. 555. sqq. Jus docuit Pisis et Perusii, ubi etiam diem obiit Anno 1359 aet. 46. De Commentariis ejus b) in Jus Civile et Consiliis c) idem Diplovatatius pag. 561. *Tiberiadem*, sive libellum de Tiberis fluminis anfractibus, alluvionibus, insulisque non diu ante obitum scripsit, adjuvante *Guidone* Perusino Theologo ac Geometra. Librum etiam *de Guelfis ac Gibellinis*, quem laudat Trithemius cap. 637. Alium *de insignibus et armis*, qui cum repetitione de quaestionibus et torturis excusus Lugd. 1550. *Processus Satanae contra B. Virginem*, prodiit Hannoviae 1611 8. cum Udonis Tengleri annotationibus. Prohibetur in indice Madritensi. Praeter Diplovatatium plura de Bartholo Jo. Fichardus pag. 412 seq. Guido Pancirollus II, 67. Marcus Mantua p. 446 seq. Jovius in elogiis ubi effigies etiam, sicut apud Boissardum tomo I pag. 88. Augustinus Oldoinus de scriptoribus Perusinis pag. 47 et gloria Academiae Pragensis p. 115. Almeloveenii amoenitates Theologico-Philologicae pag. 75 seq. et caet.

* Unicum eius consilium paulo post authoris obitum scriptum olim mibi occurrit Biblioth. Malatestarum Caesenae invisenti. Post titulum additur *cuius anima requiescat in pace*. Eiusdem authoris tractatus seu *liber Minoritarum* servatur in Cod. 1162 Latino Bibliothecae Universitatis Taurinensis. Est autem opusculum *num bona saecularia virtute testamenti ad minores devenire possint*. Nondum prodiisse credo. *Processus Satanae contra B. Virginem* servo apud me ex vetustissima editione in 4 absque adnotatione anni et loci. Inscribitur: *Tractatus procuratorius editus sub nomine Diaboli quando petiit justitiam coram Deo, et B. Virgo M. se opposuit contra ipsum et obtinuit, nec non obmutuit pugna contra genus humanum* Exemplar aliud impressum eiusdem opusculi servat Biblioth. Felini editum (Romae ut credo) per Magistr. Bartholomaeum Guildinbex de Sultz. an. 1475 die XI septembr.

a) Obiit hic Diplovatatius nonagenario major An. 1554.

b) Prodiere quinque praegrandibus Volum. in fol. Venetiis 1475 seqq. Basil. 1562 ex recensione Jacobi Concevatii et Venet. cum notis Jacobi de Bottis et Petri Mangrellae A. 1596, 1615.

c) Rom. 1478 etc.

BARTOLFUS *Peregrinus de Nacgeio* Germanus, vivo adhuc Tancredo, h. e. ante An. 1112 scripsit epitomen ex Fulcherio, *de gestis Francorum, qui Hierusalem An. 1095 expugnaverunt*, ab illo tempore usque ad Annum 1116. editam a Bongarsio in gestis DEI per Francos tomo I pag. 561-593 sed sine nomine auctoris, quod ex MSto Codice restituit Caspar Barthius lib. CLXVII Adversariorum capite 7. Hoc vulgatum exstat in Diario Theologico Dresdensi, *Unschuldige Nachrichten von alten und neuen Theologischen Sachen*, p. 381. Conferendae ejusdem Barthii notae quas in lucem emisit nobiliss. Joannes Petrus a Ludwig tomo tertio reliquiarum MSS. diplomatum et monumentorum, pag. 500-519.

BARTREMIUS *Fizalanus* Carmelita Anglus scriptor *Quaestionum Theologicarum*, et commentarii in IV libros sententiarum. Floruit sub decimi quinti saeculi initia, diemque obiit Lindi sive Lincolniae. Vide Lelandum cap. 528.

Casparinus BARZIZIUS Bergomas, Patavii et deinde Mediolani elegantes litteras docuit, obiitque Anno 1431. Ejus *Epistolae* culto sermone scriptae, post editionem rarissimam Paris. 1470 editae ab Alexandro Furietto, Bergomate Rom. 1723, 4to, * quibus alias ejusdem *familiares Epistolas* et *Orationes*, et *libellum de compositione*, atque Vitam Auctoris adjunxit, in qua emendandis Ciceronis et Quintiliani scriptis egregiam operam ab illo positam celebrat.

Christophorus BARZIZIUS *Casparini F.* Medicinam Patavii docuit ab A. 1442. Ejus introductorium, sive janua ad Medicinam Practicam una cum commentariis ad nonum Rhasis, prodiit Papiae 1494 fol. Introductorium etiam Augustae Vindelicor. 1518, 4

*Acta Eruditorum tomo VIII supplementi p. 494.

ut alia Merklino memorata praeteream. Vide Nic. Comnenum Papadopoli de Gymnasio Patavino tomo I pag. 291 seq.

Guinofortus BARZIZIUS, Casparini F. natu minor, et ipse bonas litteras docuit Novariae primum, deinde itidem Mediolani, cujus *Orationes* et *Epistolas*, una cum Patris scriptis publicavit laudatus Furiettus.

* Nescio an unquam prodierit, seu in MSS. adhuc supersit scriptum illud eiusdem authoris *de Amore,* cuius ipse meminit in epistola ad Georgium Cathalactae Regi a secretis verbis. *Ad Magnificum Heroem Franciscus Scirigles de amore consultus Veritatem potius, quam vanitatem sequutus scribo. Nonnulla vix ea de re attigi, indecisa percurrens, quae si discutienda fuerint, nos in philosophiam ducent. Nonnulla ex mediis Philosophiae claustris eduxi, Caetera partim alieno testimonio comprobavi, partim cuiusque tacito judicio ex rerum praeteritarum memoria, praesentiumque respectu, partim ex his quae in se ipso quisque sentiat, vel in aliis cernat, fatenda proposui.*

In Biblioth. Riccardiana extant MSS. octo eius epistolae, ex quibus geminas vulgavit cl. Lamius in Catal. eiusd. Biblioth. pag. 38. Geminae istae ut aliae eiusdem Cod. ut puto, in sylloge Furieti non leguntur.

Thomas BASINUS, infra BAZINUS.

BASSATIUS Cassinensis Abbas, qui Anno 856 obiit, a Petro Diacono cap. IX vir Scripturis sanctis deditus et notitia Ecclesiastici dogmatis sufficienter instructus traditur multa composuisse nitido satis et aperto sermone. Nullum tamen eorum nominat, neque qui Petrum notis illustravit Jo. Baptista Marus.

Castellanus BASSIANENSIS, auctor Carminis, cui titulus *pax Venetiana,* de pace Friderici Barbarossae Imp. cum Alexandro III Pontifice, ad Franciscum Dandulum, Venetiarum Ducem An. 1327. Vide Vossium pag. 798 de hist. Lat.

BASSIANUS *Dardadone*, Ordin. Minor. cujus *Vita Jacobi de Olde* Presb. An. 1404 exstat in Actis Sanctor. 18 Aprilis tomo II, pag. 601.

Robertus BASTONUS, Carmelita, Rhetor et poëta Oxonii laureatus ab Eduardo Rege, jussus A. 1304 arma ipsius victricia et obsidionem arcis Scotorum Strivelinsis canere, incidit anno post in manus Scotorum, qui victorias suas metro condere eum coëgerunt, quod fecit etiam, ut refert Baleus IV 92, ex quo Pitseus pag. 399. Vossius, Oudinus, et de poëtis medii aevi Leyserus pag. 1104 a quibus etiam alia ejus scripta sed inedita memorantur.

BAVARIAM Sanctam, atque in hac vitas et icones Sanctorum Bavariae, jussu Maximiliani Principis congessit ediditque Marthaeus Raderus S. J. Ingolstadii tribus Vol. in fol. 1615, 1624, 1627. Ejusdem Bavaria pag. 1628 fol.

BAUDEMONDUS, ex Elnonensi Monacho Abbas Blandiniensis Ord. Benedictin. apud Gandavenses, *S. Amandi* discipulus, cujus *vitam* scripsit editam in Actis Sanctor. 6 Februarii tom. I, pag. 848 et in Mabillonii Sec. 2 Benedictin. pag. 710. Obiit S. Amandus Trajecti ad Mosam Episcopus A. 684. Vide et infra, MILO.

BAUDAVINIA, supra BANDONINIA.

Guil. BAUFETI, Aruernus, vide GUILELMUS.

Thomas BAZINUS, Episcopus Lexoviensis et post exilium a Sixto IV pronunciatus An. 1472. Archiepiscopus Caesariensis obiit Trajecti An. 1491 scriptor *historiae de rebus gestis Ludovici XI. Galliarum Regis, et Caroli Audacis*, *Ducis Burgundiae*, libris II. e quibus fragmenta apud Antonium Matthaeum tomo II analectorum Veteris aevi. Vide sis Oudinum tomo III, pag. 2616 seq.

BEATUS, Levanensis Astur, Hispanus Presbyter Benedictinus, de quo auctor vitae apud Mabillonium Sec. 3 Benedictin. Parte II et Mabillonius in Observatione praevia p. 734. Nic. Antonius Bibl. veteris Hispanae lib VI. cap. 2 pag. 325 seq. et Jacobus Basnage ad tom. II. Canisii pag. 289 seq. Scripsit aera 823 hoc est Anno CHristi 785 una cum Etherio *adversus Elipandum* Archiepiscopum Toletanum *de adoptione CHRISTI, Filii DEI,* libros duos. quos primus edidit Petrus Stevarius in collectione veterum scriptorum, Ingolstad. 1616, 4 recusos inde in Bibliothecis Patrum Paris. 1644, 1654

tomo IV. Parte II. Colon. 1618 tomo VIII et Lugdun. 1677 tomo XIII et cum antiquis lectionibus Canisii edition. Basnagianae tom. II. Quod *Antiphrasium*, Beatum hunc dixere Elipandus et Felix, non *Contradictorem* interpretor, sed per antiphrasin ita dictum sive minime beatum, frigido scommate, quod in Felicem retorqueri poterat. *Commentaria* sive Catena Patrum *in Apocalypsin*, quae laudant Lud. Alcasar. pag. 89 Mabillonius et alii, nemo hactenus in lucem protulit. Fragmentum *contra Folmarum* apud Stevartium pag. 243 non Beati est, trecentis amplius annis Folmaro antiquioris, sed Adami Reichersbergensis, de quo supra.

Henricus BEBELIUS Justingensis Svevus, ab An. 1497. Tubingae bonas literas docuit, defunctus post A. 1514. In Simonis Schardii scriptoribus rerum Germanicarum tomo primo et in Goldasti politicis Imperialibus extant ejus Oratio *de Germaniae laudibus*, demonstratio *Germanos indigenas esse*: Apologia *pro Impp. Germanorum dignitate*, contra *Leonardum Justinianum* Venetum: Dissertatio, *Imperatorem Romano-Germanicum jure* Christianissimum *appellari*: Libellus *de Germanorum antiquitate, imperio, gestis, victoriis etc.* Addidit Schardius etiam ejus scriptum *de laudibus Svevorum* contra Jacobum Bergomensem, qui eos proditionis Ludovici Ducis Mediol. arguerat. Apud Freherum tomo II rerum Germanicarum pag. 507 obvia ejus ecloga Triumphalis *de victoria Imp. Maximiliani contra Bohemos*, aliaque carmina quaedam. Omitto alia ejus opuscula junctim edita cum libello *de Romanorum Magistratibus et Sacerdotiis*, et scripto *de pagis Svevorum, et de Neccaro flumine.* Argent. 1513, 4 quae a Simlero enumerantur. Praeterea *de mendaciis quorundam historicorum: artem condendorum carminum*, Tubing. 1515 *Institutionem puerorum, triumphum Veneris*, ibid. *Carmen in asophum Pseudo-Prophetam, facetias* saepius praelo iteratas etc.

Ludolphus, sive *Lupoldus* ab Eglofstein BEBENBERGIUS Vossio, aliis BABENBERGIUS, h. e. Bambergensis Episcopus, qui obiit An. 1341. Exstat ejus liber editus Basileae 1497 hoc titulo: *Germanorum veterum Principum Zelus ac fervor in Christianam Religionem, per Lupoldum Bebenburg.* Deinde recusus saepius, etiam insertus Bibliothecis Patrum edition. Colon. tomo XV et Ludgun. tomo XXVI. Simon vero Schardius collectioni suae de potestate Imperiali et Ecclesiastica non hunc modo sed alterum quoque ejusdem Lupoldi librum inseruit, Basil. 1566 fol. pag. 167 *de jure Regni et Imperii.* Vide Vossium, Sandiique ad eum notas. De aliis editionibus Hendreichium pag. 372.

BEBENHUSANI *Annales* ab Anno Christi 1160 ad 1400 in tomo decimo veterum monumentorum ac diplomatum nobilissimi Viri Joannis Petri Ludewig.

BEBIANUM Poëtam Cangius annotat editum cum Victore Massilensi An. 1560 p. 96. Illam editionem Victoris curavit Guil. Morellus Parisis in 8vo, quae cum mihi ad manus non sit, qualis sit ille Bebianus, non possum dicere, cum Hendreichius quoque deludat, qui p. 469 ait Anonymum poëtam *de Bebiani baptismo, et uxoris ejus Aprae obitu Carmen*, exstare in Patrum Biblioth.

BECCENSIS Abbatiae Chronicon ab An. fundationis 1031 ad An. 1467 ad calcem operum Lanfranci Cantuariensis editorum a Luca Dacherio, Paris. 1648. fol.

* Ad Chronicon istud Beccense varias lectiones et additiones ex MS. Cod. olim Biblioth. Reginae Sveciae nunc. Vaticano, dedit P. Martene Vet. Monum. IX pag. 105.

Thomas BECKET, Archiepiscopus Cantuar. Vide THOMAS.

De BEDÆ patria, conditione et aetate nihil certius afferre licet, quam quod ipse ad calcem Historiae Anglor. tom. III 151. *Haec Domino adjuvante digessi Beda DEI famulus et Presbyter monasterii beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quod est ad Wirimundam* a) *et Ingiruum. Qui natus in territorio ejusdem monasterii,* b) *cum es-*

a) Ad ostium Wiri amnis. vide tomum VI pag. 51.

b) Itaque non Saxo Germanus fuit Beda, licet hoc a Friderico Langen, et Engelhusio traditum, quorum testimonia merito in dubium vocat Meibomius tomo I. Rerum Germanicarum pag. 809. Natus autem possit videri An. 672 Historiam Anglorum absolvisse Anno Christi 731 et in hoc loco annum

sem annorum septem, cura propinquorum datus sum educandus reverendissimo Abbati BENEDICTO, ac deinde CEOLFRIDO, cunctumque ex eo tempus vitae in ejusdem monasterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter observantiam disciplinae regularis, et quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper aut discere; aut docere, aut scribere dulce habui. Decimo nono autem vitae meae anno Diaconatum, *tricesimo gradum* Presbyteratus. c) *Utrumque per ministerium reverendissimi Episcopi* Johannis (tunc Hagustaldensis, postea Eboracensis) *jubente* Ceolfrido *Abbate* (Wirimundensis Monasterii) *suscepi. Ex quo tempore accepti Presbyteratus usque ad Annum aetati meae quinquagesimum nonum, haec in Scripturam sanctam meae meorumque necessitati ex opusculis venerabilium Patrum breviter annotare, sive etiam ad formam sensus et interpretationis eorum superadjicere curavi.* Hic BEDA Presbyter, utilibus scriptis Ecclesiae *Venerabilis*, diem obiit Anno 735 d) de quo Mabillonius Parte I saeculi tertii Benedictini, et Acta Sanctor. 27 Maji tom. VI pag. 718 seq. ubi etiam pag. 720 vita scripta a *Turgoto*, Priore Dunelmensi, circa A. 1100. ex ejus historia Ecclesiae Dunelmensis, quae sub nomine *Simeonis* Dunelmensis perperam excusa inter decem scriptores Hist. Anglicanae. De operibus ejus post Possevinum diligentius disseruit Oudinus tomo. I pag. 1672 seq. Videor tamen mihi actum non agere, si et ipse tanti Viri scripta distincte referam primo quae exstant in octo tomis ejus Operum, novissime post editiones Paris. 1544, 1554. Basil. 1563 Colon. 1612 vulgatis Colon. 1688. Deinde illa, quae in hisce tomis desiderantur.

aetatis quinquagesimum nonum commemorat. Sed notavit Pagius ad Annum 665 num. 8. Bedam haec non potuisse addere ante Annum 752 vel 755.

c) Adde Pagium ad An. 701 num. 2. Nicolai Hieronymi Gundlingii Observatt. select. 7 libri I.

b) Blondellus pag. 77 de Episcopis. Fabulam de Beda hoc Romae sepulto rejicit etiam Joannes Ciampinus de sacris aedificiis a Constantino M. exstructis cap. IV sect. 10 num. 150. Similis fabula de patria Bedae hujus Genua, cujus meminit Hector Boethius.

TOMO I.

Cunabula Grammaticae artis Donati restituta pag. 1.

De octo partibus Orationis pag. 14.

De arte metrica ad Wigbertum Levitam pag. 25 seq. Exstat et in Grammaticis Putschii p. 2350–2383 et pars praefigitur hymnis Ecclesiasticis a Georgio Cassandro editis Anno 1556 et inter Cassandri Opera Parisiis 1616 fol. qui *Hymnos* etiam Bedae exhibet p. 195, 206, 239, 244, 254, 263, 266, 274, 280, 281, 293.

De schematibus S. Scripturae pag. 42 *et tropis* pag. 48. Prodiit etiam separatim Venet. 1522. et cum figuratis locutionibus ex Augustino et Chysostomo collectis per Bartholomaeum Westheimerum, Basil. 1536, 8 et inter Rhetoras Francisci Pithoei pag. 342–355.

De orthographia pag. 53 ordine alphabetico. Alius hujus argumenti liber in Grammaticis Putschii pag. 2327–2350.

De arithmeticis numeris pag. 72.

De diversis speciebus numerorum et *mensa Pythagorica* pag. 75.

De computo, dialogus pag. 85.

De divisionibus temporum pag. 89. MS. Codex auctior commendatur a Mabillonio tomo I musei. Ital. pag. 69.

De arithmeticis propositionibus sive problematibus pag. 100.

Libellus de asse et partibus ejus, et de ratione calculi. pag. 111.

De numerorum divisione ad Constantinum pag. 123.

De loquela per gestum digitorum et de temporum ratione pag. 127 cum glossis Bridferti Ramesiensis, et scholiis Jo. Noviomagi. Hunc libellum suppositum Bedae existimat Petavius pag. 159 Ep. Aliud tamen supra pag. 391.

Libellus de ratione unciarum pag. 140.

De argumentis Lunae, ex Victorio Aquitano, Dionysio Graeco etc. pag. 143.

Computus vulgaris, sive *ephemeris* pag. 169. Auctoris Beda junioris esse probat Oudinus tom. I, pag. 1683.

Martyrologium, versibus hexametris, quod incipit: *Primum nunc Jani vocitatum nomine*

mensem pag. 191. WANDELBERTI Prumiensis, non Bedae. Aliud Martyrologium breve itidem versibus hexametris sub Bedae nomine vulgatum a Dacherio, incipit: *Bissena mensum vertigine volvitur annus* tomo X spicilegii pag. 126 et tomo II edit. novae in folio pag. 23.

De embolismorum ratione computus pag. 215 cum tetrastichis singulis ad singulos menses. Etiam hunc Computum Bedae abjudicandum et RADULPHO DE LINHAM, Anglo adscribendum esse, Oudinus disputat.

Decemnovales Circuli Dionysii Romani Exigui, B. Cyrilli et Bedae LXXXIV usque ad Annum 1595 cum praefatione (ABBONIS Floriacensis) pag. 257.

De Cyclo Paschali pag. 306.

Canones decenovennalium Circulorum p. 321.

De Mundi coelestis terrestrisque constitutione pag. 323.

Musica Theorica pag. 344 et *Practica*, (ita leg. pro *Quarta*,) *seu mensurata* pag. 351 junioris esse scriptoris contendit Oudinus, quem vide tomo I, pag. 1685.

De circulis sphaerae et polo pag. 365.

De planetarum et *signorum ratione* p. 369 *ex mente Hebraeorum*, *Chaldaeorum*, *Ægyptiorum* pag. 371.

Mensium notae pag. 377.

Libellus de tonitruis ad Herenfridum, quem patrem Veneratum appellat, pag. 387 translatus ex Graeco, fortasse *Joh. Laurentii Philadelphiensis Lydi*, de quo in Bibliotheca Graeca lib. III cap. 20 pag. 513.

Pronostica temporum pag. 390,

Mensura Horologii pag. 392 ubi et *de diebus Ægyptiacis* pag. 394.

Libellus de Astrolabio pag. 394.

De nativitate Infantum pag. 397.

De minutione sanguinis pag. 398.

De septem Mundi miraculis pag. 400.

De anno, *de ratione temporum*, *de celebritate temporum*, *de variis computi regulis*, Carmina versibus hexametris pag. 401.

Dionysius de annis, trochaicis versibus pag. 413.

Libellus de ratione computi per quaestiones et responsiones pag. 418. Confer Rabani librum de computo, scriptum Anno septimo Ludovici Imperatoris et editum a Baluzio in limine tom. I. Miscellan. et Helpericum, qui in prologo libri de computo, quem An. 930 composuit, etiam Bedam laudat.

De duodecim signis, *de aetatibus* etc. carmina: et PRISCIANI de Astronomia, pag 434. MANFREDI carmina pag. 435 et embolismorum ratio, prosario sermone, pag. 450. Versus de Urbe Roma et Treverensium pag. 449.

TOMO II.

Ds rerum natura liber, cum glossis incerti auctoris, Brideferti Ramesiensis, et Joannis Noviomagi pag. 1. Hunc et proximum librum Bedae esse negavit Stephanus Vitus, sed merito refragante Petavio pag. 157 Epist.

De temporum ratione, cum ejusdem Brideferti et Noviomagi scholiis pag. 43. Cum Codice Bibl. Cathedralis Wirceburgensis collatum hunc librum vide in Jo. Georgii Eckarti Commentariis de rebus Franciae Orientalis et Episcopatus Wirceburg. tom. I, pag. 825.

De sex aetatibus Mundi, sive *Chronicon* a rerum origine usque ad nonum annum Leonis Isauri, Mundi 4680. (CHristi 726) pag. 103. Appendix e diversis auctoribus, quae in Basileensi editione subjecta legitur, a Coloniensi abest. Prodierat hoc Chronicon Parisiis apud Joannem Petitum 1507, 4 et cum scholiis Joannis Bronchorstii, Coloniae 1537. Conferendum quoque Chronicon breve Bedae, quod continuatum usque ad Annum 810 ex MS. Codice edidit Andreas du Chesne tom. III scriptorum Francor. pag. 125-129.

Liber de temporibus ad intelligendam supputationem temporum Sacr. Scripturae pag. 118 cum scholiis Jo. Noviomagi. Fragmentum ex Seb. Munsteri lib. 2. Cosmographiae vide apud Colomesium in paralipomenis de S. E. pag. 220.

Sententiae, sive *axiomata Philosophica* ex Aristotele, pag, 124. Ordine alphabetico. Separatim saepius edita ut Lond. 1592 8. Ingolstadii 1493 8 Parisiis 1604 8.vo

Sententiae in Ciceronis libris III de Officiis, pag. 166 de Amicitia, pag. 173 de Senectute, pag. 176. Paradoxis pag. 178. Tu-

sculanarum quaestionum libris V, pag. 180 Sexto de Rep. (sive Somnio Scipionis) pag. 183. *Epitaphium Ciceronis triplex* pag. 184.

Proverbioruu et sententiarum liber, Ordine alphabetico pag. 185. Hunc et duos superiores sententiarum libros Beda indignos et longe recentioris esse scriptoris Oudinus disputat,

De substantiis libellus pag. 200 quo substantias sive bona Monasteriorum dissipare dissuadet, et alia varia praecipit Clericis utilia et Laicis. Benedictinus aliquis duodecimi vel undecimi seculi, judice eodem Oudino.

Διδάξεων *sive Elementorum Philosophiae libri IV*, pag. 306 non Bedae, sed GUILELMI *de Conchis*, de quo infra.

De Paschae celebratione liber, sive *de aequinoctio verno* juxta *Anatolium* Ægyptium apud Euseb. Epistola ad *Wichredam* Presbyterum, quem sanctissimum fratrem appellat. pag. 230. In hac laudat et Proterium et Cyrillum Alexandrinos Antistites de eodem argumento, et Victorem Capuanum, Epistolas Paschales Dionysii Exigui, et ordinationem feriarum Paschalium per Theophilum Episcopum Caesariensem ac reliquorum Episcoporum Synodum pag. 232. Porro exemplum Anni 776 pag. 232 adjectum est a juniore manu, quod non exstat in editione Petri Francisci Chifletii, ante historiam Bedae Anglicanam Parisiis 1681, 4 atque in antiquissimo Codice Bibl. Laubiensis deesse notavit Mabillonius in elog. Bedae num. 29 et tomo I. Analect. pag. 11 (edit. novae pag. 398) Petavius in Epistolis pag. 157 monet librum de aequinoctio in MSS. PHILIPPO tribui Presbytero Sed haud dubie Bedam auctorem habet, cujus ipse meminit in Indice operum suorum ad calcem Historiae.

De divinatione mortis et vitae, Petosiris ad Necepsum Regem Ægypti Epistola pag. 233. Hanc cum duabus, proximis scriptionibus inter naenias Beda indignas Oudinus refert, quo referenda etiam *Rota vitae mortis* quam sub Bedae nomine exhibet Arnoldus Wion. t. II ligni Vitae pag. 827 et ex eo Possevinus tom. I apparatus pag. 204.

Arca Noae Ecclesiae typus p. 235 et *de linguis gentium*. ibid.

Sibyllinorum verborum Interpretatio pag. 256 exstat et ad calcem Sibyllinorum Joannis Obsopoei pag. 515.

TOMO III.

Historiae Ecclesiasticae gentis Anglorum ad Ceolulfum Regem libri V pag. 1 a primo Julii Caesaris in Britanniam adventu usque ad Annum CHristi 731 et ab adventu Anglorum in Britanniam 285. Opus praeclarum, quanquam arguitur Beda a Montacutio 2 Origin. pag. 210 quod rebus notatu dignioribus omissis fabulas inficetas quandoque fuit sectatus. Post editiones veteres Argentorat. 1500, 1514 Hagan. 1506 Antw. 1550 Lovan. 1566 et Colon. 1601, 8 et in Commeliniana scriptorum de rebus Anglicis sylloge An. 1587 cum continuatione de qua supra et sine illa inter Bedae opera: commemorandae tres recentiores, Cantabrigiensi cum Saxonica Alfredi Regis versione sive paraphrasi, et *Abrahami Weloci* notis, 1644 fol. Parisiensis locupletior notis et dissertationibus *Petri Francisci Chifletii*, * S. J. 1671, 4 et Londinensis 1722 fol. † cum Vita Cuthberti utraque, Chronico, historia Abbatum Wiramuth. et Girum, libro de locis sanctis, Vita Felicis et Martyrologio, ex recensione *Joannis Smithi*.

Epitome sive *breviarum Historiae Anglorum* pag. 147. Hanc oportet ab alio post Bedam deductam esse usque ad Annum 766 nam in antiquissimo Codice quem evolvit Mabillonius, non excedit Annum 731.

Vita *Cuthberti*, Episcopi Lindisfarnensis, ad Edfridum Episcopum et fratres Lindisfarnensis Insulae pag. 151 huic quam habet etiam Surius 20 Martii, addenda Acta Cuthberti versibus scripta Hexametris editaque a Canisio tomo V, 2 lect. antiqu. p. 692 et t. II edit. novae Basnagianae sub init. Utraque id Actis Sanctor. et iterum recensita a Jo. Smith, inter scripta Bedae quaedam Lond. 1722 fol. Loca nonnulla in

* Journal des Savans 1681 pag. 316. Act. Eruditorum 1682 pag. 330.

† Id. 1724 pag. 124. Mem. lit. de la grande Bretagne tom. X, pag. 520.

illo poëmate illustrat Barthius III, 19 Adversarior.

Vita *B. Felicis* Confessoris, ex metrico opere B. Episcopi PAULIN. pag. 186 Exstat et in Actis Sanctor. 14 Januar. t. I. p. 493 et a Jo. Smitho recensita Lond. 1722 fol.

S. Vedasti Episcopi Atrebatensis vita pag. 191 cum homilia die ejus natali, dicenda ad populum pag. 198. Gallum quendam, non Bedam auctorem esse Oudinus contendit. Confer Acta Sanctor. 6 Februarii.

Vita *S. Columbani* pag. 199 et *Attalae* Abbatis pag. 222 auctor JONAS Luxoviensis, de quo infra: adde Surium 21 Novembr. Tho. Massinghami florilegium Sanctorum Hiberniae pag. 219. Mabillonii Acta Ord. Benedict. t. II p. 1001, 1031.

B. Patricii Hibernorum Apostoli Vita, miracula et transitus libris II p. 225 qui auctorem habent PROBUM Hibernum. Vita Baronium ad Martyrolog. 17 Martii, et ubi vita ipsa habetur, Act Sanct. tom. III Mart. p. 97 sqq.

Vita *S. Eustasii*, qui discipulus S. Columbani fuit pag. 243. auctor JONAS Luxoviensis.

Bertholfi vita, Abbatis Bobiensis p. 248. Auctor idem JONAS.

Vita *Arnolfi* Metensis Episcopi pag. 253. PAULUM Diaconum non Bedam habet auctorem.

S. Burgundoforae Abbatissae vita pag. 258 Bedae itidem supposita.

Passio S. Justini novennis pueruli Martyris sub Diocletiano et Maximiano p. 266 versibus liberis Jambicis quaternariis.

Martyrologium pag. 277 neutiquam sincerum Bedae sed interpolatum multis modis, quale prodierat Antwerp. 1565, 12. Vide Bollandum praef. ad tom. I Act. Sanctor. Januari pag. 40 seq. Albertinum de S. Eucharistia pag. 263 et Launoji diss. de Victorinis pag. 36, Genuinum Bedae, qui dies CLXXX vacuos reliquit (ubi nec Florus teste Adone omnes supplevit) cum FLORI aliorumque supplementis, distincto typorum charactere excusis exhibent Henschenius et Papebrochius in prolegomenis ad tomum secundum Actorum Martii. In illo reperias quae ex Beda ab Amalario citantur II 24 de officiis Eccles. et de ordine antiphonarii cap. 28 ut Colomesio jam notatum. Additamentum ad Bedae Martyrologium ex Codice Wirceburgensi Sec. IX et necrologium insertum Bedae martyrologio exhibet Jo. Georgius Eckarthus tom. I Commentarior. de rebus Franciae Orientalis et Episcopatus Wirceburg. pag. 829, 830. De differentiis martyrologii metrici a Dacherio editi (de quo supra, pag. 498) ab hoc Henscheniano, vide si placet Oudinum tom. I pag. 683.

De situ Hierusalem et locis sanctis libellus, de opusculis majorum, abbreviatus. p. 363 ex Arculfo et ADAMANNO, de quo supra, p. 7.

Interpretatio nominum Hebraïcorum, ordine Alphabetico pag. 371. Hanc Oudinus testatur in Codicibus optimae notae tribui REMIGIO Autissiodorensi.

Excerptiones Patrum, collectanea, flores ex diversis, quaestiones et parabolae pag. 480. Hae pariter et quae deinceps in hoc tomo sequuntur, parum digna Bedae ingenio judicantur a Viris eruditis.

De XII lapidibus pag. 491.

De XII luminaribus Ecclesiae. ibid. Hoc est quod fertur etiam sub *Hieronymi* nomine *de XII Doctoribus ad Desiderium*, atque in Bibliotheca Ecclesiastica subjectum est a me Catalogo Hieronymiano, pag. 226 licet nec Hieronymum nec Bedam habeat auctorem.

De septem donis Spiritus S. pag. 492.

De septem Ordinibus pag. 493.

De quindecim signis ante diem Judicii p. 494.

De cruce DOMINI, de quator Ordinibus p. 495. *De Eucharistia sumenda* p. 469.

Hymni de die Judicii pag. 496 sq.

Sex formulae Orationum sive *precum* p, 498, 499, 500.

TOMO IV.

Hexaëmeron, sive *de sex dierum Creatione* ad Accam Abbatem, p. 1 adde tomo VIII pag. 52, 79 seq.

Caetera in Geneseos capita XXI ad eundem Accam, MSS. in Bibliotheca Lambethana, ex quo Codice illa edidit H. Warthonus, ut infra dicam.

In Genesin pag. 19. *Exodum* pag. 87. *Leviticum* pag. 121. *Numeros* pag. 139. et *Deuteronomium*, quod Latine altera Lex pag. 156.

In Samuelem Prophetam, sive in priorem ejus librum allegorica expositio libris IV p. 167, 203, 246, 293.

In libros Regum, hoc est libros Samuelis et Regum, quaestiones triginta, liber I pag. 353.

Allegorica Expositio *in Ezram et Nehemiam*, (qui et Ezrae secundus) Prophetas, libris III pag, 348, 375, 405 *in Tobiam* pag. 347.

In Jobum libri III ad Nectarium Episcopum, quem patrem beatissimum appellat, pag. 447, 511, 575 sub genuino PHILIPPI Presbyteri nomine editi Basileae A. 1527 atque Philippi esse hos in Jobum commentarios, qui sub Hieronymi nomine a Fausto Regiensi laudantur, fidem faclt ipse Beda libro de ratione unciarum. Vide infra in *Philippo*.

Super Parabolas, libri III pag. 634, 658, 698 inter Hieronymi opera perperam editi.

In Cantica Canticorum libri VII. quorum primus est contra *Julianum* * Celanensem Episcopum, qui commentariis suis errores Pelagianos contra Gratiam DEI, inspserserat. Liber septimus totus est ex dictis *Gregorii M.* sicut Paterius ex ejusdem scriptis Catenam in totam Scripturam concinnaverat. pag. 714, 728, 748, 763, 786, 807, 827.

De tabernaculo, et vasis ejus ac vestibus Sacerdotum libri III pag. 838, 859, 889.

TOMO V.

In Matthaeum libri IV pag. 1, 23, 45, 66. Joannes Aventinus Melanchthoni testatus fuit se in MS. Passaviensi legisse enarrationem Verborum Coenae Dominicae, quae in editis desideratur.

Expositio Orationis Dominicae pag. 91.

In Marcum libri VI p. 92, 122, 152, 183.

In Lucam ad Accam Presbyterum pag. 215 cujus Epistola adhortatoria pag. 213 praemittitur, libri VI pag. 217, 262, 301, 338, 375, 415.

* Vide Vossium Hist. Pelag· lib. I cap. 4 § 4 et cap. 6.

In Johannem, praemisso breviario, distincto capitibus XIV pag. 451. Thomas in Catena sua allegat quandoque e Beda, quae in editis non habentur, et conveniunt cum ERICI commentariis.

In Acta Apostolorum expositio erudita, ad Accam Presyterum p. 625.

Expositio de nominibus locorum, quorum mentio in libro Actuum Apostolornm pag. 665. Ordine Alphabetico.

Super Epistolas Catholicas D. *Jacobi*, Hierosolymitani Episcopi, pag. 673. *Petri* I pag. 694 et II pag. 713. *Johannis* I. ex Augustino maxime, pag. 727, II pag. 752 et III pag. 754. *Judae* pag. 755. Prologum edidit Guil. Cave in Historia Litteraria Scriptorum Eccles. ad Annum 700.

In Apocalypsin cum Prologo ad fratrem Eusebium de septem ejus Periochis, et septem ad eam intelligendam regulis *Tyconii* pag. 761-816. Hunc Comentarium, in quo *Primasium* etiam secututus se, Beda non diffitetur, plurimi faciunt Nicolaus Zegerus notis in Nov. Testam. et Rich. Simon tomo III Hist. Crit. N. T. p. 345.

TOMO VI.

Liber retractationis in Actus Apostolorum pag. 1 quo in libro plurimum eruditionis et judicii Bedam monstrare notavit idem Simonius pag. 340. adde ejus dissertationem de MStis Novi Testamenti pag. 59 seq. et Joannis Millii prolegomena ad Novum Testamentum §. 1022 seqq.

In eundem Actuum librum *quaestiones* quinque pag. 29.

In Epistolas Pauli expositio ex scriptis *S. Augustini* collecta, a) in Epistolam ad Romanos pag. 31. in I ad Corinthios p. 253. in II pag. 447. ad Galatas pag. 511. ad Ephesios pag. 562. ad Philippenses pag. 609. ad Colossenses pag. 647. ad Thessalonicenses I pag. 673. II pag. 689. ad Timotheum I. p. 697. II pag. 738. ad Titum pag. 759. ad Philemonem pag. 765 et ad Hebraeos pag. 766. Subjunguntur Chrysostomi homiliae septem ex Aniani b) Versione cum ejus Epistola ad

a) Hujusmodi Opus se curante compositum Beda ipse testatur ad calcem Historiae Anglorum.

b) De illo supra p. 289.

Evangelium pag. 823 et Gaufridi Foussardi, Cenomani Epistola ad Petrum Securibilem, Archidiaconum Rothomagensem, de hac Bedae in Pauli Epistolas lucubratione. Quanquam vero Commentarium ejusmodi collegisse se Beda ipse testatur, laudatque etiam Lupus Ferrariensis Epist. 76 et Hincmarus 2 adversus Gotheschalcum: tamen genuinus Bedae in Epistolas Pauli commentarius nondum lucem vidit, qui MS. exstabat apud Mabillonium: c) *Collectaneum Bedae in Apostolum, ex Operibus B. Augustini:* Editus autem ille, quem vulgavit jam dictus Boussardus An. 1499 fol. nec Bedae est, nec PETRI Abbatis Tripolitanae Provinciae, quem simile opus adornasse, constat ex Cassiodoro cap. 8 divinar. lect. nec *Bartholomaei* Urbinatis, de cujus milleloquio Augustiniano supra pag. 485 sed FLORI, Magistri Lugdunensis, Monachi S. Trudonis, qui similem commentarium concinnavit, non ex Augustino solum, qui videtur hic ipse sub Bedae nomine editus, sed et alium ex Patribus aliis, *Cypriano*, *Hilario*, *Ambrosio*, *Paciano*, *Hieronymo*, *Ephraim* Diacono, *Paulino*, *Augustino*, *Leone* Papa, *Fulgentio*, et *Avito*. Confer Sirmondum ad Avitum tomo II Operum pag. 147 Chiffletium in Paulino illustrato, et praefat. ad Fulgentium Ferrand. et pag. 322 Baluzium ad Lupi Epist. 76 et Richardum Simonem III, 24 Historiae Criticae Novi Testamenti pag. 344 sq. In Clarissimi W. E. Tentzelii dialogis vernaculis legas Mabillonium pollicitum in lucem edere *Commentarium geminum Bedae in Pauli Epistolas*; sed nemo non videt *genuinum* legi oportere.

TOMO VII.

Homiliae XXXV aestivales de Tempore, *Homiliae XXXIII aestivales de Sanctis*, ac de dedicatione altarium et templorum, nec non communi Sanctorum p. 91.

Homiliae XV hyemales de tempore p. 183.

Homiliae XXII Quadragesimales p. 218.

Homiliae XVI hyemales de Sanctis p. 290.

Sermones varii XXI quorum primores duo sunt in solennitatem S. Wigberti, tertius *S.* Scholasticae, in cujus tandem etiam carmina quaedam leguntur p. 350 seq. Homiliae sub Bedae nomine ac sermonem: sive ut in S. Bonifacii Epistola IX vocatur *Lectionarium anniversarium* seorsim excusum Paris. et Lovani 2 Volum. in 8.vo In his sunt quaedam non integri sermones sed laciniae ex sermonibus vel commentariis Bedae revulsae, ut jam notavit Sixtus Senensis. De singulis speciatim videnda, quae monet Mabillonius et ex eo Oudinus tom. I pag. 1699 sq.

Scintillae sive loci communes sententiarum ex sacris litteris et Patribus digestae per capita sive titulos LXXX * pag. 370. De Anglosaxonica versione Scintillarii, vide Franciscum Junium praef. ad glossarium in Ulphilam, et Humphredum Waalejum in Catalogo librorum septentrionalium in Bibliothecis Angliae, tomo II. Operis Hickesiani p. 86. Vide et infra DEFENSOR.

Libellus de Muliere forti p. 459 in Proverbio. XXXI, 10–ult.

De officiis libellus, ex Patrum dictis excerptus pag. 467. Vix digna Beda collectanea judice Quesnello pag. 551 ad Leonem Magnum: et junioris scriptoris esse oportet, in quo Anastasius citatur in vita Melchiadis Papae.

Fragmenta allegoricae interpretationis in quaedam capita *Proverbiorum*, pag. 476. *Sapientiae* pag. 481, 485. *Ecclesiastici*, pag. 483. *Psalmum XC.* pag. 484. Et *de Salomone Rege.* pag. 486.

TOMO VIII.

Liber de templo Salomonis, pag. 1. Hujus Operis sui de structura templi Salomonis atque allegoricae ejus interpretationis meminit Beda in Epistola ad Albinum Abbatem.

De sex dierum creatione, pag. 52 adde tom. IV, p. 1 et in hoc ipso tom. VIII pag. 79 seqq. Quaedam ex his praeter rem relata ad JUNILIUM Afrum auctorem. Vide Dallaeum de usu Patrum. pag. 16.

c) Tomo I. Analect. pag. 51 et novae editionis fol. 788.

* Apud Spelmannum tom. I Concil. Angliae p. 280 *Tituli LXXII.*

Quaestiones ex dictis Patrum, Augustino, Hieronymo, Isidoro, Sedulio etc. *in Genesin* pag. 78. *Exodum*, pag. 196 *Leviticum*, pag. 219 *Numeros*, pag. 228 *et Deuteronomium*, pag. 241 more Dialogi inter Magistrum et Discipulum. *In librum Josuae*, pag. 248. *Judicum*, pag. 255. *Ruth*, pag. 261. *quatuor libros Regum*, pag. 262, 273, 275, 278. Quaestiones Bedae in Vetus et Novum Testamentum mitti sibi petebat Lupus Ferrariensis Epist. 62.

Liber variarum Quaestionum XV p. 286.

De Psalmorum libro exegesis, pag. 307 ad 896 ubi etiam mentio Psalmi centesimi quinquagesimi primi, atque enumerantur diapsalmata LXXIX.

Interpretatio vocum rariorum in Psalmis, quibus instrumenta Musica vel aliae species singulares denotantur. pag. 899.

Nominum Hebraeorum interpretatio pag. 901.

Sermo in Psalm. LIII, 3. DEUS de coelo prospexit, pag. 904. Ejusdem auctoris cum libro de substantiis, tom. II.

In Boëthii librum de SS. Trinitate, p. 925 Bedae suppositum esse non dubitant viri docti, sive auctor sit Eadmundus Albanus sive alius quis, ut in Bibl. Latina III, 15, 8. jam notare me memini. Vide W. E. Tentzelium de symbolo Athanasiano p. 68 sq.

Precatio *de septem verbis CHristi in Cruce*, p. 954.

De meditatione Passionis CHristi per septem diei horas p. 965.

De remediis peccatorum, excerptum de Canonibus Patrum vel Poenitentialibus ad remedium animarum Domini *Agberti* Archiepiscopi pag. 961-968. Exstat cum Poenitentiali Romano sive Canonibus poenitentialibus editum ab Antonio Augustino Venet. 1584, 4 pag. 102 et in Henrici Speelmanni Conciliis Angliae pag. 281 qui testatur in MS. referri ad *Agbertum* ipsum, sive *Egbertum* Archiepiscopum tanquam auctorem.

Non omittendum, quod de quatuor generibus Commentariorum Bedae in S. Scripturam notavit Sixtus Senensis libro quarto Bibl. sanctae pag. 265. *Anno aetatis suae trigesimo, presbyter a Joanne Episcopo ordinatus, hortatu Accae Episcopi Eboracensis, ac multorum fratrum, aggressus est scribere in universam sacrosanctam Scripturam diversa explanationum volumina, in quatuor ordines distincta, videlicet in* Rhapsodias. Quaestiones, Homilias, et Commentarios. *In Rhapsodiis, sive Stromatibus, vel* Collectaneis *congregavit mysticas magis, quam historicas expositiones, ex probatissimis Ecclesiae Doctorum sententiis, dictisque hinc inde interruptim, et interpolatim collectas, nonnullis etiam de suo insertis ad imitationem sensus eorum, ubi opportunum fuit, quo diversi Patrum sermones, ac periodi vel aptius inter se cohaererent, vel breviores et illustriores redderentur. Et, ne majorum dicta furari, et ea, quasi sua propria, componere videretur, nomina Doctorum per singula interponere decreverat, et, quid a quo Authore dictum esset, nominatim ostendere: sed cum ei nimis operosum appareret, primas tantum nominum syllabas in marginibus e regione cujusque sententiae apposuit: quae postea librariorum vel inscitia, vel incuria, ex omnibus exemplaribus periere. In* Commentariis, Quaestionibus, et Homiliis, *in quibus frequentius et sermone, et sensu suo utitur, stylum habet nec omnino inelegantem, nec affectatae elegantiae curiosum, sed temperatum: qui nec verborum multitudine fastidium, neque paucitate obscuritatem pariat, sed brevi facilitate currat gratissime.*

Idem Sixtus ex Trithemii c. 242. Bedae commentarium *in Ecclesiasten* commemorat, et *libros XVIII in Prophetas majores minoresque*. De aliis ineditis ac deperditis ejus Scriptoris consulendus Caveus. Catalogum Operum, quem ipse ad calcem Historiae texuit Beda, habet etiam Sigebertus c. 68 de S. E.

In Tomis Operum BEDÆ desiderantur:

Epistola ad Albinum, de qua supra.

Edita a *Jacobo Waraeo* cum notis: *Epistola Apologetica* pro libro de sex aetatibus *ad Plegwinam* Monachum, adversus alterius Monachi *Davidis* objectiones.

a) Acta Eruditorum A. 1693 pag. 287.

Epistola ad *Egbertum* Eboracensem Archiepiscopum *de Christiani Praesulis officio* scripta paullo ante obitum.

Vitae quinque Abbatum priorum Weremuthensium et Girvicensium, libris duobus.

Haec ex editione Dublinensi A. 1664, 8 recudenda dedit *Henricus Warthonus,* a) Lond. 1693, 4. illisque adjunxit *Expositionem in Geneseos capita priora XXII* ex quibus tantum in caput primum, et initium secundi, lucem tomo quarto viderat, et *Commentarium in Canticum Habacuci.* Ex utroque fragmenta Warthonus produxerat in auctario ad Usserii historiam dogmaticam de Scripturis et Sacris vernaculis, Lond. 1689, 4 pag. 356 seq. Addidit etiam Egberti Archiepiscopi Eboracensis dialogum de Ecclesiastica institutione, et Aldhelmi Episcopi Scireburnensis librum de Virginitate, sermone soluto scriptum, et longe quam in prioribus editionibus emendatiorem.

Warthoni exemplo *Joannes Smith,* b) Canonicus Dunelmensis, et ipso immortuo operi, filius Georgius Smith Cantabrigiae 1722 fol. vulgavere ex MStis Codicibus recensita diligenter notisque hist. illustrata scripta Bedae Historica, atque in his praeter illa, quae in tomis Operum jam obvia sunt, (Chronicon de sex aetatibus, Historiam Eccles. gentis Anglorum, Cuthberti Vitam et Felicis, et libellum de locis sanctis:) etiam *Anglo-Saxonicam* c) *versionem Historiae Eccles.* ad editionem Wheloci, ex tribus emendatam MStis: *Vitam Cudberthi,* quam versibus scriptam edidere Canisius et Mabillonius: tum vulgatas a Waraeo et Warthono *Vitas Abbatum Weremuthensium et Girvicensium* ex tribus Codicibus MStis emendatiores, et *Epistolam ad Egbertum;* ac denique *Martyrologium* Bedae genuinum, quod in lucem dixi datum ab Henschenio in tomo secundo Actorum Sanctorum Martii. Hisque omnibus praefixam vitam Bedae scriptam a Cuthberto discipulo, tum aliam nunc primum editam Anonymi, nec non elogium Bedae consignatum a Mabillonio. Denique Volumen hoc ornat Tabula Geographica Britanniae qualis illis temporibus fuit, et appendix diplomatum, et ab editore dissertationum, quibus lux insignis scriptoribus et historiae ilius aetatis affertur.

Novissime *Edmundus Martene* in tomo quinto Thesauri Anecdotorum, praeter commentarios in Genesin pag. 115 atque in Canticum Habacuci pag. 295 quos a Warthono vulgatos jam dixi, in lucem protulit quoque *undecim* Bedae *Homilias* pag. 317 et *libellum Precum* pag. 483.

Compositionem horologii Solaris, carmine hexametro, Petrus Pithoeus sub Bedae nomine vulgavit in calce epigrammatum et poëtarum veterum pag. 488 edit. Paris. 1590 12. Hanc habeo notatam manu Isaaci Casauboni, qui versu nono recte *Junia* legit pro *Jamia*, et versum 77 *Undenis clarum concludit tertia cursum,* et versum 79. *Septem quinta tenet* etc. Idem carmen occurrit in auctiore poëmatum illorum editione Lugdunensi 1596 8 pag. 609. Verum auctor ejus non Beda est, sed WANDALBERTUS Prumiensis Diaconus, ut a Mabillonio jam notatum. Eclogam *de conflictu veris et hyemis*, quam editione indignam Pithoeus duxit, Oudinus tomo II commentariorum de Scriptoribus Ecclestasticis pag. 326 in lucem dedit sub nomine MILONIS Elnonensis: quod jam An. 1610 Francofurti in 8.vo Ovidianis amatoriis adjuncta sub Bedae nomine lucem viderat, addita etiam altera ecloge *de Cuculo,* quam veluti ineditam sub ALCUINI nomine vulgavit Mabillonius tom. I. Analect. pag. 369 (edit. novae in fol. pag. 409.)

Ab hoc Beda Venerabili distinguendi: 1) BEDA Senior, Monachus Lindisfarnensis, cujus meminit Beda Venerabilis in Vita Cuthberti cap. 37 et cujus epitaphium publicavit Mabillonius tom. IV. Analect. p. 521 (editionis novae pag. 381) 2) BEDA Presbyter Italus circa An. 883. Monachus Gavellensis Coenobii prope Rhodigium, * cujus memoria colitur in quibusdam Calendariis die X Aprilis, ut Bedae Venerabilis 26 Maji.

b) Acta Eruditorum A. 1724 p. 124. Memoires Litteraires de la grande Bretagne tom. X p. 500.

c) Praeter hanc Anglo-Saxonicam Alfredi Regis, exstat etiam Anglica versio, quam Elisabethae Reginae dicavit Tho Stapletonus S. J. Antwerp. 1565 4.

* Rhovigio.

Vide Mabillonii Iter Italicum pag. 144. Acta Sanctorum tom. I, Aprilis pag. 866 seq. Hujus reliquiae Genuam translatae sunt, sed videtur tamen Beda Italus aliquis ansam dedisse traditioni de Beda Venerabili, Romae sepulto in basilica Vaticana, de quo Romanus Canonicus S. Petri ante annos 550 in descriptione basilicae S. Petri apud Mabillonium: *Requiescit etiam ante portam argenteam, sub rota scilicet porphyretica, ut a nostris majoribus accepimus, Venerabilis Beda Presbyter, qui fecit homilias: et ob ejus reverentiam antiqui nostri penitus non transibant per eam, nec nos transire permittebant.* Omitto 3) *Natalem* BEDAM juniorem, sive BEDDAM Doctorem Parisiensem, fervidum Jacobi Fabri atque Erasmi adversarium defunctum circa Annum 1536. de quo Baelius in Lexico, Ludovicus Ellies du Pin tom. XIV. Biblioth. Eccles. pag. 157 et Richardus Simon lib. 3. Histor. Crit. pag. 489, 498, 524. Scripta ejus praeter *Censuras* An. 1524 et 1525 editas, sunt: *Annotationum* in *Erasmi* paraphrases Novi Testamenti, et *Jacobi Fabri* Commentarios in Evangelistas Paulique Epistolas, libri III editi Parisiis 1526 fol. In Censura sententiam suam inter alia exponit his verbis: *Confecto Luthero, non potest res Ecclesiastica esse incolumis, nisi conficiantur et Graecissantes Theologi.* Respondit Erasmus An. 1526 tom. IX. Operum pag. 366 seq. supputatque operose Bedae mendacia CLXXXI. Calumnias CCCX et Blasphemias XLVII, pag. 426 seq. ac speciatim respondet ad notata ejus pag. 366 seq. 574-588. Respondit et Faber, cui itidem controversia alia duplex cum Beda intercessit, qui contra Fabrum et Clichtoveum scripsit *de unica Magdalena* An. 1519, 4 et contra Fabri Apologiam *pro filiabus et nepotibus S. Annae,* ibid. 4 *Contra clandestinos Lutheranos* A. 1529 4. Notavit etiam in Bibliotheca sacra MS. Joannes Molanus hujus Bedae esse *Restitutionem in integrum benedictionis cerei Paschalis*, sine nomine auctoris Parisiis excusam 1520 4.to contra Jodocum Clichtoveum. Ad hunc Bedam plures exstant Erasmi Epistolae, ut amico scriptae.

Chronicon magnum BELGICUM, ab Anno Christi 54 ad 1470 auctore vel collectore Ordinis Augustiniani Canonicorum regularium religioso prope *Neussam* sive *Nussam* ad Rhenum, dioecesis Coloniensis qui scripsisse se testatur An. 1498 editum a Joanne Pistorio tomo tertio scriptorum Germanicor. Francof. 1607 fol. pag. 1-456 Vide Pagium ad Annum 1177 n. 20 et B. Hubneri nostri Bibliothecam historicam Hamburgensem tomo VIII, pag. 224 seq.

Alia vetera *Chronica Belgica* Latine nonnulla, alia etiam Belgice scripta exstant in *Antonii Matthaei* praeclari Viri, JCti Leidensis, qui An. 1711 rebus humanis valedixit, Analectis Veteris aevi, quae decem Voluminibus Lugd. Batav. 1698, 1710, 8.vo prodierunt et distincte recensentur in laudatae Bibliothecae historicae tomo decimo, statim sub initium.

BELLATOR Presbyter a Trithemio cap. 268. Sixto Senensi, Lambecio aliisque male refertur ad saeculum nonum: ab Heideggero p. 520. Hieromnemonici, Pontificiis accensetur scriptoribus: sed constat eum laudari a Cassiodoro, qui cap. 1 de institutione Divinarum litterarum, cum negasset priscas explanationes *in librum Ruth* usquam potuisse se reperire, subjungit: *Novellas autem virum religiosissimum Presbyterum* Bellatorem *condere persvasi, qui multa de praeconiis hujus foeminae, aliarum subsequentium, duobus libris copiosa laude celebravit.* Idem capite quinto, quod ex eo repetit etiam Sigebertus capite 88 de S. E. *Sapientiae voluminis expostionem Presbyter* Bellator *octo* (Sigebertus *septem*) *libris se assumsissie testatus est, quam cum aliis opusculis ejus pariter sustinemus.* Et capite sexto: Tobiae *autem in libris quinque*, Esther *in libris sex,* Judith *in libris septem, et* Machabaeorum *in libris duobus, Graeco sermone singulas homilias expositas* Origenis *inveni, quae ejusdem religiosi viri* Bellatoris *labore translatae sunt . . . . Libri vero* Macabaeorum *a supradicto amico nostro* Bellatore *sedula expositione, Domino juvante confecti sunt.* Vixit adhuc Cassiodorus Anno 562. Bellatoris nihil ex his scriptis ad nos pervenit, et homilias Origenis in Matthaeum ex illius versione nos ha-

bere incerta eruditi viri Huëtii conjectura pag. 252 Origenianor.

BELLISARII Scholastici in Sedulium Poëtam versus acrostichi, qui primis et ultimis litteris bis reddunt has voces; *Sedulius Antistes*, editi a Mabillonio tom. I Analect. pag. 361 (edit. novae pag. 386 seq.) Exstant quoque in Bibl. Patrum Lugd. t. VI p. 472 sed ita ut primi sedecim versus, sive prior acrostichis tribuatur D. LIBERIO Poëtae non, Bellesario, sive ut ibi scribitur Belisario.

BELTRAMUS *de Mignanellis*, Senensis cujus MS. servatur in Bibliotheca Caesarea teste Lambecio tom. II pag. 977. *Historia ascensus Barcoch*, * servi venditi, *ad apicem Soldanatus* Ægypti et Syriae, qui postea appellatus fuit Beseid Barcoch Melech Eldaher, *descripta Latine a Beltram de Mignanellis de Civitate Senarum Provinciae Tusciae, in Civitate Constantiae Alamanniae, Provinciae Maguntinae anno Domini MCCCCXVI tempore sacri Concilii Generalis.*

BENEDICTUS I Episcopus Romanus ab Anno 575 Jun. 16 ad 11 August. An. 579 cujus nomine fertur *Epistola decretalis*, venditata ab Isidoro Mercatore, quam scripserit ad *Davidem* Episcopum Hispanum *de unitate in S. Trinitate*. Vide Blondelli Pseudo. Isidorum p. 619.

BENEDICTUS II ab An. 684, 14 Maji ad 7 Maji An. 685. de quo Acta Sanctorum septimo Maji tom. II p. 196 seq. Ex *Epistolis duabus* quae in Conciliorum tomis saepius prodiere, priorem *ad Petrum*, *notarium regionarium* pro genuina habet Ludovicus Jacobus in Bibl. Pontificia pag. 20 et Aggvirrius tom. II Concil. Hispan. pag. 716 probatque Antonius Pagi ad A. 684 num. IX. Altera *ad Ervigium, Visigothorum Regem* legitur quinta inter Epistolas Leonis II Papae. Epistolae hujus Benedicti *ad Episcopos Hispanos* scriptae de tuendis certis capitulis, mentio in Concilio Toletano XV A. 688. Confer iterum Pagium ad A. 685 n. 6.

BENEDICTUS III ab A. 855 Septemb. 1 ad Mart. 10 An. 858. Hujus Epistolae quatuor exstant in Conciliorum tomis, duae priores etiam apud Baronium ad Annum 853 n. 15 et A. 726 n. 23 atque in Sirmondi Conciliis Galliae tom. III pag. 107 seq. 1) *ad Hincmarum* Remensem qua Synodus II Svessionensis A. 853 celebrata confirmatur. 2) *ad Episcopos in regno Caroli constitutos*, adversus *Hubertum* clericum. 3) *ad Episcopos Galliarum* in confirmationem privilegiorum Corbejae: edita primum a Dacherio tomo VI spicileg. pag. 397 (edit. novae tom. III pag. 343) et 4 *ad Hludovicum Abbatem* monachosque monasterii SS. Martyrum, Dionysii, Rustici et Eleutherii.

BENDICTUS IV ab An. 900 Martii 2 ad Sept. 16 An. 904. Hujus Epistolae duae in tomis Conciliorum leguntur, una *ad Galliarum Episcopos et Principes* in qua mentio de Romana Synodo ab eodem Papa convocata in Lateranense palatium: et altera *ad clerum et populum Lingonensem*, pro restituendo Argrino Episcopo. Tertia *Encyclica* pro Malaceno Episcopo a Saracenis male habito, quam edidit Mabillonius tomo III Analect. pag. 436 (edit. novae p. 428.)

BENEDICTUS V ab An. 964. Maji 19 ad Junium ejusdem Anni, cujus nulla scripta feruntur.

BENEDICTUS VI ab An. 972 Sept 22 ad Maji 14 An. 974 cujus exstat *Epistola ad Fridericum, Salisburgensem Episcopum*, qua ipsi ejusque successoribus vices suas in Norica et Pannonica concedit. Vide Labbei Concilia t. IX p. 711 Harduin. t. VI p. 690.

BENEDICTUS VII ab An. 975 April. 25 ad Jul. 10 An. 984. Hujus *Epistola ad Episcopos Germaniae* et in his ad Adaldagum Archiepiscopum Bremensem pro *Piligrino* Archiepiscopo *Lauracensi*, ejusque Archiepiscopatu, vulgata a Wolfg. Lazio lib. XII de Rep. Romana sect. 7 cap. 8 sed emendatior et praemissis Piligrini ad Benedictum litteris edita cum notis a Lambecio tom. II pag. 645–649. Ejusdem *privilegium Abbati monasterii Gemblacensis* concessum A. 983 id. p. 901, 902.

BENEDICTUS VIII ab An. 1012 Jul. 20 ad A. 1024 cujus Epistolae ad Monachos Cassinenses, quibus varia concedit privilegia, apud Lud. Jacobum ex Leone Ostiensi

* An. 1382. Vide Herbeloti Bibl. Oriental. pag. 187 seq.

memorantur. Epistola ad Episcopos Burgundiae, et Provinciae contra invasores bonorum Cluniacensium, obvia in Conciliorum tomis.

BENEDICTUS IX ab An. 1033 Dec. 9 ad Jul. 17 An. 1048 cujus ut BENEDICTI X. Anti-Papae ab A. 1058, 5 April. ad 1059, 24 Januar. alio nomine *Jomincii*, sive *Joannis Mincii* * Episcopi Velitrensis nulla scripta reperi.

BENEDICTUS XI *Nicolaus Boccassinus*, Papa ab An. 1303. Octobris 22 ad 6 Julii A. 1304. Hujus Commentaria *in Jobum*, in *Psalterii* Davidis partem, in *Matthaeum* et *Apocalypsin*, memorant: ex quibus nihil editum praeter Commentarium *in Matthaei caput V.* Venet. 1603 et Tarvisii fol. Vide Ludovicum Jacobum pag. 22. qui etiam *opusculi de ritibus*, et *Registri Epistolarum* meminit. *Sermonum* in diebus solennibus habitorum mentio apud Possevinum, ubi male excusum *Benedictus IX* pro *VI. Confirmatio Ordinis fratrum Servorum Mariae Vrginis* An. 1304 in Laur. Cherubini bullario tom. I pag. 207. *Receptio Caelestinorum* sub protectione, et gratiarum elargitio, eodem An. 1304 id p. 208. Plura Jac. Echardus tom. I Bibl. Dominicanor. p. 444 seq.

* De operibus Pontificis huius agens scriptor vernaculus Antonius Scoti. (27 *Memorie del B. Benedetto XI Pont. Mass. detto pria F. Niccoló da Trivigi. Trivigi presso Bergami* 1737 pag. 277 in 4 fig.) Scribit conquisitis a se eiudem Pontificis opusculis, quae extare ferebantur in Monasterio FF. Dominicanor. Civitatis Forojuliensis; nihilque reperisse de commentariis eiusdem in Aristotelis Ethicam et Politicam, sicut nec in Physicam et Metaphisicam S. Thomae, nec denique in epistolas S. Pauli. Caeterum et ipse pariter admittit illustratum ab eo commentariis suis librum Tobi Apocalypsim et psalmos. Quamquam non immerito ambigi potest num in totam Apocalipsim, seu in portionem solummodo scripserit, nam in syngrapha donationis factae ab eodem Pontifice Monasterio Tarvisino, quam vulgavit idem rerum Pontificis huius scriptor sic legitur: *Volumen in quo est lectura nostra super partem psalterii, et super partem Apocalypsis.* Addit largiri se Coenobio *Paulum postillatus in duobus voluminibus, Joannem postillatum; postillam super Job. manu sua notatam; super librum Ethicorum et Politicor. secundum F. Thomam, super librum Phisicorum, super Metaphysicam secundum eundem.* Non satis tamen distinguit utrum postrema haec opera ingeniis sui foetus habenda sint, nec ne. Opusculum de ritibus a nullo vetere authore eidem asseritur. Demum Constitutiones eius seu Bullae, quaedam nondum in publicum extractae in appendice eiusdem scriptoris lucem publicam viderunt.

BENEDICTUS XII *Jacobus Fornerius* Papa ab An. 1334. Dec. 20 ad 25 April. Anno 1342 de quo Baluzius in Papis Avenionensibus tom. I pag. 198 seq. 796 sq. Etiam hujus Commentaria *in Psalmos* Davidis inedita memorantur, et *exposito in Matthaeum*, distincta in CXXXII tractatus, teste Jacobo le Long Bibliothecae Biblicae, MSta 4 Voluminibus in Bibl. Monasterii Claraevallensis. *Epistola ad Capitulum Narbonense* de pravis moribus Clericorum Ecclesiae Narbonensis, apud Baluzium tom. II Miscellan. pag. 263. *Gualberti* Abbatis, * qui medio saeculo undecimo Ordinem Vallumbrosanum instituit, *vita* apud Surium et in Actis Sanctorum 12 Jul. *Constitutiones VII* in Laurentii Cherubini bullario tom. I ubi praecipue memoranda *Reformatio Ordinis Cisterciensis* pag. 233 et Decretum *de animabus separatis* a) *post discessum a corpore statim DEUM intuentibus* pag. 240. *Ordinationes et reformationes pro bono regimine Monachorum nigrorum Ordinis S. Benedicti.* An. 1336 pag. 241. (Haec est *Constitutio Benedictina*, quae cum Petri Boërii Commentario prodiit Parisiis 1519, 8) *Constitu-*

* Vide Ughellum tom. I p. 45.

* Vide infra, BLASIUS Melanensis et HIERONYMUS Florentinus.

a) Hoc argumentum *de statu animarum ante generale Judicium* alio etiam Opere in *duos Tomos* distributo, et Tractatus sex idem Benedictus tractavit. Confer de illa controversia Baluzium ad Papas Avenionenses tomo I pag. 788 seqq. et 797. et Raynaldum ad Annum 1335 num. 9 seq. et ad Annum 1336. ubi argumenta ex Benedicti hujus quaestionibus.

tio Ordinis Canonicorum regularium S. Augustini pag. 259 qui idem est *liber de statu Canonicorum*, et pars *Decretalis Religiosorum* a Ludovico Jacobo memorati, a quo de scriptis hujus Benedicti praeterea referuntur, et apud Carolum de Visch pag. 36 Biblioth. Cisterciensis, ac Oudinum tom. III pag. 892 seq. *Sententiae variae* ab Hermanno Schedelio, Germano, in Chronico Norimbergae excuso relatae. *Carmina* quaedam *Prophetica*. *Extravagantes* et *Constitutiones*, *libri II* Parisiis 1517, 4 et 8. nonnullae etiam in collectione Romana. *Registrum ejus Epistolarum et Constitutionum* in *decem tomos* divisum, MS in Vaticana, folio regali: quarum quaedam leguntur apud Thomam Walsinghamum in Eduardo III Rege Anglorum, et Lucam Waddingum tomo III Annalium Minorum. His adde *statuta Benedictina*, quae ad calcem Chronici Cassinensis edidit Brolius: *Epistolam ad Robertum, Siciliae* Regem, apud Allatium de consensu Ecclesiae Orientalis et Occidentalis pag. 787 plura apud Odoricum Raynaldum tom. XVI Annalium, qui et ad Annum 1342 num. 4 ait se evolvisse volumen ejus ingens *de praecipuis CHRISTI, Deiparae et Sanctorum festivitatibus*, et *undecim quaestiones in Durandum*. Ex *Commentariis* ejusdem *adversus Fratricellos*, ubi etiam de paupertate CHRISTI et Apostolorum, vide Bzovium ad Annum 1335 ex Aymerico, quem tamen Pegna notavit parum accurate in directorio inquisitorum, lucubrationem Benedicti delibasse. Denique *novum formularium poenitentiarum* ex Bibliotheca Regia Parisiensi editum a Baluzio ad calcem capitularium, et Cointio tom. VII Annal. Francor. ad A. 821.

BENEDICTUS XIII *Petrus de Luna*, Anti-Papa b) ab Anno 1394, 28 Septembris ad 23 Maji Annum 1423. de cujus scriptis praeter ea, quae Oudinus et quae Warthonus notavit ad Caveum, vide Baluzium ad Papas Avenionenses tom. I pag. 1182 seqq. qui inter alia pag. 1192 testatur in Colbertina exstare disputationem Rabbi Schem Tob, c) Judaei Hispani cum Petro de Luna habitam de Messia. Adde etiam Observationes Hallenses tomo VII Observat. 20. atque Epistolas Bullasque Benedicti XIII vulgatas a Dacherio tom. VI spicilegii pag. 397 seqq et tom. I edit. novae pag. 787 seqq.

Venit etiam BENEDICTI XIII nomine inter legitimos Pontifices, nuper admodum defunctus *Vincentius Maria Ursini*, Neapolitanus, Ord. Praed. ex Archiepiscopo Beneventano, Papa ab A. 1724, 29 Maj. ad 21 Febr. 1729. cujus exstant. *XII sermones Quadragesimales Paschalesque*, Beneventi 1711, 4 et *Lectiones in prima XXXI capita Exodi*, editae Italice Beneventi 1704, 4, 2 Vol. et Romae 1724 addita tertia parte in caput XXXII et seqq. a Jacobo Boni 1726, 4. (28 *Benedicti XIII Vita commentario excepta et Bened. XIV dicata ab Alex. Borgia Archiep. Firmano*. Romae 1741, 4.)

* *Benedictus* XIV qui modo feliciter regnat regnaturus diu, si quid valuerint eorum vota, quibus perennari in Mundo aurea saecula pietatis, et doctrina cordi est. Plura edidit tum Latine, cum Italice. Latina sunt *De Servorum Dei santificatione et Beatorum Canonizatione* lib. 4 in fol. Bononiae 1734, 38. iterum Patavii an. 1744 demum cum caeteris eiusdem summi Praesulis operibus in unum corpus coniunctis XII Vol. Romae an. 1748 in 4 maiori ad usum Academiae Coimbricensis. Editionem hanc curavit P. Emmanuel De Azevedo e Soc. I. De *Synodo Dioecesana* in 4 Romae 1748. *Commentarii duo De D. N. J. C. Matrisque eius festis et de Missae sacrificio* retractati atque aucti; ex Italico in Latinum sermonem vertit Mich. Ang. De Giacomellis. Patavii 1745 in fol. SS. D. N. Benedicti Papae XIV Bullarium in quo eius constitutiones et Epistolae ab initio eius Pontificatus usque ad totum an. 1748 tom. II fol. Romae 1746–49 cum appendice at tom. I et II. (29 Obiit Benedictus XIV. 3 Maii 1758.)

S. BENEDICTUS Nursinus ex Umbria Italiae eremita ab A. 494 Sublacensis, et post duodecim fundata Monasteria, conditor ce-

b) De ejus electione Baluz. Pap. Avenionens. tom. I pag. 577 et tom. II pag. 1107. De Schismate ejus, Annales Raynaldi, Bzoviique; Jo. Gersonis Opera, Scriptores Concilii Constantiensis etc.

c) Adde Celeberrimi Wolfii nostri Bibliothecam Hebraeam tom. III p. 1151.

leberrimi Cassinensis coenobii, quod exciso luco Apollinis A. 528 instituit, ipseque obiit A. 543 aetat. 63 licet alii 542 vel etiam 547 ponunt. Idem auctor clarissimi et latissime, post mille et ducentos amplius annos, etiam num vigentis ordinis Monachorum BENEDICTINORUM, a quo velut rami, a) praeter *Cassinenses,* congregationes variis in locis, et *S, Justinae de Padua,* propullularunt *Camaldulenses*, *Vallumbrosani*, *Cistercienses*, sive *Bernhardini*, *Montis Virginis, Ordinesque Humiliatorum, Caelestinorum* et *Montis Oliveti,* et quae An. 1702 memoriam saecularem institutionis suae celebravit, *Congregatio Helvetica.* b) Memoria S. Benedicti recolitur 21 Martii, ad quem diem Acta Sanctor. tom. III Martii p. 274 seqq. exhibent notis illustratam vitam ejus scriptam a GREGORIO Magno et libro secundo dialogorum obviam. Plura LEO Marsicanus, Episcopus Ostiensis in Chronico montis Cassini, et ad eum *Angelus de Nuce:* tum *Mabillonius* libris quinque prioribus Annalium Benedictinorum, et in Actis Sanctorum Benedictinor. tomo primo.

Regulae S. Benedicti capitibus LXXIII quam Monachis praescripsit, plures feruntur non editiones modo, quas ultra centum jam Anno 1595 numerabat Arnoldus Wion, qui et ipse eam vulgavit forma minore Venetiis 1593. sed versiones etiam, Graeca, Anglosaxonica, Gallicae, Italicae, Germanicae aliaeque: et in eam Commentaria Arnonis Smaragdi, Johannis de Turrecremata, Petri Boërii, Leonis Ostiensis, ut plura recentiorum a Lipenio et Hendreichio notata omittam. Ex editionibus praestat quam post Auberti Mirae Codicem regularum et constitutionum, Antwerp. 1638 fol. dedit *Lucas Holstenius* in Codice Regularum c) Rom. 1661 et Parisiis 1663 4.[to] praemissis Gregorii M. et aliis veterum, Simplicii etiam Abbatis Cassinensis testimoniis. Vide sis praeterea, quae de hac regula Lucas Dacherius ad Lanfrancum pag. 363 seq. Commentarii optimi instar esse potest *Benedicti* junioris *Anianensis* in Gallia Abbatis (qui A. 821 obiit) *Concordia Regularum*, edita atque eruditis notis illustrata ab *Hugone Menardo*, Paris. 1631, 4. in hac enim Regulam Benedicti confert cum aliis Graecae Latinaeque Ecclesiae regulis Monasticis, ex iisque et ex Patrum quorundam scriptis eam illustrat ac supplet. Ecce tibi elenchum scriptorum e quibus Concordia illa composita est, quem adornavi ad paginas editionis Menardinae.

Index Scriptorum, e quibus Concordia Regularum cum Regula Benedicti concinnavit Benedictus junior, Abbas Anianensis.

a) Vide Arnoldum Wion libro primo Ligni Vitae.

b) Idea hujus Congregationis edita a Musis Sangallensibus 1702 fol. Acta Eruditorum 1708 p. 201.

c) In hoc Codice Holstenius post Regulas Monasticas Orientalium Patrum Latina pridem e Graeco a variis redditas SS. Abbatum Antonii et Isaiae, SS. Patrum Serapionis, Macarii, Paphnutii, et alterius Macarii: SS. Patrum aliam, S. Macarii; Abbatis Nitriensis, S. Pachomii Abbatis Tabennensis, cum ejusdem èt Theodori Epistolis: S. Oriesii doctrinam Monasticam, Incerti regulam Orientalem, regulamque Basilii, Caesariensis Episcopi: deinde regulae *S. Benedicti* subjicit caeteras Occidentalium Patrum regulas ad Monachos Latine scriptas: Incerti *Consensorium Monachorum*, regulas SS. *Pauli et Stephani* Abbatum: *Caesarii* Arelatensis, *Aureliani*, itidem Arelatensis Episcopi, *S. Ferreoli* Ucetiensis, *Columbani* Abbatis, Regulam Monasterii *Tarnatensis*, *Isidori* Hispalensis, S. *Fructuosi* Episcopi Bracarensis, *Fructuosi* regulam communem, aliamque *cujusdam Patris*, èt *Magistri* regulam, et *Grimlaici* regulam Solitariorum. Hinc succedunt itidem Latinorum Patrum regulae ad Virgines, SS. *Augustini*, *Caesarii et Aureliani Donati:* Vesontiensis, et alterius *cujusdam Patris* et *Leandri* Hispalensis et *B. Ælredi*, Abbatis Rievallensis. Denique succedunt appendicis loco SS. Patrum exhortationes ad Monachos et Virgines, collectae a Benedicto Anianensi, Graecorum quidem SS. Athanasii, Basilii Magni et Evagrii Monachi: Latinorum vero *Fausti*, *Eucherii*, *Caesarii* Arelatensis, *Novati* Catholici, *Paulini*, *Eutropii* Abbatis, et *Incerti* breves sermones duos de decem Virginibus.

In Bibliothecae Patrum supplemento Coloniensi tom. I, pag. 706 seq. et in Lugdunensi editione An. 1672 tom. IX, pag. 655 seq. post Regulam S. Benedicti alia sub ejus nomine opuscula leguntur, sed quae longe minoris auctoritatis sunt, ut *Epistola ad S. Remigium*, Remorum antistitem: *Sermo in morte S. Placidi,* alius *in discessu S. Mauri*

et sociorum, Epistola ad S. Maurum. Ordo qualiter fratribus in Monasterio religiose ac studiose conversari ac Domino militare oporteat, et *forma profitendi regulam.* Vide de his, si placet, Caveum, qui *sententias* quoque nonnullas S. Benedicti notat vulgatas esse Coloniae 1531, 8 et Basileae 1538, 8 inter sententias aliorum Patrum de officio rectorum Ecclesiae. Caeterum iu Georgii Cassandri operlbus pag. 257 *hymnus de S. Benedicto* legitur: Hymnos autem Benedicti cum Cassandri scholiis prodiisse Parisiis A. 1616 et ex Regula ejus excerptos, praeter rem tradi non dubito.

De Ordine Benedictino, atque claris Benedictinis, Scriptores.

Leo Ostiensis et *Petrus Diaconus* in Chronico Casinensi ab A. 509 ad 1087. Paris. 1668 fol. et tomo IV. Scriptorum Italiae celeberrimi Muratorii.

Petrus Diaconus de Viris illustribus Cassinensibus, cum *Placidi* supplemeuto, et *Jo. Baptistae Mari* notis. Vide infra, PETRUS, et LEO.

M. Antonius Scipio Placentinus in elogiis Abbatum et Virorum illustrium Coenobii Cassinensis. Neapoli 1614, 1630, 1634, 1643 fol.

Johannis Trithemii de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti libri IV. Colon. 1571, 4 et inter alia ejus scripta pia ac spiritualia Mogunt. 1604 fol.

Arnoldi Wion, Duacensis, Lignum Vitae, sive initia Ord. Bened. et Viri clari dignitate, doctrina, sanctitate ac principatu descripti libris V. Venetiis 1595, 4 duobus Voluminibus, et ex Germanica versione *Caroli Stengelii*, sed in qua pleraque omnia ad notitiam scriptorum facientia desiderantur, Augustae Vindel. 1609, 1621, 4.

Antonii Yepesii Vallisoletani Cronica general de la Orden de S. Benito. Centuriae VII Salmanticae 1607 ad 1621 fol. septem tomis, et in compendium missi Annales Benedictini continuatique a *Gabriele Bucelino* Augustae Vindel. 1656 fol. ut coeptas Gallicam Germanicamque versionem praeteream.

Annales Benedictini a *Constantio Cajetano*, quorum spem facit in commentario ad vitam Gelasii II lucem nunquam viderunt.

Arnoldi Wion martyrologium Sanctorum Ordinis S. Benedictini duobus Observationum libris illustratum ab *Hugone Menardo* Paris. 1629, 8.

Ludovici Bultelli, abregé de l'Historie de S. Benoït, où il est parlé des Saints, des hommes illustres, de la fondation et des principaux evenemens des Monasteres Paris 1684, 4 duobus Voluminibus.

Jacobae Boëttae Blemuriae annus Benedictinus, de qua vide Huëtium lib. 3 de rebus ad se pertinentibus pag. 190 seq.

Joannis Mabillonii Annales a) Benedictini, tomus I. Paris. 1703 fol. ab ortu S. Benedicti ad An. 700 tomus secundus ab An. 701 ad 849. tertius ab Anno 850 ad 980. quartus ab Anno 984 ad 1066. quintus ab A. 1067 1116 qui post Mabillonium A. 1707 27 Dec. defunctum a Theodorico Ruinarto, et post hunc quoque An. 1709 29 Sept. ereptum rebus humanis, a Renato Massueto luci publicae datus est, 1713 fol.

Lucae Dachery, b) et *Joannis Mabillonii*, Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti, in saeculorum classes distributa, ita ut An. 1668 Paris. in fol. editum *saeculum I.* sit a CHristo nato *sextum*, II septimum, An. 1669 III. octavum, An. 1672 2 Volum. IV. nonum, 2 Volum. An. 1677, 1680 V. decimum, A. 1685 VI. undecimum, duobus Voluminibus, 1701 fol. Caetera saecula additum iri speramus ab egregio viro *Bernardo Pez.*

Michaëlis Angeli Bellifortis, c) Perusini, Abbatis Chronologia brevis Coenobiorum, virorumque illustrium vel commendabilium Congregationis *montis Oliveti*, Ord. S. Benedicti, monachorum Occidentalium Patriarchae, complectens divisim quascunque suarum Provinciarum Nationes ad An. 1319 suae institutionis usque ad Annum 1720. Mediolani 1720 4.

a) Acta Eruditorum An. 1705 paa. 415 tomo VI. Supplem. pag. 159 et An. 1715 pág. 156. Memoires de Trevoux Anno 1705 pag. 510 An. 1710 pag. 585 etc.

b) Acta Eruditorum A. 1686 pag. 57 et A. 1705 pag. 465. Journal des Savans An. 1702 pag. 29 65. Memoires de Trevoux A. 1705 pag. 451 et Aout pag. 151 et An. 1705 pag. 951.

c) Giornale de' Letterati d' Italia tom. XXXIII parte 2 pag. 405 seq.

Bernardi Pez, Bibliothecarii Mellicensis, *Bibliotheca Benedictino Mauriana*, d) de ortu, vitis et scriptis Patrum Benedictinorum e celeberrima congregatione S. Mauri in Francia, libri II Augustae Vindel. 1716 8. quos libros eximius auctor et tot aliis nominibus de Historia Ecclesiast. praeclare promeritus praemisit tanquam prodromum majoris operis, *Bibliothecae Benedictinae generalis in XIII saecula distributae*, cujus conspectum edidit, e) sicut etiam Epistolam Apologeticam pro Ordine S. Benedicti. f)

Bibliotheque Historique et Critique des Auteurs de la Congregation de S. Maur, g) par Dom *Filipe le Cerf*, de la Viéville, Religieux Benedictin de la même Congregation. à la Haye 1726, 12. Critique de Msr. *Perioux de la Periere*, h) et la reponse de Msr. *le Cerf*. i)

Jac. Bouillart dans son histoire de l'Abbaye Royale de S. Germain de Prez. k) Paris. 1724 fol.

Franciscus Ibannez, Hispanus Monachus Congregationis Montisferrati, in brevi virorum illustrium Ordinis Benedictini Catalogo, edito ad calcem excercitatorii Vitae spiritualis Garsiae de Cisneros, Mantuae Carpentanorum sive Madriti, et Salmanticae 1561, 1570, 8.

Gervinus Calenius, typographi Coloniensis nomen, qui Trithemium de Viris illustribus Ordinis Benedictini excudit. Itaque apud Teisserium, Lipeniumque illi praeter rem liber hujus argumenti tribuitur.

Joannes Monachus Castellensis, qui apud eundem Teisserium de illustribus Viris Ordinis Bened. traditur scripsisse, non alius mihi videtur a Trithemio.

Reinerus Monachus S. Laurentii Leodiensis, De illustribus Viris Monasterii sui Ordinis Benedictini et *Guilelmus Gillinghamus* Anglus, non noti mihi nisi ex Labbeo.

* Vide lib. XVII, V REINERUS; ex ibi annotatis intelliges Reinerum non quidem de viris illustribus Benedictinis generatim scripsisse; sed de iis tantummodo qui in suo monasterio S. Laurentii Leodiensis claruerunt.

Simpliciani Gody, Elogia illustrium Virorum Ordinis sui. Paris. forma minore.

Caroli Stengelii Imagines Sanctorum Ord. Benedicti, tabulis aeneis expressae, additis eorum elogiis. Augustae Vindel. 1625, 4.to

Eduardi Maihew, Congregationis Anglicanae Ord. Bened. trophea. Remis 1625, 4. Sed promissi ab eo de claris scriptoribus Benedictinis quatuor tomi lucem non viderunt.

In B. Joachimi Felleri Catalogo MStorum Bibl. Paulinae Lipsiensis, pag. 198. Fratris *P. Boerii* Abbatis S. Ammani *glossa super constitutione Ordinis S. Benedicti.*

In eodem Catalogo pag. 312. Fratris *Petri* (fortasse fratris Magni Petri, Generalis Confessoris Monasterii Wazsteniensis, cujus apologia pro revelationibus Brigittae memoratur pag. 90) liber Abbati Joanni inscriptus de ordinibus Monachorum, et speciatim de ordine S. Benedicti, et de illis qui ex hoc Ordine Pontifices, Martyres, Patriarchae et Archiepiscopi, Cardinales, Legati sive Apostolici Nuncii, Episcopi, clari scriptores evasere: item de Imperatoribus, Regibus, Ducibus et Principibus, Comitibus et Nobilibus qui Benedictini sunt facti: item de Abbatissis hujus Ordinis et Monachis sanctis, et denique de Imperatricibus et Reginis quae Abbatissae et Monachae ex hoc ordine fuerunt Plura de hoc libro, qui Arnoldo Wiono praeivit, vide sis in Diario Lipsiensi, *Neuer Bücher-Saal der gelehrten Welt*, Parte XVI pag. 238 ubi notatur scriptores Benedictinos ab eo celebrari LXXXIV ordine alphabetico, primum Albinum Alcuinum, atque ultimos Willeramum Fuldensem et Wilhelmum.

d) Acta Erud. A. 1717 pag. 119.

e) Acta Eruditorum An. 1716 pag. 404. Germanica tom. IV, pag. 144. Journal des Savans A. 1716 tom. II, pag. 114.

f) Acta Eruditorum A. 1717 pag, 401 *Unschulbige Rachrichten* A. 1716 pag. 751.

g) Acta Eruditorum An. 1726 pag. 529 Bibliotheque Françoise An. 1726 pag. 269 et tom. XVI, p. 86. Histoire Litteraire de l' Europe A. 1726 Septembre pag. 21 A. 1727 May pag. 85. Journal des Savans A. 1727 Octobre pag. 280. Memoires de Trevoux An. 1727 pag. 500 815.

h) Bibliotheque Françoise tom. X, pag. 154.

i) Bibliotheque Françoise tom. XI, pag. 167. *Celebrte Zeitungen* A. 1728 pag. pag. 74.

k) Mem. de Trevoux A. 1724 pag. 1459.

Dominicus Gironda, de monasteriis *Caelestinorum* Galliae, cum virorum inter illos doctorum elogiis. Parisiis 1713, 4.to Journal des Savans 1719 tom. II pag. 687.

Petrus Antonius Tornamira, Panormitanus in Scriptoribus Marianis Ordinis Benedictini, Panormi 1679, 4to, et in scriptis pluribus, quae memorat Antoninus Mongitor tomo II Bibliothecae Siculae pag. 129 seq.

* * *

Statuta Abbatum Ordinis S. BENEDICTI *in Provincia Narbonensi*, apud Dacherium tomo VI spicilegii pag. 30 et tom. I editionis novae pag. 707 seqq. adde Mabillonii Analecta tom. IV p. 454 et editionis novae pag. 151 seqq. ubi *Ordo Officii in domo S. Benedicti*, *ante Pascha*, et *antiquae Consuetudines Monasteriorum Ordinis S. Benedicti.*

BENEDICTOBURANI Monasterii Chronicon breve ab Anno 740 apud Bernardum Pez tomo III Anecdotorum Parte 3 pag. 597 et primorum Abbatum plura quam Mabillonius * dederat Epitaphia pag. 605 seq. cum catalogo Codicum Coenobii illius MS. Anno 1250 pag. 614 seq. ubi pag. 624 seq. plures Chronographi Benedictoburenses memorantur, et pag. 615 inter alia *Onorius super secundum quinquagintale,* Psalmorum scilicet, ita enim legendum, non *quingentale.*

BENEDICTINUS Anonymus, cujus *libellum de Conscientia* saeculo XII scriptum et non indignum lectu vulgavit idem laudatus Pezius in tomo sexto Bibliothecae asceticae pag. 29–47.

BENEDICTUS *Abbas* Anglus, qui scripsit *Historiam de gestis Henrici II* Angliae Regis, laudatam ab Henrico Warthono tom. I Angliae sacrae pag. 169. Illam plenam esse bonis politicis observationibus, ejusque vestigiis libenter insistere Hovedenium, Bromptonumque, notavit Guil. Nicholsonus in Bibliotheca Historica Angliae, edita Anglice Lond. 1714 fol. pag. 77. Vide infra, *Benedictus Petroburg.*

BENDICTUS *Accoltus,* qui Florentiae An. 1461 obiit. De hoc supra, ACCOLTUS.

* Tom. IV Analectorum pag. 555 (editionis novae pag. 181.)

BENEDICTUS *de Accoltis* Archiepiscopus Ravennas * ab Anno 1524 ad 1549. qui inter poëtas sui temporis a Lilio Gyraldo celebratur. Ejus poëmata inter quinque Poëtarum Hetruscorum carmina, Florent. 1562, 8 et in Carminibus illustrium Poëtarum Italorum, tomo I Florent. 1719, 8. Ex illis unicum octastichon in Pacem restitutam Ranutius Gherus, sive Janus Gruterus suis deliciis Poëtarum Gallorum inseruit. *Quinque* ejus *Epistolae* in Volumine Epistolarum clarorum Virorum. Omitto inedita, quae memorat Julius Niger de Scriptoribus Florentinis pag. 88. Libellum *de laudibus B. Mariae,* et alium *de immaculata ejus conceptione;* et Tractatum *de Jure Pontificum in regnum Neapolitanum.*

BENEDICTUS *Anglicus*, vide paullo ante, *Abbas*, atque infra, *Biscopius*, *Claudocestriensis* et *Petriburgensis.*

BENEDICTUS *Anianae*, sive *Aniani* † in Britannia minore, sive Septimania Galliae Abbas Benedictinus, defunctus est Anno Christi 821 teste Ardone Smaragdo in ejus Vita, et fecit 1) *Librum de regulis diversorum Patrum*, qui editus est a Luca Holstenio sub Titulo Codicis Regularum, de quo dixi supra p. 535 sq. 2) alium *collatis Regularum sententiis composuit librum,* quae est *Concordia Regularum,* de qua itidem supra loco illo abunde dictum, et cui cum eruditis notis editae Parisiis 1638, 4. Hugo Menardus praemisit *vitam* scriptam ab Ardone Smaragdo, (atque in Actis Sanctorum 12 Februarii, et Sec. 3 Benedictin. obviam) et Epistolam Patrum *Indani Monasterii* ad Monachos Anianenses de obitu Patris Benedicti, ejusdem Benedicti *Epistolas* duas ad Georgium in Abbatia successorem, ad Nebridium Archiepiscopum Narbonensem. 3) *alium ex sanctorum Patrum Homiliis* de, quo haec Menardus in Prolegomenis p. 43. *Hic liber extat MS. in fine hujus Concordiae in Codice Floriacensi, non tamen integer: quia in fine desunt quaedam folia. Ex unoquoque auctore citantur multae pa-*

* Vide Ughellum tom. II. pag. 393.

† Vide Menardi Prolegomena ad Concordiam regular pag. 47 seq.

ginae, excepto uno aut altero. Incipit a libro S. Ambrosii in Exameron. Citantur etiam S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Ephraem, S. Caesarius Arelatensis, S. Prosper Aquitanicus, S. Nilus Monachus, Cassianus, vita S. Antonii, vita S. Fulgentii Episcopi Ruspensis, S. Gregorius Magnus, Evagrius Episcopus in Proverbiis, S. Joannes Chrysostomus, Beda, et S. Isidorus in Sententiis. In his auctoribus tractatur de virtutibus et vitiis, quae Monachos maxime spectant. Caeterum Holstenius pro libro hoc ab auctore vitae Benedicti memorato habet *Appendicem ad Codicem Regularum*, de quo supra pag. 536 haec enim sunt Holstenii verba: *Quadrat satis hoc indicium in nostrum hoc opus ex Patrum variorum opusculis contextum, qui partim Monachos, partim Sanctimoniales erudierunt. In quo apte respondet haec Appendix suo operi regulas virorum mulierumque perfectioni studentium digerenti. Scio Hugonem Menardum, cum in fine Codicis, ex quo Concordiam Regularum edidit, reperisset congesta quaedam fragmenta Patrum ad virtutes et vitia, quae in Monachis desiderantur aut caventur, pertinentia, opinatum, esse illum ipsum librum contextum ex Sanctorum Doctorum Homiliis, quem fuisse a Sancto Benedicto compositum Auctor ejus vitae refert: sed mihi quidem non persvadet, qui non Homilias, aut opuscula integra Patrum, sed sententias duntaxat, et testimonia, ipso fatente Menardo, congesta sciam in illam farraginem Codici Concordiae Regularum assutam: nostra autem collectio integras exhibet adhortationes, aut conciones Patrum aptissime congruentes ad argumentum Regularum: quare consentanee iis subjici aequus, opinor, et prudens Lector, ubi cognoverit, fatebitur.* His addere licet auctori vitae non memorata, in MStis Codicibus autem aliis *Bernardo Levitae*, * in aliis Bernardo tributa Anianensi, sub cujus nomine illa vulgavit Baluzius tomo V Miscellaneorum. 4) *Testimoniorum nubecula de incarnatione DOMINI et de S. atque individua Trinitate*, et *iterationis baptismi devitanda pernicie*. pag. 1. 5) Disputatio *adversus Felicianam impietatem*. pag. 30. 6) *Epistola ad Guarnarium*, p. 54 cui etiam nubem testimoniorum scripsit. 7) *Confessio Fidei* Benedicti Levitae, etsi peccatoris nonnunquam erronei, tamen foedere isto fidei inexhausto fidenti. pag. 56–62 Paris. 1700, 8.vo 8) *Diarium*, sive *Conversationes Monasticae* Capitula XIII apud Carolum Cointe tomo VII Annalium Francorum pag. 552 seqq. dubium an hujus Benedicti, vide pag. 560 perinde ut *Modus novus Poenitentiarum* est potius Bened. XII vel XIII Antipapae, ut dixi supra 9) *Capitula LXXX pro Monasteriis*, in Conventu Aquisgranensi Anno 817 apud eundem Cointium pag. 434 seqq. quem de hoc Benedicto Aniensi vide etiam pag. 547 seqq.

* Oudin. tom. I pag. 1915.

De *Johanne* BENEDICTO, Avenionensi, Theophilus Raynaudus tom. VIII Operum pag. 135 seqq.

*BENEDICTUS *Barzius* Perusinus Ferrariae jus civile docuit, cui opusculum *Guarentigiae* vulgo tribui Pancirolus Lib. II cap. 102. scribit. Est etiam authoris eiusdem tractatus de Legatis quem offert MS Codex Felini hoc titulo inscriptum: *Tractatus de Legatis per Dominum Benedictum de Barzis de Perusio famosum utriusque juris Doctorem.* Incipit: *cum praesens doctrina legatorum.* Postremum hoc opusculum nondum prodiisse arbitror. Florebat circa medium Saec. XV (30 Obiit A. 1459. Vermiglioli 200.) In altero Cod. MS. Felini num. 332 reperi tractatum D. Benedicti de Barzis *super materia instrumenti Guarantigiae.* Scriptus 1447. ibid. annotatur. Postremus hic tractatus prodiit Venetiis an. 1472 per Joannem de Colonia et Vindel. de Spira fol.

BENEDICTUS *Biscopius*, Wiremundensis Abbas, cujus vitam scripsit Beda, defuncti An. 703. Vide Lelandum cap. 76. Baleum I 82. Surium et Acta Sanctor. 12 Januar.

BENEDICTUS *Capra*, JCtus Perusinus, cujus Consilia et Commentarios in libro V decretalium laudat Trithemius cap. 880 de Script. Eccles.

* In designandis viri huius docti commentariis depravatam esse Trithemii lectionem suspicor. In librum enim V Decretalium Caprae expositiones nunquam mihi

occurrerunt. Vicissim autem in Biblioth. Felini obvii sunt MSS. Codd. exibentes Caprae in VI Decretalium expositiones et lecturas, accedunt *expositiones* et *lecturae in Clementinas*, *quas* Fabricius hic silet. Floruisse Saec. XV ineunte ex Pancirolo l. 2. cap. 77 discimus. In eadem Felini Biblioth. Cod. 375 MSS. extant eius *explanationes in tit. de judiciis;* tum et capitulum eiusdem inscriptum *Quintavallis.* (31 Obiit III. Januar. 1470 Vermiglioli 207.)

BENEDICTUS Monachus Coenobii Apostoli Petri *Claudiocestriensis* sive *Glocestriensis* Anglus, qui post An. 1120 scripsit *Vitam Dubricii*, Archiepiscopi Urbis Legionum (*Caerleon* in Wallia Angliae) quam edidit Thomas Warthonus tom. II Angliae sacrae pag. 654.

BENEDICTUS *Florentinus,* supra in *Accolto.* Alius Benedictus Florentinus Mathematicus circa An. 1490 cujus Architecturam, et Arithmeticos libros laudant Ugolinus Verinus, Mich. Pocciantus et Julius Niger pag. 92.

B. BENEDICTUS, Abbas *Floriacensis*, cui tribuitur *Glossarium Latino-Graecum* digestum per rerum capita, editumque ab Henrico Stephano, Bonaventura Vulcanio et Carolo Labbeo, ut dixi Vol. X Bibl. Graecae pag. 58.

BENEDICTUS Abbas *Fossatensis*, vide Mabillonii observationem de tribus Abbatibus Benedictinis, Anianensi, Fossatensi et Mediolanensi, in appendice ad Saeculum IV Benedictinum

BENEDICTUS, qui et *Guaiferius* Salernitanus, Monachus Cassinensis clarus circa A. 1060 scripsit *Historiam S. Secundini* Episcopi Trojani in Apulia, quae cum *Hymnis* in eundem Secundinum exstat apud Ughellum tom. I Italiae sacrae pag. 1336, 1341. Vide et Acta Sanctor XI Febr. De caeteris ejus sermonibus ineditis, in quibus et *Passio S. Lucii Papae*, carminibusque in quibus *de conversione quorundam Salernitanorum*, et *de miraculo ejus qui se ipsum occidit*, et *de laude S. Martini.* Vide Jo. Baptistam Marum ad cap. 29 Petri Diaconi de viris illustribus Cassinensibus.

Jcoabus sive *Jacoponus* de BENEDICTIS, Tudertinus Umber Ord. Minor. defunctus A. 1306. Auctor *hymnorum* et *prosarum sacrarum* septem libris, editis a Francisco Frisati, Rom. 1558 et Venet. 1617, 4.te Notissima ex illis Canticum de contemtu mundi, *Cur Mundus militat sub vana gloria*, et rhythmus in B. Virginem sub Cruce: *Stabat Mater dolorosa.* Ejus *Prophetiam* An. 1305. MS. in Bibl. Vaticana: memorat Waddingus pag. 180 Bibl. Ordinis Minor. ubi et *Epistolas* ejus et *sententias* ac *monita salutaria* commemorat ex Matthaei Raderi Viridario Sanctor. Part. II cap. 3.

* In hac Latina Bibliothecae nullum sibi alium vendicat locum scriptor iste, nisi ex unico tantum cantico Latino: *cur mundus militat sub vanagloria;* et ex rhytmo *Stabat Mater dolorosa,* si forte vere illi adscribatur; caeterae cantilenae et prosae Vernaculo Italico Sermone scriptae sunt, easque junctim edidit P. Franciscus Tresatti (male Fabricius Frisati.) (32 *Con annotazioni, Venezia, Misserini* 1617, 4 fig. Vide Jacobi vitam in op. P. *Casimiri Lib. Tempesti S. Bonaventura ovvero mistica Teologia.* Lucca 1746, 4. v. 2.)

BENEDICTUS *Icenus* seu Nortfolcensis Augustinianus, Episcopus in Anglia Cardicensis, defunctus An. 1340. Vide ex Josephi Pamphili Chronico Augustinianorum Pitseum pag. 440 et ex Pitseo Philippum Elssium pag. 122 qui *Epistolas* ejus *hortatorias*, *Sermones* per annum, et *Alphabetum* memorant. A Baleo autem V, 60 reprehenditur, quod sine ethnica Aristotelis, haereticorum Patriarchae litteratura, Doctrinam CHristi mancam esse putaverit.

BENEDICTUS Episcopus ab Anno 1229 * *Massiliensis*, et deinde abdicato post An. 1263 Episcopatu *Abbas* Ord. Minor. cujus *duo tractatus pro honore et defensione Ecclesiae Romanae* exstant MSti Lipsiae in Bibl. Paulina, teste B. Joach. Fellero in Catalogo illius Bibl. pag. 200. Alius *tractatus Fidei contra diversos errores supra titulo de summa Trinitate et Fide Catholica in Decretalibus*, MS. in Bibl. Colbertina,

* Sammarthani tom. II Galliae Christ. pag. 661. Oudinus tom. III p. 487 seq.

hodie in Regia Paris. *Praefationes quatuor* ad Alexandrum IV. Papam, ad Thomam Episcopum Bethlemitanum, Apostolicae Sedis Legatum, ad Guilelmum Patriarcham Hierosolymitanum et ad G. Priorem Fratrum Praedicatorum Montispessulani, cum Epistola G. Lemovicensis Episcopi, qua Benedicto gratias agit, publicatae sunt a Baluzio tom. VI Miscellan. pag. 349 seq. quem vide sis etiam pag. 565 seq. plura de hoc Benedicto erudite monentem. *Epistolam ad Innocentium IV. Papam de rebus gestis in terra sancta*, quam bis Anno 1236 et 1253 adiit, vulgata a Dacherio tom. VII spicilegii pag. 225 et tom. III novae edit. pag. 628 ubi notante ipso Baluzio male in titulo Epistolae editum *H. Episcopi Massiliensis*, cum legendum sit B. atque Benedictus iste denotetur.

BENEDICTUS Abbas *Mediolanensis*, Ord. Benedictini, vide Mabillonium appendice ad Saeculum IV. Benedictin.

BENEDICTUS *de Montefiascone*, Ord. Praed. circa An. 1318 scripsit *Chronicon Coenobi Romani monialium S. Sixti* ab An. 1220 ad sua tempora, adhuc ineditum, ex quo fragmenta apud Franciscum Mariam Torrigium in historia imaginis Mariae in templo illius Monasterii, edita Italice Rom 1641 4 pag. 35 39 40 41. seq. et apud Jac. Echardum tom. I de scriptoribus Dominicanis p. 83 et 536 seq. ubi testatur instrumenta pleraque integra in illo afferri tum privilegiorum concessorum a Pontificibus, tum donationum et aliarum adeptionum a monialibus partarum.

BENEDICTUS *Morandus* Nobilis Bononiensis, cujus *Oratio de laudibus Bononiae* (contra Senenses) posthuma prodiit Bononiae 1481 4. Rom. 1589. mutila, atque iterum Bononiae 1640. Vide Diarium eruditorum Italiae tom XI, pag. 325 seq. ubi etiam de duabus ejus in Laurent. Vallam invectivis, quibus respondit Valla pag. 445 seq. Operum.

BENEDICTUS ex Priore Cantuariensi Abbas *Petroburgensis*, Ordin. Benedictini scripsit. *Chronicon de gestis Henrici II.* * Angliae Regis, qui Hiberniam conjunxit cum Anglia et Richardi (qui Anno 1189 Henrico II successit) ab An. 1170 ad Richardi mortem An. 1199 MS. in Cottoniana. *Vitam Thomae*, Cantuariensis Archiep. separatim scripsisse, praeter ea quae de eo in gestis Henrici II memoravit, et *de ejus post mortem miraculis*, Pitseus pag. 271 auctor est, teste laudato Guilelmo Stephanio. Elegantem librum vocat Lelandus cap. 189. Apud Baronium autem ad Annum 1162 non invenio eam in Vaticana MStam exstare, vereorque ne memoria fefellerit Oudinum tom. II, pag. 1515 illique obversatus sit unus ex scriptoribus vitae hujus Thomae de quibus supra, in Alano Albreto pag. 35 et quos in Vaticana obvios, Baronius refert ad An. 1162 num. 21.

* BENEDICTUS (*De Barzis*) *de Plumbino.* Eius quaestio disputata Bononiae de anno 1386 in causa divisionis haereditatis paternae inter filios excusa est vetustis typis loco et anno incerto.

BENEDICTUS *Raymundus*, Raphaelis Comensis F. inter JCtos *Doctoris subtilis* nomen consecutus, Patavii in patria docuit per annos amplius triginta, clarus Annum 1440. Vide Marcum Mantuam de JCtis pag. 454.

BENEDICTUS *Romae* Ecclesiae S. Petri Canonicus, scripsit et Gvidoni de Castello, Cardinali S. Marci (postmodum An. 1143. Papae Caelestino II) dicavit librum *de Ecclesiastico Ordine totius anni, et praecipue Apostolicae dignitatis et totius Curiae*, quem inter alios libros de ritibus Ecclesiae Rom. vulgavit Jo. Mabillonius tom. II. Musei Italici, Paris. 1689, 4 pag. 118-164.

BENEDICTUS *Sala*, JCtus Patavinus medio saeculo decimo quinto, eodem quo Benedictus Raymundus tempore, ex qua familia plures Patavii celebres non modo Jurisconsulti, sed Medici quoque enituere. Vide Nic. Comneni Gymnasium Patavinum tom. I, pag. 154 et 364.

BENEDICTUS *Stendal* de Hallis, Doctor S. Scripturae et Canonicus B, Mariae Virginis cujus MSta exstant in Bibl. Erfurtensi volumina quinque forma parvi folii, *Lectura in Genesin*, An. 1454 *in Exodum*, An. 1460 *in Leviticum*, A. 1467 *in Numeros*, A. 1468

* Vide, quae supra in *Benedicto Abbate* p. 549.

et in Deuteronomium. An. 1472. Vide W. E. Tentzelium Bibl. curiosae tom. I. An. 1704 pag. 458. *Sermones* praeterea varios et *Collationes* diversas memorat Trithemius capite 830 de S. E.

BENEDICTUS *Tamacedus*, (Cangio *Taracredus*, *Tomacredus* aliis vel *Tomacellus*) Perusinus. Ord. Praed. floruisse traditur circa A. 1260 et scripsisse *de paupertate CHristi contra Fratricellorum errores: Commentaria super IV libros Sententiarum*, *Sermones de tempore* et *de Sanctis*, cum *Collationibus* pro illius aetatis more adjunctis. Vide Jacobum Echardum tomo I, p. 210.

BENEDICTUS *Veronensis*, Ord. Praed. circa A. 420 cujus idem Echardus tom. I, pag. 771 memorat *Sermones de tempore* et *de Sanctis*, itemque *in Symbolum Apostolorum*, *in Decalogum*, et *in Orationem Dominicam*

BENEDICTUS *Urbevetanus*, ejusdem Ord. circa An. 1260 ac deinceps. Etiam hujus nihil aliud Echardus tomo I, pag. 771 quam *sermones de tempore et de sanctis* nominat, neque adeo horum meminissem nisi vidissem eos a Cangio aliisque laudari.

Summa BENEDICTI, de qua Baelius in Lexico, voce *Sanchez*, recentioris est scriptoris Franciscani *Benedicti Sangalli* Bergomatis, cujus *summa Peccatorum* prodiit Parisiis Anno 1595 etiam Gallice versa An. 1602.

BENEVENTANI Monasterii S. Sophiae Ord. Benedictini *Chronicon* scriptum saeculo XII edidit (utinam emendatius) Ughellus Italiae sacrae tom. VIII recusum edit. novae tomo X, pag. 414–560 refertum veteribus Instrumentis, mandatis, decretis et privilegiis Imperatorum, Regum, Pontificum et Episcoporum. Alia ad res Beneventanas facientia dabit thesaurus scriptorum Italiae Burmannianus tomo IX.

Chronicon Monasterii S. BENIGNI Divionensis ab An. 458 ad 1026 tomo I spicilegii Dacheriani pag. 353 et edit. nov. tom. II, pag. 357. Hujusque Chronici *continuatio* ab An. 1105 ad 1513 id. pag. 394–399. Auctorem Chronici *Joannem* vocant Dacherius et Mabillonius, eundem nempe Monachum Benedictinum, qui Besnense Chronicon scripsit: sed parum certam conjecturam illam esse ostendit Papillonus, cujus dissertatio inserta tomo quarto libri cui titulus: Continuation des memoires de litterature et d'histoire, Paris 1727, 8 pag. 224. Et auctorem Besnensis Chronici centum annis juniorem scriptore Chronici S. Benigni, contendit Hadr. Valesius in observationibus de annis Dagoberti I. Francorum Regis, editis Paris. 1684 4.

Excerpta ex *Chronico* alio * S. BENIGNI Divionensis ab An. 753 ad 1223 in Bibliotheca nova MSS. Philippi Labbei tom. I, pag. 293–296.

BENIGNUS *Visdomini*, Florentinus, Abbas Generalis Vallumbrosanus Ord. Benedicti, defunctus An. 1236, 26 Jul. traditur scripsisse *Claustrum animae*, sive *methodum ad recte vivendum*, et *Historiam Ordinis sui*, excusam An. 1500 ut habet Julius Niger de scriptoribus Florentinis pag. 98 qui de ejusdem Ordinis Vallumbrosani viris claris testatur etiam scripsisse Bernardum Serram *Venetia Giunta* 1516. 4 et Bernardum de Ubertis pag. 108. quibus recens accessit Venantius Simius Abbas in Catalogo Virorum illustrium Congregationis vallis umbrosae. *Romae* 1693. 4.

* BENIVIENUS Dominicus, frater Hieronymi Benivieni, cuius extant egregia carmina hetrusca, Canonicum S. Laurentii egit, philosophiam Aristotelicam et Platonicam coluit, nec minus in Theologia claruit: vir insigniter pius. Huius viri memorat Pocciantus, opusculum *schalae spiritualis* hetrusco expressum sermone. Scripsit etiam opusculum *de fide*, quod aureum appellat Joannes Nessius Florentinus in oraculo de novo saeculo, in quo plura de eodem Benivieno. Floruit circa an. 1480. (33 Obiit vero 3 Decemb. 1507.

BENNO ab An. 1085 Cardinalis, Concilio Romano An. 1098 interfuit, *Hildebrando* sive *Gregorio VII.* Papae vivo ac spiranti infestus: post ipsum An. 1085 defunctum *de ejus vita et rebus gestis* scripsit *librum* editum primum ab *Orthuino Gratio* in fasci-

* Vide Jac. le Long Bibl. historicorum Galliae pag. 512.

culo * rerum expetendarum et fugiendarum, Colon. 1535 fol. pag. XXXIX ad pag. XLIII b. deinde separatim An. 1542 et cum Ænea Sylvio de Concilio Basil. et a *Matthia Flacio* in Catalogo testium veritatis pag. 315 edit. primae Basil. 1556, 8 atque in caeteris editionibus repetitis Argentinae, Lugduni, Genevae, et Francofurti; tum a *Joanne Wolfio*, tomo I. Lectionum memorabilium, Lauingae 1600 fol. pag. 290 et a *Reinero Reineccio*, Francof. 1581 qui parrhesiam ejus ex veritatis studio scribit profluxisse, licet aliud visum Baronio et fervidis Hildebrandinorum axiomatum propugnatoribus. Familiam quoque ducit hoc Bennonis scriptum in *Melchioris Goldasti* sylloye opusculorum anti Gregorianorum, Hanov. 1611 4.

De BENNONE Episcopo ab Anno 1066 ad 1106 *Misnensi*, partes Gregorii VII secuto, et Slavorum † ut ajunt Apostolo, Sanctis adscripto An. 1523 31 Maj. Vide Hadriani VI bullam Canonizationis tomo I bullarii magni pag. 632. Acta Sanctor. 16 Junii, tom. III pag. 198 ubi vita scripta ab Hieronymo Emsero, cum notis Godofredi Henschenii, atque exinde in Jo. Burchardi Menckenii ȣ μακαρίτȣ scriptoribus rerum Germanicarum tom. II, pag. 1824 seq. vide et Baluz. tom. III. Misc. pag. 425 et vitam Bennonis recenti studio scriptam a Martino Heidenreich, Leisnicensi, Dresdae 1694 8. Acta Erud. illius anni pag. 115.

Zacharias BENEDICTUS, Vicentinus, Monachus Carthusianus, versibus hexametris circa Annum 1508 scripsit *Vitam S. Brunonis*, quae operibus hujus subjicitur in editione Ascensiana Parisiis 1524 fol. Idem postea facere instituit Joannes Morocurtius in quatuor libris Brunoniados, Antwerpiae 1640, 4 ut sub idem, quo Benedictus, tempus, Sapphico carmine *Sebastianus Brandt*, quod exstat in Historia Ecclesiastica Michaëlis Bucchingeri, Colmariensis. Moguntiae 1560. Vide infra, BRUNO.

Cyprianus BENETUS, sive BENEDICTUS * Albeldensis, Aragonus, Ordinis Praedicatorum, obiit An. 1522 scripsit *de prima Orbis sede*, *de Concilio*, *de potestate Ecclesiastica*, et *de potestate Pontificis*: quae scripta post editionem Rom. 1512 recusa in tomo septimo Bibliothecae maximae Pontificiae, curante Jo. Thoma Rocaberto. Idem Benetus junctim edidit Parisiis 1506 fol. illustrium Virorum opuscula: *S. Athanasii* contra Arium dissertat. de ὁμοȣσίῳ coram Probo Judice: *Didymum* de Spiritu Sancto, ex versione Hieronymi: *Cassiodorum* de anima. Praestantium virorum *definitiones*, et S. *Cypriano* tributos sermones de cardinalibus CHRISTI operibus. Alia hujus Beneti scripta sunt: *aculeus contra Judaeos*, et *de non mutando Paschate*. Romae 1515 4. *De Caroli I. Regis Hispaniarum*, postea *Caesaris Caroli V praeeminentia et clementia*, ibid. 1518 4. *Adhortatorium de accelerando itinere, ad Hadrianum VI. Oratio contra dogmata D. Lutheri*, cum ejus imago et scripta Romae exurerentur Romae 1521 12 Jun. *De S. Eucharistiae Sacramento*. Dialogus *de excellentia et utilitate Theologiae*. *Introductio ad Logicam*. Tractatus *de fortitudine animi* et *de perfecta arte militari*. etc. Vide Jac. Echardum tom. II de scriptoribus Dominicanis pag. 49 seq.

BENEVENUTUS *Campigena*, sive *Campesanus*, cujus poëma heroïcum de Vicentia An. 1311 Patavinis erepta a Cane Scaligero auspiciis Henrici VII laudat Vossius pag. 795 Hist. Lat. De *Albertino Mussato*, Poëta et Oratore, qui pro Patavinis scripsit, dixi supra pag. 100 seq. Idem vero Benevenutus non celebravit funus *Ferreti*, Poëtae Vicentini, ut a laudato Vossio et B. Leysero pag. 1006 de Poëtis medii aevi traditum: sed celeberrimus Muratorius tomo nono scriptorum Italiae vulgavit Ferreti Carmina de morte Benevenuti pag. 1183 et 1187.

BENEVENUTUS *de Rambaldis* Imolensis, cujus *libellus Augustalis*; ad Nicolaum Marchionem Estensem de vitis Caesarum usque ad Wenceslaum, (sub quo scripsit et mor-

* Hic fasciculus cum magno Auctario recusus Lond. 1690 fol. curante Viro clariss. Eduardo Brown.

† Hieron. Emser in vita Bennonis cap. 19. Lips. 1519 fol.

* Nicolaus Antonius tom. II. Biblioth. vet. Hispanae pag. 262

tuus est) prodiit cum praefatione Laurentii Abstemii Argentorat. 1505 4. Hunc libellum tanti fecit Æneas Sylvius, ut vitas quatuor Caesarum, qui post Wenceslaum imperitarunt, ei non sit dedignatus adjungere, sicut ipse in principio Europae suae testatur. Extat etiam in calce Operum Francisci Petrarchae, Venet. 1501 fol. et Basileae: et in limine tomi secundi scriptorum Germanicorum Marquardi Freheri, cum continuatione Joannis Baptistae Egnatii usque ad Maximilianum I. nam in Æneae Sylvii Freherus negat se incidisse.

* Liber Benvenuti inscriptus Augustalis est apud me in MS. Codice in cujus fine haec leguntur de anno certo, quo ab authore suo absolutus est: *explicit libellus Augustalis continens sub compendio adscriptionem omnium Augustorum a primo Caesare usque ad ultimum, qui nunc est, an. D.* 1585. Ex eodem Cod. collato cum editione novissima Freheri a Struvio curata variationes nonnullas animadverti, et quidem non spernendas. En unam alteramve speciminis gratia. Haec lego in Frehero de Friderico II. *Fugatus est de Lombardia, nec sibi profuit potentia.* Codex: *Fugatus* etc. *profuit potentia Eccerini de Regno Romano, Serpentis rabidi, sibi confoederati.* In Vinceslao filio Caroli Freherus legit: *quam aliud in te speramus*, nullo sensu. Codex melius: *Quamquam quid in te speramus.* In eodem Codice lego additamentum quoddam post Neronem positum in hanc sententiam: *Nota quod isti Caesares imperatores Romanor. sunt Julius Caesar. 2 Caesar Octavianus 3 Tiberius 4 C. Caligola 5 Claudius Nero maledictus. 6 Galba. 7 Otto 8, 9 fuit Vitellius 10 Vespasianus. 11 Titus. 12 Domitianus. 13 Nerva. 14 Traianus. 15 Adrianus. 16 Marcus Licinius. Nota quod ab orbe condita Romulus regnavit primus, et imposuit nomen Urbi 2 Numa Pompilius. 3 Tullius Hostilius. 4 Ancus Martius. 5 Tarquinius Priscus. 6 Tullius Servilius. 7 Tarquinius superbus, in quem defecit nomen Regum, qui expulsus fuit propter stuprum Lucretiae commissum a filio suo Sexto Tarquinio, deinde creati sunt consules, quorum primus fuit Brutus. Et hoc secundum Petrum De Muglio.* Est etiam in Freheriana editione saepissime erratum in numeris annorum, quot Imperatores regnarunt. En unum: Carolus IV *imperavit annis viginti.* Ita Freheriana editio et male. Optime Codex noster *cum imperasset annis ultra triginta.*

Idem est Benvenutus de Imola, cujus expositio in Valerium Max. legitur in Cod. 380 latino Biblioth. Venetae, ac extare pariter in Cod. Biblioth. Cathedralis Patavinae etc. notavit Thomasinus in descritione ejusd. Bibl. Denique Benvenutus iste digessit in comoediam Dantis commentarios amplissimos ex quibus excerpta historica vulgavit Muratorius antiquit. Med. aevi t. 1 p. 1029.

(34 *E voltati in Italiano da Gio. Tamburini. Imola* 1855 vol. 3 in 8.)

BENTII Chronica, ejusdem ni fallor cum BENZONE, de quo infra.

BENTIVENGA de Bentivengis, Aquaspartanus Umber, Ord. Minor. *Episcopus Tudertinus* ab An. 1278 Episcopus *Cardinalis* Albanensis usque ad A. 1289 et Papae Nicolai III Major Poenitentiarius. Vide Ughellum tom. I pag. 1353. Ciacconium in Pontificum et Cardinalium Vitis tom. I pag. 761 et Waddingum Bibliothecae Franciscanorum pag. 53. qui ejus *Sermones* ad populum habitos et *Veritatis Theologicae* Volumen commemorat.

BENZO Episcopus post An. 1061 Albae, sive Albensis, qui se *fratrem*, h. e. ex Ordine Praedicatorum, et Caesaris servum vocat. Quanquam et ipse infestus Pontificibus, tamen a BENNONE Hildebrandomastige, diversus, ut ostensum a viro nobilissimo *Jo. Petro Ludewig* in praef. ad tomum nonum reliquiarum MSS. et diplomatum omnis aevi, editum Franc. 1731, 8. in quo p. 271-416 primum se existimavit in lucem protrahere ejus *VII libros Commentariorum de rebus Henrici III* (qui aliis IV) illius qui Patri Henrico successit quinquennis A. 1056. Sed ante Ludewigium eosdem prior et multis locis emendatiores * ediderat Joan. Burchardus Menckenius ὁ μακαρίτης tomo I scriptorum Germanicorum pag. 958-1074

* Vide Acta Erud. An. 1731 pag. 506 seq.

cum notis brevibus sed necessariis praeclari Viri D. Jac. Augusti Franckensteinii, Lipsiae 1728 fol. sub titulo *Panegyrici in Henricum IV Imp.* Non sunt hi libri versibus leonini scripti, sed prosario sermone, cui tamen versus leoninos passim praemittit, vel admiscet hic scriptor, quorum hos ex libro primo in gustulum venae ejus adscribere placet.

Fortium quidem virorum nulla foret notio,
Si periti litterarum torpuissent otio.
Defecisset exemplorum aurea memoria
Nisi eos propalasset aliqua historia.

Postremi versus ultimi libri hi sunt.

Caesar honor Regum, Caesar discretio Legum,
Te rogo per Christum, lege librum funditus istum;
Quem Tibi servus ego fero curvus corpore *Benzo*.
Nam plus quam vellus Colchi valet iste libellus;
Cuius erat vellus, fuerat possessio tellus;
Hic Tibi servabit terram, coeloque locabit.

Apographum Codicis Upsaliensis habere se testatus est V. C. Petrus Fridericus Arpius in feriis aestivalibus p. 112.

Ejusdem BENZONIS, quem BENZIUM etiam appellat, Episcopi Albensis *Chronicon* cum glossa MS. adhuc ineditum memorat Muratorius praef. ad tomum I laudatissimi corporis, quod ex scriptoribus rerum Italicarum cum maxime continuat instruere. Vide et infra, *Hugo* BLANCUS.

* A vero, immane quantum! aberravit hic Fabricius, dum Praedicatorum ordini adiunctum illum fuisse scribit. Vixit enim ante institutum sacrum illum ordinis annis fere 150. Agebat enim sub Henrico III Imperatore, cuius partibus contra legitimos Romanos Pontifices favebat.

Bentii Chronicon cum glossa a Muratorio memoratur, cuius operis nomen et argumentum uosse se ait ex opuscuio Galvanei Flaminae adhuc inedito: *Politia novella*, et ex ejusdem *Chronico majori* inedito ubi occurrit: *Chronica Benzii de Alexandria.* Denique idem Galvaneus in chronico extravaganti MS. provocat ad Chronicon Benzonis Episcopi Albensis. An Chronicon istud Benzonis idem sit opus cum Panegyrico in Henricum IV de quo hic Fabricius, ambigo, neque enim loca Galvanei ex quibus locis aliquid in rem praesentem traheretur, adire licuit.

BERARDUS Monachus Caelestinus, *S. Petri Caelestini* discipulus, cujus Vitam scripsit. Eam manu exaratam Cangius evolvit.

Joannis BERARDI Monachi et Praepositi *Chronicon* Abbatiae S. Clementis *Casauriensis*, sive *Piscariensis*, a Ludovico II Imp. Anno 854 conditi in Aprutio, usque ad Annum 182 libris III éditum a Dacherio tom. V spicilegii pag. 361 et edit. novae tom. II pag. 929–977. Partem primam sed sine nomine auctoris vulgaverant Andreas du Chesne tom. III scriptorum de rebus Francicis pag. 544 et Ughellus tom. IV Italiae sacrae pag. 1291. (edit. novae tom. X pag. 393.)

BERCHARIUS Presbyter, aliis *Bercarius* vel *Bertharius*, vixit circa An. 887 et scripsit *Historiam Episcoporum Virdunensium* ad Dadonem Virdunensem Episcopum, quae cum continuatione Anonyimi et *Laurentii* Leodiensis usque ad Innocentii IV tempora extat tom. XII spicilegii Dacheriani p. 251 et tom. II editionis novae pag. 234–262 et in Augustini Calmet nuper vulgata historia Civili et Ecclesiastica Lotharingiae. Rogatum a Dadone Bercharium, hoc laboris in se suscepisse narrat auctor vitae S. Pauli Virdunensis apud Surium 8 Febr.

Petrus BERCHORIUS. infra, PETRUS.

BERCHTOLDUS *Hochbergerus* Campidunensis Abbas circa Annum 1181 scripsit de laude Martyrum. infra, BERTHOLDUS.

BERENGARIUS I ab Anno 887 Rex Italiae, et Augustus coronatus die Paschatis, 24 Martii An. 916 in quem *Panegyricum incerti auctoris libris IV Carmine heroico* Nicolaus Heinsius Patavii in Monasterio S. Joannis reperit, edendumque dedit Hadriano Valesio, qui adjunctum Adalberoni Laudunensi, in lucem edidit illustravitque notis. Parisiis 1663 8. Inde illustris Leibnitius tomo I. Scriptorum Brunsvicensium pag. 235–259 cum periochis, sive argumentis librorum, et rerum Berengarii chronologia ab Anno 387 ad 916 et post Leibnitium celeberrimus Muratorius tomo II. Scriptorum Italiae.

BERENGARIUS Turonensis, Archidiaconus Andegavensis, cui ingenium, eruditionem et dialectices peritiam non negant etiam adversarii, coepit ab Anno 1035 transub-

stantiationis Dogma in S. Coena viribus omnibus oppugnare, unde An. 1050 in Synodo Romana primum, deinde in pluribus aliis Conciliis a) damnatus et ad palinodiam canendam ter redactus, b) tamen etiam ab eo tempore non obscure significavit a priore sententia neutiquem se recessisse. Ab eo nomen BERENGARIANORUM apud Anonymum Mellicensem cap. 88. Vide Pagium ad illum Annum num. 10 seq. et Mabillonii Dissertationem c) de Berengarii multiplici damnatione, fidei Professione, relapsu et poenitentia, tom. II Analect. p. 268–494 et f. 513 editionis novae: et praefationem ad partem secundam d) Actorum Seculi sexti Benedictini, Franciscum de Roy Dissertat. de haeresi et poenitentia Berengarii, Andegav. 1656, 8 D. Henrici Mulleri Historiam veteris et novi Berengarianismi, Rostochi 1674, 4. Jacobum Basnage in Historia Ecclesiastica dogmatica edita Gallice lib. XXIV cap. 2 pag. 1391 seqq. et ante hos omnes Anonymum veterem Monachum Benedictinum, qui Anno 1088 scripsit de multiplici Berengarii damnatione, editum a Petro Francisco Chilletio inter alia scripta prlsci aevi, e) Divione 1656, 4. De adversariis Berengarii dixi in ADELMANNO, ALGERO, DEODUINO, DURANDO Troarnensi, GOZECHINO, HUGONE Lingonensi, GUITMUNDO, f) HUMBERTO de Sylva Candida, LANFRANCO etc. Zacharias Chryso-

a) Illa Concilia fuere praeter Brionensem Conventum An. 1050 I. Vercellense eodem Anno 1050. II. Parisiense Anno 1055. III. Florentinum An. 1055. IV. V. VI. Turonensia duo et Andegavense; de quibus Pagi ad Annum 1055 num. 5 seq. VII. Romanum Anno 1059. VIII. Rothomagense Anno 1063. IX. Pictaviense Anno 1075 in quo Berengarius sancius ferme interemtus est, teste Chronico Malleacensi. X Romanum Anno 1078. XI Romanum eodem Anno 1079 Vide tomum quartum operis: la perpetuité de la Foy, et in illo sectionem cui titulus: Tradition de l' Eglise touchant l' Eucharistie, pag. 40 seq. Casparum Sagittarium Introduct. in Histor. Ecclesiast. pag. 885 seq. etc.

b) Primum in Romano Concilio Anno 1059. *Ego Berengarius, indignus Diaconus Ecclesiae S. Mauritii Andegavensis, cognoscens veram et Apostolicam fidem, anathematizo omnem haeresin, praecipue de qua hactenus infamatus sum: quae adstruere conatur, panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramëntum, et non verum Corpus et Sanguinem DOMINI nostri JESU CHRISTI esse, nec posse sensualiter nisi in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem S. Romanae Ecclesiae et Apostolicae Sedi, et ore et corde profiteor de Sacramento Dominicae mensae eam fidem me tenere, quam Dominus et Venerabilis Papa Nicolaus, et haec sancta Synodus auctoritate Evangelica et Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus et Sanguinem DOMINI nostri JESU CHRISTI esse: et sensualiter non solum Sacramento, sed in veritate, manibus Sacerdotum tractari et frangi, et fidelium dentibus atteri: jurans per Sanctam et homonsion Trinitatem, et per haec Sacro-Sancta CHRISTI Evangelia. Eos vero, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus et sectatoribus suis, aeterno anathemate dignos esse pronuncio. Quod si ego ipse aliquid contra haec sentire ac praedicare praesumsero, subjaceam Canonum severitati. Lecto et perlecto sponte subscripsi* Deinde in Concilio Romano An. 1078. *Profiteor panem altaris post consecrationem esse verum Corpus CHRISTI, quod natum est de Virgine, quod passum est in Cruce, quod sedet ad dexteram Patris: et Vinum altaris, postquam consecratum est, esse verum Sanguinem, qui manavit de latere CHRISTI. Et sicut ore pronuncio, ita me in corde habere confirmo. Sic me adjuvet DEUS et haec sacra.* Denique tertium in Concilio Romano Anno 1079. *Ego Berengarius corde credo et ore confiteor, Panem et Vinum, quae ponuntur in altari, per Mysterium sanctae Orationis et Verbo nostri Redemtoris, substantialiter converti in veram et propriam ac vivificam Carnem et Sanguinem JESU CHRISTI, DOMINI nostri, et post consecrationem esse verum CHRISTI Corpus, quod naturale est de Virgine, et quod pro salute Mundi oblatum in Cruce pependit, et quod sedet ad dextram Patris: et verum sanguinem CHRISTI, qui de latere ejus effusus est: non tantum per signum et virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturae et veritate substantiae, sicut in hoc Brevi, continetur, et ego legi, et vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me DEUS adjuvet, et haec sancta DEI Evangelia.*

c) Hanc recudi curavit Rev. Joannes Vogt in fasciculo primo Bibliothecae Historiae haereticae. Hamb. 1723, 8.

d) Journal des Savans 1702 p. 56.

e) De caeteris dixi suis locis, in Alcuino supra pag. 49 et in S. Fulgentio ac Rabano. Illud Anonymi Opusculum recusum in Conciliis Harduini tom. VI p. 1014.

f) Hic Anonymo Mellicensi cap. 90 videtur dici CHRISTIANUS.

politanus tom. XIX Bibliothecae Patrum Lugdunens. pag. 916. *Sunt nonnulli, imo forsan multi, sed vix notari possunt, qui cum damnato Berengario idem sentiunt, et tamen eundem cum Ecclesia damnant.*

Scripsit Berengarius, teste Sigeberto cap. 154 *contra Almannum*, sive *Adelmannum* Grammaticum et Episcopum, et cap. 155 *contra Humbertum* Cardinalem. Cumque rescripsisset Lanfrancus, reposuit *Disputationes cum Lanfranco de praesentia CHRISTI in Coena*, quae MSS. in Bibliotheca Colleg. aenei nasi apud Oxonienses. *Epistola ad Lanfrancum* brevis edita a Dacherio ad vitam Lanfranci pag. 22 atque inde in tomis Conciliorum: alia ab Edmundo Martene tomo I Anecdotorum pag. 196 alia *ad Eremitas* id. pag. 191 Epistola *ad Ascelinum* cum Ascelini responso, a Dacherio ad Lanfrancum, atque inde in Conciliis Labbei tomo IX p. 1056 et Harduini tom. VI pag. 1019 Alia *ad Richardum* in Dacherii spicileg. t. II p. 510 (edit. novae tom. III pag. 400) et apud Harduinum pag. 1024.

Bostonus Buriensis in Catalogo Scriptorum Ecclesiae, testatus est a BERENGAUDO scriptam *expositionem in Apocalypsin*: sed ex Joannis Subprioris a) et MSti Cantabrigiensis fide Henricus Warthonus pag. 391 sqq. auctarii ad Usserium de Scripturis vernaculis, illam Berengario Turonensi vindicat, notatque vel ex ignorantia, aut potius ad invidiam scilicet haeretici nominis declinandam a librariis descriptam esse iam sub nomine BERINGUEDI, jam BERENGUIDI sive BERENGUAUDI, sub quo etiam edita est a Benedictinis in appendice ad tomum secundum Operum S. Ambrosii pag. 499 seqq. cum Cuthbertus Tonstallus An. 1548 ac deinde alii edidissent sub falso nomine AMBROSII, b) sed omissa praefatione. In Catalogo locupletis Bibliothecae Samuelis Hulsii, quae sectione publica distracta est Hagae A. 1730 t. I p. 310 num. 4847. *Berengarii Commentarius in Apocalypsin MS. in pergameno litteris grandiusculis et arte exaratis... Ipsa commentandi ratio ad intimos quosque Prophetici sermonis sensus, admirabili plane modo, manuducens, summam spirat eruditionem, animi humilitatem, pietatem et in sermone justitiae sensus exercitatissimos* etc. Etiam inter Codices MS. Guilelmi Laudi p. 71. Berengarius in Apocalypsin memoratur, n. 1341 et in Bibliotheca Collegii Oxon. SS. Trinitatis num. 9. et teste Oudino tom. II p. 1005 in Bibliotheca Clarae Vallis et Longi Pontis Ord. Cisterc.

Expositionem in Canticum Canticorum MS. Oxonii exstare notavit Jacobus le Long in Bibliotheca Biblica p. 634 quam in Catalogo MSS non reperio.

* Quamquam in I vol. Anecdotorum P. Martenis legitur Epistola *Berengarii ad Heremitas* non usque adeo tamen constat deberi hanc Berengario Archidiacono Andegavensi, in secundo enim itinere suo P. Martene testatur visam a se hanc epistolam in MS. Cod. S. Laurentii Leodensis sub hoc titulo: Berengarii Archiepiscopi ad Heremitas. Vide ibid. pag. 188.

BERENGARIUS, Pater Petri Abailardi, * miles, unde filius scripsit se prae studiorum amoenitate militarem pompam libenter reliquisse.

BERENGARIUS Pictaviensis, Petri Abailardi discipulus, et post illum in Concilio damnatum A. 1140 dogmatum ejus strenuus

a) Warthonus pag. 395. *Rem extra omne dubium ponit* Joannes Subprior, *qui prolixum in* Apocalypsin *conscripsit commentarium MS in Bibliotheca Lambethana asservatum. In prologo enim expositores Apocalypseos recensens, post Hieronymum, Augustinum, Primasium, Victorinum et Bedam memoratos haec habet:* Nostri quoque temporis Magister Berengarius et Robertus Prior; qui quanto sunt tempore posteriores, tanto sunt per experientiam et manifestationem ipsius Prophetiae ad exponendum certiores: totum librum ex ordine pleniter exposuerunt, et expositiones suas ex locis sanctarum Scripturarum fortiter munierunt. *Ex horum pariter et priorum expositionibus Commentarium suum Johannes conflavit, paucis de suo additis: in eo igitur reperiuntur continua fere et ampla Berengarii excerpta, quae in Codicibus nostris MStis totidem verbis comparent.* Adde quae de Codice Jenensi W. E. Tenzelius *Monatl. Unterredungen* A. 1692. pag. 856.

b) Vide Rob. Cocum in censura p. 275 b.

* Vide Christiani Thomasii Historiam sapientiae et stultitiae pag. 77 et 115 et Baelii Lexicon in *Abelard.*

assertor in *Apologetico contra Bernhardum Claraevallensem* judice Petrarcha, *ingentis acrimoniae,* in Epistola ad *Carthusienses*, et *ad Episcopum Mimatensem*, quae et inter PETRI Abailardi Epistolas, et in Bulaei Historia Academiae Paris. tom. II pag. 182, 193 et 184. Vide Jac. Thomasium in filii Christiani historia sapientiae et stultitiae t. I pag. 114 seqq. Baelii Lexicon in voce *Berenger*, et Oudinum tom. II pag. 118. De hoc Berengario Joannes Gerson in tractatu contra Romantium de Rosa tom. III editionis novae pag. 301. *Id scio, quod Berengarius, Petri Abelart discipulus, (cujus meministi saepius) cum ad horam mortis devenisset, in qua veritas declarat hunc, qui bene fecerit, eratque dies apparitionis Domini nostri, suspirando dixerit: DEUS meus (inquit Berengarius) hodie mihi apparebis ad meam salvationem (ut spero) propter poenitentiam meam, aut ad duram damnationem (sicut timeo) propter eos, quos perversa doctrina decepi, quos nequivi reducere ad veram viam tui Sacramenti.* Haec postrema verba suspicionem faciunt, Pictaviensem hunc cum Turonensi Berengario, aliud agentem Gersonem confudisse.

BERENGARIUS Stedellus, Biterrensis Ecclesiae succentor, hinc Episcopus, ac denique Cardinalis fuit inter eos, quem Bonifacius VIII circa Annum 1298 adhibuit ad componendum librum *sextum Decretalium.* Hujus librum *de sententia excommunicationis* Trithemius cap. 513 laudat, qui MS. fuit in Bibliotheca Hohendorfiana: ac praeterea *Oculum*, sive Elucidarium summae Hostiensis secundum Ordinem Litterarum. Haec est Berengarii *Summa Poenitentialis*, quae etiam MS. in Bibliotheca Bodlejana, et in Bibliotheca Collegii aenei Nasi. Diem obiit hic Berengarius Anno 1321.

* In MS. Cod. Caesareo Windobonensi Berengarium hunc non Stedellum quidem appellari animadverti, sed Fredoli. Id vero confirmat etiam codex quidam meus MS. opusculi de electione a Guilelmo de Mandagato compositi. Fuit autem Mandagotus Berengario huic amicitiis coniunctus, et una cum eo Pontificis jussu laboravit in digerendo Libro VI Decretalium. Ad illum ergo dirigens opusculum hoc Mandagotus scribit *Ven. viro etc. Dom. Berengario Fredoli succentori Ecclesiae Biterrensis Dom. Papae Capellano, et Doctori facundissimo Decretorum.*

BERENGARIUS Archiepiscopus Compostellanus, cujus *de eventibus rerum* lucubratio vidit lucem Augustae A. 1521.

BERENGARIUS Episcopus Gerundensis, cujus *Epistola de reliquiis SS. Felicis, Narcissi* etc. in Actis Sanctorum tom. II. Martii pag. 623.

Tobias BERENGARIUS, Hispanus, Aragonensis Caesar-Augustanus Carmelita, Theologiae Doctor, obiit An. 1290 cujus commentaria in Sacram Scripturam memorat Ludovicus Jacobus a S. Carolo in Biblioth. Carmelitica MS.

BERENGARIUS *de Valle Arenosa*, Hispanus Carmelita, Sacrae Scripturae lector, defunctus A. 1345. Etiam hujus lucubrationes in quosdam SS. Bibliorum libros ab eodem Lud. Jacobo memorantur.

BERENGOSUS, Ordinis Benedictini, Abbas S. Maximini Trevirensis, non ut Bellarminus editione prima libri de S. E. Saeculo VII. sed sub duodecimi initia clarus A. 1112 ab Henrico V. Imperatore impetravit privilegium pro advocatia suae Abbatiae, scripsitque Opuscula edita Coloniae 1555 et recusa in Bibliothecis Patrum, et novissime Lugdun. tom. XII. *De laude et inventione Crucis Dominicae* libros III, pag. 349. Librum *de mysterio ligni Dominici*, et *de Luce visibili et invisibili, per quam antiqui Patres meruerunt illustrari* pag. 367 et *Sermones V* de Martyribus, Confessoribus, Dedicatione Ecclesiae et veneratione Reliquiarum pag. 376. Vide Oudinum tom II, pag. 1004 qui tamen fallitur, cum huic Berengoso tribuit commentarium in Apocalypsin, quem Berengarii Turonensis esse supra demonstratum fuit. Sicuti Bernonis est non Berengosi, quod ei adscribunt nonnulli de jejuniis quatuor temporum.

BERGANTIO, de quo Pancirollus p. 127 de claris Legum interpretibus, infra BURGUNDIO.

BERGOMAS scriptor Chronici, infra JACOBUS Philippus.

BERLENGERIUS Tarentinus. Scriptor *Vitae S. Cataldi* Episcopi, ut ferunt Tarentini in Calabria, quae exstat in Actis Sanctorum tom. II. Maji 10 pag. 570. Adde de illo Cataldo Ughellum tom. IX. Italiae Sacrae pag. 121.

BERNALDUS natione Gallicus, Archidiaconus *Bracarensis* in Lusitania, scripsit *Vitam B. Geraldi* Magistri sui atque Archiepiscopi Bracarensis, Edita est a Baluzio tom. III Miscellan. pag. 179 qui in eodem tomo etiam pag. 471 vulgavit compositam a se vitam Mauritii Burdini, quem p. 476 scribit B. Geraldo successisse Anno 1110. Idem Mauritius An. 1118 notior esse coepit nomine Gregorii VIII. sed captus a Calixto II et perpetuo carceri mancipatus A. 1121.

BERNALDUS *Constantiensis* Presbyter, infra BERTHOLDUS.

BERNARDINUS *Aquilanus*, Ordinis Minorum, in Conventu S. Juliani prope Civitatem Aprutii Aquilanam obiit Anno 1503 aetatis 83. de quo multis Waddingus tomo octavo Annalium. Hic praeter Italice An. 1491 elucubratas editasque Venetiis 1572 admonitiones vitae spiritalis, ac Vitam S. Bernardini Senensis et Philippi Aquilani, scripsit etiam Latine tractatum *de nubere volentium doctrina*, obvium in Oceano Juris tom. IX, pag. 113 et ex ejus *Sermonum* libris inchoatis, Waddingo * teste extractum, tum *de Coenobiis et viris piis Provinciae S. Bernardi Senensis brevem Historiam. Quodlibetum Scholasticum. Quadragesimale. Funerale* editum Venetiis 1575. *Centurionem*, * sive de Passione CHRISTI, et *Peregrinum*, sive de CHristi colloquio cum discipulis Emauntem petentibus.

BERNARDINUS *de Bustis*, in Statu Mediolanensi, Ordinis Minorum, A. 1480. Auctor *Officii de immaculata Conceptione B. Virginis* confirmati bulla Sixti IV. a) et celebrari inde soliti 8 Decembris: nec non *Officii Nominis JESU*, 14 Januarii. Obiit post Annum 1500. scripsitque *Mariale* dicatum Alexandro VI et excusum Mediol. 1494, 4 Argentinæ b) 1496, fol. Haganoæ 1506 et 1519, fol. et tertio tomo Operum, Brixiæ 1588, fol. continens Sermones de B. Virgine Maria et Reginæ Cœli excellentiis per singulas ejus festivitates et omnia Anni Sabbata. *Immaculatae Conceptionis* sermones IX. una cum Officio immaculatae Conceptionis. *Nativitatis Mariae*, sermones V. De Nominibus c) sermones VI. De vita et conversatione, *Praesentatione in Templo*, ac virtutibus donisque, beatitudinibus, fructibus spiritualibus, gratiis, sanctitate, et impeccabilitate: de Sacramentis Ecclesiae, quae recepit, et de desponsatione, sermones XII. De *annunciatione* sermones XII. De *visitatione*, II. *de parturitione*, V de *Purificatione*, II. Maria hortus deliciarum, Cedrus, Libanus, Cypressus, Palma, Rosa, Oliva, Platanus, Cinnamomum, Balsamum, Myrrha, Vitis, Nardus, Galbanum, Lilium, Maria Nix *(de festa Nivis)* Scala Coeli, Mare, Aurora, Luna, Sol, Acies Castrorum, terra in qua tota Trinitas scripsit, arcus coelestis, sive Iris, collum, columba, Elephas, Gallina, Ovis DEI: Maria ebur, dies, fons, navis, nubes, mons Sinai, thronus: Maria vellus, lux, lampas accensa, vas DEI, rota DEI, sedes DEI, Civitas DEI, castellum: sermones IV. De *Compassione* Mariae, de gaudiis, sermones II de *assumtione* II de coronatione Mariae II.

Quadragesimale Argentinae 1496.

Pro Defensione Montium Pietatis d) Tra-

* P. 54: Bibl. Ordinis Minorum.

* Perperam alii, Centuriam in memoriam Passionis CHRISTI.

a) Adde Raynaldum ad Annum 1477, n. 9 et 1 85 num 64.

b) Theophili Sinceri *Nachrichten von raren Buchern* pag. 40, seq.

c) Illa nomina sunt: Margarita, adamas, rubinus, jaspis, alectorius: (figurata per Michaël Abigail, Rachel, Judith, Abisach;) cellaria, mediatrix salvationis, unionis, reconciliationis et intercessionis: auxiliatrix, restauratrix, illuminatrix, advocata nostra: Maria Domina, omnia venerantur Mariam: Mater universorum, arca thesaurorum, Regina Coelorum, Imperatrix Coeli et Terrae, Augusta, manus DEI, apis DEI, Regula omnium viventium, jaculum daemonum, idria (ὑδρία) DEI, amygdalus et arbor Coelestis. Mater misericordiae, aquaeductus, rore perfusa, Janua Coeli, fenestra Paradisi, atrium DEI. Stella coeli, poli, maris, matutina, regia.

d) Montes Pietatis, coercendae Judaeorum foe-

ctatus duo ad Bernardinum de Carvajalo, Cardinalem, scripti A. 1497 editique Mediolani 1503, fol. et cum Rosario, Haganoae 1518 et inter Opera: Brixiae 1588 fol. oppositi *Nicolai Bariani* de Placentia, Eremitae Augustiniani scripto Mediolan. 1494 de Monte impietatis, edito Cremonae 1496 et cum Francisci Papafava, Patavini JCti scripto ejusdem argumenti ad editionem Venetam Joannis Gryphii, recuso Lipsiae 1670, 4 cum Theodori Asciani, sive D. Matthiae Zimmermanni, Superintendentis Misnensis, libro de Montibus Pietatis Romanensibus.

Rosarium Sermonum per totum annum Lugd. 1507 et 1527 et inter Opera, Brixiae 1588 fol.

*Prior editio *Defensorii sacratissimi Montis Pietatis* multo antiquior est quam Mediolanensis anni 1503 hic indicata; cum in Bibliotheca Felini sese offerat antiquissimis typis absque ascriptione anni et loci in 4.

BERNARDINUS de *Caravaial*, Placentinus Hispanus, Episcopus Ostiensis, Cardinalis ab Anno 1493 ad 1522. Vide Ciacconium de Cardinalium Vitis pag. 1326 seq. Nicolaum Antonium Bibliothecae Hispanae tomo I, pag. 168 et Henricum Warthonum ad Caveum. Ejus *Orationem* ad Cardinales *de eligendo Summo Pontifice* Anno 1492 et aliam *nomine Ferdinandi et Elisabethae*, Regis et Reginae Hispaniae, *ad Alexandrum VI* magnis laudibus effert Lucius Marinaeus Siculus libro VIII de Hispaniae laudibus, Nicolaus Antonius etiam Orationem ad Cardinales *de Baza*, Granatensis Regni Urbe *Mauris An.* 1490 *erepta.* Epistolam Consolatoriam in obitu Principis Johannis A. 1497 ad Parentes Ferdinandum Regem et Elisabetham Reginam.

*Oratio ab hoc viro tum Cartaginensi Episcopo coram Alexandro VI novo Pontifice nomine Ferdinandi et Elisabethae Reginae Hispaniarum, habita lucem adspexit typis Romanis, ut opinor in 4 absque loco et anno.

neratoriae, instituti a Paulo II. inde a Sixto IV atque a caeteris deinde confirmati Pontificibus. Adde Concilium Lateranense A. 1515 sessione X et Matthiam Zimmermannum de Montibus pietatis pag. 718 seq.

BERNARDINUS *Gadolus* Brixianus. Abbas Camaldulensis, circa Annum 1446 cujus Opus Annotationum in sacram Scripturam, librum de fugiendo saeculo et religione amplectenda, alium contra superbiam et ambitionem: Epistolas item, ac Sermones memorant. Possevinus testatur eum etiam de S. Hieronymi operibus in ordinem colligendis cogitasse.

BERNARDINUS *de Roma*, Carmelita, Episcopus Sutrensis, Cardinalis An. 1324 scripsit in IV libros sententiarum, et ad Clerum Romanum lib. I. Vide M. Antonii Alegre de Casanate paradisum Carmelitici decoris pag. 284 qui Bernardum cum Possevino, non Bernardinum nuncupat.

BERNARDINUS du Rosier, sive *de Rosergio*, ex Canonico Regulari Archiepiscopus Tolosanus ab Anno 1452 ad 1464 *Scripsit quam plurima Opera de cultu S. Virginis et B. Stephani: Sermonum collectionem, Commentaria in Decretales Juris, qua scientia praecipue insignis: denique Dissertationes de auctoritate Pontificia Legatorum et Cardinalium. Lucubrationes istae in Bibliotheca Metropolitana servantur, quarum etiam elenchum apud Bertrandum* * *legere licet. Publicavit et accuratissime acta Legationis Petri Cardinalis Fuxensis in Hispaniam, ejusque mandato de antiquitatibus Tolosanis libellum Stephanus de Ganno, Minorita ei dicat.* Haec Sammarthani in Gallia Christiana tom. I, pag. 700.

BERNARDINUS *Senensis*, Ordinis Minor. An. 1450. sexto post obitum anno *Sanctis* adscriptus, de quo Acta Sanctorum 20 Maji tomo V. ubi Vita scripta a BARNABÆO pag. 277 et tomo VII, pag. 821 seq. ubi etiam effigies corporis, ut ajunt incorrupti, et in Diario Theologico Dresdensi (*Sammlung von Alten und Neuen*) An. 1727 post pag. 512. De scriptis ejus, in quibus etiam *Commentarius in Apocalypsin*, et *de Praeceptis Regulae Minorum*, non habeo, quae addam Labbei industriae, qui tom. I de S. E. pag. 186 et editionem Venetam An. 1591 Petri Rudolfii, quatuor Voluminibus in 4.[to] et Parisiensem

* Nic. Bertrandum in opere de Tolosanorum gestis. Tolosae 1515 fol.

Johannis de la Haye 1636 tomis quinque in folio, distincte recenset. (36 *Prediche volgari. Siena* 1853. in 8. *Vita di S. Bernardino da Siena descritta e illustrata dal P. F. Amadio M.* (Luzzo) *da Venezia. Ven. Poletti* 1745. 4. fig.

BERNARDINUS *Tomitanus,* Ordinis Minorum, a statura *parvulus* dictus, aequalis Bernardini de Bustis, et non minus quam ille, *Montium Pietatis* assertor, Promotorque. Obiit Ticini A. 1494 et praeter Sermones de perfectione Vitae Christianae, Venetiis Italice editos 1532 8. scripsit Latine brevem Tractatum *de modo confitendi.* Brixiae 1542 12.

Alius inquit Possevin. *Bernardinus Tomitanus, cujus Expositio in Matthaeum Prohibetur in Indice Romano.* Hunc, Bernhardum in Indice vocari video.

BERNARDINUS Cyllenius *Veronensis*, cujus *notae in Tibullum* editae Romae 1475 et eodem anno Venetiis, tum Regii Lepidi 1481 Brixiae 1486 etc. Ejusdem commentarium ineditum *in Priapeia* habuit Gabriel Naudaeus teste Labbeo pag. 236 Biblioth. MSS. Ejus promissa hypomnemata *in Catullum* et *Propertium* non exstare dolet Barthio tom. II ad Statium pag. 1085 De alterius Bernardini Donati Veronensis dialogo *de Platonicae et Aristotelicae Philosophiae differentia* cum Gemisti Platonis scripto ejusdem argumenti, edito Venetiis et Parisiis 1541, 8. dixi tom. X. Bibliothecae Graecae pag. 743.

De BERNARDIS illustribus commentatus est Joachimus Meierus ὁ μακαρίτης in Dissertatione Dransfeldiana, edita Gottingae 1698, 4 pag. 18 seq. sed propositum ipsi loqui de viris Principibus Comitibusque, qui Bernhardi nomine in historiarum monumentis nobiles, vel in tabulis genealogicis memorabiles feruntur: et pag. 48 seq. de claris quibusdam Bernardis, Bernardinis, Bernhardonis, Bernartinis, Berentiis et Berensiis recentioris aetatis: unde vix ullos cum attingere video, qui ad praesens institutum meum pertinent. Itaque omisso illo coeptam telam persequi placet.

BERNARDUS *Albertus*, cujus scriptum de variis morbis ineditum evolvit Cangius, memoratum etiam Labbeo pag. 50 Bibl. MSS. Scriptoribus autem Bibliothecarum Medicarum praeteritum.

BERNARDUS *de Ambasia*, Gallus, Tolosanus Carmelita, Cardinalis circa An. 1364. Scripsisse a Possevino, Alegrio et aliis traditur *in Epistolam Joannis primam* Lectiones CXII. *In Jacobi Epistolam* Lectiones LXIV. *In IV Libros Sententiarum.* Librum *variarum Collationum,* et *Sermones* hyemales, aestivales, Quadragesimales.

BERNARDUS *Angrianus*, Bononiensis, Carmelita circa Annum 1390. ex cujus scriptis nihil praeter *Sermones* commemorari reperi.

BERNARDUS *Ayglerius*, ex Abbate An. 1256 Lerinensi, ac deinde An. 1263 Cassinensi Cardinalis, obiit An. 1282. Praeter *Sermones* ad fratres scripsit *Speculum Monachorum,* in tres Partes divisum, editumque Venetiis et Parisiis 1507 atque inde Coloniae 1520. (De Codice MSto, qui est in Bibliotheca S. Petri hujus Urbis, vide B. Staphorsti Historiam Eccles. Hamb. tom. III pag. 305.) Praeterea *in Regulam S. Benedicti* et *de Praeceptis Regularibus:* tum *Regesta duo*, unum collationum, beneficiorum, et officiorum: alterum omnium inquisitionum, jurium et bonorum in castris et villis Monasterii Cassinensis. Vide Placidi Diaconi supplementum ad Petrum Diaconum cap. 2 et Johannis Baptistae Mari notas: Trithemium c. 601 et lib. 2 de illustribus Benedictinis pag. 130.

* Speculum monachorum Bernardi editum est Venetiis an. 1505. in 16. una cum adiuncta vita S. Benedicti ex lib. II. Dialog. S. Gregorii, et Regula S. Benedicti.

BERNARDUS *de Baching*, *Baging*, sive *Waching*, prope Saltzburgam, ex Canonico Regulari Prior Tegernseensis, Ordinis Benedictini Anno 1472 obiit. Hujus viri eximii *Confessionale* MS. memorat Clarissimus Pez tomo III Anecdotorum Parte 3 pag. 631. Ejusdem *Remediarium pusillanimium et scrupolosorum* ad Franciscum Schlick, Canonicum Ratisbonensem, vulgavit tomo VII Bibliothecae Asceticae pag. 445. Et *Epistolam de obitu Caspari Aindorfer* An. 1461 Abbatis Tegernseensis, tomo octavo p. 395.

Idem longe plura in Praefatione ad tomum septimum de Vita hujus Bernardi disserit, scriptaque commemorat adhuc inedita, quae, praeter *Epistolas* complures, sunt: *Laudatorium doctae ignorantiae, quae est Mystica Theologia,* ejusque *Defensorium. Speculum Pastorum et Animarum Rectorum*, ejusque *Defensorium* ad Johannem Episcopum Eystetensem. Opus bipartitum *de sentimentis spiritualibus. Collationum,* sive *Sermonum* Volumen *de tempore* et *Sanctis.* Collatio prolixa *de Passione DOMINI. Praeparatorium ad Missam*, et *Formula ad celebrandum vel communicandum, se disponendi. De debita materia S. Eucharistiae. Consolatorium tribulatorum.* Tractatus *de poenis infernalibus. Speculum mortis* quadripartitum. *De extremi Judicii diei terrore. Utrum in hac vita DEUS possit in contemplatione videri et mente attingi. De exercitio interiori cum DEO. De modo unionis spiritualis cum DEO. De cognoscendo DEUM. De gustu svavitatis et cognitionis Divinae. Sermones* aliquot *Capitulares:* et *Sermones in Professione Fratrum. De raptu et exstasi S. Benedicti. De modis ignem et poenas purgatorii evadendi. Qualiter in gratia et virtutibus pauperem fieri oporteat, qui veram spiritualem perfectionem assequi cupit.* Dialogus et scripta alia *de esu et abstinentia Carnium. De forma servanda in excommunicando.* Epistola *de Virginitate*, sive *de Consecratione Monialium* ad Abbatissam Pergensem. *Acta Visitationis et Reformationis Parthenonis S. Mariae Suneburgensis* An. 1455. Tractatus varii *de Paupertate*, *Obedientia, Patientia, aliisque Virtutibus.* Declaratio passus *Regulae S. Benedicti.* Tractatus *contra damnatum vitium Proprietatis Religiosorum.*

BERNARDUS *Balbus*, ex Faventino Episcopus ab An. 1198 Papiensis, qui A. 1213 obiit, in Jurisprudentia Canonica doctissimus, quinque libros de illa facultate composuit teste Ughello tomo I Italiae Sacrae pag. 1097.

BERNARDUS *Basinus*, Canonicus Caesar-Augustanus in Hispania, qui Romae Anno 1491 coram XIX Cardinalibus verba fecit cum laude, ediditque librum *de artibus Magicis et Magorum maleficiis*, editum Parisiis 1506 8. Francofurti 1580 8. Lugduni 1620 8.

BERNARDUS, aliis BERNARDINUS *de Bessa*, Aquitanus Ordinis Minorum, qui S. Bonaventurae *Speculum* disciplinae ad Novitios recensuit, et praeter Legendam *B. Christophori de Romandiola* in Compendium misit Legendam antiquam *S. Francisci* diffusius scriptam a Thoma de Ceperano. * Tum praeter Apologeticum de proposito et fine regulae Minorum, scripsit librum de triplici statu Religionis S. Francisci, *Minorum*, *Clarissarum* et *Poenitentium*, in quo et Chronicon Generalium Ministrorum usque ad Bonamgratiam Generalem decimnm ab Anno 1279.

BERNARDUS *de S. Blasio*, aliis BERNALDUS, Germanus, circa Annum 1060 scripsit contra Schisma, aliaque, quae non opus referre cum repetita iisdem verbis legi possint apud Gesner. Simlerum, Possevinum Hendreichium. Apparet autem hunc non diversum esse a BERNALDO, Presbytero Constantiensi, cujus quaedam vulgata exstant a Sebastiano Tegnagelio in veteribus pro Gregorio VII et contra Schismaticos monumentis, Ingolstadii 1612, 4, nimirum *de vitanda excommunicatorum communione, de reconciliatione lapsorum et de Conciliorum*, *Decretorum*, *Decretalium*, *ipsorumque Pontificum Romanorum auctoritate liber.* Caetera aliorum, quae in illa Tegnagelii sylloge continentur, recenset B. Doctor meus Thomas Ittigius libro de Bibliothecis et Catenis Patrum pag. 614 seq.

BERNARDUS Abbas *Bonaevallis*, qui Vitam S. Bernardi Claraevallensis traditur, a quibusdam composuisse, non alius est ab ERNALDO, sive ARNOLDO, Abbate Bonaevallis Carnotensi, de quo supra p. 131.

* BERNARDUS Bottonus Parmensis de quo Pancirolus lib 3. c. 8. praeter apparatum super Decretales Gregorii IX. scripsit etiam casus super eosdem; unde *Innocentius IV fuit contemporaneus et sub ipso*

* Ita recte Vossius ex Antonini Florentini Parte III Histor. Tit. 24 cap. 9 § 4 pag. 778 licet Waddingus pag. 59 et 325. Thomam habet Cellanum.

apparatum fecit: verba sunt Ptolomei Lucensis Hist. Eccles. lib. 22. c. 12. Quare duo opera canonica plane diversa inter se scripsisse Bernardus iste censendus est. Id vero non satis distinguitur a Pancirolo ubi de hoc Bernardo, quem ait Bononiae decessisse, cuius in urbis Academia praefectum egit.

BERNARDUS *de Breitenbach*, * notus itinere in Palaestinam, quod camerarius Moguntinus An. 1483 suscepit, cum Joanne Solmensi Comite et nobili Viro Philippo de Bicken, fratre Felice et cujus opera in depingendis locis usus est Erardo Rewick, Ultrajectino: *Descriptionemque* ejus Passagii, Decanns jam Moguntinus Anno 1488 Moguntiae edidit, et Bertholdo Moguntino Archiepiscopo dedicavit, a quo etiam missus Romam fuerat, pallium pro illo postulaturus. Vide Serarium Rerum Moguntinarum libro V editionis novae pag. 797 et 813. Germanico-Belgicae versionis ejusdem itinerarii editionem curavit memoratus Rewickius Moguntiae A. 1488.

BERNARDUS Carnotensis, *perfectissimus inter Platonicos Saeculi nostri*, inquit Joannes Sarisberiensis, qui Carnotensis Episcopus Anno 1180 .obiit, libro quarto metalogici capite 35. ubi hos ejus versus affert:

Non dico esse, quod est, gemina quod parte coactum
Materiae formam continet implicitam:
Sed dico esse, quod est, una quod constant earum:
Hoc vocat Ideam, illud Acheus et hylen.

Nec minus hos:

Principium cui sola fuit Divina Voluntas,
Ætas non frangit demoliturve Vetustas.
Dissolvit tempus quicquid producit ad esse,
Si non ad praesens, constat quandoque nec esse,*
Ergo super tali, qui luget, conditione,
Aut nihil, aut minimum claret rationis habere.

Propter hosce versiculos Bernardis poëtis accensuit hunc Bernhardum Christianus Daumius notis ad Bernhardum Geystensem pag. 42 vix ferente Thom. Reinesio Epistolis ad Daumium pag. 294 qui tamen ipse affert verba ex Joannis Sarisberiensis Policratico lib. VII Policratici cap. 12. ubi aliis hisce ejus versibus allatis:

Mens humilis, studium quaerendi, vita queita,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena,
Haec reserare solent multis obscura legendo.

adjungit: *licet metri ejus svavitate non capiar, sensum approbo, et philosophantium mentibus credo fideliter ingerendum.* Idem Sarisberensis pluribus in locis eum laudat et lib. 1 cap. 17 testatur operose egisse, ut inter Aristotelem et Platonem componeret, sed tarde venisse: et lib. 1 cap. 5 Wilielmus de Conchis Grammaticus ipsi est post Bernardum opulentissimus et Peripateticus Palatinus. Vide infra, *Bernhardus Sylvester.*

BERNARDUS *Carthusianus*, fundator Domus Carthusiae Portarum ex Monacho Ambroniacensi An. 1115 ad 1152. cujus *Epistolae Asceticae tres* editore Petro Francisco Soc. Jes. Divione 1657, 8 et recusae in Bibliotheca Patrum Lugd. 1672 tom. XXIV, pag. 1501 seq. Idem Chifletius alios quatuor deinde Bernardos Priores eidem domui praefuisse docet pag. 1464 et 1520 *Secundum* ex Episcopo Bellicensi A. 1147 *Tertium* ab Anno 1154 qui deinde Episcopus Diensis: *Quartum* Bernardum de Turre ab A. 1253. *Quintum* Bernardum de Samia ab An. 1258.

BERNARDUS. Abbas *Cassinensis*, defunctus An. 1282 de quo supra, *Bernardus Ayglerius.*

BERNARDUS, Monachus *Cassinensis*, qui circa Annum 1120 scripsit *Vitam* S. Confessoris *Amici*, cujus memoria 3 Novembris recolitur. Vide Petrum Diaconum cap. 37 de illustribus Cassinensibus.

BERNARDUS Gvidonis, * Prior aliquando *Castri S. Vincentii* in Occitania, Episcopus deinde Lodovensis, Ordinis Praedicatorum, defunctus An. 1331 cujus *Chronica* Ordi-

* De propinquo Bernhardi *Johanne Breitenbachio*, Consule Lipsiensi, Albinus in Chronico Misnensi pag. 537. De *Tilmanno Bredenbachio*, qui Collationum libros VIII edidit Coloniae 1584 et Historiam scripsit belli Livonici, vide Vossium Hist. Lat. pag. 571 Valerianum Andream et Franciscum Sweertium in Bibliothecis Belgicis: ubi etiam de *Matthia Bredenbachio* Carpensi, et de *Joanne Bredenbachio* Duffeldorpiensi Tilmanni Parente.

* Ita leg. nam male editur: *necesse.*

* Vide etiam apud Labbeum tom. II Bibliothecae novae MSS. pag. 512 et Jacobum Echardum tom. I, pag. 578 seq.

nis sui usque ad Annum 1304 *Annales Pontificum* usque ad Johannem XXII atque *Imperatorum*, et Tractatum *de Synodis* usque ad sua tempora, Vossius e Leandro Alberto memorat. Eadem et longe plura, sed inedita adhuc pleraque memorat Jacobus Echardus tomo primo de scriptis Dominicanorum pag. 579 seq. et in his *Speculum Sanctorale* 4 Volum. ex quo plura vulgata sunt in Labbei Bibliotheca nova MSS. etiam *Praefatio* Partis quartae *ad Johannem XXII* tom. II, pag. 513 cum Papae responsione. *Nomina ac gesta Lemovicensium Episcoporum* ad Annum 1273 p. 265. *De Ordinibus Grandimontensi atque Artigiae* in dioecesi Lemov. et *de Monasterio S. Augustini Lemovicensis*. pag. 275 278. Ex eodem Sanctorali petita *Vita S. Fulcranni*, Episcopi Lodovensis, in Actis Sanctorum 13 Februarii, et *Vita S. Sacerdotis*, Episcopi Lemovicensis, quam ante Labbeum tom. II, pag. 661 ediderat Baluzius Tutellae Lemovicum Anno 1656 ad calcem disquisitionis de saeculo, quo Episcopus ille vixit. Ex hujus Bernardi *Annalibus Pontificum* fusioribus et brevioribus idem Baluzius vulgavit Vitam duplicem *Clementis V.* in Papis Avenionensibus tom. I, pag. 55 et 62 et *Johannis XXII*, pag. 133 151 * Scripsit idem Bernhardus *Genealogiam, seu Chronicon Comitum Tolosanorum*, quod inter vetera monumenta Historiae Comitum Tolosae, Gallica lingua scriptae subjuncta edidit Guilelmus Catellus, Tolosae 1623 fol. *Casus, qui in celebratione Missae accidere possunt, qualiter ipsis occurrendum sit, ex dictis Venerabilis Doctoris Fratris Thomae, in ultima Parte Summae*, excusum circa initia nascentis Typographiae sine anno et loco in 8.vo *Liber Sententiarum Inquisitionis Tolosanae* ab hoc Bernardo, ut Inquisitore latarum Anno 1307 ad 1323 vulgatus a Philippo Limborgio, ad calcem Historiae Inquisitionis, Amstelodami 1692 fol. opus insigne ad dignoscendas non modo Albingensium Waldensiumque opiniones, sed et ad rationes tribunalium illorum artesque rigidas intelligendas. Caetera Echardo memorata sunt: *Genealogia Regum Franciae, et de ejusdem Regni origine. Nomina Apostolorum et Discipulorum DOMINI nostri JESU CHRISTI cum Officio Missae LXXII. Discipulorum. Nomina Episcoporum dioecesis Tolosanae, et quorundam Episcoporum Tolosanorum Vitae. Tractatus de Ordinatione Sacrificii Missae, De Articulis Fidei, Sacramentis Ecclesiae, Praeceptis Decalogi, de operibus misericordiae corporalibus et spiritualibus, et de dotibus gloriae Beatorum. Dicta Sanctorum atque Doctorum Ecclesiae loquentium de peccato originali. Rationale Divinorum Officiorum,* sive *de Dominicis, feriis festisque de tempore et Sanctorum. De paupertate CHRISTI adversus Fratricellos. De Practica Officii Inquisitorum.*

* Propyl. Act. Sanctor. Maj. pag. 71 75 80.

S. BERNARDUS Burgundus, Gallus natus Anno 1091 Monachorum Cisterciensium Coenobii *Claraevallensis*, sive Caraevallensis a) gloria: et reformandae Ecclesiasticae disciplinae plus, quam alii volebant, intentus, obiit Anno 1153, 20 Augusti, Sanctis adscriptus Anno 1174 b) *qui summis summus, sed sibi parvus erat*, c) quo nullum majus Bernardi legere me elogium memini, quanquam non parva sunt, quae sequuntur:

Religionis apex, lux mundi, laus Monachorum,
Flos Cleri, Legis sanctio, Juris amor.
Instructus, velox; sublimis, pauper, abundans
Artibus, ingenio, sanguine, veste, bonis,
Dura, malum, cunctas, tulit, horruit, aedificavit,
Vana, DEUM, requiem, sprevit, amavit, habet.

Lepidum est, quod relatus, inter coelites, traditur maculam visus esse in toga candida habere, d) quod Conceptionem B. Mariae Virginis immaculatam docuisset. Effigies S. Bernhardi obvia in Puricelli munimentis tom. IV. Thesauri Scriptorum Italiae Muratoriani

a) Vide Mabillonii Museum Italicum tom. I p. 19.
b) Laurentii Cherubini bullarium tom. I p. 67. Mabillon. tom. II Operum. S. Bernhardi edit. in fol. pag 1358 seq. Alexandri III Papae Epist. tom. VI Concil. Harduin. Parte II pag. 1554.
c) Voyage Litteraire de deux Benedictins tom. I pag. 20. Joannis Ludovici Hockeri Biblioth. Heilsbronnens. pag. 13.
d) Bibliotheca Patrum edit. Lugd. 1672 t. XXIII pag. 903.

pag. 280. Quae praeter Mabillonium et alios Annalium Ecclesiasticorum, Historiaeque, et de Scriptoribus Ecclesiasticis, vel Cisterciensibus, Scriptores et Operum Bernhardi editores de praeclaro hoc Doctore litteris consignata reperi, haec fere sunt:

Alanus Insulensis, de quo supra p. 34.

Petri Francisci Chifletii, Soc. Jes. Bruxellensis, Religiosi Villariensis, genus Bernhardi illustre e) et militare assertum. 1660 4 ubi etiam *Vita* S. Bernhardi scripta a *Joanne Eremita.*

Ejusdem Opuscula Parisiis 1679 8.vo in quibus quartum continet excerpta ex *Gaufridi* Abbatis de S. Bernardo collectaneis.

Theophili Raynaudi apis Gallicana, sive de doctore mellifluo Bernhardo Libri septem: I. Auctore *Gvilelmo* Abbate S. Theodorici Remensis. II *Bernhardi*, sive ERNALDI, seu ARNOLDI potius, de quo supra pag. 367. Abbatis Bonaevallis: III. IV. V. *Gaufridi;* sive *Godefridi* Abbatis, f) qui S. Bernhardi Notarius fuit ab A. 1146 VI. VII. addita ex *Jac. Merlono Horstio*, editore Opp. Bernardi ex ed. Colon. 1641. Priores quinque libros dederat etiam Surius ad Augusti XX.

E recentioribus etiam non omittendi, praeclarus Scriptor libri *Histoire de Suger*, de vita et rebus Sugerii Abbatis S. Dionysii, qui Anno ante Bernhardum, nempe Anno 1152 diem obiit, libro V. et VI.

Scriptores vitae ex *Gallis: Sr. l' Amy*, Paris 1556 8. *Gvil. Flamens*, Paris 8. *Mr. le Maitre*, *Mr. de Villefore.* Memoires de Trevoux A. 1705, pag. 1320. *Jo. Bapt. Souchetus* notis ad Gaufridum. Paris. 1649, 4.

Ex Hispanis *Christophorus Perales* libris. V. Vallisoleti 1601, 4. *Franciscus Fernandes de Valasco* cum LIII. iconibus aereis. Antwerp. 4. *Joannes Alvarus* libris III. Caesar-Augustae 1595, 4.

Ex Belgis *Caspar Jongelinus* in purpura divi Bernardi, sive elogiis illius et Cisterciensium. Colon. 1644.

E Germanis *Sebastianus Brandt* etc.

(37 Ex Italis: *Petrina* (*D. Gaspero*) *Storia Cronologica di S. Bernardo. Torino* 1737. 4. v. 2. *Magagnotti* (Pietro, parroco ec.) *Vita di S. Bernardo. Padova*, *Comino* 1744. 4.)

Ottonis Frisingensis de Bernhardo Judicium non indignum consideratione; *Erat Abbas*, inquit, *tam ex Christianae Religionis fervore zelotypus*, *quam ex habitudinali mansvetudine quodammodo credulus*, *ut et Magistros*, *qui humanis rationibus saeculari sapientia confisi nimium inhaerebant*, *abhorreret*, *et si quicquam ei Christianae Fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem praeberet.* Confer Baelii Lexicon in vocibus *Abelard* et *Bernard.*

De eodem B. Lutherus noster Tomo II. Altenburg. pag. 810. *S. Bernhardus magno vir spiritu*, *ut omnibus prope Doctoribus antiquis et novis eum anteponam: vide tamen quomodo cum Sacra Scriptura*, *quanquam spirituali sensu*, *ludat et a vero eam deflectat.* Quantam idem Bernhardus fiduciam in CHRISTI sanguine, quam nullam in propriis meritis posuerit, celebrat idem Lutherus Tom. I. Altenburg. pag. 875 celebrantque alii apud Jacobum Thomasium pag. 565. Praefationum, et ad Joannis Meelführeri dicta Biblica Historiis illustrata et Germanice edita pag. 380, 381 seq. et D. *Georgium Henricum Gatzium* in schediasmate de Lutheranismo Bernhardi, g) Dresdae 1701, 4to et in meletematibus Annaebergensibus num. XV.

Laurentii Bertrandi, Sabaudi, visitatoris Generalis Ordinis Cisterciensis, Bernhardi, Doctoris melliflui, Theologia speculativa, Astae 1675, 1676 4 duobus voluminibus. h)

Sam. Cunonis Oratorium Bernhardi Latino-Germanicum, Halae 1609.

Davidis l' Enfant, Ordinis Praedicatorum, Biblia S. Bernardi, sive expositio locorum Sacrae Scripturae e Bernardo. Paris. 1655, 4.

Gvilelmi, Monachi S. Martini Tornacensis circa Annum 1240. *Bernhardinum*, sive flores ex operibus Bernhardi, Paris. 1499,

e) Adde Reinhardi Henrici Rollii Bibliothecam nobilium Theologorum pag. 88 seqq.

f) Perpetuité de la Foy tom. IV. Tradition de l' Eglise pag. 41.

g) Journal des Savans A. 1702 May pag. 123. Memoires de Trevoux A. 1701 pag. 313 ed. Amstelod.

h) Giornale de' Letterat di Roma An. 1676 p. 85.

et Lugd. 1556 8. Vide Oudinum Tom. III. p. 203.

Ignatii Huarti Bernhardus, sive flores ex Bernhardi Operibus. Lovanii 1651, 4[to].

Nicolai Pithoei Thesaurus e monumentis Bernardi Claraevallensis. Genevae 1589, 8.[vo]

Editiones Operum S. Bernhardi hae a Mabillonio memorantur, post imperfectas valde, Moguntinam An. 1475. Rothomagensem sine Anni nota, Bruxellensem An. 1481. Parisiensem An. 1494 Brixiensem An. 1495 et Spirensem Anno 1501.

Parisiensis An. 1508 scripta melliflui Doctoris *Seraphica*, ut habet titulus, complectens curantibus Magistro *Joanne Bocardo* et *Jacobo Clichtoveo*, qui novo studio recognita dedit Lugd. 1515 saepe postea recusa in eadem urbe et typis Venetis ac Parisiensibus.

Melior editio Lugdunensis A 1520 ex recensione *Lamberti Campestris* et *Laurentii Dantisceni*, Monachorum Claraevallensium, repetita Anno 1530, 1544 etc.

Inde laudata recognitio Doctoris Sorbonici *Francisci Comestoris* Arneducci, Parisiis 1547. et ex secunda recognitione 1566.

Veneta An. 1549, 4[to], duob. Voluminibus.

Basileensis ex recensione *Antonii Marcellini*, Basileae 1552 apud Joannem Hervagium. et 1566.

Parisienses *Johannis Gillotii,* Campani, Paris. 1582 Nivelliana et Antwerp. 1576 nec non Paris. 1586 sub Symbolo Navis: cujus distinctam notitiam vide apud Possevinum.

Edmundi Tiraquelli, Monachi Cisterciensis, A. 1601.

Joannis Picardi Bellovacensis An. 1609 qui Epistolas etiam notis illustravit. Editioni Antwerp. 1620 praeter alia accessere etiam quatuor Opuscula vulgata a Gretsero, Ingolstad. 1617, 4.

Prioribus his longe anteferenda editio *Jacobi Merloni Horstii,* Pastoris Colonienis An. 1641 distincta in tomos sex, cum notis in priores quatuor, quibus genuina opera continentur. Haec plus simplici vice deinde recusa editio distincte recensetur a Labbeo pag. 190 seqq. et Oudino tom. II pag. 1235 seq.

Luculentissimam ἔκδοσιν dedere Parisienses majoribus typis Regiis excusam Paris. 1640 sex Volum. in fol.

Denique singulare studium novamque curam in expolienda et locupletanda etiam Horstii editione posuit post Claudium Cantelovium a) *Johannes Mabillonius* non destituente eum Opera Sociorum Michaëlis Germani, Theodorici Ruinarti, atque Edmundi Martene. Mabillonio certe emendatiores locupletioresque quatuor editiones Operum Bernhardi debemus, notis etiam illustratas: unam in octavo Paris. 1666 octo Voluminibus, et tres in folio An. 1666 b) 1690 c) 1719 singulas tomis duobus, quorum prior, quatuor distinctus Partibus genuina S. Bernhardi opera, posterior dubia et aliena complectitur. Hanc novissimam editionem Anni 1719 recuderunt Veronenses d) An. 1726 fol. tribus Voluminibus, ita ut genuina scripta primum et secundum expleant, additis Appendicis loco iis, quae Edmundus Martene nuper publicavit. Haec mox memorabo, cum editionem Mabillonianam postremam strictim recensuero.

VOLUMINIS PRIMI

TOMO I.

Epistolae CCCCXIX cum Appendice Epistolarum dubiarum aut spuriarum vel a NICOLAO Claraevallensi, Bernardi nomine scriptarum: quibus additae chartae, seu litterae ab ipso Bernardo de rebus civilibus confectae, tum Epistolae ad eum a diversis scriptae cum quibusdam aliis monumentis, quae ad illustrandas Bernardi Epistolas facere visa sunt, a num. CCCCXX da CCCCXLVII.

(38 *Volgarizzate dai PP. Petrina e Sianda. Roma* 1756. 4. v. 2.

a) Vide Pezii Bibliothecam Benedictino-Maurianam pag. 13.

b) Journal des Savans A. 1666, 6 Septembr. p. 203. Oudinus tom. II p. 1238.

c) Acta Eruditorum tom. I Supplementi p. 556. Oudinus tom. II pag. 1246 qui etiam notitiam promissae *Bertrandi Tisseri* editionis exhibet pag. 1241 seq. cui praecipuam curam docet fuisse aliena omnia excludandi, ne mole multi a lectione melliflui Doctoris absterrerentur.

d) Giornale de' Letterati d'Italia tom. XXXVII pag 525.

TOMO II.

De Consideratione ad Eugenium III Papam *libri V* pag. 413.

De moribus Prælatorum ad Henricum Senonensium Archiepiscopum (inter Epistolas debebat esse XLII.) pag. 467.

De Conversione, ad Clericos, p. 483.

De praecepto et dispensatione, liber ad Monachos Carnotenses, p. 505.

Apologia in Monachos Cluniacenses, *ad Guilelmum S. Theoderici Abbatem*, p. 531.

De laude novae Militiae ad Hugonem Magistrum Militiae Christi, et alios Milites Templi, pag. 549.

De gradibus Humilitatis et Superbiae, pag. 565.

De diligendo DEO, ad Haymericum Cardinalem et Cancellarium, pag. 590 scriptum lectu dignum imprimis, et a Berengario Abaelardi discipulo temere sugillatum.

De gratia et libero arbitrio ad Guilelmum Abbatem S. Theoderici, pag. 609.

De Baptismo aliisque quaestionibus ad Hugonem de S. Victore, pag. 631 debebat esse inter Epistolas LXXVII.

XIV. Capitula Theologiae, immo Stultologiae Petri Abaelardi, pag. 646.

Contra errores Abaelardi ad Innocentium II Pontificem pag. 650. Inter Epistolas debebat esse CXC.

De vita et rebus gestis S. Malachiae, *Hiberniae Episcopi*, qui obiit Anno 1148 Novembris 2 ad Conganum Abbatem, p. 663. cum Bulla Canonizationis a Clemente III A. 1190 pag. 697, (Duo Sermones in eundem Malachiam infra pag. 1048 seq.)

Antiphonarium, sive de ratione cantus Cisterciensis Ordinis. pag. 699.

TOMO III.

Sermones de Tempore. In Adventu DOMINI, Sermones VII pag. 724. De laudibus Virginis Matris, super verba: *Missus est Angelus Gabriel*, Sermones IV pag. 739. In Vigilia Nativitatis DOMINI, Sermones VI. pag. 762. In Nativitate DOMINI, V pag. 783. Sermo in Nativitate SS. Innocentium p. 794. In Circumcisione Domini III. pag. 765 In Epiphania Domini III pag. 802. In Octavis Epiphaniae pag. 10. Dominica prima post octavam Epiphaniae, Sermones II pag. 812. In capite jejunii et Quadragesima VII pag. 821. In Psalmum XC. *Qui habitat*, Sermones XVII in Quadragesima habiti pag. 834. Dominica Palmarum III pag. 885. Feria quarta hebdomadae sanctae pag. 891. In Coena Domini pag. 897. De die sancto Paschae III pag. 899. In octava Paschae II p. 912. In Rogationibus * pag. 912. In Ascensione Domini V. p. 917. In Festo Pentecostes III pag. 934. Dominica IV post Pentecosten p. 942. Dominica sexta, III p. 942. Dominica I Novembr. Sermones V p. 950.

Sermones de Sanctis. In Conversione S. Pauli, Sermones II pag. 961. In Purificatio- B. Mariae, III pag. 965. In natali *S. Victoris* Confessoris 26 Februar. (ejusdem cujus Officium infra p. 1263) Sermones II p. 969. In natali *S. Benedicti* Abbatis 21 Mart. pag. 973. In Festo Dominicae Annunciationis, sive Annunciationis B. Mariae Virginis, III pag. 977. In nativitate S. Johannis Baptistae pag. 989. In Vigilia SS. Petri et Pauli Apostolorum pag. 993. In Festo SS. Petri et Pauli, III pag. 994. In assumtione B. Virginis Mariae, 15 August. Sermones * IV pag. 1001. Dominica infra Octavam Assumtionis pag. 1012. In Nativitate B. Mariae p. 1018. In Festo S. Michaëlis II pag. 1025. In Festo omnium Sanctorum V pag. 1029. In transitu *S. Malachiae*, (de quo Bernhardus supra pag. 663.) Episcopi Hiberniae, 2 Novembr. Sermones II pag. 1048. In Festo S. *Martini*, 11 Novembris, pag. 1054. De S. *Clemente*, Papa et Martyre, 23 Novembr. pag. 1061. In Vigilia S. Andreae Apostoli, 29 Novembris, pag. 1063. In Festo S. Andreae, II pag. 1065. In obitu Domini *Cumberti*, Monachi Claraevallensis A. 1148 pag. 1072. In Dedicatione Ecclesiae, VI p. 1076.

Sermones de diversis CXXV. p. 1089.

Sententiae XLIII. p. 144.

Parabolae V. Bernardo adscriptae. p. 1251.

Confessionis privatae formula, Oratio poenitentis ad Christum. p. 1262.

Officium de S. Victore (de quo supra p. 969 et Epist. 398) rogatu *Guidonis* Abbatis Arremarensis compositum p. 1263.

* De Rogationibus supra p. 51.

* Quintum vid · inter dub a t. II p. 694.

TOMO IV.

In Cantica Canticorum, Sermones LXXXVI qui in primis verbis capitis tertii desinunt. pag. 1273.

Flores, seu sententiae ex S. Bernhardi Operibus excerptae. pag. 1571.

Nomenclator vocum exoticarum p. 1576.

Chronologia Bernhardina ab Anno CHristi 1091 ad 1153.

Censura STEPHANI Abbatis Novi Monasterii Cisterciensis, de aliquot locis in Codice Latino Bibliorum additis, p. XII.

Horstii et Mabillonii in Opera S. Bernhardi notae fusiores p. XIII–CXX.

VOLUMINIS SECUNDI

TOMO V.

GILLEBERTI *de Hoilandia*, Abbatis Cisterciensis, Sermones XLVIII in reliqua Cantici Canticorum ab initio capitis tertii, ubi Bernardus morte praeventus desiit p. 1. Ejusdem Tractatus VII ascetici pag. 165. Sermo de semine Verbi DEI pag. 190 et Epistolae IV pag. 190.

GUIGONIS, Prioris quinti Majoris Carthusiae, ad Haimonem Priorem et caeteros Fratres de Monte Dei, *de vita religiosa* libri III pag. 203.

GUILELMI, Abbatis S. Theodorici prope Remos, postea Monachi Signiacensis, *de contemplando DEO*, pag. 246. qui in quibusdam MStis, *liber soliloquiorum S. Bernardi* inscribitur.

Ejusdem Guilelmi, *de natura et dignitate amoris*, pag. 256.

ANONYMI *de triplici statu amoris*, ex S. Bernardi sermonibus in duo Capita priora Cantici Canticorum, pag. 276.

GAUFRIDI, Abbatis, *de Colloquio Simonis cum JESU*, Matth. XIX 27. Sententiae LX ex Bernardi sermonibus collectae pag. 297 ad Henricum Cardinalem.

GUIGONIS, Carthusiensis, ad fratrem Gervasium *Scala claustrialium* sive *de vita contemplativa*, vel *de modo orandi*, pag. 325.

Meditationes *de cognitione humanae cognitionis*, sive *de interiori homine*, ex Bernhardo et aliis collectae, pag. 332 quales leguntur in HUGONIS VICTORINI libro quarto de anima.

De interiori domo, seu *de Conscientia aedificanda*. p. 349 sive ejusd. Hugonis liber de anima tertius.

De Conscientia ad Religiosum quendam Ordinis Cisterc. pag. 381.

De ordine vitae et morum institutione liber p. 586 ex S. Ambrosii et aliorum sententiis contextus.

De Charitate ex Richardo Victorino, Petro Blaesensi et Bernardo. pag. 402. Editus pridem a Gretsero A. 1617.

Vitis Mystica sive *de Passione DOMINI*, super Joh. XV 1. *Ego sum Vitis vera*. pag. 441. Sermonem suum *de Parvis* memorat Auctor p. 462.

Meditatio in Passionem et Resurrectionem DOMINI, p. 514.

Lamentatio in Passionem CRISTI, p. 534 quam Gretserus An. 1617 vulgaverat.

Instructio Sacerdotis, seu *Gemma Crucifixi*, *de tribus praecipuis Mysteriis* * *nostrae Religionis*. pag. 537.

De statu Virtutum. p. 550.

Expositio in Orationem Dominicam p. 564.

Sermones: 1) ÆLREDI Abbatis Rievallensis; in Adventu DOMINI, *de XI oneribus Jesaiae*, pag. 568. 2) NICOLAI Claraevallensis, in Nativitate Domini, Sermones III pag. 574. Ejusd. in Festo B. Stephani, p. 587. 3) ÆLREDI de JEsu puero duodecenni, in octava Epiphaniae. pag. 590. 4) *S. Bernhardi* in Dominica Palmarum. pag. 603 5) B. OGERII Abbatis Lucedii, Ordinis Cisterciensis in dioecesi Vercellensi, Sermones XV de Sermone Domini in ultima Coena ad Discipulos habito p. 610. 6) ANONYMI in Coena DOMINI. pag. 659. 7) *Stimulos Amoris*, sive Sermo de Vita et Passione Domini, qui S. ANSELMO ab aliis tribuitur. p. 662. 8) De Discipulis euntibus in Emaus. pag. 670. 9) De excellentia sanctissimi Sacramenti, et dignitate Sacerdotum. p. 681. 9) In Nativitate S. Baptistae, de decem ejus Privilegiis, pag. 689. PETRO DAMIANO tributus ab aliis, ab aliis NICOLAO Claraevallensi. 10) In Assumptione B. Virginis, p. 694. 11) EKKEBERTI Abbatis Schonaugien-

* Haec scriptori illi sunt; Quod Filius DEI dedit se nobis moriens pro nobis. Quod dat se nobis in Eucharistia. Quod dat se nobis in aeterna Vita.

sis ad B. Virginem Deiparam Sermo Panegyricus pag. 700. 12) Sermo de B. Virgine pag. 704. 12) BERNARDI *Cluniacensis* in parabolam de villico iniquitatis. pag. 608. 13) GUIBERTI Abbatis de Novigento in Sap. VII, 30. *Sapientia vincit malum.* pag. 714. 14) ANONYMI in parabolam de decem Virginibus pag. 722. 14) NICOLAI Claraevallensis in festo S. Andreae pag. 726. 15) Ejusdem in festo *S. Nicolai* Myrensis Episcopi 16 Decembris pag. 730. 16) Ejusdem in festo B. Mariae Magdalenae 22 Jul. pag. 734. 17) BERNARDI Archiepiscopi Tolentini, *Salve Regina*, pag. 738 cum meditatione in eundem hymnum ex S. BONAVENTURÆ stimulo amoris Parte III cap. 19 pag. 749. 18) Ad Clerum in *Concilio* REMENSI Anno 1148 * congregatum pag. 752 ad Pastores in illa Synodo pag. 756 et ad Praelatos pag. 762. Videndum an auctor sit GISLEBERTUS Abbas Cisterciensis, ad quem scripsit Alexander III. 19) De fugienda Cordis et Corporis immunditia pag. 766 ex centonibus Patrum, praesertim GUERRICI Abbatis Igniacensis. 20) De Miseria humana pag. 773. 21) De septem donis Spiritus Sancti pag. 775. 22) De duodecim portis Jerusalem pag. 777.

23) *S. Bernardi* in Canticum B. Virginis Mariae pag. 780. 24) In Matth. XIX 27. *Ecce nos reliquimus omnia.* pag. 785. 25) In Matthaei XIII 45 p. 787.

26) In Michae VI 8 p. 788. 27) Liber Sententiarum CLXXXVI, p. 788. 28) Disputatio Justi cum DEO. pag. 803. 29) Soliloquium pag. 804 pridem editum a Gretsero Anno 1617. 30) Formula honestae Vitae p. 811 ubi p. 813 in Monito de Consideratione mortis lege *nunc in tergum*: et in brevibus monitis: *quos imitari non renuis.* et deinde: *Sermo aut serius aut nullus.* 31) Instructio quomodo homo possit in bono perficere, et placere DEO. p. 813. 32) Brevia Documenta pie seu religiose vivendi. pag. 814. 33) ARNULFI Monachi de Boëriis Monasterii Ordinis Cisterciensis in dioecesi Laudunensi fundati An 1141 Speculum Monachorum pag. 816 alia documenta viae religiosae p. 817. Octo puncta perfectionis assequendae pag. 820. 34) ANONYMI Epistola de regimine cordis, oris, operis, p. 823. 35) DAVIDIS de Augusta, Ordinis Minorum, formula Novitiorum ad *Bertholdum*, in verba: *ad quid venisti?* 36) Liber de modo bene vivendi ad Sororem pag. 833. Capita LXXIII. 37) Carmina et hymni S. Bernhardo tributi, Carmen paraeneticum ad *Raynaldum* pag. 908 quod edidit Petrus Possinus Soc. Jes. Rom. 1663. Rhythmus de contemtu Mundi pag. 913 in quo et ille: *Cur Mundus militat sub vana gloria*, de quo supra pag. 555. Jubilus rhythmicus de Nomine JESU. pag. 914 ad pedes, ad genua, ad manus, ad latus, ad pectus, ad cor, ad faciem. pag. 917. Oratio ad DOMINUM JESUM, et B. Mariam Matrem Ejus. pag. 920. Prosa de Nativitate Domini. pag. 921.

TOMO VI.

GVERRICI Abbatis Igniacensis, qui S. Bernhardi discipulus fuit, Sermones per Annum p. 928, inter quos etiam p. 988 Sermones V in festo *S. Benedicti* et pag. 1023. Sermo in diebus Rogationum pag. 1047 in Assumtione B. Mariae, Sermones IV in ejus nativitate pag. 1056 Sermones II et p. 1060. Sermo in Solemnitate omnium Sanctorum.

GVIGONIS majoris Carthusiae Prioris quinti, Epistolae 1) ad Haymericum Cardinalem, 2) ad Hugonem S. Militiae Priorem, 3) ad Innocentium II. Papam scripta An. 1131 et 4) ad Lazarum Priorem et fratres Durbonenses, qua testatur *S. Hieronymi* Epistolas se collegisse et emendasse, abscidisseque indignas tanto Doctore, quas etiam enumerat.

Ex *Petri Francisci Chifletii* Diatriba de illustri genere S. Bernhardi, Divione edita A. 1660 pag. 1074.

De Vita S. Bernhardi, libris septem: I. Auctore GUILELMO S. Theodorici pag. 1076 II. ERNALDO, sive ARNOLDO Bonae Vallis Abbate in agro Carnotensi pag. 1106 III IV V. GAUFRIDO Monaco Clarevallis et S. Bernhardi notario, postea Abbate, pag. 1130 VI. PHILIPPI de Clara valle liber miraculorum S. Bernhardi, cum praemissa narratione HERBERTI Abbatis Coenobii Morensis

* Vide Pagium ad A. 1147 n. 14 et A. 1148 num. 5 seq.

de libri illius conservatione. pag. 1180. VII ex libro cui titulus: *Exordium magnum Cisterciense*, distinctione secunda pag. 1211.

Fragmenta ex HERBERTI libris de Miraculis Cisterciensium Monachorum. pag. 1240.

ALANI Episcopi Autissiodorensis de Vita S. Bernhardi pag. 1252 et Epitaphium auctore ADAMO de S. Victore pag. 1291 Fragmenta ex Vita scripta a GAUFRIDO Monacho Clarevallensi pag. 1292. JOHANNIS Eremitae de Vita S. Bernhardi libri II ad Petrum Tusculanum Episcopum. pag. 1294. PHILOTHEI Monachi Carmen elegiacum Encomiasticum pag. 1310. NICOLAI HACQUEVILLE, Senatus Parisiensis Praesidis, de laudibus S. Bernhardi et situ Clarae Vallis pag. 1322.

BAPTISTÆ MANTUANI ex libro octavo Fastorum pag. 1523. Ibidem mentio Carminis, quod in laudem Clarae Vallis ad Bernhardum scripsit ANSELMUS hoc initio: *Vallis devexa, quam mons devexus opacat.* Deinde sequitur prosario sermone ANONYMI descriptio positionis sive situs Monasterii Clarae Vallis pag. 1323. Hinc sermo GAUFRIDI An. 1163 habitus in anniversario obitus S. Bernhardi pag. 1326 Ejusdem Epistola ad Albinum Cardinalem et Episcopum Albanensem de condemnatione *Gilberti Porretani* pag. 1336 et libellus contra quatuor capitula ejusdem Gilberti, Pictaviensis Episcopi pag. 1352. S. Bernhardi Symbolum Fidei, erroribus Gilberti oppositum pag. 1356. Ejusdem Gaufridi Epistola ad Josbertum, in qua Notae ad Orationem Dominicam pag. 1356 De Bernhardo Anno 1174 Sanctis adscripto, Epistolae TORMUNDI Claraevallensis p. 1359. ALEXANDRI III, pag. 1360 et HENRICI Abbatis Claraevallensis pag. 1363.

De S. Bernhardo testimonia Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Regum, Principumque, Abbatum et Generalium: Doctorum Theologorum, Religiosorum ex diversis Ordinibus, JCtorum et Oratorum, Illustrium Foeminarum et Heterodoxorum pag. 1364 cum Horstii paraenesi ad Sectarios. pag. 1376 et 1377.

Hactenus editio Operum S. Bernhardi novissima Parisiensis.

Ab eo tempore Viri laudatissimi Edmundus Martene et Ursinus Durand tom. I monumentorum Veterum vulgaverunt *Epistolas XXXV*, pag. 726 seq. et in Epistolas prius editas observata quaedam ex MSS. pag. 744 et *hymnum* S. Bernhardi *de S. Malachia* Episcopo Hiberno et Confessore. pag. 746.

Narratio Miraculorum S. Bernhardi, t. I. Anecdotorum ejusdem Martenii. pag. 399.

Plures ejus Sermones recensuit Franciscus Combefisius in Bibliotheca Concionatoria. Latini Latinii paucae quaedam in Bernhardi scripta Observationes leguntur in Bibliotheca ipsius sacro-profana postuma. pag. 187 seq.

Matthaei Andeberti flores Operum D. Bernhardi libris XI video subjectos prioribus quibusdam hujus Scriptoris editionibus, ut Antwerpiensi A. 1575 fol.

De *Musica* Bernardi, quam edidit Jac. Hommey, dictum infra in BERNONE. Musicae subjunxit *expositionum Moralium* Partes duas pag. 69 et *de corpore Domini* pag. 147 et *Carmen* Leoninum *de laudibus S. Virginis* pag. 163 quae habes etiam in editionibus postremis Mabillonianis.

Libri V de Consideratione scripti ad Eugenium III valde probari feruntur Pio V Gregorio XIII Urbano VII et Clementi VIII ac novissime Clementi XI. cui etiam dedicati a Benedictinis in nova editione * Romana 1700 8. Italica Rinaldi Retini versio lucem vidit Venetiis 1606 4.

Plerique Sermones cum Opusculis in *Gallicum* Sermonem translati A. 1575 per Hubertum Lescotum, Canonicum Regularem. Epistolae etiam additae in versione Philippi Belli, Doctoris Paris. 1622. et in nova Gabrielis a S. Malachia, Fuliensis. Novissimae versiones duae Epistolarum S. Bernhardi Gallicae prodiere altera cum notis auctore D. de Roy, a) Parisiis 1702 8. duobus Voluminibus, altera Villeforio b) interprete.

* Journal des Savans A. 1701 pag. 380.

a) Memoires de Trevoux An. 1703 Juillet, p. 71. Journal des Savas A. 1702 Juillet, pag. 54.

b) Memoires de Trevoux An. 1718 Aout, p. 208.

ibidem 1715 8.vo itidem duobus Voluminibus.

Italicam versionem Epistolarum ab erudito Florentino compositam laudant Julius Niger pag. 540 et eruditi Academici Cruscantium sive Furfurariorum in suo Dictionario. Sermones A. 1420 a) versi Italice a Johanne de Tussignano, Episcopo Ferrariensi, lucem viderunt Venetiis 1558 8. Alia versio sine nomine interpretis Florent. 1495 4.

(37 *Volgarizzate dai PP. Petrina e Sianda. Roma* 1756. *in* 4. v. 2.

Jubilum Bernhardi de dulcissimo JESU nomine, et alios quosdam ejus hymnos cum *Germanica* metaphrasi separatim vulgavit Josephus Wilhelmus, Hamb. 1633 4.

Petrus Franciscus Chiffletius Soc. Jes. cum Dissertat. sua de genere illustri S. Bernhardi quam memoravi supra pag. 219 et a Mabillonio excerptam notavi pag. 616 haec vetera monumenta edidit Divione 1660 4.to b) *Odonis* iter a *Ludovico VII* Galliae Rege susceptum in Orientem. Anonymi *Chronicon Claraevallense* ab Anno 1147 ad 1192. Illustrium aliquot Virorum *Epitaphia*. *Johannis Eremitae* de vita *S. Bernhardi* libros duos. *Vitam Petri* Prioris in Monasterio puellarum Juliacensi, et *Herberti* Episcopi in Sardinia, libros III de miraculis Ordinis Cisterciensis et Congregationis Claraevallis.

* *S. Bernardus Burgundus.* Quamquam nolo hic dogmatici Theologi partes agere; est enim locus alienus; ut paria tamen Fabricio referam admonendos judico lectores bonorum operum necessitatem ex S. Bernardo, sicut et ex aliis catholicis scriptoribus eius aetatis defendi posse, quamquam inter assertores contrarii dogmatis Bernardum accensere laborant Lutherani plures apud Fabricium hic pag. 206. Lege Sermonem eius II. in Cantica oper. T. II. 723. edit. Mabillon. Venetiis, ubi illud. *Nec sine fide opus bonum*; *sed et fides sine operibus mortua est, sicut inutiliter flos* (nempe fides ut superius explicat) *apparet* ubi non sequitur fructus; id est *bonum opus.* Vide Mabillonii notas ad serm. LXVII in Cant. Bellarminum de Justif. Lib. IV cap. XXI et lib. V. cap. VII. Denique legendus Serm. LXVIII ubi illud in primis nostro dogmati asserendo validissimum: *Sufficit ad meritum scire quod non sufficiant merita. Sed ut ad meritum satis est de meritis non praesumere; sic carere meritis satis ad judicium est. Porro infantium renatorum nemine carere meritis*; *sed Christi habere merita. Quibus se tandem indignos reddunt, si sua jungere non nequiverint, sed neglexerint; quod quidem periculum jam adultae aetatis est.*

Antequam manum meam a S. Bernardo retraham, annotasse juvat esse apud me Sermonum eius in Cantica codicem egregium saeculo saltem XIII non recentiorem, membranaceum, in quo sermo XXIV bis repraesentatur. Primo quidem reiecto exordio incipit ab illo: *Recti diligunt te;* tum continuo succedit alter sermo cum exordio, ut est in editis. Huius repetitionis causam reddit Mabillonius in nota ad illum Sermonem; asseritque se duplicationem istam Sermonis alterius post alterum in uno tantum regio codice reperisse.

BERNARDUS de *Claromonte*, aliis de Alvernia, vel de Gannato, Ordinis Praedicator. circa Annum 1292 scripsit *Quodlibeta* pro Thoma Aquinate adversus *Henricum* Gandavensem, adversus *Godfridum* de Fontibus, Magistrum Parisiensem, et adversus *Jacobum* de Viterbio Augustinianum, Archiepiscopum Neapolitanum. Et *Lecturam super Libros Sententiarum.* Vide Jacobum Echardum tomo I, pag. 493 et 384 b. ubi etiam de ejus *Sermonibus*, sub nomine Bernhardi *Jacobitae*, et Bernhardi *Praedicatoris.*

BERNARDUS, Monachus *Cluniacensis*, scripsit ad *Hugonem*, Abbatem Cluniacensem, qui Anno 1109 obiit, *Consuetudines Cluniacensis Monasterii*, quas laudat Henricus Gandavensis cap. 2. Has MStas in Bibliotheca Sangermannensi Cangius evolvit. *Epistolam ad Hugonem* Consuetudinibus praemissam edidit Andreas du Chesne notis ad Bibliothecam Cluniacensem pag. 23. Alia infra, *Bernardus Morlanensis.*

a) Scipionis Maffei, Traduttori Italiani pag. 38.

b) *Unschuldige Nachrichten von Ulten und Neuen Theologischen Cachen,* Anno 1726 pag. 240.

BERNARDUS, Comes Bigorrae Vide Labbei Bibliothecae novae MSS. tomum II, pag. 748.

BERNARDUS de Montemirato Presbyter *Compostellanus*, Juris Canonici peritia celebris et apud Innocentium IV gratiosus, circa Annum 1250 de cujus Lecturis, sive Commentariis et Casibus in libros Decretalium et Constitutiones quasdam extravagantes, vide Oudinum tom. III, pag. 246 et Edmundi Martene Anecdota tom. IV, pag. 932.

* In MS. cod. Biblioth. Abbatiae Faesulanae Canonic. Regul. servari lego *Bernardi glossam super Decretales*, tum et in altero eiusd. Biblioth. *Bernardi casus supra Decretales.* Quae duo diversa opera esse videntur, nec uspiam legi ab alio ita distingui. Vide Pallavicinum in Summa eiusd. Bibliothecae edita Florentiae an. 1752.

BERNARDUS, *Compostellanus* Thesaurarius, qui Anno 1129 collegit *Diplomata summorum Pontificum et antiquorum Hispaniae Regum Ecclesiae Compostellanae concessa*, ex quibus nonnulla vulgavit Ambrosius Morales, ut Diploma Regis Veremundi II. Vide Hispaniam illustratam Tomo IV pag. 353 et Oudinum Tom. III pag. 245.

BERNARDUS *Corbejensis* Trithemio cap. 348, et illustr. Benedictin. II cap. 111 vide infra, *Bernardus Saxo.*

BERNARDUS, sive BERNARDINUS CORIUS Mediolanensis, qui An. 1499 defunctus, reliquit *Chronica rerum Mediolanensium*, et *Vitas Caesarum* ad Henricum VII.

* Multa hic ex non puris fontibus hausta repurganda sunt. Corius scriptor est Italicus, non Latinus, sive enim Mediolanensem historiam, sive Caesarum vitas Italice digessit. Illa primum prodiit an. 1503. quae sane editio obvia est rarissime. In calce operis edita sunt Caesarum vitae, quae ad usque Henricum VI. Friderici Aenobarbi filium perducuntur. Obiit an. 1500. Vide Ephem. Eruditor. Italiae t. XXIII. 390. (38 Immo vero an. 1519. *Zeno Voss.* II. 285.)

BERNARDUS Noricus Coenobita *Cremifanensis,* Ordinis S. Benedicti, scripsit *Chronicon Laureacensium et Passaviensium Episcoporum* usque ad Annum 1320 editum ab Hieronymo Pezio Tom. I. Scriptorum Austriacorum pag. 1296 nec non aliud *Chronicon Austriacum* desinens in A. 1308 id. pag. 686.

BERNARDUS *Dapifer*, Monachus Mellicensis in Austria circa Annum 1362 scripsit *Vitam B. Gothalmi* Mellicensis, qui Saeculo XI vixit, editam a Lambecio Tom. II pag. 618 seq. et in Actis Sanctorum 26. Julii pag. 339 et in laudati Pezii Tomo primo Scriptorum Austriacorum.

BERNARDUS *Dorna*, JCtus, Azonis discipulus circa Annum 1240 scripsit *de libellorum conceptionibus*, teste Trithemio cap. 438.

BERNARDUS, Scriptor *Floreti*, sive Carminis Moralis versibus Leoninis, quod Bernardo Claraevallensi praeter rem tributum prodiit post editiones Lugd. 1494, 4 Colon. 1501, 4 apud Henricum Qventell, cum glossis inter auctores octo morales, Colon. 1520, 4 Incipit:

Nomine Floretus liber incipit ad bona coeptus.
Semper erit tutus huius monumenta secutus.

Hic Floretus, *Summa Theologiae* S. Bernhardi, quam *Johannes Gerson* commentario illustravit, vide tomum XXI continuationis Historiae Eccles. Fleurianae, et Ephemerides Eruditorum. Paris. An. 1726 Novembr. pag 418. Auctorem e Bernardo excerpsisse flores eosque versibus complexum, et inde nomen habere *Floreti*, Vossius suspicatur pag. 73 de Poëtis Latinis.

BERNARDI *Floriacensis*, quem saeculo undecimo ajunt vixisse, Leoninum *de excidio Trojae* Carmen Goldastus primum inter Ovidio praeter rem adscripta edidit: postea tanquam ineditum Barthius XXXI, 7. Adversariorum sine nomine auctoris.

BERNARDUS, *Fontis calidi* Abbas, Ordinis Praemonstr. qui Sec. XII contra Waldenses scripsit, testatus eos a Lucio Pontifice, et a BERNARDO Archiepiscopo Narbonensi condemnatos. Edidit cum Ebrardo et Ermengardo Jacobus Gretserus Ingolst. 1614, 4 unde recusus tom. XXIV. Bibl. Patrum edit. Lugd. p. 1585.

BERNARDUS *e Franchoven*, sive, ut Trithemio et Eysengrenio REINHARDUS de *Fronthoven*, Ordinis Praedicatorum, Scri-

ptor *Sermonum* de tempore et de Santis circa Annum 1410 (non 1292 vide Echardum tom I p. 752.)

BERNARDUS, Abbas *frigidi Fontis*, Ordinis Cisterciensis, cujus Epistola An. 1253 data in Edmundi Martene Anecdotis tomo I pag. 1849. Sed infinitum sit Epistolas ejusmodi singulas notare, quales sunt apud eundem Marteneum BERNARDI Episcopi *Albiensis* An. 1254 qua Bituricensi se Archiep. subesse profitetur p. 1057. BERNARDI Episcopi *Biterrensis* circa Annum 1272 p. 573. BERNARDI *Abbatis gratiae Dei*, Ordinis Praemonstratens. An. 1269 p. 1128. BERNARDI Abbatis *Silvae majoris* dioecesis Burdegal. Anno 1261 pag. 1113. Sic in tomo primo Monumentorum Veterum obviae Epistolae BERNARDI Episcopi *Arelatensis* A. 1133 pag. 718. *Lutherensis* An. 1095 p. 552. *Paderbornensis* An. 1153 p. 823 multorumque aliorum. Sed Paderbornensis Bernardi aliae etiam exhibentur tom. II pag. 265, 325, 364, 431, 594 et BERNHARDI Hildesheimensis tom. II pag. 233, 300, 301. BERNHARDI Cardinalis ad Guarinum Abbatem S. Victoris tom. VI pag. 261 etc.

BERNARDUS Abbas *S. Galli* circa Annum CHristi 883 cujus *Memoriale*, sive duodecim monita fratri Monacho data, in Canisii Lectionibus antiquis tom. V Parte II pag. 728 et tom. II edit. novae Basnagianae Parte III pag. 225.

BERNARDUS, qui *Geystensem* se libro secundo extremo a) appellat, etiam *Palponista* b) interdum appellatur, hic enim titulus *duorum librorum de vita privata et aulica*, quos versibus Leoninis scripsit, et quibus aularum pestes adulatores, miseriasque Principum et Curialium depinxit non frivola esse hujusmodi scripta videantur Nicolao Heinsio c) ejusque similibus, nitori Augusteorum temporum adsuetis. Libri prioris hoc est initium:

> Rare sub urbano, sub vere, sub aëre sano,
> Si volo, sub divo, vel si volo, sub lare privo,
> Vivo private, me judice vivo, beate,
> Namque mihi vivo, totus meus, immo revivo
> Postque tuum fletum, vaga Curia, me gero
> laetum *etc.*

Quis genus, unde domo fuerit, juxta cum ignarissimis compertum se habere fatetur Christianus Daumius: Reinesius vero Epistolis ad Daumium pag. 294. Germanum est suspicatus, quod lib. II vers. 117 scribit:

> Westfalus et Saxo vilipendunt damna minuta,
> Perdita majora repetunt, sunt vilia tuta.

Francisco etiam Assisiate et Dominico Calagurritano, novorum Ordinum auctoribus, quos *griseos, albos* et *opacos Monachos* lib. I v. 429 appellat, juniorem et ad Sec. XIII referendum esse, jam eidem Reinesio observatum, a quo MS. Codicem acceptum vulgavit laudatus Daumius, primum se edere ratus Cygneae 1660, 8. Idem praeter eruditas notas addidit WALONIS Britanni in Monachos Satyram d) pag. 39 et Epicedium Guilelmi Flandri, e) An. 1128 in obsidione Alosti contra Theodoricum Alsaticum peremti. Sed Geystensem jam vulgaverant Colonienses An. 1501, 4 cum glossis, typis Henrici Quentelii. Eam ipsam postea editionem nactus Daumius vidit posse in sua quaedam ex illa emendari. Versus ex hoc Scriptore afferuntur a Florilego in floribus Poëtarum, qui Saeculo XIII vel sub XIV initia scripsit: nonnulli etiam observante Daumio, qui in editis desiderantur, ut lib. 2 cap. 22 istum:

> Nam servus nequam, nunquam rem diligit aequam.

et lib. 3 cap. 6 hosce:

> Vix vivunt aliqui, quicunque vocantur amici,
> Qui possint vere firmum sibi foedus habere.

Verum illi leguntur in *Carmine* hactenus Incerti *de Sagaci Nuncio*, v. 222 et 223

a) Ergo vide, quid honor, quid inanis gloria prosit,
Quam magnum sit onus, quam magna superstitio sit,
Sed dextrae pausare meae libet; Ergo valete,
Bernardique stylo Geystensis quaeso favete.

b) Libro I versu 158 *Plus Palponista placet altercante Sophista*, ubi glossator *Palponistam* exponit *aliquem trufatorem*. Est autem *trufator* inventor technarum, sive deceptor, a Gallico *trouver*, quod invenire denotat. *Palponista* idem, quod *Palpator* Plauto, Persio et aliis *Palpo* sive qui palpum novit obtrudere. Vide Daumii notas pag. 55.

c) In Epistola ad Graevium tom. IV sylloges Burmannianae pag. 406.

d) Hanc vulgaverat Flacius inter poëmata de corrupto Ecclesiae statu, Basileae 1557, 8vo, p. 489.

e) Ex Henrico Huntingtonensi lib. 7 Hist.

cujus Auctor vel sic proditur esse noster Bernardus. Caeterum *Bernardi* nomen olim et *Bernaredus*, sive *Berneredus* scribebatur, uti *Medaredus*, et *Medardus*, *Gildaredus* et *Gildardus*, etc. Quod docuit Sirmondus ad Petri Cellensis Epist. I lib. 9. Haec Daumius in notis pag. 44. Nec omittendum, quod Palponista post Daumium iterum lucem vidit in auctario ad Flacii Catalogum testium Veritatis.

BERNARDUS *de Gordonio*, Medicus Montispellanus defunctus circa Annum 1305 cujus *Lilium Medicinae* MS. memorat Sanderus in Bibliotheca Belgica tom. II, p. 89. Idem saepius typis excriptum exstat, ut post primam editionem Venetam Anni 1494 fol. etiam Parisiis et Lugduni. Vide Lindenium, Mercklinum, Mangetum. Quae ejusdem Bernhardi feruntur, *de urinis*, *de febribus*, *de sterilitate*, *regimen*, et *de conservatione Vitae humanae*, ex eodem Lilio repetita sunt.

BERNARDUS *Gvidonis*, supra, *Bernardus de Castro Vinc.*

BERNARDUS *Hildesheimensis* ab A. 1130 ad 1153 Episcopus, teste Possevino Synodales Constitutiones ex Jure et Patrum scriptis, ac Decretis collegit, Cleroque proposuit. Fuit et Bernhardus II Episcopus Hildesheimensis ab A. 1452 ad 1459.

BERNARDUS *Justinianus*. Infra, JUSTINIANUS.

BERNARDUS *Lombardus* Grammaticus, cujus Tractatum super majorem editionem Donati, et alium de dubio accentu memorat Sanderus in Bibliotheca Belgica MS. p. 203 ibidem etiam nescio cujus M. BERNARDINI librum de dictaminibus, Exornationum Rhetoricarum exceptiones et librum exordiorum.

BERNARDUS *Monachus*, Scriptor Itinerarii. infra, *Bernardus Sapiens*.

BERNARDUS *Monachus*, qui circa Annum 1124 scripsit *de disciplina Musicae artis*, idem videtur, de quo infra, BERNO. Sed alius BERNARDUS Musicus circa Annum 1480. de quo haec Sabellicus Enneadis novae libro 8. *Musicae artis virum omnium, qui unquam fuerunt, sine controversia praestantissimum plures annos Venetiae habuerunt BERNARDUM cognomento Teutonem, argumento gentis, in qua ortus esset: omnia Musicae artis instrumenta scientissime tractavit: primus in Organis auxit numeros, ut et pedes quoque juvarent concentum, funicolorum attractu: mira in eo artis eruditio, voxque ad omnes numeros accomodata, Numinis providentia ad id natus, ut unus esset, in quo ars pulcherrima omnes vires experiretur suas.*

BERNARDUS *a Montesa*, Bilbilitanus, Carmelita circa Annum 1460 qui scripsit in Johannem Hierosolymitanum de institutione Monachorum, Thomam Aquinatem de IV Virtutibus Cardinalibus, et in Johannem Ribottum de peculiaribus gestis Carmelitarum.

BERNARDUS *Morlanensis*, Pitseo pag. 205 Anglus, aliis rectius fortasse Gallus ex Morlaco *Morlacensis* Aremoricus, sive ut in MSS. *Morvalensis* (a patria *Valle Morienne*) Monachus Cluniacensis circa Annum 1130 cujus *libros tres de contemtu Mundi*, * carmine dactylico Leonino scriptos, dignosque lectu primus vulgavit Matthias Flacius inter poëmata de corrupto Ecclesiae statu, Basileae 1557, 8 pag. 247 et quidem integriores emendatioresque, * quam deinde Nathan Chytraeus, qui primus putavit eos se vulgare, Bremae 1597 8.vo Denique meliorem editionem debemus Eilhardo Lubino, Rostochii 1610 8. repetitam Rintelli 1626 8 et Luneburgi 1640 12. qui illis etiam praemisit ejusdem Bernhardi *librum de vanitate Mundi et appetitu aeternae Vitae*, versibus hexametris similiter Leoninis, hunc in modum:

Sed quid lucratur credens, qui non operatur?
Hic male se laedit. Male vivens non bene credit.
At cum mutatur mala mens, DEUS hoc operatur.
Virtutum munus praestare potest DEUS unus.
Sed quamvis gratis tribuat DEUS ista beatis.
Nemo tamen segnis vitae fert dona perennis,
Ni melior factus proprios correxerit actus.

At enim priorum trium librorum longe difficilius genus carminis triplicibus semper homoeoteleutis syllabarum bis repetitis procedit, ut in his versibus:

* Diversum plane carmen hoc, titulo *Anselmi* Cantuariensis, de quo supra pag. 106.

* Ex Elmstadiensi MS. loca quaedam emendat Leyserus pag. 415 seq. Histor. Poëtarum medii aevi:

Crimina crescere, flete, tepescere jus, decus, aequum,
Flete, gemiscite, denique dicite, dicite mecum:
Qui regis omnia, pelle tot impia, surge, perimus
Nos DEUS adspice, ne sine simplice lumine simus.
Respice, respice nos Patris unice, Virgine nate,
Da mala plangere, da bona sumere, da Tua, da TE.
Aurea tempora, primaque robora redde, rogamus:
Nos modo dirige: post modo collige, ne pereamus.

Sed deest in editionibus Epistola praefationis loco a Bernardo praemissa: *Domino et Patri suo PETRO,* * *dignissimo Abbati fratrum Cluniacensium, Bernardus filius, eorum Frater. In aurem auream unam. Quod ad aures publicas, sive ad multorum ora profertur, sapientis est correctione curandum absolvendumque judicio* etc. Dolendum est integram Epistolam non descriptam ab Oudino tom. II, pag. 1275 seq. ex Codice MS. S. Victoris Paris. Libellum de Vanitate mundi: SPECULUM MUNDI *inscribit, laudatque Vetus Florum Poëticorum Collector, sive Alanus, ut Vir quidam doctus ad Veterem Codicem notaverat, et ex eo Nobilissimus Barthius,* ὁ μακαρίτης, *volebat; sive quis alius posterior, quod potius est, nobis ignoratus. Laudatur autem ab Hieremia Paduano Part. I. Epit. Sapientiae lib. 3. Rubr. 2 pag. 12 b. et c. Jacobo Magno lib. 8 Sophologii cap 6 pag. 74 et auctore Cordialis quatuor Novissimorum*, Bernardus de Contemtu Mundi. Theodoro *tamen, nescio cui, tribuit Zacharias Sylvius, Praefat. in Schol. Salernit. Johannis de Mediolano, cap. 4 Diversus, puto,* * *ab hoc* de Contemtu Mundi *auctor est, quem ante Centum et viginti hos Annos Focaudus Monierus evulgavit.* Haec Christianus Daumius notis ad Bernardum Geystensem pag. 42. Incertum nostro ne Bernardo Cluniacensi tribuendus *sermo de villico iniquitatis*, qui inter dubia S. Bernardi legitur tom. II editionis novissimae pag. 709. Tribuitur autem illi a Pitseo liber *de Mundo* cujus initium: *Vita mori Mundo est, sed mors est vivere Mundo.* Nec non *de Verbi Incarnatione colloquium inter Gabrielem et Mariam:* Incipit: *Fit caput exangue.* Sed non perinde constat ejusdem esse *versus Encomiasticos de Simone* Abbate Eboracensi et *de Comite Wulnotho*, qui Bernardi libris de contemtu Mundi in MS. Cottoniano subjunguntur. Vide Thomam Smithum in Catalogo illius Bibl. pag. 136 b. num. VIII. De *Consuetudinibus Cluniacensis Monasterii* ad Hugonem Abbatem sextum ab An. 1048 ad 1109 dixi supra in BERNARDO Cluniacensi, quem eundem cum hoc esse vix dubito.

* Petrus hic Venerabilis, Abbas nonus Cluniacensis ab A. 1122, ad 1158.

* Idem est, quem Daumius edidit cum illo, qui inter auctores octo morales prodiit Coloniae 1526, 4 cum glossis, in quibus auctor vocatur *Bernardus Monachus albus.*

BERNARDUS *Noricus*, supra, *Cremifanensis.*

BERNARDUS *Ollensis*, sive *Ollerius*, Hispanus, Carmelitarum Prior Generalis circa Annum 1375 qui pro Clemente VII fuit contra Urbanum VI. Scripsit de origine Ordinis sui, et de immaculata conceptione B. Virginis.

BERNARDUS *Oricellarius*, (Russelay) Florentinus, circa An. 1500 scripsit Historiam de rebus in Italia gestis ab adventu Caroli Regis Galliae. Vide Epistolas Petri Delphini X. 28. et Epistolam 224 in nova collectione Edmundi Martene tom. III, pag. 1173 Prodiit Historia illa Londini 1724 4. Vide Journal des Savans 1727 Août pag. 505 et Acta Eruditorum Anno 1733 p, 346.

(39. *De Bello Italico* Lond. (Florentiae) 1733, 4. ibid. *De Bello Pisano. Oratio de auxilio Tifernatibus adferendo. — De Urbe Roma seu comment. in Pub. Victorem ac Sextum Rufum.* Ext. in Rer. Ital. Script. tom. II. Florentiae 1770. Ibiq. Dom. Becuccii *De Vita Bern. Oricellarii.*

BERNARDUS non Florentinus, ut Poccianto visum sed *Parentinus*, Provinciae Tolosanae, Ord. Praed. circa A. 1340 *Lilium*, sive *Expositionem Missae* et *sermones de diversis* reliquisse traditur a Trithemio c. 598. Lilium illud typis exscriptum Paris. 1517, 1531 8.

BERNARDUS Prior Carthusiae *Portarum* obiit Anno 1152 Ejus Epistolas tres edidit Petrus Franciscus Chiffletus S. J. in manuali solitariorum ex antiquorum Carthusianorum Patrum cellis depromto. Divione 1657, 8 recusas in Bibliotheca Patrum Lugdun. tom. XXIV, pag. 1501.

BERNARDUS Ordinis *Praedicatorum*, circa Annum 1290 scripsit in IV libros sententiarum. Vide infra Bernardum de Trilia.

BERNARDUS *de Roma.* Supra pag. 201 BERNARDINUS.

BERNARDUS, Archipresbyter Saccensis JCtus, in municipio Patavino, scripsit *in secundum Decretalium* MS. Patavii teste Tomasino pag. 4.

BERNARDUS Monachus, cognomento *Sapiens*, cujus itinerarium in terram sanctam An. 970 in Mabillonii tom. I act. Sanctorum Ordinis Benedicti pag. 523. Anglum natione existimavit Pitseus pag. 827.

BERNARDUS Monachus *Saxo*, teste Sigeberto cap. 165 ad Hardevicum Archiepiscopum ab Anno 1079 ad 1110. Magdeburgensem scripsit amaro stilo librum *adversus Henricum IV* Imp.

BERNARDUS, cognomento *Sylvester*, non diversus a *Bernardo Carnotensi*, de quo supra. Hujus Sylvestri praeter Epistolam ad Raymundum Castri Ambrosii, de modo rei familiaris utilius gubernandae, obvium in editionib. S. Bernardi Paris. 1586 aliisque usque ad Horstianam, aliud opus *Terrico* al. *Gerrico* celebri Doct. dicatum de MEGACOSMO ET MICROCOSMO *diverso carminum genere, prosa intermista, libri in Bibliothecis, praesertim Galliae adhuc latent*, * *et in Codicibus Regiis 954 ait Phil. Labbeus, viditque Heidelbergae in Urbis Bibliotheca Barthius. Quem de eo vide lib. 56 Advers. cap. 10. col. 2652. Promunt ex illo Versus passim Florilegus, Vinc. Belluacensis in Speculo doctrinali, et recentiore aevo Joan. Picardus ad Guil. Neubrigensem pag. 725 Andr. Quercetanus ad Biblioth. Cluniac. pag. 47 et praelaudatus Barthius ad Guil. Britonem, pag. 217.* (*Cangius voce* cisimus.) *Idem haud dubie* Bernardus *est, cujus versus a Sylvestro Gyraldo producuntur lib. 2 Itin. Cambriae cap. 5 pag. 862. De quo, quibus Bern. Sylvester ille in manus perveniet, omnium optime judicare poterunt. Sane mecum facere video Barthium pag. 97 ad Brit. Nec disparis aevi videtur, nisi et idem est.* Bernardus *qui* de Improbatione Vitiorum *versus dedit, citatus frequenter Hieremiae Paduano.*

* Vide Oudinum Tom. II. p. 1003 sq.

BERNARDUS *Thesaurarius*, cujus librum *de acquisitione terrae sanctae* ab An. 1095 ad 1230 conscriptum quidem Gallice sed A. 1320 versum Latine a FRANCISCO PIPINO Ord. Praed. vulgavit celeberrimus Muratorius tomo VII scriptorum Italiae pag. 657.

* Ex meis ad Raynaldi annales annotationibus ad an. 1226 demonstratum arbitror Historiam Bernardi Thesaurarii Gallice scriptam, quam dein P. Franciscus Pippinus Latine transtulit et interpolavit, ipsam omnino esse historiam, quam sub titulo *continuationis ad historiam Guillelmi Tyrii* sine auctoris nomine vulgarunt PP. Martene et Durand Vet. Mon. t. 5. Ibi pariter admonui historiam Bernardi mutilam habuisse Franciscum Pippinum, quod et ipse in fine versionis suae suspicatus est. Perductam vero fuisse illam ab authore suo usque ad an. 1274. quo Lugdunense I oecumenicum Concilium convenit; eius enim in fine historiae suae Gallicus author meminit.

BERNARDUS *Ticinensis* Episcopus *de vita* decessoris sui *S. Lanfranci Ticinensis* defuncti An. 1194 tom. IV Act. Sanctorum Junii 23 p. 620-630.

* Ad hunc facile Bernardum pertinet commentarius ille in Ecclesiasticum, de quo Catalogus MSS. Codicum Bibl. Taurinensis cod. 73 pag. 23. Nondum prodiit.

BERNARDUS Archiepiscopus *Toletanus*, qui interfuit Conciliis Legionensi, Nemausensi et Gerundensi A. 1091, 1096 et 1097 Auctor *Sermonum IV* in Antiphonam *Salve Regina Misericordiae*, editorum saepius inter Opera Bernhardi Claraevallensis. edit. noviss. tom. II p. 738. Vide Oudinum tom. II p. 881.

BERNARDUS *Trevisanus*. Vide clarissimi Viri Apostoli Zeni Epistolam Italice editam ad Justum Fontaninum, Venet. 1704, 8.vo

BERNARDUS *de Trillia*, Nemausensis, Ordinis Praedicatorum, defunctus An. 1292 scripsit Postilla super Psalterium, Proverbia, Ecclesiasten, Sapientiam, Cantica Canticorum, super Johannem usque ad cap. XI et super Apocalypsin. In sententiarum libros. Quaestiones de cognitione animae co-

njunctae corpori, et animae separatae, aliasque varii argumenti, et Sermones. Vide Echardi Bibliothecam Dominicanorum tom. I pag. 432 seq. BERTRANDUM de Trilla vocat, et Commentarium ejus in IV libros Sententiarum MStum exstare in Bibliotheca Victoris Parisiens testatur Launojus de Regia in matrimonium potestate p. 12.

BERNARDUS *de Ubertis,* Florentinus, Abbas Vallis Umbrosae et Cardinalis, A. 1133 diem obiit. Praeter *Sermones* ejus *Commentarium in Regulam Johannis Gualberti, Historiam Vallumbrosanae Congregationis, libros tres contra Simoniacos et Investituras* memorat Julius Niger pag. 808 Historiae Scriptorum Florentinorum. V. AUCTUS pag. 137.

BERNARDUS *Utrajectensis* Clericus, teste Sigeberto cap. 169 super *Eclogas Theoduli* commentatus, Divinas Historias et saeculares fabulas allegorica expositione dilucidavit. Hunc ab Oudino male cum Bernardo Sylvestro confundi existimo. Nam Sylvestrum constat a Joanne Sarisberiensi Carnotensem semper appellari.

BERNARDUS *de Waching*, sive *Waging.* supra *Bernardus de Baging.*

BERNARDUS *Westerrodes,* Auctor *Planctus,* sive Satyrae in Clericos, versibus Leoninis scriptae editaeque a Flacio inter Carmina de corrupto Ecclesiae statu, * Basileae 1557, 8vo, pag. 101 et deinde a Berneggero de idolo Lauretano pag. 141 aliisque. Berneggerus et Reinesius pag. 299 Epist. ad Daumium, auctorem hujus planctus faciunt *Bernhardum Corbejensem*, de quo supra.

BERNARDUS *Zane*, Patricus Venetus et Archiepiscopus Spalatensis, cujus Oratio in Sessione prima Concilii Lateran, An. 1512 habita legitur apud Binium tom. V Parte 2 pag. 19 atque inde in caeteris Conciliorum editionibus.

BERNENSIS, Helvetius, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1314 cujus memoratur *Antiphona de B. Virgine ex diversis partibus antiphonarum, responsoriorum, hymnorum, retinentibus tamen proprium sonum cum propriis melodiis.* Vide Jacobum Echardum tom. I pag. 532.

BERNERUS, ex Monacho S. Remigii Remensi Abbas Humolariensis in Vermanduis Galliae, Ordinis Benedict. circa Annum 964 scripsit Vitam *S. Hunegundis* defunctae An. 650. quae obvia apud Surium 25 Augusti, et sincerior apud Mabillonium Act. Benedict. Sec. 2 p. 1018 cum historia translationis, Sec. V p. 215.

BERNITIUS Lincolniensis, Anglus, memoratus Cangio, nihil aliud scripsisse perhibetur, quam eruditam Epistolam, qnae MS. servetur Oxoniae in Collegio Lincolniensi, ut ait Pitseus p. 827. sed nec tempus, nec argumentum notans. Epistola haec a Lelando, Baleo et aliis praeteritur.

BERNO, ex Monacho Prumiensi A. 1008 Abbas Augiae Divitis, Ordinis Benedicti, defunctus An. 1048, 7 Junii, de quo Joannes Ego lib. 2 cap. 27 de viris illustribus Augiae tom. I Anecdotorum Pezii, Parte 3 pag. 687 et Pezius Praefat. ad tom. IV p. VII seq. Exstat liber, quem Anonymus Mellicensis cap. 81 vocat, *de Institutione Missarum*, Romae ab eo scriptus, cui in editionibus titulus est: *de quibusdam rebus ad Missae Officium pertinentibus*, in cujus cap. 2 narrat se coronationi Henrici II Imperatoris a Benedicto VIII facta interfuisse. Prodiit Parisiis 1518, 4 apud Henr. Stephanum avum, et Venetiis 1572, 8vo, et in Collectione Hittorpiana Scriptorum de Ecclesiasticis Officiis, Coloniae 1568 fol. et in Parisiensi 1610. fol. et in Bibliothecis Patrum Parisiensibus, Coloniensi et Lugdunensi tom. XVIII pag. 6. Vide Oudinum tom. II p. 599.

* *Bernonis* liber hunc titulum nempe *de institutione missarum* praefert in priori Parisiensi editione anni non quidem 1518 ut male hic, sed 1510. ut ex subscriptione epistolae Jacobi Fabri, qui illum ex MS. Cod. Moguntino vulgavit, ex quo lucem accipit ambigua temporis, quo editio peracta est adnotatio in fine libelli legenda. Ita enim concepta est: *Parisiis* ex officina libraria *Henrici Stephani* an. 1510. *nono Kal. Decembris.* *

* Similis Planctus Latino-Germanicus in Hermanni ab Hardt Praefat. ad Tom. III. Avtographorum D. Lutheri.

Dialogus cum *Gerungo* Monacho *de quatuor temporum jejuniis* per sua Sabbata observandis*, ad Aribonem Archiepiscopum Moguntinum, in Bernhardi Pez Anecdotis tom. IV Parte II pag. 55. Epistola ad eundem Aribonem *de quatuor Adventus Dominicis* ante festum Nativitatis CHRISTI celebrandis pag. 41. Ex *libro Officiorum* S. HILARII, nescio an cuiquam alii memorato locum affert pag. 51 et pag. 52 ad *Aurelianensem Synodum* ea super re habitam provocat. Etiam *de Historia Alemannorum* scripsisse testis Trithemius, ex eo quaedam in Chronicon suum Hirsaugiense transtulisse se professus. *Vita S. Udalrici*, Augustani Episcopi, obvia apud Surium et in Velseri Operibus pag. 596 et in Sanctorum Actis 4 Julii. *Vita S. Meginvadi*, Episcopi et Martyris, apud Mabillonium Saeculo IV Benedictino Parte II pag. 63. Nondum in lucem prodiit ejus quod Sigebertus cap. 156 laudat praepollens in arte Musica** opus, quod *de regulis symphoniarum et tonorum* scripsit, et quod *in mensurando Monochordo* ultra regulam *Boëtii*, sed assensu minoris Boëtio *Guidonis* supposuit unum tonum tetrachordohypaton, et contra usum majorum, in ipso tetrachordohypato inseruit utiliter synemmenon. Lipsiae in Bibliotheca Paulina habetur MS. Bernonis *libellus tonarius* ad Piligrimum Archipraesulem (Laureacensem, qui An. 992 obiit) Ejusdem *Musica*, *Antiphonarius*, et *Monochordi mensura*; tanquam quatuor distincta scripta in Catalogo B. Joachimi Felleri pag. 328 Sicut Trithemius quoque cap. 311 de S. E. et de illustr. Benedictin. II 77 tanquam tria distincta memorat: *De Musica seu de tonis*: *De instrumentis Musicis*: et *de mensura Monochordi*. Apud eundem quoque mentio *Epistolarum* ad diversos, et libri *de jejunio Sabbati*. Prologum in *Tonarium*, cum operis exordio edidit laudatus Pezius tom. IV. Anecdotorum Parte II, pag. 68.

* De hoc Bernonis scripto videndus Sigebertus Gemblaceusis cap. 156. de S. E. et Epistola Treverensium ad Leodienses edita ab Edmundo Martene Tom. 1. Anecdotorum pag. 305 seq. ubi *Regula Bernonis* appellatur.

** Hic *Bernhardus Musicus* aliis: adde Johannis Molleri Homonymoscopiam pag. 546 seq. De *Antiphonario* Ordinis Cisterciensis auctore Bernhardo Claraevallensi, quod editum Lipsiae An. 1517 apud Michaelem Lotherum et a Jacobo Hommey in Supplemento Patrum statim in limine, Parisiis 1684 8 atque inde in editionibus Bernhardi Mabillonianis An. 1690 et 1719 tom. 1, pag. 699. Sed quem Hommeyus addidit pag. 27. Tractatum *de ratione cantandi Gradale*; ei pag. 51. *Tractatum de tonis*, pag. 51, 68. Mabillonius ut aliena a Bernhardo omisit.

Elenchus brevis Scriptorum medii aevi Latinorum de MUSICA, *Cantuque Ecclesiastico.*

Anonymus Gvidone Aretino aliquot Saeculis antiquior, quem laudat Isaacus Vossius de viribus rhythmi pag. 91.

Alius Scriptor Sec. XIII vel XIV de flatuum ac ventorum operatione Musicae, quem Gvelferbyti editum tradunt Memoriae Litterariae Trevoltinae An. 1725 pag. 2281.

Agobardus de correctione antiphonarii.

Amalarii liber de ordine antiphonarii. Ej. Cantatorium, de quo supra.

Aribo, de quo supra.

Augustinus libris sex de Musica, tom. I. Operum.

Aurelianus, Ecclesiae Remensis Clericus, de quo supra.

Bartholomaeus Senensis, Ordinis Praedicator. circa Annum 1451 libro de septem artibus liberalibus.

Beda, de quo supra.

Bernhardus, de quo supra.

Berno, Abbas Augiensis, de quo supra.

Boëtii de Musica. sive Institutionis Musicae libri V. de quibus lib. III Biblioth. Latin. cap. 5.

Bruno, Leucorum Episcopus, et deinde inter Pontifices *Leo IX*. de quo Anonymus Mellicensis cap. 85. *Hic in Musica subtilissimus fuit, et inter cantus alios, quos plurimos edidit, historiam beatissimi Papae Gregorii satis artificiose composuit.*

Marcianus Capella libro nono sive ultimo.

Cassiodorus libro de septem disciplinis.

Conradus, Monachus Hirsaugiensis circa An. 1190 de Musica et tonis scripsit teste Trithemio cap. 384.

Dietgerus, infra, *Theogerus*.

Fucraldi liber de Musica, laudatus Anonymo Mellicensi cap. 107,

Gerhardus, Monachus S. Quintini, teste Henrico Gandavensi cap. 52 *composuit antiphonas et responsoria in festivitate S. Elizabeth cantanda.* Neumas * *vero eisdem antiphonis et responsoriis quidam frater* Petrus, *Canonicus S. Autberti Cameracensis, apposuit. Idem etiam* Petrus, *Musicae artis peritus, dulci modulamine et limato dictamine composuit plura Cantica, quae vulgo* condictus *appellantur.*

Gregorianum Antiphonarium cum notis antiquis Musicis MStum in Bibliotheca Vaticana. Vide Diarium Venetum Eruditorum Italiae tom. XIX, pag. 7. Excusum accuratius curante Josepho Maria Thomasio, * Romae 1691 4. De aliis editionibus vide Nicolai Petri Sibbern Schediasma de libris Latinorum Ecclesiasticis pag. 23. Selecta ex Antiphonario Romano per Annum in usum Ecclesiarum ruralium, habeo cum notis Musicis excusa Antwerpiae 1617 fol. *De Responsoriis Psalmorum* vide notas ad S. Ambrosium tom. I edit. Benedict. p. 931.

Gregorianae Psalmodiae enchiridion editum ante Annos ducentos, de quo Cangius appendice ad glossarium mediae Graecitatis pag. 80. Vide et Johannem Bonam de Divina Psalmodia cap. 17. Guilelmi Gabrielis Nivers Dissertat. in Cantum Gregorianum, et Anonymi Benedictini librum editum, † Parisiis 1677 4.to *la science et la practique du plain chant:* Baluzium ad Capitularia tom. II, pag. 1134.

Gvido Aretinus Monachus Ordinis Benedicti circa Annum 1030. cujus est decantatum Musicis. *Ut re mi fa sol la.* Hic *Micrologum Musicum* (a Micrologo de Officiis Ecclesiasticis diversum prorsus) scripsit ad Theodaldum Episcopum: et *Antiphonarium* laudatum Benedicto VIII. Pontifici. Vide Baronium ad Annum 1022 num. 20 seq. Oudinum tom. II, pag. 600 et Joannis Weitzii heortologium pag. 264 seq. et Pezium tom. III Anecdotorum Parte III, pag. 616. Idem Gvido *Abbas S. Leufridi*, cujus Opus eximium de Musica laudatur ab Anonymo Mellicensi cap. 80 et Trithemio cap. 318. Dicavit id Guilelmo Abbati primo Rievallensi. Vide Jac. Hommey Supplem. pag. 68.

Guilelmus ex Emmeramensi Monacho Abbas Hirsaugiensis, Anno 1091 obiit, de cujus Musica scientia Anonymus Mellicensis cap. 106 108. De Musica et tonis, et de correctione Psalterii scripsisse testatur Trithemius cap. 352.

Helpericus Monachus S. Galli circa Annum 1069. quem de Musica scripsisse Trithemius idem notat cap. 325.

Hermannus Contractus, Musicus etiam insignis et omnibus sui temporis subtilior extitisse, ac Cantilenas plurimas de Musica Cantusque, de sanctis satis auctorabiles edidisse ait Anonymus Mellicensis cap. 90. De Musica ac Monochordo scripsisse traditur a Johanne Egone apud Clariss. Pezium tom. I. Anecdotor. Parte ult. pag. 689.

Hieronymus de Moravia circa An. 1260. Ordinis Praedicatorum, de cuius Tractatu de Musica vide Jacobum Echardum t. I, p. 159.

Hugbaldus Elnonensis Monachus Ordinis Benedict. cujus *librum de arte Musica*, et *Cantus multorum Sanctorum, dulci et regulari melodia compositos* memorat Sigebertus Gemblacensis cap. 108. Vixit Caroli Calvi temporibus circa Annum 910.

Joannis Papae XXI Musica ad Fulgentium Anglorum Antistitem, MS. Lipsiae in Biblioth. Paulina. Vide W. E. Tentzelii dialogos A. 1692 pag. 719.

Isidorus Hispalens. libro 3 Orig. c. 14–22.

Leo IX vide supra, *Bruno.*

Notkerus Monachus Ratisbonensis, cujus *Theorema troporum*, seu *Cribrum Monochordi* MS. in Bibliotheca Benedictoburana. Vide Pezium tom. III. Anecdotor. Parte III, pag. 616.

Notgeri Abbatis Augiensis in Musica peritissimi librum sequentiarum laudat Anonymus Mellicensis c. 65.

Osbertus Monachus Cantuariensis circa Annum 1020. quem de Musica scripsisse notat Trithemius cap. 313 et de illustribus Benedictinis II 66.

Petrus Canonicus S. Autberti Cameracensis. Vide supra in Gerardo.

* Cantus genus et sacri jubili. Vide Cangii glossarium in *pneuma.*

* Giornale de' letterati di Modena A. 1692 pag. 7. Acta Erud. A. 1692 pag. 477.

† Journal des Sav. 1677 pag. 209.

Regino Prumiensis, cujus harmonica institutio eiq; subiectum lectionarium totius anni, cum superscriptis notis Musicis fuit apud Virum Clarissimum Gerhardum van *Mastricht*, et in Bibliotheca Jacobi Krysii. Adde Mastrichtii Epistolam in celeberrimi Struvii introductione ad Histor. Litterar. p. 166. Oudinum tom. II pag. 408 et Joannis Georgii Schelhornii Amoenitates Litterarias tom. X pag. 1168. *Notarum Musicarum* specimina, quales fuere in veteribus Ecclesiis Occidentalibus ante aliquot Saecula usitatae, exstant apud Lambecium lib. 2 pag. 763, 783 et lib. 3 p. 138, 201, 207 et apud Hugonem Menardum ad Sacramentarium Gregorii M. pag. 78 et in B. Stapohorsti nostri Histor. Eccles. Hamburg. tom. III pag. 337 et tom. IV pag. 267.

Sigebertus Gemblacensis de seipso cap. 172. *Arte Musica Antiphonas et Responsoria de Sanctis, Macario et Guiberto melificavi.*

Simon Taillerus Dominicanus Scotus circa Annum 1240 cantum rudiorem Ecclesiaslicum instituit emendare, scriptis duobus libris *Pentachordorum*, et tertio *de Tenore Musicali*, quartoque *de Cantu Ecclesiastico corrigendo.* Vide Jacobum Echardum tom. I. pag. CXI.

Richardus de S. Victore laudatus a Vincentio Bellov. in Speculo doctrinali.

Rudolphus Abbas circa Annum 1120 in Musica acutissimus celebratur ab Anonymo Mellicensi cap. 103.

Theogerus (Anonymo Mellicensi cap. 109. Dietgerus, Theokarius) Ordinis Benedicti circa circa Annum 1118 Episcopus Metensis, cujus Tractatum de Musica Anonymo eidem laudatum adhuc servat Bibliotheca Tegernseensis, ex qua prologum vulgavit Bernardus Pez Praefat. ad tom. IV Anecdotorum pag. IX.

Georgius Valla Placentinus libris V de Musica, Graecos potissimum secutus, sed et Boëthium. Exstant in ejus Opere de expetendis et fugiendis rebus, excuso Venetiis 1501 ingenti Volumine in folio.

Vincentius Bellovacensis Speculi Doctrinalis libro XVI cap. 10–35.

Wolstanus Monachus et Praecentor Ecclesiae Wentanae, sive Wintoniensis in Anglia circa Annum 980 Scriptor libri *de tenorum harmonia.* Vide Oudinum tom. II pag. 500.

BERNOLDUS, aliis BERNALDUS, vel BERTOLDUS, Presbyter Constantiensis in Svevia, circa Annum 1089 ex Gelasiano Codice aliisque composuit *Ordinem Romanum*, de cujus variis editionibus et interpolationibus, auctariisque dicendi locus infra, ORDO. Meminit Honorius IV, 13 de S. E. et Trithemius cap. 338. neque aliud ejus quicquam referunt. De aliis scriptis, quae huic Bernoldo, sive. ut apud Anonymum Mellicensem cap. 101 vocatur, BERNARDO tribuuntur, mox infra in BERTHOLDO.

BERNOWINUS Poëta. Vide Acta Sanctor. tom. VI Junii p. 14.

BEROLDUS Mediolanensis circa An. 1123 cujus *Manuale, et Pontificale Ambrosianum*, et *Ordinem Mediolanensis Ecclesiae*, MSS. memorat Picinellus pag. 91. Athenaei Scriptorum Mediolanensium.

Jacobus BERTALDUS, ex Cancellario aulae Ducalis Venetorum, Episcopus in Dalmatia Veneta Vegiensis, qui Anno 1245 scripsit *Splendorem Consvetudinum Civitatis Venetorum*, MS. in Bibliotheca Caesarea, teste Lambecio tom. II p. 953.

* Ex t. VI. 347. Quamvis adnotatio ad Cod. Vindobonensem a Lambecio indicata fert Jacobum hunc scripsisse opus suum an. 1245. certum est tamen auctorem recentem huiusce annotationis errasse, nam Bertaldus obiit an. 1315. ut ex allata sepulchrali eius epigraphe aliisq. monumentis evincit P. Joan. Degli Agostini (*Notizie degli Scrittori Veneziani* I. 517.)

BERTHA, sive BERTRADA, quae circa Annum 1090 scripsit *Vitam S. Adelheidis*, primae Abbatissae Vilicensis in Dioecesi Coloniensi, et defunctae An. 1015 quae exstat apud Surium et in Actis Sanctorum 5 Februarii pag. 714. Laudat Conradus in Vita Wolfelmi (qui Adelheidis frater fuit) apud eundem Surium et in Actis 22 Aprilis.

BERTHARIUS, sive BERTARIUS ex Regum Francorum stirpe Abbas Cassinensis, et a Saracenis obtruncatus Martyr An. 883 22 Octobris, scripsit ex Veteris Codicis fide et teste Leone Ostiensi lib. 1 cap. 32 et Petro Diacono cap. 12 *libros duos ἀντικειμένων*

sententiarum Veteris et Novi Testamenti, editos sine nomine auctoris Basileae 1530 fol. Parisiis 1556, 12 cum libris *Junilii* Africani: et in Bibliothecis Patrum, in quibus ex Felicis Toletani fide *Juliano Toletano* tribuuntur: cujus non magis sunt quam *Salviani* Massil. cum quibus eos Anno 1530 edidit Johannis Alexander Brassicanus: vel *Richardi* Cluniacensis, ad quem referuntur a Sixto Senensi lib. IV Bibliothecae Sacrae pag. 371. De caeteris Berthaarii scriptis nolo repetere, quae jam notata a Petro Diacono, et in Johannis Baptista Mari ad eum notis, et apud Caveum: nisi quod *Versus de vita, obitu ac miraculis S. Benedicti* etiam editos monere juvat in Actis SS. Benedict. tom. I pag. 29. Trithemius cap. 326. et illustr. Benedictin. II 72 tantummodo sermones ejus elegantes commemorat.

BERTHARIUS Presbyter, qui scripsit *gesta Episcoporum Virdunensium* continuata per Anonymum Monachum S. Vitoni Virdunensis ab Anno 888 ad 1043 et a Laurentio Leodiensi ad Annum 1197 et ab altero Anonymo ad Annal. pag. 638 et Jacobi le Long Bibliothecam Histor. Galliae pag. 207.

BERTHOLDUS Constantiensis Presbyter, non diversus, ut videtur a BERNOLDO, de quo supra, *Ordinis Romani* concinnatore. Anonymus Mellicensis cap. 92 cum ait scripsisse *vitam* Magistri sui *Hermanni Contracti*, et *Chronicam*, illam nimirum, quam ab Anno 1054 (ubi Hermanni Chronicon desinit) deduxit ad Annum 1100. editam a Christiano Urstisio tomo I Basil. 1584 et Francofurti 1670 fol. quanquam in Canisii editione tom. I tantum appendix usque ad Annum 1066 legitur. tom. III editionis novae pag. 274-276. In temporis notatione eum non raro hallucinari notavit Antonius Pagi ad Annum 1090 n. VI. Sunt, qui hunc scriptorem eundem putant cum BERNALDO Presbytero Constantiensi, Caesaris partium inimico, cujus liber editus inter vetera monumenta a Sebastiano Tegnagelio, Ingolstadii 1612, 4. *De vitanda excommunicatorum communione, de reconciliatione lapsorum, et de Conciliorum, decretorum, decretalium, ipsorumque Pontificum Romanorum auctoritate*. Bernaldus etiam appellatur in Codice MS. opusculorum ex quo nonnulla producit Jo. Jacobus Hottingerus in addendis ad tomum quartum Historiae Ecclesiarum Helveticarum, editae Germanico idiomate, pag. 45 seq. ubi memorat ejus *apologeticas rationes adversus Schismaticorum objectiones*: Epistolas *de lege excommunicationis* ad Adelbertum Nemetensem Praepositum, *de solutione juramenti*, ad Adelbertum Argentinensem Praepositum, *non tam mente quam corpore super ollas Ægypti collocatum Recconem* etc. Ad Gebhardum Episcopum *de Ordinatione vitanda*, et *de salute parvulorum, qui ab excommunicatis baptizati sunt*, quos negat rebaptizandos esse. *De emtione Ecclesiarum*: nec non *de Presbyterorum officio*, ad fratres apud Rettenboch: ubi inter alia profitetur Paulum Apostolum *evidentissime docere*, quod apud antiquos * Presbyter et Episcopus idem fuerint. Mihi perquam verisimile videtur non alium etiam esse BERNARDUM Presbyterum, de quo haec Anonymus Mellicensis cap. 101. *Bernardus Presbyter vir doctus et Catholicus, cum collega suo Albano Presbytero utilem habuit* conflictum super incontinentia Sacerdotum. *Scribit deinde* Apologeticum super Decreta, *quem venerabilis Papa Gregorius ejusdem nominis septimus in Romana Synodo* (Anno 1074) promulgavit contra Simoniacos et incontinentes Altaris ministros. *Scribit praeterea librum* de potestate Presbyterorum. *De Concordia Officiorum librum. Librum quoque* de Confessione. *Ad hoc etiam satis utilem scribit* Chronicam. BERNALDI Apologeticus pro Gregorio VII. seu tractatus de sacramentis excommunicatorum juxta assertionem SS. Patrum recusus in tomo quinto Bibliothecae maximae Pontificiae Jo. Thomae Rocaberti, Romae 1698 fol. Opuscula pro Gregorio VII vulgata a Gretsero Ingolstadii 1609, 4. jam prelis iterum subjiciuntur in tomo sexto Gretseri operum, quae junctim brevi prodi-

* *Presbyteri et Episcopi antiquitus idem fuisse leguntur, et eandem ligandi atque solvendi potestatem, et alia nunc Episcopis specialia habuisse non dubitatur. Postquam autem Presbyteri ab Episcoopali excellentia cohibiti sunt, cepit eis non licere quod licuit.*

bunt Ratisbonae septendecim Voluminibus. * *Iam lucem publicam viderunt* an. 1739.

BERTHOLDUS Monachus *S. Galli,* cujus *annotatio de Abbatibus Monasterii S. Galli* ab Anno 1199 ad 1292 apud Goldastum tomo primo rerum Alemannicarum pag. 92. Fuit et Abbas S. Galli *Bertholdus* de Falckenstein, sed is jam An. 1272 diem obiit ut apud eundem Goldastum videre est. p. 93.

S. BERTHOLDUS Abbas *Garsthensis* defunctus An. 1130. cujus vita edita ab eodem Gretsero cum quatuor S. Bernardi opusculis. Ingolstadii 1617, 4 et in Actis Sanctor. 27 Jul.

BERTHOLDUS *de Maisberch*, vitiose apud Jamesium BEREALDUS: Ordinis Praedicatorum, Theologus et Philosophus clarus circa Annum 1454 (non 1320 ut Cangius ex Possevino: nec 1355 ut Altamura) scripsit *Summam Theologiae*, et *in Philosophiam Platonis:* et *Commentaria in librum Elementorum* * *Procli,* MSta Oxoniae in Collegio Balliolensi: et *in tres libros Meteororum Aristotelis,* ubi *de polo iridis,* sive arcus coelestis centro. Vide Jacobum Echardum tom. I pag. 811 seqq.

BERTHOLDUS Monachus *Miciacensis*, Ordinis Benedicti, in Provincia Lugdunensi scripsit *Vitam S. Maximini*, Abbatis Miciacensis, cum carmine praemisso ad Jonam Aurelianensem ab Anno 821 ad 843 Episcopum. Edidit Mabillonius Act. SS. Benedictin. tom. I. pag. 591.

BERTHOLDUS Reginoburgensis, sive, *Ratisbonensis* non Ordinis Praedicatorum ut Bzovio visum ad Annum 1253 num. XI. sed Franciscanus ** sive Ordinis Minorum defunctus in patria An. 1272. Tantam habuisse *gratiam predicandi* traditur ab Henrico Sterone in Annalibus ad Annum 1253 *ut saepe ad eum audiendum plusquam sexaginta millia hominum convenirent.* Praeter *Sermones* de tempore et de Sanctis qui Lipsiae in Paulina et aliis in locis MSti servantur, scripsit librum *de institutione Vitae religiosae*. Idem utique videtur Bertholdus, cui David de Augusta formulam Novitiorum dicavit, inter Bernhardi Opera, supra pag. 615 et tom. XXV Bibliothecae Patrum pag. 868. Fratrem appellans, unde concidit causa, ob quam Waddingus in Annalibus Minorum ad Annum 1271 num. 21 de alio cogitandum esse sibi putavit.

* ςοιχείωσιν Θεολογικήν, de qua tom. VIII Bibliothecae Graecae pag. 516.

** Vide Oudinum tom. III, pag. 445 seq.

BERTHOLDUS *Zwifaltensis* Abbas scripsit librum de origine Monasterii Zwifaltensis, quem in testimonium citat persaepe Martinus Crusius in Annalibus Svevorum.

S. BERTOWALDUS (Bedae Berchwalde, aliis Berchwaldus a) vel Brihtwaldus) ex Monacho Glasconensi Archiepiscopus post Theodorum An. 692 Cantuariensis, scripsit Lelando cap. 62 teste libellum *de origine et institutione Eoveshamensis Monasterii,* in gratiam Ecgvini, Episcopi Wicciorum.

BERTINIANI *Annales Regum Francorum*, ab Anno 741 ad 882 ex vetusto Monasterii S. Bertini Codice vulgati ab Andrea du Chesne tom. III, pag. 150–261 et a Muratorio in tomo secundo scriptornm Italiae, Corporis Mediolanensis pag. 490 *Appendicem* vero alterius Scriptoris ab Anno 883 ad 900 vulgavit Freherus tom. I scriptorum Germanicorum pag. 46–55 et ex Frehero Andreas du Chesne tom. II, pag. 575 ad calcem Annalium Fuldensium: et laudatus Muratorius tom. II scriptorum Italiae pag. 570. Supplementum etiam Anni 901 edidit illustris Leibnitius t. I. Brunsvic. scriptor. p. 192 et ex eo Burchardus Gotthelf Struvius in nova Freheri editione tom. I, pag. 70 qui etiam ad appendicem illam pag. 53 seq. contulit, quae Lambecius lib. 2 pag. 351–358 publicaverat ex Codice Caesareo ab Anno 882 ad 887. Bene autem notavit du Chesnius Bertinianos Annales in eo differre a Fuldensibus sive Moguntinis, quod Fuldensium auctor Carolo Calvo Francorum Regi ad calumniam usque iniquus extitit: Porro in his Bertinianis ab Anno 741 ad 813 eadem multa cum Annalibus plebejis, sive Loisellianis rerum Francicarum, quos idem du Chesne vulgavit tom. II, pag. 24 seq. Deinde ab 814 ad 830 multa eadem cum Annalibus Eginhardi. In temporum notatione errores

a) Tom. I. Angliae sacrae pag. 85.

quosdam observat Carolus le Cointe tom. 8 pag. 541.

BERTRAMI *de Alemannia*, * tractatus *de via contemplationis et cognitionis DEI secundum libros* D. Dionysii *factus* memoratur MS. apud Sanderum Bibl. Belgicae MS. tom. II, pag. 213.

BERTRAMI in Germania Episcopi librum *de illusione Daemonum* ad Cunonem Archiepiscopum (ab Anno 1066) Treverensem, e Latino Gallice versum vidisse se testatur Antonius Verderius Bibl. Gallicae pag. 124 Idem BERTRAMUS, qui Gallus aliis, Ord. Praed. Episcopus titularis Tefelicensis (*Tiflis* in Georgia) et Suffraganeus Metensis, defunctus An. 1387 20. Januar. cujus Trithemius cap. 662 de scriptoribus Ecclesiasticis, et de Germanicis cap. 129 etiam *Sermones* et *tractatum de schismate* Urbani VI et Clementis VI ad eundem Cunonem de Falckenstein, celebrat. Confer Echardum tom. I, pag. 689 seq.

BERTRAMUS *Fizalanus*, sive Alani F. Lincolniensis, Anglus, Carmelita, qui An. 1424 17 Mart. diem obiit, et a Pitseo pag. 611 Baleo VII, 64 qui ambo ad Lelandi testimonium provocant, Alegrioque pag. 333 traditur scripsisse Quaestiones Theologicas, Commentarios in librum quartum sententiarum, Selecta ex variis auctoribus, et Sermones ad populum.

BERTRAMUS *Reoldus* circa Annum 1326. a quo scripta *Vita S. Francae* Abbatissae Ordinis Cisterciensis An. 1218 quae exstat in Actis Sanctorum 25 Aprilis, tom. III, pag. 382.

BERTRAMUS in editionibus Sigeberti Gemblacensis cap. 95 et apud Trithemium cap. 274 de S. E. et lib. 2 cap. 48. de illustribus Benedictinis, aliosque: etiam in primis editionibus libri de Coena DOMINI *Bertramus*. Sed idem rectius RATRAMNUS appellandus, quo nomine venit apud Anonymum Cellotianum, Flodoardum III, 15. Hincmarum de Praedestinatione cap. 5 tom. I pag. 26 et contra Gotheschalcum p. 413, 438, 450. Lupum Ferrariensem Epist. 79. Anonymum Mellicensem cap. 46 et in Sigeberti Codicibus MStis Gemblacensi et Vallis Viridis, nec non in Codicibus librorum, quos ipse composuit, aliis, atque editionibus. Monachum Corbejensem Ordinis Benedictini fuisse, Hincmaro teste, convenit: Gallum natione, suspicio est, nec dubium est Praepositum gessisse Coenobii Orbacensis in Dioecesi Galliae Svessionensis. Jussus a Carolo Calvo, Galliae ab Anno 840 Rege, et ab Anno 875, 25 Decembr. ad 877 6 Octobr. Imperatore, de Sanguine et Corpore CHRISTI, quid sentiat, significare, scripsit notissimum illum libellum *de Corpore et Sanguine DOMINI*, in quo diu ante Berengarium, Paschasii Radberti a) sententiam et transsubstantiationis dogma perspicue refellit, argumentisque e sacra Scriptura et a sanae rationis petitis judicio testimonia adjungit Doctorum Latinae Ecclesiae: * *Ambrosii*, *Augustini*, *Hieronymi*, *Isidori*, *Fulgentii*, et quae ex Sacramentario *Gregorii M.* inter celebrationem S. Coenae dici consueverunt. Ratramni nomen initio et fine libri annotatum Mabillonius b) fatetur se reperiisse in MS. Lobiensi annorum DCCC. Exstat etiam in alio non minus perantiquo Salmansweilano, et antequam An. 1532 ederetur, Ratramnum in praefatione ad libros de veritate Corporis et Sanguinis CHristi contra Oecolampadium Colon. 1527 laudavit inter scriptores Catholicos de illo argumento, Joannes Fischerus, Episcopus Roffensis. Prodiit primum Coloniae 1532, 8vo, apud Joannem Praël sub titulo: *Bertrami Presbyteri, ad Carolum Magnum Impeperatorem*, et cum praefatione Leonis Judae, interpretis c) *Germanice* eodem A. 1532

* Ita videtur legendum apud Sanderum sive supplendum, pro: *de Alem.*

a) Vetus scriptor Anonymus de Eucharistia a Ludovico Cellotio S. J. editus cum notis A. 1655 Mabillonius Sec. IV Benedictin. Parte II praef. pag. 45 num. 85 et pag. 80 itineris Germanici. Colomes. pag. 688 seq. Operum, ubi et de aliis Codicibus MSS.

* Inde Joannes Lampadius *Bertramum* inscripsit consensum Ecclesiae de verbis S. Coenae.

b) Jacobus Basnage in Historia Ecclesiastica dogmatica, quam Gallice edidit XVI 7 tomo II, pag. 935 et Cancellarius Tubingens. D. Christophorus Matthaeus Pfaffius de S. Eucharistia adversus Ludovicum Rogerium pag. 27 seq.

c) Abraham Ruchat tom. VI. Hist. de Reformation de la Svisse pag. 207.

Tiguri. Deinde Latine iterum Genevae 1541, 8 et in Microbresbytico An. 1550. atque Orthodoxographis prioris edit. An. 1555. et cum Paschasio Ratberto Coloniae 1551 8. et in Guilelmi Feuguerci Opusculis Lugduni Batavorum 1579, 8. et in Catalogo testium Veritatis edit. Sim. Goulartii, Genevae 1608 fol. et cum notis Joannis Lampadii, Bremae 1614 8. Hinc, ut alias editionis Hendreichio pag· 543 notatas praeteream, post Gallicas versiones An. 1550, 1558, 1560, 1619, 1653. etiam Latine et *Gallice*, Petro Allixio interprete, Parisiis An. 1672, 4 et ex Jacobi Bollavii d) versione Gallica, cum praefatione et notis, Parisiis 1686, 12. et Latine cum vindiciis adversus Johannem Harduinum [qui Ratramnum haereticis e) adscripserat] 1712, 12. f) Nec minus post versiones *Belgicas,* Roterod. 1610. Utraject. 1620 atque *Anglicas* g) et cum versione *Anglica* Clarissimi Guilelmi Hopkinsii h) Canonici Worcestriensis, Londini 1686, 12,[mo] 1688, 8 cum eruditis de Ratramno et ejus doctrina, adversus Boilavium aliosque Romanae Ecclesiae doctores, dissertationibus. Atque ex hac Anglica editione, praemissis etiam illis dissertationibus Gallice versis, libellus Ratramni Latine et *Gallice*, Amstelodami 1717, 8. Quanquam vero *Joannes Scotus* quoque, ejusdem Caroli Calvi jussu in eandem sententiam librum de Corpore et Sanguine Domini scripsit, mire probatum Berengario, ut infra in JOHANNE *Scoto* sum dicturus: qui inter sanctos in quibusdam Martyrologiis 4. Idus Novembr. adscribitur: tamen verisimilius est, cum Berengarius illum coactus fuisset in Concilio Vercellensi An. 1050 damnatum, comburere in Concilio Romano An. 1059 intercidisse potius, quam contra fidem tot Codicum, contra diversitatem genii scribendi, qui in Scoti scriptis deprehenditur, et contra alias rationes a viris doctis allatas, Ratramno huic, librum quem habemus, eripi, Scotoque i) tribui debere. Scriptis prohibitis accensent Indices Romanus, Tridentinus, Hispanicus Quirogae: Belgicus autem interpretatione adjuvandum judicat. Vide Usserium de Ecclesiarum successione pag. 48 seq. et Dalleum de usu Patrum pag. 111 seq. Itaque Latinus Latinius tom. I Bibliothecae sacro-profanae pag. 110 testatur se Bertramni librum libro Paschasii de eodem argumento subjunctum percurrisse, *immemorem, in indice notatum haereseos nomine: Quare post agnitum errorem meum, projeci libellum, et a summo Poenitentiario curavi me absolvendum Reverendissimo Cardinali Vormiensi.*

Scripsit praeterea hic Ratramnus ad eundem Carolum Calvum *libros duos de Praedestinatione*, in quibus cum Godschalco facit, ab Hincmaro aliisque oppugnatus. Edidit Gilbertus Manguinus inter Scriptores noni saeculi, qui de Praedestinatione et Gratia scripserunt, Parisiis 1650, 4. unde recusi tom. XV Bibliothecae Patrum Lugdunens. pag. 442. Confer Usserii et Cellotii Historiam Godeschalci.

Contra Graecorum Romanam Ecclesiam infamantium errores, ad Nicolaum I Pontificem Romanum, libros IV. Photii Epistolae potissimum oppositos, quorum tribus primis integris tractat de processione Spiritus Sancti. Edidit Dacherius tomo secundo Spicilegii. (tom. I editionis novae pag. 63.)

De partu Virginis, seu *de Nativitate CHRISTI*, modo communi et naturali non clauso B. Virginis utero facta. Cui Paschasius Radbertus libellos duos de partu Vir-

d) Du Pin tom. XIX Bibioth. Eccles. pag. 68 Acta Eruditorum A. 1687 pag. 45. Nouvell. Rep. Lettr. pag. 125.

e) In Dissertatione de Sacramento Altaris pag. 165-195.

f) Journal des Savans A. 1712 pag. 645.

g) Plurium Anglicarum versiouum editiones exstare testis Caveus, qui erudite de hoc scriptore ad An. 840. Idem inter alia notat Wlfricum in homilia Paschali ex Ratramno multa ad verbum repetisse, quod ad oculum quoque Hopkinsius demonstravit.

h) Anton. Wood Athenae Oxon. tom. II pag, 1074.

i) Ut a Petro de Marca Epist. ad Dacherium, ante tom. II spicilegii, et novae editionis tom. III, pag. 852 et ab Anselmo Parisio dissertatione adversus Allixium cap. 5 tom. IV perpetuité de la Foy Parte 2 pag. 198 seq. Joanne Harduino etc. Omitto suspiciones parum credibiles eorum, qui auctorem communi-nicantur, vel antiquiorem multum, ut Prosperum, vel ducentis annis juniorem et vel Berengarium ipsum, vel ex ejus sectatoribus aliquem.

ginis pro contraria sententia opposuit. Paschasium respiciunt verba Ratramni in praefatione: *Obsecro reverentiam tuam, ut ad suggestionem parvitatis nostrae respondere non graveris.* De Controversia illa vide B. Ittigium de Bibliothecis Patrum pag. 169 et quos laudat Mabillonium Sec. IV Benedictin. Parte 2 Praefat. cap. 3 et tom. II Annalium Benedictin. ad Annum 844 pag. 652 seqq. et Natalem Alexandrum Sec. IX et X. Parte II. Dissertat. 13.

Epistola ad Rimbertum Presbyterum *de Cynocephalis*, quod non sint Adae posteris deputandi. Edita ex Codice Bibliothecae Paulinae Lipsiensis, ab erudito Viro Gabriele Dumont in dissertatione de Cynocephalis inserta tomo sexto Historiae Criticae Reipublicae Litterario-Massonianae, editae Gallice Amstelodami 1714, 12 pag. 188-196.

Liber *de anima*, quod non omnium hominum una sit anima, ut Marianus Scotus ex loco quodam Augustini de quantitate animae, affirmaverat. Hic liber, quem habuit, edereque voluit Mabillonius, exstat etiam MS. in variis Angliae Bibliothecis.

Ex Hincmari libro de una et non trina Deitate tom. I Operum pag. 413 et 438 constat Ratramnum cum Godeschalco defendisse, et Hilarii atque Augustini dictis confirmasse verba veteris hymni: *Te trina Deitas unaque poscimus,* pro quo Hincmarus maluit *Te summa Deitas.* Liber autem, quo id a Ratramno factum, ad nos non pervenit.

BERTRANDUS *Agerius*, Minorita, Episcopus Adjacensis in Corsica Insula, inde Glandatensis, et ab An. 1371 ad 1392 Cardinalis Clementi septimo in schismate adversus Urbanum VI amicus. Vide Waddingi Annales ad Annum 1371 n. 11. Scripsit teste eodem Waddingo *contra haereses sui temporis.*

Alius BERTRANDUS *de Turre nobili*, quem cum superiore quidam confundunt, inter Minoritas sive Franciscanos *Doctor famosus,* atque ab Anno 1319 Archiepiscopus Salernitanus, et ab Anno 1320 ad 1334 Cardinalis. Scripsit *in IV libros Sententiarum. Sermones Epistolares,* sive in Epistolas Missalis, excusos Argentinae A. 1501. *Sermones in Evangelia, de tempore,* et *Sermones de Sanctis, ac Quadragesimales. Collationes Theologicas.* Tractatum de *paupertate CHRISTI et Apostolorum.* Vide Trithemium cap. 548. Waddingi Annales Minorum ad Annum 1317 num. 2 seq. 1319 num. 13, 1320 num. 5, 1328 num. 18 et Bibliothecam pag. 60. Sermones hujus Bertrandi plus semel editos Argentorati ac Parisiis et in pluribus Bibliothecis MStos notat Pelhestrius, remarques Critique sur les Essais de Litterature Paris 1703, 12 pag. 71 seq. Vide et Raynaldum ad Annum 1317 n. 32.

* Huius viri tractatus de paupertate Christi, et Apostolorum nihil forte est aliud quam brevis disputatio legenda in codice quodam MS. Bibliothecae Felini in Bibl. Canonicor. Maior. Ecclesiae Lucensis. Est autem Codex haedinus Saec. XV scriptus, in quo disquisitio illa hunc titulum praefert. *Quaestio disputata, ut credo, per F. Bertrandum de ord. min. Divina Providentia Cardinalem, et Episcopum Tusculanum coram Papa* Incipit: *supposito quod paupertas evangelica.*

Antonius BERTRANDUS JCtus circa Annum 1467.

BERTRANDUS Casae Dei Monachus, Scriptor libri tripertiti de Vita B. Roberti, fundatoris et Abbatis Casae Dei, defuncti Anno 1168 * qui exstat in Labbei Bibliotheca nova MSS. tom. II pag. 637 et cum Henschenii notis, in Actis Sanctor. 24 Apr. tom. III p. 326.

BERTRANDUS *de Deucio*, Uticensis Dioecesis, et Cardinalis, defunctus An. 1353 Octobris 21. Hic Vitam et Passionem CHristi Salvatoris Latino Carmine Sapphico cecinit, sicut BERTRANDUS *Apoherius* Soterologium, sive Vitam Servatoris nostri versibus descripsit elegiacis, quam Gesnerus memorat editam Paris. in 4.

BERTRANDUS *Mediolanensis*, Ordinis Minorum, Cardinalis et ipse circa An. 1325 Videndum sitne hic Trithemio laudatus diversus a Bertrando de Turre, de quo jam dictum, nam et tempus et Religio et dignitas congruit, et hic quoque traditur scripsisse Sermones in Epistolas et Evangelia

* Labbeus t. II Bibliothecae novae MSS. p. 659.

annua et de Sanctis, et Commentaria in IV libros sententiarum.

BERTRANDUS, sive BELTRANDUS *de Monte Faventino*, JCtus, qui in Monte Pessulano, Civitate Galliae Narbonensis docuit, obiitque exinde Cardinalis A. 1348.

Alius, ni fallor, BERTRANDUS, JCtus, quem Hispanum vocat, et in Clementinas scripsisse refert Nicolaus Antonius ex auctario Bibliothecae Gesnerianae.

BERTRANDUS *Lagierus de Figiaco*, vide supra, *Bertrandus Agerius*.

BERTRANDUS *Parayate*, Tolosanus. Theologus Augustinianus circa Annum 1420 Scripsit teste Philippo Elssio pag. 128. Encomiastici Augustiniani, in Actus Apostolorum, Epistolas Canonicas et Apocalypsin: et Milleloquium Veritatis (ex Operibus Augustini) coepit, perinde ut Augustinus, Triumphus quoque et Bartholomaeus Augustinianus de quo supra.

BERTRANDUS *Pastoris*, Tolosanus Augustinianus, Philosophus circa Annum 1390 scripsit eodem Elssio notante in priora Analytica et in Topica Aristotelis et de Ecclesiastica Veritate, Potestate et Paupertate. sive de triplici Ecclesiae bono.

Petrus BERTRANDUS, Episcopus Nivernensis, et ab Anno 1332. Æduensis, sive Augustodunensis, † et ab Anno 1331 ad 1349 Cardinalis, scripsit, praeter *Responsa* varia, Actionem *de origine et usu Jurisdictionis Ecclesiasticae et Secularis*, Parisiis 1495 et tom. XII Oceani Juris pag. 408 et in Goldasti Monarchia Imperii, tomo II pag. 1361. Huic scripto in Bibliothecis Patrum Parisiens. et Coloniens. et in novissima Lugdunensi tom. XXVI additus etiam alius libellus *contra Petrum de Cugneriis*, super facto Praelatorum Ecclesiae Gallicanae pro ejusdem Ecclesiae libertate.

* Nescio quid sint Decretales Petri Bertrandi Archiepiscopi Ebredunensis, quae extant in Cod. MS. Bibl. Vaticanae. Montfauc. Bibl. MSS. pag. 924. Forte tamen nihil sunt aliud, nisi eius glossae in Decretales et Clementinas, quas in Gemmeticensi Biblioth. extare notat Monfaucon ibid. t. II pag. 911 *tabula super Deretum* in Cod. S. Gratiani Turonensis ibid. pag. 1277. In Biblioth. Laudunensi est *Appartus Sexti libri Decretalium*. Praeter responsum ad Petrum De Cujgnieres in Cod. MS. D. Ranchini, extitisse notantur duae aliae pro Ecclesiasticis responsiones. Ibid. pag. 1374.

† Vide Labbeum tom. II de S. E. p. 185 seq

BERTRANDUS *Pontigniacensis*, Ordinis Cisterciensis circa Annum 1247 scripsit jubente Abbate suo Johanne. de Vita et miraculis S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis, defuncti An. 1241 et sanctis adscripti * An. 1236. Auctor etiam antiphonarum aliorumque, quae in Officio illius Archiepiscopi 16 Cal. Decembris. Confer Carolum de Visch in Bibliotheca Cisterc. pag. 54 et Angliam Sacram tomo I pag. 115.

BERTRANDUS *de Porto*, (de Poyet, sive di Poggietto) Cardinalis ab Anno 1315 ad 1346 scriptor dissertationis de factionibus *Guelphorum* et *Gibellinorum*, Apologiae contra *Occamum*, et Annotationum in doctrinam Petri Olivi de paupertate.

Raymundus BERTRANDUS haereticus, cujus mentio in Epistola Clementis IV An. 1267 apud Edmundum Martene tom. II Anecdotorum p. 276.

BERTRANDUS *e Trillia*, vide supra, BERNARDUS pag. 217.

BERTRANDUS *de Turre*, vide paullo ante.

BERTRUCCIUS Medicus Lipsiensis circa Annum 1452. cujus *Collectorium in parte pratica Medicinae*, et ex eo *Tractatus de Venenis* MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi. Vide B. Joachimi Felleri Catalogum pag. 272. Idem videtur BERTRUSIUS, cujus Collectorum librum memorat Sanderus inter Medicos in MStis Codicibus Belgii Parte II pag. 89.

BESNENSIS Abbatiae Chronicon. Vide JOHANNES *monachus*. Multa eadem in Chronico SANBENIGNIANO, quod et ipsum Dacherius vulgavit.

Antonius de BETONTO, (sive BITONTO, supra p. 115) Apulus Butontinus, Ord. Minorum, qui post Annum 1440 Theologiam docuit Ferrariae, Bononiae et Mantuae, et

* Vide Matthaeum Westmonasteriensem pag. 550 et 304.

An. 1460 absolvit *Summam Theologiae*, quae MSta in Bibliotheca Regis Christianissimi. Ejusdem *Tractatum de causis, quare DEUS peccabile fecit genus humanum*, et *Speculum animae* scriptum A. 1449. Waddingus pag. 39 Bibliothecae Fratrum Minorum commemorat. *Quaestiones Scholasticae Theologicae in Epistolas et Evangelia totius anni tam de tempore, quam de Sanctis*, plus simplici vice editae Lugduni cum Postillis Nicolai Lyrani: Sicut Sermones Dominicales quoque Argentorati 1495 et Quadragesimales Lugduni 1496. Vide Oudinum tom. III pag. 2469.

Martinus de BETONTO, Ordinis Praedicatorum An. 1353 qui praeter Commentaria Logica, Physica, et Metaphysica traditur scripsisse de peste et regni Neap. aerumnis ad Ludovicum Regem Hungariae.

BEULANUS Presbyter, Britannus, Nennii Cambrorum Apostoli, post Eluodugum Magister, circa Annum Christi 600 cujus liber *de Genealogiis Gentium* a Baleo Centur I, 71 et a Pitseo pag. 104 memoratur.

BICINUS *de statu Monachorum*, MS. in Bibliotheca Helmstadiensi, teste B. Polycarpo Leysero in Historia Poëtarum medii aevi pag. 1125. Incipit:

> Olim nostrum Ordinem Principes laudabant,
> Et Romani Principes ipsum honorabant,
> Grata privilegia gratis nobis dabant
> Et praeter suffragia nihil postulabant.

Joannes BICLARIENSIS. Infra, JOANNES.

Andreas BILIUS, sive de BILIIS, Mediolanensis, Augustinianus, Senis diem obiit circa Annum 1435. Vide supra in ANDREA pag. 87 seq. et Diarium Eruditorum Italiae tom. IX, pag. 179 ubi inter alia affertur hoc ejus elogium ex Joannis Schiphoweri Chronico Oldenburgensium Archicomitum apud Meibomium tomo II. Rerum Germanicarum pag. 164 seq. *Hic tam universalis homo fuit, ut Graecam, Hebraicam, Latinamque linguam haberet optime cognitam. Hic e duabus primis in nostram multa traduxit, et in arte oratoria alter Cicero, in Philosophia secundus Aristoteles, in Theologia Patris sui Augustini pedissequus erat. Quaestiones de anima, interpretationes Evangeliorum: Longobardorum et maxime Mediolanensium historias et alia multa apte et distincte composuit.*

BINDUS Senensis, Ordinis Minorum circa Annum 1300. cujus Sermones de tempore, et de Sanctis a Waddingo memorantur.

Stephanus BIRCHINGTONUS ex vico de Birchington in Insula Taneto, Sacerdos et Monachus Ordinis Benedicti, Cantuariensis, cujus *Historiam de Archiepiscopis Cantuariensibus* a prima Sedis fundatione An. Christi 597 usque ad Annum 1369 edita ab Henrico Warthono tom. I. Angliae sacrae pag. 1–48. Auctiore hac Historia An. 1382 secundis curis a Birchingtono recensita usum Jo. Jocelinum idem Warthonus observat, qui dolet in eam se non incidisse: erroris autem arguit Pitseum, * qui pag. 910 ex Jocelini loco male intellecto Birchingtonum auctorem facit *Catalogi Episcoporum Eliensium*. Ejusdem, ut non dubitat Warthonus, Birchingtoni sunt, quae in eodem Codice MS. reperit, necdum edita *Historia de Regibus Anglorum* ad Annum 1567. *De Pontificibus et de Imperatoribus Romanis* ad Annum 1378.

BIRGERUS *Gregorii*, Archiepiscopus ab Anno 1366 ad 1383 Upsaliensis. Tradidit *Historiam Ecclesiasticam*, quam impense laudat Joannes Magni Lib. 4 de vitis Pontificum Sveciae. Utrum vero ea universalis fuerit, (inquit in Spicilegio suo Joannes Hallervordus) cum amplius non extet, merito dubitat doctissimus Schefferus, descriptione Upsaliae pag. 401 et ad Chronicon Archiepiscoporum Upsaliensium p. 84 Publicavit quoque Birgerus hic primus *S. Brigittae* Wadstenensis, sub Legendae Titulo, * Historiam: imo si Olai Magni verbis, quae in addendis ad praedictam Joannis historiam profert, fides tribuenda, hic ipse eam

* Pitseum secutus Vossius pag. 541 *Brithckingtonum* appellat.

* Ericus Benzelius Episcopus hodie dignissimus Lincopensis notis ad Joannis Vastrovii vitam Aquiloniam pag. 70 monet nihil aliud esse quam *hymnum* Laudibus Brigittae dicatum et in breviario Upsaliensi adhuc obvium, qui incipit: *Brigittae matris inclytae*. Adde pag. 58. ubi Historia alia similiter pro hymno accipitur.

totam composuit, quae deinde varie interpolata fuerit, ut tradit Baazius in Historia Eccles. Sveciae pag. 124. Etiam Vitam S. *Botwiti* Martyris scriptam ab hoc Birgero idem Scheferus notavit pag. 10 de Svecicis Scriptoribus. Sed et haec intelligenda de hymno, qui exstat in breviario Strengnesiensi atque incipit: *triumphantis militiae.*

Amalricus Augerius de BITERRIS. Supra AMALRICUS pag. 77.

Bertrandus de BLANCAFORT, Militiae Templi Hierosolymitani Magister circa Annum 1230. Ejus Epistolae ad Ludovicum IX Francorum Regem, in Gestis DEI per Francos tom. I, pag. 1176 1178 1181.

Hugonem BLANCUM Gregoriomastigem, etiam *Album* dictum, eundem esse cum BENZONE, Albae Episcopo, de quo supra pag. 193 seq. parum credibilis conjectura est viri docti in praefatione ad tomum nonum reliquiarum MSS. omnis aevi diplomatum pag. 17. Vide infra in HUGONE.

BLANDINUS Monachus scripsit *de Miraculis S. Agathae* Virginis, quae martyrium apud Cataneenses in Sicilia An. 241 obiisse et corpus ejus translatum Anno 1040 Constantinopolin, inde An. 1126 Catanam relatum esse fertur. Exstat scriptum in Actis Sanctorum 5 Febr. tom. I, pag. 643.

Michaël BLANGVANGN Cornubiensis Anglus, (Pitseo pag. 322 et Vossio pag. 474. BLAUNPAINUS: Ravisio Textori, qui versus ejus in suo Cornu Copiae laudat, *Michaël Anglicus*) circa Annum 1244 scripsit, eodem Vossio teste, *Historiam Normanniae*, quam alii ignorant, Oudinus scriptam ab eo non potest sibi persuadere tom. III, p. 441 ubi de *poëmatibus* ejus, quae in Bibliothecis Angliae servantur, in quibus contra Henricum Abrincensem, et de Hugone Claromontensi Episcopo, de Odone Belluacensi, Fulcone Episcopo Londinensi etc.

Petrus de BLARRORIVO, Parisiensis, Auctor *Nanceidos*, sive librorum sex, hexametris versibus scriptorum de bello Nancejano, in Annalibus Francicis Anno 1474 seq. non ignobili, qui primum impressi in celebri Lotharingiae pago Divi Nicolai de Portu 1518 fol. et Gallicis deinde versibus redditi a N. C. Romano. Falluntur, qui hanc Nanceidem Guilelmo Parisiensi tribuunt, vel excusam ajunt A. 1476. Vide Oudinum tom. III, pag. 2674 et Gruteri Delicias Poëtarum Gallorum tom. I, pag. 545.

BLASIUS *Andernarius*, aliis *Andromari*. Gallus Carmelita circa Annum 1378 quem Trithemius cap. 689 refert scripsisse Quaestiones et Collatione, sive Sermones, et super sententias commentaria.

BLASIUS, qui circa Annum 1300 consignavit vitas quorundam Sanctorum. Vide Acta Sanctorum tom. VI Maji pag. 51 et p. 54 ubi *Vita S. Zenobii* Mediolanensis.

Armegandus, aliis *Ermengardus* BLASII, Medicus Gallus in Montepessulano, qui circa Annum 1280 ex Arabico Latine vertit scripta Avicennae et Averrois. Vide Colomesium in limine Galliae Orientalis.

BLASIUS Caesenas rituum Pontificii Sacelli Magister, cujus *Diaria Pontificia* MSta evolvit Cangius.

Joannes Baptistae a S. BLASIO, JCtus Patavinus, qui ab Anno 1457 jus docuit usque ad Annum 1492 quo diem obiit. Ejus *de actione et ejus natura*, quod juvenis et tyro scripsit, extat in tomo III. Oceani Juris Parte II, pag. 43. Idem *Catalogum JCtorum*, sive Juris Interpretum, exemplo Baldi Ubaldi composuit, et Tractatum pro montibus Pietatis, Consilium in materia divisionis feudi, aliaque, quae apud Pancirollum lib. 1 c. 118. et M. Mantuam pag. 454 videantur.

Ex t. VI 347. * Huius JCti haec opera extant in Biblioth. Felini. De *Actionibus* Venetiis 1481. *De Correlativis* ibidem eodem anno. *Consilium de prohibitione feudi alienandi* Venetiis 1477.

M. BLASIUS, Ordinis Minorum, cujus *Circium*, nescio cujus argumenti librum, in Bibliotheca Sangermanensi bis exstare Cangius testatur.

BLASIUS *Ortizius*, in Decretis Doctor et Canonicus Toletanus, Auctor *Itinerarii Alexandri VI* An. 1523 ab Hispania Romam usque, quod lucem vidit Toleti An. 1546 et in Baluzii Miscellaneis tom. III, pag. 351-470.

(40 Et *Tradotto in Italiano con Annotaz. dell'Ab. Nicc. De Lagua. Roma 1790* 4 fig.,

Otto de S. BLASIO, Monachus Ordinis Benedict. in Dioecesi Constantiensi, qui conscripsit Chronici Ottonis Frisingensis continuationem ab Anno 1146 usque ad Annum 1209 cum eodem editam ab Urstisio. Johannes vero Heroldus etiam evolvit aliud ejus scriptum, cui titulus: *Ottonis a S. Blasio Chronica prima.* Libri series, inquit Heroldus, omnes sacrae historiae genealogias ad Timotheum, Titumque Pauli discipulos usque figuris pulchre distinguit. Opus sane elegans et non contemnendum. Incipit: *Considerans historiae sacrae prolixitatem, nec non difficultatem.*

BLEGABRIDUS *Languaridus* Cambrensis, praeter *locos communes*, quos Pitseus pag. 172 commemorat: *Leges Ecclesiasticas Hoëli Dha*, sive *Boni*, Regis Walliae circa Annum 940 latas Latine vertit, editas a Spelmanno tom. I. Concil. Britanniae pag. 408-413. atque in Conciliorum editione Regia tom. XXV. Labbei tom. IX. Harduini tom. VI et Veneta Coleti tom XI.

Flavius BLONDUS Foroliviensis (di Forli) ex Ravaldinorum familia, Pontificum Max. Eugenii IV Nicolai V Callisti III et Pii II. Secretarius, majoribus dignitatibus Ecclesiasticis admovendus, nisi uxorem Paulam habuisset, ex qua filios quinque litteris ornatos reliquit, defunctus Romae Anno 1463 aetatis 75. Erudite de Blondo Vossius pag. 585. cui jungendae Apostoli Zeni observationes t. XII Diarii Eruditorum Italiae p. 370 seq. et Martinus Hanckius de Romanarum rerum Scriptoribus lib. I, p. 201 seq. et lib. II, pag. 341 seq. In Operibus Blondi junctim editis Basileae 1559 fol. continentur:

Romae triumphantis libri X quorum I et II de veterum Romanorum Religione: III IV V Republica: VI VII Militia: VIII IX X triumphis, moribus et institutis.

Romae instauratae, qualis post crebras vastationes fuit Blondi temporibus, *libri III.*

De origine ac gestis Venetorum liber, ex editione Veronensi 1481 fol.

Italia lustrata, sive *illustrata* per regiones, seu provincias XVIII.

Historiarum ab inclinato Romano Imperio, et Roma per Alaricum Gothorum Regem Anno Christi 410 capta usque ad Annum 1440 *Decades tres*, libri XXXI. Decadum duarum priorum, quae in Anno 1400 desinunt, Epitomen composuit Æneas Sylvius, postea Pius II Papa, quae legitur in ejus Operibus pag. 144-281.

In Diario Eruditorum Italiae tom. XII, pag. 376 memorantur Blondi scripta, quae lucem non viderunt: *Liber de locutione Romana* ad Leonhardum Aretinum: *Historia Foroliviensis*, et *Consultatio an bellum vel pax cum Turcis magis expediat Reipublicae Venetae.* Hic est Blondus, cui Brutum Ciceronis debemus, ut ipse refert in Italia illustrata pag. 346. *Nos vero cum publicis patriae tractandis negotiis adolescentes Mediolanum adiissemus, Brutum de claris Oratoribus primi omnium mirabili ardore ac celeritate transcripsimus, ex quo primum Veronam Gvarino, post Leonhardo Justiniano Venetias misso, omnis Italia exemplis pariter est repleta.*

BOBINI Chronicon, infra, BONITI, sive BONIZZI.

BOBOLENUS Presbyter et Monachus Grandivallensis in dioecesi Basileensi sub extremum seculi septimi, scripsit *Vitam S. Germani* Abbatis primi Grandivallensis et circa Annum 677 lancea transfossi Martyris, quae exstat in Actis Sanctorum 21 Febr. tom. III, pag. 263 et in Mabillonii Actis Benedictin. Sec. 2 pag. 511.

Joannes BOCCACIUS, natus Certaldi in Tuscia An. 1313 et A. 1375 ibidem mortuus, Vir ingenio nobilis potius, quam genere, vel dignitatibus: a Leontio Pylato Thessalonicensi edoctus Homerum amare atque intelligere, a Petrarcha operam dare omni liberali doctrinae atque eloquentiae, cum quo Magistro suo *Etrusci sermonis elegantiam ad summum perduxisse* judicatus est ab Erythraeo pinacotheca tertia pag. 219. Monuit eum S. Petrus Petronus, ne scriptis suis praeberet exemplum nequitiae, qui etiam mortem ei instantem praedixisse traditur in Actis Sanctorum Maji tom. VII, pag. 228. Illius autem nequitiae in Hetruscis fortasse aliqua, in Latinis ejus scriptis vestigia vix ulla exstant, quae non alia quantum novi typis exscripta, quam haec quinque:

1 *Genealogiae Deorum*, *libris XV* ad Hugonem, Hierusalem et Cypri Regem: quas Lud. Vive judice * in unum corpus redegit felicius, quam illo erat seculo sperandum, tametsi in interpretandis fabulis saepe est nimius frigidusque. Prodiere Regii Lepidi 1481 fol. Vicentiae 1488. Venetiis 1497 et per Augustum de Zannis 1511. et cum notis Jacobi Micylli Basileae 1530. Et Italice a Josepho Betussi Venetiis 1553, 1564, 1581, 1585 et ex Georgii Valentini recognitione 1606, 1617, 1627, 1644, 4 nec non Gallice Parisiis 1531 fol. Libri XV capite sexto laudat scriptores recentes, quibus usus est, PAULUM Perusinum maxime, custodem Bibliothecae Robertj, Hierusalem et Siciliae Regis, quem, ait, *librum Collectionum* scripsisse, *in quo quicquid de Diis Gentilium non solum apud Latinos, sed etiam apud Graecos inveniri potest*, *adjutorio Barlaae*, sive Barlaami Graeci, *collegit*. Laudat praeterea Petrarcham, quem *venerandissimum Praeceptorem* appellat, et *Leontium Pylatum*, de quo et capite septimo, et ANDALUM de Nigro, Januensem, cujus plura ait exstare *opuscula Astrorum Coelique motus ostendentia:* tum *Dantem Aligerium* et *Barlaamum* Basilii Caesariensis Monachum, et *Paulum* Geometram, civem suum.

2 *De montium et sylvarum nominibus*, *fontibus, lacubus, fluminibus, stagnis*, *paludibus*, *nominibus maris:* saepius prodiit cum Genealogiarum opere, ut Venetiis 1497 1511, 1514 etc. Vibio Sequestri Boccacium multa debere, quem nominare praeteriit, a Vossio jam cap. XI §. 11 de Philosophia, aliisque notatum.

(41 Italice a *Nic. Liburnio. Ven.* 1528. 4 et *Firenze* 1598. 8.)

3 *De claris mulieribus* liber, in quo non neglexit Johannae Papissae mentionem facere. Bernae 1539 fol. atque alibi. Exstat et translatus hic liber Gallice, Italice, Hispanice et Germanice. Vide Hendreichium pag. 609.

(42 Ital. a Vinc. Bagli Ven. 1506. 4 et a Jos. Betussi Ven. 1545. et c. add. a *Franc. Serdonati. Firenze* 1596. 8.)

4 *De casibus Virorum et Foeminarum illustrium libri X* Augustae Vind.el. 1544 et Parisiis fol. Anglico etiam metro in Bibliotheca Bodlejana, et Italice interprete Josepho Betussio, cum auctario Francisci Serdonati. (43 Firenze, Giunti 1596, 8.)

5 *Historiae Romanae Compendium* usque ad Neronem, Venetiis 1534, et 1549, 8 Coloniae 1534, 8. Argentorati 1535, Confer Martinum Hanckium de scriptoribus rerum Roman. cap. 43.

(44 *Eclogae* (XVI) *Florent. ap. Juntas 1504*, 8. *Epistola ad F. Martinum de Signa* (de Eclogis suis) in Op. *P. Gandolfi de CC. Script. Augustinian. Romae* 1704, 4. Aliae VIII Epist. e MSS. Cod. Senensi et Riccard. forsitan me curante brevi prodibunt.)

Inter Hetruscas ejus lucubrationes decantatissimum est, quod circa Annum 1350 composuit, *Decamêri*, sive centum novellarum relationum opus, quarum prima editio Florentina Anni 1470 a) fol. quam secutae Veneta 1492 Florentina apud Juntas 1527 tum Venetae 1538, 4 et 1541 4to, recensente *Ludovico Dulci*, et 1542, 4to, *Antonio Brucioli*, et 1546, 4. *Francisco Sansovino*, atque iterum Venetiis 1550, 4 et 1552 4, cum notis et indicibus Ludovici Dulcis, et 1557, 4 ex recensione *Hieronymi Ruscelli*, et Lugduni 1552, 12 cum Annotationibus b) ex prosis *Petri Bembi* repetitis, et Florentiae 1573, 4. editio ad censuram *Indicis Tridentini* emendata: ad quam Annotationes c) separatim vulgatae ibidem 1574, 4. Editio integrior curante *Leonhardo Salviato*, An. 1582 et 1587 apud Juntas, ad Amaretti Mannelli autographon Anni 1384 comparatae, cujus Salviati Observationes d) etiam viderunt lucem Venetiis 1584, et *Florentiae* 1586 vol. 2. 4. Exstat quoq; Veneta 1612, 4 cum *Hieronymi Ruscelli* notis, ex recensione Ludov. Groti, Florentina (Genevae) An. 1627. Amstelodamensis 1663

* Lib. 3 de tradendis disciplinis.

a) Confer Epistolam *Bonamici* raccolta d' opuscoli scientifici tom. I pag. 397 seq. Journal des Savans A. 1727 Juin pag. 198 nec non *Rollii* An. 1730 Septembr. pag. 49 Mem. de Trevoux A. 1727 p. 1611.

b) Tre discorsi di Girolamo Ruscelli à Lud. Dolce, Intorno al Decamerone del Boccaccio etc. Ven. 1553 4.

c) *Annotationi e discorsi fatte dalli Deputati di loro Altezze Serenissime de' Medici.*

d) Avvertimenti della lingua, sopra 'l Decamerone, di Lionardo Salviati.

12 et Lond. 1726, 4 cum *Rolli* editoris notis, insistens vestigiis editionis Anni 1527. Nec non Neapoli 1718, 8.° duobus Voluminibus, quam secuta editio melior caeterorum plerorumque Hetruscorum Boccatii scriptorum, ibidem 1724. 8 sex Voluminibus, curante nescio quo, cui sub nomine *Cillenii Zacclori* placuit delitescere. Restant adhuc *la Teseide*, et *il Filostrato*, poëmata in ottava rima, ut vocant, cujus generis carmen primus Boccatius Italos, notante Crescimbenio docuit, sicut Epicum quoque: nec non Epistolae quaedam. Vide Diarium Eruditorum Italiae tom. XXXVI pag. 367. Decaëmeri exstat etiam versio *Germanica*, Augustae Vindel. 1490 fol. et Sigismundo Feyerabend curante, Argentor. 1561 fol. et *Gallica* Antonii de Macon, Parisiis 1559, 8. et *Hispanica*, excusa Medinae Campi 1543 et Vallidoleti 1550 fol. et *Belgica* Harlem. 1564, 8.

(41 *Opere Volgari* (per cura d'Ign. Moutier) Firenze 1827, 34 Vol. 17, 8.

De Boccacio plura editores Franciscus Sansovinus aliique, qui vitam ejus vel elogia scripsere, Jovius p. 13. Papyrius Massonus tom. II elog. pag. 185. Boissardus tom. I Academiae Scientiarum p. 262. Michaël Pocciantus et Julius Niger de Scriptoribus Florentinis pag. 269. Baelius in Lexico, Justus Fontaninus de Eloquentia Italica p. 90. Bailletus in judiciis tom. II. Parte II pag. 49, 52 etc.

(42. *Vita di Gio. Boccacci scritta da Gio. B. Baldelli.* Fir. 1806, 8. *Monumenti di un MS. autografo di Gio. Bocc. e Lettere inedite illustr. da Sebastiano Ciampi. Milano* 1830 in 16.)

* Inter veteres Graecorum librorum interpretes accensendum esse Boccacium nunquam legi. Deberi tamen illi versionem ex Graeco libelli Aristotelis nomen praeferentis inscripti *de admirandis narrationibus* docuit me Laurentius Abstemius Maceratensis in libello *de verbis communibus* juncto libello Hecatomytium secundo. Ita enim ille: *Joannes Boccatius vir aetatis suae doctissimus sequor ejus* (verbi prosequor) *simplex in patiendi significatione posuit in libello Aristotelis de admirandis auditionibus, quem e Graeco in Latinum convertit.* Haec forte versio non altera est ab ea quae legitur in vulgatis Aristotelis Latinis codicibus ab ignoto auctore data.

Raudulfus BOCKING, Anglus, Ordinis Praedicatorum, scripsit *Vitam S. Richardi* Cicestriae in Anglia Episcopi, editam in Actis Sanctorum 3 April. tom. I pag. 282.

Petrus BOERIUS, Narbonensis, Doctor Decretorum, et ex Abbate Aniensi Ordinis Benedicti Episcopus Urbevetanus ab Anno 1364 et ab Anno 1370, Vasionensis, atque iterum Urbevetanus An. 1376 qua sede pulsus An. 1378 ab Urbano VI cum Clementi VII contra ejus partes favisset, rediit in Galliam et Sacellanus Caroli VI Regis An. 1300 obiit. Scripsit *Commentarium duplicem in Regulam S. Benedicti*, unum ad Dominos sacri Provincialis Capituli Monachorum Nigrorum Praesidentes, et alterum ad Carolum V Regem Galliae, quem etiam misit ad Monachos S. Scholasticae de specu. Vide Ughellum tom. I pag. 1374 et Oudinum tom. III pag. 1123 seq. Deinde Commentarium *in Benedictinam*, sive Constitutionem Papae Benedicti XII pro Ordine Benedictino, et super extravagante, *Pastor Bonus.* Quod autem memorat Possevinus, *Speculum Monachorum*, non diversum esse puto a Tractatu *de Professione Monachorum*, quod MS. Lipsiae in Paulina notatur in Catalogo ejus Bibliothecae pag. 198 ubi Boërius scribitur Abbas *S. Ammani*, typorum vitio, pro *Aniani*. Etiam librum *de signis locutionum* ei tribui video. Sed praecipuum ejus opus *de Vitis Pontificum* ad Carolum VI Galliae Regem, quod MS. in Regia et aliis Galliae Bibliothecis.

Ex t. V. PETRUS *Boërius* sive *Boherius* Narbonensia Gallus, Decretorum Doctor et ex Abbate S. Aviani S. Pontii Tomeriarum dioecesis, Ord. S. Benedicti, Episcopus Urbevetanus (Orvieto) ab A. 1364 ad 1378 de quo praeter Trithemium cap. 640 de S. E. et illustr. Benedictin II 134. et Possevinum in apparatu, Arnoldus Wion tom. I ligni Vitae pag. 373 et Ughellus tom. I Italiae sacrae pag. 1474 seq. Ejus scripta inedita adhuc pleraque et in Biblioth. Sangermanensi Codd. 454 et 664 aliisque obvia: *In speculum Monachorum. In Regulam S. Be-*

nedicti explicatio duplex, in quibus sententias, dogmata, verba, consilia et praecepta confert cum Jure Pontificio et sententiis sanctorum Patrum. *In Benedictinam* Bene dicti Papae XIII. *In speculum Monachorum. De signis locutionum.* His Hendreichius addit *notas in Damasi Pontificale,* laudatas Georgio Cassandro.

* Petri hujus glossas ad Chronicon Damasi habeo in MS. Cod. Chartaceo ex alio antiquiori descripto, qui erat olim D. Marci Episc. Praenestini S. R. E. Card. qui circa an. 1490 florebat. sunt autem glossae instar earum, quae Clementinis adscribuntur, in quibus identidem Romana Curia mordetur. Damasi Chronicon vocatur non tantummodo Pontificalis liber qui Anastasii vulgo dicitur, sed et sequentium Pontificum subiuncta a Pandulpho Pisano historia, quae cum Callisto II concluditur. Opus suum glossator iste dicat *Carolo* (VIII) *Francorum Regi.* Augent Codicis huius Lucensis (pertinet enim ad Biblioth. Canonicor. Maior. Ecclesiae Lucensis) praetium rarae quaedam adnotationes in extremo pagellarum quarundam margine descriptae ex ipsa Pii III. tunc adhuc Cardinalis manu, quod Felinus Codicis huius olim possessor sedulo monuit ante unam aliquam ex illis scribens: *Postila manu propria F. Card. Senensis.* His in glossis historica quaedam interserit author, ut illud de Nicolao IV *qui concessit Cardinalibus medietatem proventuum Rom. Ecclesiae et dedit eis licentiam utendi capellis rubeis.* Gloss. ad vitam Leonis III, p. 200. Opus hoc Boetii desinit in Honorio II.

Anicius Manlius Torquatus Severinus BOETHIUS, Vir dignitate illustris, illustrior ingenio, Scriptor librorum *de Consolatione Philosophiae.* (42 *Italice versum* a *Lud. Domenichi,* et *Cosma Bartoli Florentiae* 1550. in 8 (disiunctim) et *Bened. Varchii* ibid. 1551. in 4 et aliorum insignium lucubrationum: jussu Theodorici Regis, cuius tyrannidi suffragari nolebat, fustibus peremtus est in Carcere Anno CHRISTI 524 23 Octobr. De illo eiusque scriptis nolo repetere, quae dixi lib. III Bibliothecae Latinae cap. 15.

BOETIUS *de Dacia,* Ordinis Praedicatorum circa Annum 1350 scripsisse traditur in Aristotelis libros de sensu et sensato, de morte et vita, de somno et vigilia: nec non de aeternitate Mundi et Summam Dialecticam. Vide Jacobum Echardum tomo I pag. 640. In libros Topicorum, Analyticorum utrorumque, et Elenchos Sophisticos MSS. teste Sandero pag. 197 Biblioth. Belgicae.

Vulfinus BOETIUS, Episcopus Pictaviensis circa Annum 830 scriptor *Vitae S. Juniani* Abbatis Seculo VI Mariacensis ad Idoleum Abbatem Nobiliacensem, quae exstat in Mabillonii Actis SS. Benedictin Sec. I pag. 307.

Petrus BOHERIUS, supra, BOERIUS.

Henricus BOHICK, Leonensis Aremoricus JCtus circa Annum 1390 Scriptor *Commentariorum in quinque libros Decretalium,* et *in Titulum Clementinae de vita et honestate Clericorum,* qui MSS. in variis Bibliothecis. Vide Oudinum tomo III pag. 1251.

S. BOISILUS, Anglus, Maibrosensis Abbas circa Annum 702. cujus libellum *de fide, quae per charitatem operatur,* laudat Pitseus pag. 113.

Radulphus BOKKYNG, Cicestrensis Anglus, Ordinis Praedicatorum, scripsit *libros II de Vita S. Richardi,* Cicestriae in Anglia Episcopi, defuncti An. 1253 editos in Actis Sanctor. 3 Apr, t. III p. 282. Idem est, ni fallor, qui super sacram Scripturam citatur a Guilelmo Occam in compendio errorum Johannis XXII.

Guilelmus de BOLDENSLEVE, nobilis Vir Germanus, antea dictus *Otto de Rienhuss,* qui Anno 1315 deserto Ordine Praedicatorum, et absolutione hujus desertionis impetrata a Pontifice, petiit terram sanctam, illiusque itineris historiam An. 1336 scripsit ad Cardinalem Thalayrandum. de quo diligentissime Baluzius tomo I paparum Avenionensium pag. 770 sq. et p. 774 sq. de Guilelmo nostro, quem *de Baldensel* appellat cum Canisio, et quem in veteri Gallica versione Itinerarii, MS. in Bibliotheca Regia Paris. quam An. 1351 composuit Johannes de Yppre, testatur *de Boldesele* nuncupari. Latine editum est a Canisio cum Epistola ad Petrum Aulae Regiae Abbatem

tom. V Lectionum antiquarum parte 2 pag. 96 et tom. IV editionis novae pag. 332.

BOMEOLOGNINUS, sive *Bombologninus*, e Gabiano, Bononiensis, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1320 idem Echardo tom. I pag. 723 judice cum *Bartholomaeo Bononiensi*, de quo supra pag. 164 certe et hujus non alia scripta referuntur, quam in IV libros sententiarum, in quinque praedicabilia, decem Praedicamenta, et sex Principia Guilelmi Porretani.

BONACURSIUS, qui Anno 1190 scripsit *Manifestationem haereseos Catharorum, quondam Magister illorum Mediolani, nunc autem Catholicus.* Edita a Dacherio t. XIII Spicilegii pag. 63 et editionis novae tom. I pag. 208. Alius BONACURSIUS, Ordinis Praedicatorum, qui circa Annum 1262 scripsit Graece contra Graecos. Vide Jacobum Echardum tomo I pag. 156 seq.

* Libellus ille adversus Catharos a Dacherio vulgatus rhaepraesentatur etiam in meo Cod. haedino, ex quo nonnulla elicui ab editio Dacherii frustra repetenda. Atque illud in primis, quod Dacherianus Bonacursius episcopus erat Catharorum, quem titulus Episcopi nuspiam legas in nostro codice. Est insuper multo fusior codex noster prae Dacheriano. Vicissim autem multa desunt in nostro, quae in Dacheriano apparent; nam post titulum capitis illius *quod Christus* a Patre sit genitus et *quod idem cum patre sit Creator et Deus*, statim Codex noster amissa eius capitis probatione transit ad alia; nam habet: *haeretici qui habent ordinem suum de Drugutia:* Marchisius silicet *de Sorano Episcopus illorum de Sensario et Amizo filius eius maior praelatus unius partis haereticorum credunt et praedicant, et pro vero habent duos dominos esse sine principio* etc. Idem prosequitur per multa folia, quae desunt in edito. Tandem absolvitur nihil addens de Arnaldistis, de quibus in Dacheriano. Opusculum istud quod adeo multum differat ab editis suo facile tempore publici juris faciam.

De BONACCURSIIS Juris consultis adi Pancirollum II 24 et 67.

BONAGRATIA Italus Ordinis Minorum, circa Annum 1330. cujus *Articulos probationum* contra fratrem Ubertinum de Casalis edidit Baluzius tomo I Miscellan. pag. 293. Libellum *de paupertate CHRISTI* et alia inedita memorat Oudinus tom. III p. 889.

BONAGUIDA Aretinus JCtus circa Annum 1220 cujus *Margaritam Juris* et *Introductorium Advocatorum* laudat Trithemius cap. 433 etiam *in Decretales* scripsisse notat Guido Pancirollus lib. 3. c. 11.

* *Summa de patronum muneribus* in partes 5 distincta Cod. Taurin. CCLXIX Eiusdem tractatus brevis de dispensationibus continetur in MS. Cod. 451 Feliniano.

S. BONAVENTURA, Graece *Eutychius*, sive *Eustachius*, Balneoregiensis Hetruscus, alio nomine *Johannes Fidanza*, inter Scholasticos *Doctor Seraphicus*, Ordinis Minorum Generalis, Episcopus Albanensis, et per breve tempus Presbyter Cardinalis, interfuit Anno 1274 Concilio Lugdunensi, postque primam ejus Sessionem obiit anno aetatis 53. et deinde Sanctis adscriptus est An. 1482. et Doctor Ecclesiae A. 1587. Ex Epitaphii testimonio *bona sua semper ventura credidit Bonaventura dum vixit: praesentia ubi vidit, mutavit nomen cum vita.* Elatus * est funere, quale a memoria hominum gloriosius non legitur. Nam interfuit, et exequias sua praesentia *Gregorius X.* Pontifex summus cohonestavit. Adfuit *Imperator Graecorum* per Graecos proceres: Latinus vero Orientis Imperator *Balduinus* II per se ipsum. Occidentis autem imperio tunc vacante, adfuit *Jacobus Rex Aragoniae;* adfuerunt *Patriarchae Constantinopolitanus et Antiochenus, Cardinales universi*, Praesules ex Archiepiscoporum et Episcoporum ordine quingenti, Abbates sexaginta, alii minorum gentium Antistites ac sacerdotes supra mille; Regum ac Principum complurium Oratores, Tartarorum et aliorum populorum Legati; sacri demum ac politici ordinis homines innumerabiles. Sacris funeralibus solenniter operatus est, et laudationem funebrem dixit *Petrus Tarantasiensis*, ordinis Praedicatorum, ex Archiepiscopo Lugdunensi Cardinalis et Epi-

* Miraeus auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 72 editionis a me curatae.

scopus Ostiensis, ac demum Innocentius V Papa. Multa de eo Waddingus tum in Bibliotheca fratrum Ordinis Minorum, tum in Annalibus, variis in locis ab Anno 1221 et ad Annum 1274 et 1482 (qui etiam novam Operum Bonaventurae editionem locupletiorem, praemissis ad singula censuris, dare voluit) tum Acta Sanctorum 14 Julii, tom. III pag. 811 seqq. Raynaudus indiculo SS. Lugdunensium tomo VIII Operum pag. 37 seqq. et Dominicus de Colonia in Historia Litteraria Lugdunensi, edita Gallice tom. II pag. 307 quibus Possevinnm, Bellarminum, Caveum, et, qui fusius de illo ac de scriptis ejus disseruit, Oudinum tomo III p. 372 seqq. adjungere liceat. Cum autem unica exstat operum Bonaventurae editio, quae curantibus Constantino Sarnano Cardinale, et Angelo Roccha, ac Francisco Labata, Romae ab Anno 1588 ad 1596. octo Voluminibus in fol. Sixti V et Clementis VIII auspiciis lucem vidit, eam strictim referre ex usu lectoris esse existimavi.

TOMO I.

Isagoge in S. Scripturas. sive *Principium Sacrae Scripturae. Sermones XXIII* in diversa loca *Hexëameri* ex ore dicentis excepti. Expositio *in Psalterium, in Ecclesiasten,* (non in Ecclesiasticum, ut Jacobus le Lòng pag. 644 Bibliothecae Biblicae) *in Lamentationes Hieremiae* Prophetae.

TOMO II

Expositio *in Caput VI. Matthaei*, et *in Lucam.* Postilla et Collationes *in Evangelium Johannis.*

TOMO III.

Sermones de tempore et Sanctis per totum annum, et de communi Sanctorum.

* Sermones de tempore Argentinae 1496 in 4.

TOMO IV.

Commentarii *in librum primum et secundum*, et

TOMO V.

In tertium et quartum Sententiarum, ex edit. Norimb. 1491.

TOMO VI.

Opusculorum (quorum pleraque jam An. 1489, 1495, 1504 et 1563 prodierant, vel recusa etiam deinde 1609 1611 et 1647 de quibus editionibus Oudinus) *pars prima.* De reductione artium ad Theologiam. Breviloquium libris VII. Centiloquium libris IV. Pharetra, sive libri IV ex Patribus sub certis digesti titulis. Declaratio terminorum Theologiae. Principium compendiosum in libros Sententiarum. Sententiae quatuor librorum Sententiarum, Carmine digestae. Incipit: *O fons splendoris.* De quatuor Virtutibus Cardinalibus. De septem donis Spiritus Sancti. De tribus ternariis peccatorum infamibus. De resurrectione a peccato per Gratiam. Diaeta Salutis. De Ecclesiastica Hierarchia.

Secunda pars, Soliloquium. De meditatione Vitae DOMINI nostri JESU CHRISTI. Libellus meditationum. De septem gradibus contemplationis. De quinque festivitatibus pueri JESU. Officium de Passione Dominica. De sancta Cruce laudatio. Lignum Vitae. Speculum de laudibus Mariae, quod sub nomine BONAVENTURÆ *Baduarii di Peraga* Augustiniani, qui Anno 1380 vixit, impressum Norimbergae, Augustae et Argentoriati 1476 Bonaventurae nostro, ut pleraque alia abjudicatur ab Oudino tom III, pag. 409. De corona, sive rosario B. Mariae De compassione ejusdem. Philomela * passioni Domini aptata per septem horas, cujus carminis initium:

Philomela praevia temporis amoeni
Quae recessum nuncias imbris atque coeni etc.

Aliud Carmen, Opus contemplationis, quod incipit: *JESUS ineffabilis.* De septem Verbis Domini in Cruce. Psalterium B. Mariae majus, et Psalterium B. Mariae minus, (de quibus plura dixi in Indiculo Mariano.) Carmina super Canticum: *Salve Regina.* Initium: *Salve Virgo Virginum.* Epistola ad Magistrum innominatum.

TOMO VII.

Pars Opusculorum tertia De institutione Vitae Christianae. De regimine animae ad

* Ab Andreae Schotto etiam edita in Ludovici Granatensis Operibus tom. III pag. 741. Haec a Jo. Baleo V 79 pag. 450 refertur ad *Joannem Hovedenum* Anglum. De longiore metaphrasi Latina Johannis Baptistae Rossi Soc. Jes et Italica Jacobi de Portu vide Leyserum de Poëtis medii aevi pag. 1005 ex Waddingi p. 75.

Blancam, Hispaniae Reginam. Speculum animae. De decem Praeceptis. Formula aurea de gradibus Virtutum. Itinerarium mentis in DEUM. De septem itineribus aeternitatis. Stimulus Divini amoris, Gallice non pridem versuseditusque separatim a Godello Parisiis 1713 12. Parvum bonum, sive incendium amoris. Exercitiorum spiritualium libellus. Fascicularius. Viginti quinque memorialia. Confessionale. De ratione confitendi. De puritate Conscientia. De praeparatione Sacerdotis ad Missam. ExpositioMissae. De sex alis Cherubim. De sex alis Seraphim.

TOMO VIII.

Pars Opusculorum quarta. De triplici statu Religiosorum. Speculum disciplinae propter Novitios. Viginti passus Novitiorum. In Regulam Novitiorum. De Processu Religionis. De contemtu Seculi. De reformatione mentis. Alphabetum parvum boni Monachi. De perfectione vitae, ad Sorores. Declaratio Regulae Minorum. Determinationes Quaestionum circa eandem Regulam. Quare Fratres Minores praedicent et Confessiones audiant. De paupertate Christi, contra Magistrum *Guilelmum de S. Amore*,* Matisconensem Canonicum. (vide Bzovium ad Annum 1257 num. 4) Quod Christus et Apostoli nudis pedibus incedebant, sive de sandaliis Apostolorum. Apologia Evangelicae paupertatis, adversus *Gerbardum de Abbatisvilla*. Contra calumniatores Regulae Franciscanae. Apologeticus in eos, qui Ordini Minorum adversantur. De non frequentandis quaestubus * cavendisque discursibus. Octo Collationum libellus ad fratres Tolosanos ex editione Argentorat. An. 1495. De reformandis Fratribus ad Ministros Provinciales et Custodes.

In appendice Compendium Theologicae Veritatis. Summa de essentia, invisibilitate et immensitate DEI. De mystica Theologia. Incip. *Viae Sion lugent*.

Hactenus junctim edita BONAVENTURAE Opera.

Alia, quae in tomis Operum Bonaventurae non exstant, et a Waddingo pag, 69. Bibliothecae Fratrum Ordinis Minorum memorantur, haec sunt:

Summa Grammaticae speculativae. Inc. Quaeritur utrum conclusio.

Tractatus Logicae de signis universalibus in quatuor partes distributus, Inc. Circa signa universalia.

Quaestiones super libros de Generatione. Quaeritur an scientia.

Quaestiones super 4 lib. Topicorum. Omne quod appetitur.

Quaestiones super Libros Meteororum. Quaeritur utrum scientia.

Epistolae aliquot.

Postillae in Cantica Canticorum.

Tractatus super illa verba Psalmi 45. *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus*. Inc. Sicut inter omnia.

Tractatus in cap. 5 Ezechielis. Cum essem in medio.

In cap. 10 ejusdem. Ingredere in medio.

In cap. 4 Apocalypsis. Quatuor animalia.

In cap. 5 ejusdem. Vidi in dextera sedentis.

In universam Apocalypsim Commentaria. Praemittitur huic libro.

Opusculum doctissimum dictum *Verbum abbreviatum*, in quo per multa capita omnes commendat virtutes, et vitia docet fugienda.

Opusculum *de Corpore, et sanguine Christi*. Ad honorem gloriosae.

Alia etiam pleraque scripsisse testantur plerique. Sixtus Senensis libro quarto Bibliothecae reliquisse ait, *Compendium metricum Scholasticum utriusque Testamenti versibus dimetris Jambicis*, libera, solutaque syllabarum lege, quos ita disponit, ut singula Tetrasticha summam unius capituli contineant, ejus initium ait esse: *Mundus fit in principio*.

Petrus Galesinus in ejus vita: *Multos veteris Testamenti, et omnes libros novi exposuisse*, scribit. Ptolomaeus Lucensis *ad omne Pauli Epistolas Commentarios* adhibuisse.

Petrus Rodulphus, *In Evangelia, et Epistolas totius anni* scripsisse, et opus se accepisse a Laurentio Campeggio Feltrensium Episcopo narrat: Insuper ait composuisse *Officium sancti Francisci*, *Libellum majoris*

* Henr. Gandavensi cap. 47.

* Male apud Bellarminum, Caveum et alios excusum *Quaestionibus*.

Introductorii; De patribus domus religiosae dialogum. Librum de Consideratione: de Divisione rerum Universi, Epistolam ad Michaelem Imperatorem Graecorum, secundam ad suam sororem, tertiam ad sororem sanctae Clarae. Item quae diximus, *Commentaria in Cantica, et in Apocalypsim.* In Bibliotheca Florentina Patrum Conventualium habetur ejus opusculum, *de Ortu scientiarum.* Toleti Anno 1525 et alibi non semel prodiit sub ejus nomine opusculum inscriptum, *Doctrina Cordis*, Hispanice traductum.

Johannes Rioche affirmat ejus opus esse prosam illam, seu metrum *Lauda Sion Salvatorem*, quod in Missa solemnitatis Corporis Christi recitatur; idque ipsum asserit Pisanus in suo Catalogo supra relato, et quidem redolet stylum, et facilitatem Rhythmorum Bonaventurae, in quorum suavi concentu erat felicissimus. Quid si totam Missam ille composuerit, et sanctus Thomas Aquinas Officium? Jussus enim uterque per Urbanum Quartum id Officium ordinare, quid si acceptum fuerit Thomae Officium, grataque Missa Bonaventurae? Alphonsus Ciccarellus, insignis confictor librorum, qui sub Gregorio decimotertio perniciosas imposturas, et fraudes luit poena capitali; haec tribuerat Bonaventurae opuscula; sed vere Apocrypha, et spuria. Opus intulatum, *Flos Florum.* Alterum *Lilium Originalium.* Tertium, *de poenis Inferni, et gloria Paradisi* At vero genuina eius opuscula ad tercentum pervenisse asserunt, Marianus Florentinus; Octavianus a Martinis Sinvessanus, Stephanus Brulifer, Firmamenta trium Ordinum, Petrus Galesinus et alii. *Haec Waddingus.*

* Praeteriisse pigeret miram nominis transformationem, qua deformatur scriptoris huius nomen in Cod. MS. Bibl. Faesulanae, cuius *Biblioth. summam* nuper Florentinis typis evulgavit vir doctus P. Antonius Pallavicini Can. Reg. eamque ad me, qua est humanitate, transmisit. En illam: *Magistri Bonae fortunae breviloquium in S. Scripturam.*

(44 Alia editio addita Tab. prodiit *Lugduni* 1667. 81. vol. VIII. fol. *Operum supplementum. a Franc. Benedicto Bonelli. fol. Tridenti* 1774. vol. 3.)

BONAVENTURA *Aesinus*, Ordinis Minor. a Cangio memoratur ex ejusdem Waddingi Bibliotheca Franciscanorum pag. 61 qui tamen nec de aetate ejus docet, nec quicquam ejus memorat nisi *Sermones* in singulas Anni Dominicas, MStos Patavii.

BONAVENTURA *Baduarius de Peraga*, Patavinus, Ordinis S. Augustini, et ab An. 1384 ad 1389 Cardinalis, cui alii malunt tribuere *Speculum de laudibus B. Mariae*, quod inter S. Bonaventurae Opera tom. VI legitur, ut supra pag. 235 dicere me memini Eidem *Meditationes de Vita CHRISTI* et *in libros Sententiarum tomos quatuor* tribui video a Holano apud Miraeum in auctario de S. E. 81. et a Philippo Elssio pag 131. Encomiastici Augustiniani: *Breviloquium* quoque, quibus titulis itidem inter Bonaventurae opera leguntur. Ab hoc Baduario praeter rem distinguitur apud Cangium Bonaventura Patavinus Augustinianus Theologus Cardinalis A. 1320. Idem enim est, qui per immissum a Patavino regulo sicarium, sagitta confixus Romae A. 1389 occubuit. Vide V. C. Jo. Dav. Koeleri Schediasma Historicum de Numismate Jacobi Grandis de Carraria, Domini Patavii, editum Altorf. 1717 4.to Trithemius cap. 564 hunc Bonaventuram libertatis Ecclesiae defensorem acerrimum et Martyrem celebrat, ex scriptis autem eius nulla alia commemorat nisi *Sermones de tempore et de Sanctis.* His Elssius aliique *Sermones ad Clerum* et *Commentaria in Canonicas S. Jacobi et Johannis Epistolas* adjungunt, et *Sermonarium Scholasticum* in Evangelia totius anni, et *Vitas Sanctorum*, et *Ternarium* sive trinum bonum Conscientiae.

BONAVENTURA *Brixianus*. Ordinis Minorum, cujus *Regulam*, sive *Normam Musicae Planae*, seu *Gregorianae* apud Waddingum video memorari. Apud Possevinum perperam excusum: *Regulam Musicae plane digessit*, nam debebat esse *Musicae planae.*

BONAVENTURAE *e Callio*, Italus e Waddingo apud Cangium memoratus, nihil aliud de eo referente, quam Tractatus nonnullos variarum rerum reliquisse, qui in Bibliotheca Franciscanorum Bononiae asservantur. Nec plura Henricus Willotus, Fran-

ciscus Gonzaga, et Rodulphus Tossiniacensis apud Possevinum.

Christophorus de BONDELMONTIBUS, Florentinus Presbyter, cujus *liber Insularum Archipelagi* An. 1422 ex Civitate Rhodi missus ad Jordanem Cardinalem, MS. exstat in variis Bibliothecis Italiae, Galliae et Belgii. Vide Oudinum t. III p. 2331 et Julium Nigrum p. 137 seq. Historiae Scriptorum Florentinor. Ex hoc libro adhuc inedito *Descriptionem Constantinopoleos*, edidit Cangius in notis ad Cinnamum p. 179–181.

Honoratus BONETUS, Gallus, non Augustinianus, sed Prior Carthusiae Gallionensis in Archiepiscopatu Rothomagensi, scripsit circa Annum 1395. *Somnium Viridarii* adversus Schisma, ex quo Latine nonnulla refert Joannes Wolfius tom. I Lectionum memorabilium pag. 646 séq. praeter rem illud referens ad Carolum V Galliae Regem, tanquam Auctorem. Confer Oudinum tom. III pag. 1271 seq. ubi de Opere ejusdem Boneti, quod de eodem argumento lingua Gallica Provinciali editum Parisiis 1593 fol. *Arbre des Batailles.*

BONIFACIUS I Pontifex Romanus ab Anno Christi 418, 29 Decembr. ad 423 Septembr. 4 de quo Tillemontius tom. XII Memoriarum Eccles. pag. 385 seq. *Epistola ad Episcopos* Galliae, et altera *ad Hilarium*, *Episcopum Narbonensem*, exstat in Sirmondi Conciliis Galliae tom. I pag. 48. Cum his etiam tertia *ad Honorium Imp.* subjuncto Honorii ad eum rescripto de uno tantum Romae ferendo Episcopo, in Collectionibus Dionysii Exigui, et Isidori Mercatoris et Franc. Joverii et in tom. Conciliorum, Regia tom. IV. Binii et Harduini tom. I. Labbei tom. II Coleti Veneta tom. III. His accedunt decreta quatuor apud Gratianum, Carranzam, Barbosam: et alia duo ex Codice quinque librorum lib. 4 cap. 21 et 13 quanquam Harduinus ilia omisit. Ejusdem Bonifacii *Epistolae V* An. 419 et 422 datae *ad Rufum* Thessalonicensem, et *ad Episcopos* per Thessaliam, Macedoniam, Achajam, Epirum veterem novamque, Praevalin et Daciam constitutos editae a Luca Holstenio in Collectione Romana, Romae 166, 8vo, tom. I pag. 51, 54, 60, 65 et 69 atque inde in recentioribus Conciliorum tomis, una cum Actis Concilii A. 531 de quo mox.

BONIFACIUS II Papa ab Anno 530, 29 Septembr. ad 532 Octobr. 24. Sub quo habitum Anno 531. Concilium Romanum, quod edidit Holstenius. Ex *Epistolis* ejus, quae apud Isidorum et in tomis Conciliorum exstat, altera *ad Eulalium* Alexandrinum de Africanae Ecclesia reconciliatione cum Romana, suspectae fidei etiam Baronio ad Martyrolog. 17 Octobr. et ad An. 419 num. 32. Altera *ad Caesarium* Arelatensem subscriptos habet Consules, Justinianum III et Orestem, verum tertius Justiniani Consules, Justiniani Consulatus incidit in Annum 533. Sed ecce tibi gravem Baronii indignationem ubi de priore Epistola Bonifacio supposita loquitur ad Annum 530 num. 5. *Eant procul a fidelium coetu, qui in Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, ejusmodi conantur inferre quisquilias, longeque longius exulent a Catholico Orbe, qui quae corruere videntur, mendaciis suffulcire nituntur: nam super solidum firmamentum firmamque petram structa est semper manens, nunquam casura fides.* Major futurus erat Baronius, si hujus dicti sui semper meminisset. Memorantur et Bonifacii II *Epistola ad Clerum Romanae Ecclesiae* et *Decreta* apud Gratianum etc.

BONIFACIUS III ex Gregorii M. apocrisiario Pontifex Romanus, (*Oecumenici* titulum a Phoca Imperatore consecutus) ab Anno 607, 20 Jan. ad 607. Octobr. 20 sub quo celebratum teste Anastasio Concilium Romanum LXXII Episcoporum, in quo constitutum de Pontificis electione. Vide Baronium ad Annum 606 num. 8. qui et Acta Concilii illius, et Epistolas hujus Bonifacii et Decreta varia notat intercidisse.

BONIFACIUS IV Papa ab Anno 608 Augusti 25 ad 615 Maji 8 de quo vide Acta Sanctorum 25. Maji tom. VI pag. 75 sqq. Ejusdem *Epistola ad Athelbertum, Regem Anglorum*, ex Annalibus Petroburgensibus edita a Speelmanno tom. I Conciliorum Angliae pag. 130. et ex alio Codice in Holstenii Collectione Romana pag. 246 atque inde in Conciliorum tomis. Vide etiam Speelmannum tomo I pag. 128. ex Bedae lib. 2 cap.

4. *Decretum* promulgatum in Concilio Romano An. 610 *quod Monachis Sacerdotalia Officia suscipere iisque fungi liceat:* apud eundem Holstenium pag. 242 et in Conciliis Labbei tom. V pag. 1619. Harduini tom. III pag. 544. De *Arte Alchymica* hujus Bonifacii quam in Anglia MStam exstare scripsit Thomas Jamasius, et de scriptis, quae incerta fide ad eum refert Thomas Dempsterus, ut Paraenesin ad Scotos, Doctrinale Fidei, et de praerogativa Petri, vide Ludovici a S. Carolo Bibliothecam Pontificiam pag. 28 seq.

BONIFACIUS V Papa ab An. 620 Aprilis 27 ad 626 Mart. 11. Cujus *Epistolae* 1 *ad Justum* nuper Roffensem, nunc Cantuariensem Episcopum, cui mittit pallium. 2 *ad Edwinum*, Regem Noorthumbrorum, quem ad Fidem Christianam amplectendam hortatur, et 3 *ad Edelburgam*, Edwini Regis Conjugem, cui de Fide suscepta gratulatur. Exstant apud Speelmannum tomo I Concil. Britannic. pag. 134, 135, 137 et in Conciliorum tomis.

BONIFACII VI qui fuit ab 11 usque ad 25 Aprilis Anni 896. et BONIFACII VII Papae a Januario usque ad Decembrem Anni 985 nulla scripta feruntur.

BONIFACIUS VIII Papa a 24 Decembr. Anno 1294 usque ad 1303 Octobris 11 nimis arrogans et ambitiosus judice Trithemio cap. 511. de cujus contentionibus infelicibus cum Philippo Bello, sive Pulchro, Francorum Rege, integra exstant Volumina a) Petri Puteani aliorumque, et novissime Adriani Bailleti, b) ut ineditos libros quinque Edmundi Richerii de hoc argumento praeteream et quae Natalis Alex. Sec. XIV dissertat. 9. Abbas Choisy. tomo septimo Histor. Eccles. Felix Osius notis ad Mussatum, tom. VI Thesauri Italiae Graevio Burmanniani Parte II pag. 607 seqq. ac denique defensor Bonifacii praeter Baronium totque alios celebris Joannes Rubeus, Romae 1631, 4. Ex ejus *Registro Epistolarum* paucae in Conciliorum tomis, plures apud Waddingum tomo tertio Annalium et apud Bzovium obviae, ut a Caveo jam notatum *Constitutiones X* in Bullario magno Laërtii Cherubini tom. I pag. 198 seqq. in quibus Canonizatio Ludovici IX Regis Franciae Anno 1297 et de indulgentiis Jubilaei A. 1300 et erectiones studiorum generalium in Civitate Firmana, Romae et Avenione An. 1303. *Sextus liber Decretalium*, huius Bonifacii auspiciis conditus est a tribus Cardinalibus Guilelmo de Mandagoto, Berengario Fredello, sive Stredelio, et Richardo de Senis. Preterea Ludovicus a S. Carolo memorat p. 32 eius. *de regulis Juris*, nec non *de Christianae Fidei et Romanorum Pontificum persecutionibus*, (quod rectius refertur ad *Bonifacium Simonettam*, de quo infra) et Orationem, *Ave Virgo gloriosa*, *Sermonesque duos*, quos *in Canonizatione Regis Franciae Ludovici IX* dixit An. 1297. *Bullam*, qua An. 1296. Jacobum II Aragonum Regem, exercitus Chistiani Ducem constituit, exhibet Aguirre t. III Concil. Hispan. p. 537. *Epistola* ad Regem Maioricarum in Dacherii Spicilegio tom. VII pag. 322 (editionis novae tom. III pag. 694.)

(45 Storia di Bonifazio VIII e de' suoi tempi divisa in libri sei per D. Luigi Tosti Monaco ec. co' tipi di Monte Cassino 1846, 8 gr. v. 2.)

BONIFACIUS IX Papa ab Anno 1389 Novembr. 2 ad An. 1404 Oct. 1. Eius *Constitutiones V* in Bullario magno Cherubini tom I pag. 293 sqq. in quibus Canonizatio S. Brigittae An. 1391 Institutio Festi Visitationis B. Mariae An. 1390 et erectio Studii generalis Ferrariensis A. 1301. Conferendae quae apud Bzovium exstant, et quae ex *Regesto* ejus apud Waddingum tomo Annalium Ordinis Minorum quarto quintoque. *Epistola pro Ecclesia Parisiensi* in tomis Conciliorum, ut tomo VII. Harduini pag. 1912. Aliae *quinque* apud Dacherium tom. VI Spicilegii, et tom. I editionis novae pag. 766 seq. Bullam *degradationis Wencesslai Imperatoris* apud Goldastum

a) Acta inter Bonifacium VIII Benedictum XI. Clementem V Papas et Philippum Pulchrum Regem, Parisiis 1614 8. Adde Jacobi le Long Bibliothecam Historicorum Galliae, pag. 565.

b) Parisiis 1717 12. Europe Savante A. 1718 mense Septembr. n. 67. Acta Eruditorum tom. VIII Supplementi pag. 54. Journal des Savans A. 1718 p. 524.

c) Id. pag. 525.

Constitut. Imperial. tomo I exstare scribit Hendreichius. Sed ibi pag. 379 et apud Bzovium ad A. 1400 et tom. II Urstisii pag. 180 exstat formula exauctorationis Wenceslai factae, ab Electoribus et Ordinibus Imperii, anno XI Bonifacii noni. Aliud autem anno secundo Bonifacii IX decretum pro confirmanda Friderici II et Caroli IV constitutione de libertate Ecclesiastica A. 1391 bis apud Goldastum exstat, tomo I pag. 376 et tomo II pag. 95.

S. BONIFACIUS, *Winifridus*, Devoniensis Anglus, Ordinis Benedict, Archiepiscopus *Moguntinus* ab Anno 744 ad 754 et Germanorum Apostolus. *Quicquid enim ante eum alii praestiterint, maxima propugnatae et instauratae per Germaniam Christianae Religionis gloria penes CAROLUM M. Imperatorem et BONIFACIUM manet. Bonifacius sane quicquid erat inter Rhenum et Visurgim populorum, inprimis Frisios Christianam fidem docuit: qui vero Christiana sacra jam ante receperant, hos confirmavit, iisque disciplinam ac Leges Ecclesiasticas sanxit.* Haec vere Hermannus Conringius tomo II Operum pag. 701. cui addendus illustris Hermannus Bünau tom. II Historiae Imperii Germanico idiomate editae pag. 295. qui etiam pag. 300 notat ab hoc Bonifacio primum A. 752 unctum Pipinum, Regem Francorum, quem deinde An 754 iterato unxit Stephanus III Papa, absolutis ab homagii Childerico III praestiti obligatione Francis. De hoc Bonifacio conferenda inprimis Acta Sanctorum 5 Jun. tomo I p. 452 sq. ubi praeter vitam scriptam a *Willibaldo* habes pag. 477 etiam scriptam a Presbytero S. Martini Ultrajectensis, et pag. 481 a quodam Monasteriensi. *Othloni* * labor, qui Willibaldum faciliore stylo exposuit, et in duos libros distinxit, exstat etiam apud Surium 5. Junii. Plura Nicolaus Serarius libro tertio rerum Moguntinarum, et ad eum notae Georgii Christiani Johannis: Vide sis etiam Vitam S. Sturmii apud Surium 17 Decembr. S. Lebuini 12 Novembr. et S. Willibrordi 7. Novembr. et scriptores, quos laudavi in libro de propagatione Lucis Evangelica cap. 19. *S. Bonifacii et ad eum scriptae Epistolae CLI* editae cum notis a Nicolao Serario, Mogunt. 1706, 4 et in Bibliothecis Patrum Parisiensibus et Coloniensis supplemento tom. II pag. 48 et tomo VIII et Lugdunens. tom. XIII. *Epistola ad Zachariam* Papam An. 745 de causa Adelberti Halli et Clementis Scoti, in Usseri Epistolis Hibernicis p. 44 cum Zachariae Epistolis da Bonifacium. *Statuta XXXVI* ex vetusta Canonum Collectione MS. Corbejensis Monasterii in Spicilegio Dacheriano tom. IX p. 63 et editionis novae tom I pag. 507–509. De *Vita S Livini*, quam Bonifacio centum annis vetustiori Mabillonius, mox infra sum dicturus. *Epistola ad Erchebaldum*, Angliae Regem, occurrit apud Wernerum Rollevinck lib. I de moribus et situ Westphalorum cap. 7 *Sermones VI* ex Codice Reginae Christianae a Mabillonio descriptos memorat Oudinus tomo primo pag. 1789.

*Ejus sermones XV pub. juris fecit P. Martene Vet. Monum. t. IX, 187 etc. Ex his tamen Sermo XV idem omnino esse cum V facile crederetur; nam eadem utrimque codem ordine, et saepe iisdem verbis recurrunt, quamquam et alia quaedam altrinsecus intermiscentur, quae in altero non leguntur. Quo tempore singulae Epistolae S. Bonifacii scriptae sint, cum in editis mendosas temporis notas praeferant, ego scripta dissertatione investigavi. Ext. in concilior. supplem. I. 551.

BONIFACIUS *de Ceva*, Ligur, Ordinis Minorum, defunctus Parisiis anno 1512. Praeter Constitutiones reformandis ordinis sui excogitatas abusibus, scripsit Tractatum *de perfectione Christiana* Parisiis 1517. *Viaticas excursiones* de variis hominum vitiis ad Johannem Episcopum Taurinensem. ibid. 1518. Tractatum *de scientia et arte bene moriendi. Quadragesimale*, *Sermones Paschales*, *Responsionem ad Apologiam* etc. Vide Waddingum pag. 85.

* Annus emortualis viri huius scriptis clari longe profecto alius est, quam qui hic exprimitur, nam an. 1515 adhuc vivebat, deditque hoc ipso anno epistolam ad Joannem Gozthon praesulem Jauriensis Eccle-

* Adde Mabillon. Analect. pag. 207 editionis novae in fol.

siae praefixam *viaticis* eius *excursionibus*. Quoad eius apologiam, seu Responsionem ad apologiam nihil aliud esse puto, quam quae legitur impressa in fine viaticarum eius excursionum, ubi narrat quae sibi ab adversariis toleranda fuerint adversa. Quadragesimales eius conciones prodierunt Parisiis an. 1517 in 4.

BONIFACIUS Scriptor *Vitae S. Livini* Flandriae Sec. VII Apostoli, quam Bonifacio Moguntino incerta fide quidam tribuunt, et cum ejus Epistolis Serarius dono acceptam a Miraeo, edidit. Exstat in Mabillonii Sec. 2 Actorum Sanctorum Benedictin. pag. 448 qui eam seniori Bonifacio circa Annum 680 tribuit. Adde quae de hoc Livino ex Breviario Ecclesiae Gandensis Surius 12 Novembris, ubi etiam de *Lebuino* Francorum Apostolo Saxonumque.

BONIFACIUS Ferrarius de Valentia, frater S. Vincentii Ferrarii, Catalanus Carthusiensis Prior, qui Anno 1419 * obiit, scripsit teste Trithemio cap. 757. *Cur in Ordine Carthusiensi pauci canonizati sint*, *et miracula publice non faciant*, ad Bonifacium Carthusiensem: Et *Epistolas*, et *de approbatione Ordinis*.

* *Bonifacius Fereri* seu Ferrerius scripsit tractatum pro defensione Benedicti XII Pontificis, uti vocant, Avenioniensis, qui in schismate contra Urbanum VI et Benedictum XII sedit. Opusculum istud vulgavit P. Martene Anecdot. II, 1435 ubi et adiecit eiusdem Bonifacii Epistolam ad Fr. Bernardum, quem certiorem facit F. Guillelmus de Motan Chartusianum relicto Balthassare Coxa transisse ad Benedictum XIII. Subiunguntur ibidem literae tres Benedicti ad eumdem Bonifacium, quem priorem majoris Carthusiae esse mandat.

BONIFACIUS Simonetta Mediolanensis Abbas Monasterii S. Stephani de Cornu in dioecesi Placentina, Ordinis Cisterciensis, circa Annum 1490. Scriptor Operis in libros VI distributi complectentis Epistolas 279 et Orationes tres, in quibus Christianam Religionem Moysisque et Mahomedis Legem inter se comparat, e praeter varia Anatomica, Medica, Geographica, Astronomica et Mathematica tractat, de Christianae fidei et Rom. Pontificum persecutionibus a S. Petro ad Innocentium VIII. Opus dicatum Carolo VIII Galliae Regi, atque editum Mediolani * 1492. et Hieronymo Emsero curante Basileae 1509 et versum etiam Gallice * ab Octaviano de S. Gelais, Episcopo Engolismensi. Vide Carolum de Visch pag. 55 seq Bibl. Cisterciensis.

BONIFACIUS Episcopus, quem Sigebertus Gemblacensis cap. 121 notat metrico stylo librum scripsisse *de Virtutibus et Vitiis;* non diversus fortasse a S. Bonifacio Moguntino, de quo supra.

BONIFACIUS Veronensis Princeps, Saeculo XV auctor poëmatis mille versuum *de S. Veronica*, quod MS. fuit in Bibl. Gabrielis Naudaei. Incipit: *Coelestes aditus et divi Numina vultus.*

Laurentius BONINCONTRIUS Hetruscus Miniatensis, amicus Marsilii Ficini, qui eum plus simplici vice laudat in Epistolis. Humaniores litteras docuit Mantuae, ut constat ex Alberti Mussati in eum carmine t. VI Thesauri Scriptorum Italiae Burmanniani P. II pag. 50. Inter scripta hujus Bonincontrii Pocciantus, et Julius Niger in Historia Scriptorum Florentinorum refert *factorum librum,* quo designari videntur *Annales*, rerum Florentinorum maxime, ab Anno 1360 usque ad A. 1458 in lucem editi demum nuper a celeberrimo Muratorio, in limine tomi XXI, (XXIII.) Scriptorum Italiae, a quo ejus *libros IX de ortu Regum Neapolitanorum* * et rerum undique gestarum ad Equitem Antonellum de Petratii, alio Volumine vulgandum exspectamus. Idem est Bonincontrius, qui *Manilii* Poëtae Astronomicon libros V cum Commentariis edidit Bononiae 1474 folio, recusum Romae 1484 eodemque Anno Florentiae: Ipse quoque Heroico carmine scripsit *libros tres* rerum naturalium et Divinarum, sive *de rebus Coelestibus*, ex Lucae Gaurici recognitione, editos Basileae An. 1540, 4. in quibus *stilum* quidem *longe inferiorem argumento* judicat Julius Caesar Scaliger lib. VI de re Poëtica

* Labbe pag. 351 Biblioth. MS. *la persecution de l'Eglise et des Souverains Eveques.*

* Acta Erud. A. 1755 pag. 412.

pag. 798. *non pauca tamen attentius legenti placere posse* non diffitetur. Portentosam ei doctrinam tribuit Lilius Gyraldus de Poëtis sui temporis, ubi hos ejus de DEO versus refert lib. 1 de poetis sui temporis p. 29.

Hic duo venturis statuit primordia rebus,
Principio altricem sylvam, rerumque parentem
Quae generum in sese caperet simulacra creavit.

Laudasse Oratione absoluta Phoebum et Saturnum, tradit ex Poccianto Julius Niger in Scriptorum Florentinorum Historia pag. 366. De ejus *Fastorum* libro et tractatu Astrologico *de electionibus* vide Hendreichium pag. 646.

* Historiam illam de ortu Regum Neapolitanor; quam clariss. Muratorius edendam in se susceperat, nec fidem datam redemerat, vir alter clarissimus Jo. Lamius nomen eruditis percognitum vulgavit in suis Delic. Eruditor. eiusq. tomos plures jam produxit. Accepit eam ex MS. insignis Biblioth. Riccardianae. Ex eiusdem Lamii praefatione discimus hanc, Siculam, vel utriusque Siciliae historiam an. 1414 absolvi; addit insuper idem Lamius Annales Bonincontri a Muratorio vulgatos multo altius coepisse quam ab an. 1360. sed superiora omnia utpote nihil novi tradentia, et fabulosi multum continentia Muratorium ipsum praecidisse.

BONINCONTRIUS *Morigia*, Modoëtiensis in Ducatu Mediolanensi, militia et civili prudentia clarus Historicus Mediolanensis circa Annum 1350 laudatus a Tristano Chalco, Georgio Merula, Bernhardino Corio, Caspare Bugato, Paulo Morigia aliisque. Ejus *Chronicon Modoëtiense* ab Origine Civitatis usque ad Annum 1349 ex Codice membranaceo Bibliothecae Ambrosianae editum in corpore laudatissimo Scriptorum Italiae Mediolanensi tom. XII (XIV) recensente V. C. Joanne Antonio Saxio.

BONITIUS, sive BONIZUS, Martino Polono *Bonisius*, Anonymo Mellicensi *Ponizus*, Bertholdo *Bonizzo*, *Bonitho* aliis, Ptolomaeo Lucensi *Bonzo*, Sutrii in Tuscia deinde Placentiae Episcopus, Anno 1089 14 Jul. a Placentinis cum Henrico IV Imperatore in schismate facientibus crudeliter effosis oculis * et truncatis membris occisus. Vide Ughellum tom. I, pag. 1275 et tom. II, p. 210 seq. Ejus *librum de Sacramentis* ad Gualterium, Leonensis Monasterii Abbatem, in Bibliotheca Ambrosiana evolvit Joannes Mabillonius, ipsumque in illo alterius opusculi sui *contra Ugonem Schismaticum* meminisse refert p. 14 Itineris Italici. Ejusdem opusculi sui mentionem facit etiam Bonizo in extremo *Chronicae Romanorum Pontificum* a Petro usque ad Urbanum II. quam *Decretali* operi, de quo mox, prooemii loco praefixit, Nimirum alios praeterea *duos libros* scripsit *de Pontificibus Romanis*, quorum *prior*, de rebus sub Benedicto IX et insecutis Pontificibus et Anti-Papis usque ad obitum Gregorii VII An. 1085 inscriptus *ad Amicum*; *alter* autem de Actis primi et ex parte secundi anni Pontificatus Urbani II electi An. 1088. 12 Martii, ille ipse est *in Hugonem Schismaticum,* hoc est, ut Pagius ad Annum 1044 num. 7 ex Lambecii tomo II, pag. 798 jam monuit, contra Hugonem cognomento Candidum, Cardinalem Presbyterum tituli S. Clementis, qui A. 1061 ab obitu Nicolai II Papae, antesignanus fuit eorum, qui novum Pontificem Romanum non nisi consulto et consentiente Imperatore Henrico IV creandum esse contenderunt. Ejusdem Bonizonis *Paradisus Augustinianus,* sive epitome operum et sententiarum S. Augustini *libris octo* digesta, exstat MS. in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi, teste Lambecio tom. II, pag. 790 seq. ubi argumenta librorum et exordium dedicationis ad Joannem Walbertum, Vallis umbrosae Abbatem primum exhibet, circa Annum 1070 et antequam ad Episcopatum eveheretur. Sed praecipuum opus Bonizonis est, cui epitomen sive Chronicon de Pontificibus praefixum esse jam dixi, et quod in eodem librario Caesaris Thesauro MS. servari idem Lambecius pag. 797 seq, testatur, *Decretale*, sive syntagma decretorum Ecclesiasticorum ex Sacra Scriptura, probatisque Conciliis, Pontificum Rom. SS. Patrum aliorumque orthodoxorum auctorum monumentis collectum, et secundum locos communes in *septem libros* divisum.

* Vide Bertholdum Constantiensem tom. I Urstisii pag. 362.

**Bonitius* seu, ut legit Cod. Vindobonensis, Bonito. Cum ego bonis avibus deductus fuerim Viennam Austriae de Cod. Bonizonis a Lambecio jam indicato requisivi sollicitus, quem cum mihi suppeditasset doctissimus aeque ac humanissimus D. Nicolaus de Fronosia Neapolitanus eiusdem Bibliothecae custos primarius, evolvi illum sedulo ac diligenter. Quamquam vero agnovi opus illud Decretale in 7 libros distingui, adhuc tamen distinctionem illam librorum minus diligenter a librario adnotatam fuisse suspicatus sum. In fine enim Codicis haec legi. *De iis qui juxta Apostolum traditi sunt Satanae* ec. in Coena Domini ab Episcopo *debeant reconciliari in nono libro si vita comes fuerit, plenius enarrabo.* Igitur 8 librum jam absolverat. Ex quo fit, ut qui codex in libros 7 distinguitur, librorum numeros mendosos habeat. Codex alter collectionis huius Canonicae a Bonitio confectae non ante multos annos repertus est Brixiae, ut me dudum admonuit per literas vir doctissimus P. Jo. Ambr. Gradenigo Theatinus, qui simul misit breve eiusdem schema, ex quo mihi licet illud utcumque conferre cum altero Vindobonensi Codice, quod praesens invisi. Utrumque oculis lectorum subiiciam. Codex Brixiensis una pagella in principio mancus in X libros dispescitur, in secunda pagina altera manu nescio an antiqua ad marginem legitur: *Bonizonis Episcopi de SS. PP. authenticis Canonibus ad Gregorium Presbyterum.* Cum desit, ut innui, prioris libri anterior pagella initium libri illius dari nequaquam potest. Liber II incipit: *Quod ante sit dicendus qui baptizandus et quid sit baptismus et quot modis fiat, et a quo sumpsit exordium etc.* Liber III *Clemens Episcopo Jacobo. In his civitatibus Apostolorum Princeps primates instituisse ubi primitus archiflamines etc.* Liber IV incipit: *Scripturus de excellentia Rom. Ecclesiae, et de Privilegiis ad eiusdem Ecclesiae Episcopum pertinentibus etc.* Lib. V *Superioribus tribus libellis qualis debeat eligi Episcopus etc. superest nunc de secundi ordinis sacerdotibus et diaconibus etc. et primum ab ordinatione ordiemur.* Lib. VI. *Monachorum quatuor esse genera B. Benedicto referente cognovimus etc.* Lib. VII incipit: *Scripturus de Regibus et de Judicibus et de his qui in laicali ord. sunt constituti* etc. Lib. VIII. *Quia vero superiori libro de praelatis in laicali ord. positis etc. Superest nunc in ulteriori libro qualiter subditi vitam debeant instituere breviter indagare* etc. Liber IX incipit: *Liber iste medicinalis inscribitur eo quod aegrotantium continet varia medicamenta animarum etc.* Iste forte liber medicinalis in duo distinguitur, nihil enim mihi de X indicatum est. Nunc de Vindobonensi dicamus. Primo omnium occurrit ibi breve Chronicon Rom. Pontificum cum ea praefatione qua incipit Lib. IV Cod. Brixiensis: *Scripturus de excellentia Rom. Ecclesiae.* Continet Canones 112. Primus inscribitur: *De primatu et authoritate Apostolicae Sedis.* Lib. II primi canonis titulum hunc praefert *De his qui Episcoporum sedes invadunt.* sunt capita 44. quorum postremum fert: *Gregorio Leontio Episcopo* ep. 24 lib 3. *Castoreum fratrem.* Lib. III primi canonis titulus iste: *qui ad clerum vel ad gradus ecclesiasticos admittendi non sunt.* Nisi mea me fallit coniectura libro V Brixiensi respondet; forte tamen melius illi congruit liber proxime succedens, de quo statim. In hoc libro 3 sunt Canones 86 ac postremi titulus iste: *de clericis desertoribus non transferendis.* Lib. IV. titulus primi cap. est *De profectione* (f. perfectione) *Sacerdotum et ministrorum.* Usque ad cap. 78 singulis cap. ex ordine numerus adjicitur: dein nullo distincti numero canonis quidam succedunt. Postremus est sub hoc titulo: *quod non sit porrigenda hostia intincta.* Lib. V cap. primum fert de Catechumenis, et capitibus 19 absolvitur. Libri VI primus canon est: *quod Christiani Imperatores ecclesiasticis viris subesse debent, non praeesse.* sunt capita 99. Libri VII et forte etiam VIII huic coniuncti primum Caput titulum hunc praefert: *unde malae cogitationes oriantur.* Postremi operis folii postrema verba haec sunt: *de iis qui juxta Apostolum traditi sunt Satanae et quomodo in coena Domini ab Episcopo debeant reconciliari in IX libro, si vita comes fuerit, plenius enarrabo.* Ex hac diligenter instituta (quantum pro temporis angustia valui) utriusque co-

dicis collatione resultat, ambiguum esse maxime, cum Brixiensis codex purum, purumque opus Bonizonis repraesentet, quamquam constat aliqua eius continere. Duo priores Brixiensis cod. libri additi videntur, cum verosimiliter credi possit Bonitium incepisse a Chronico Pontificum, ut re ipsa incipit in Cod. Vindobonensi indicante hoc Praefatione, quae utrobique recurrit. Forte igitur author codicis Brixiensis decreto a Bonizone collecto quaedam a se hinc et inde comparata adiecit, confecitque opus decem librorum, cum aliunde sincerum Bonizonis nonnisi 8 vel forte 9 constaret. Novem dixi si forte Bonizo tantum otii nancisci potuit, ut consilium suum impleret. Id tamen mihi perobscurum est et ambiguum quin et non additum ab eo nonum librum credere maluerim, cum ille sub Urbano II collectionem Vindobonensem dederit vel saltem cod. ab eo scriptum sub Urbano II Vindobonensis scriba repraesentaret. Prioribus autem Urbani II annis Bonizo cessit e vita.

Libellus *de Sacramentis ad Gualterium Leonensis Coenobii* (in Brixiano agro siti) *Monachum et Priorem, a Bonizone* Sutrino Episcopo editum ex Ambros. Biblioth. plutei in lucem extraxit Muratorius in antiq. Med. Aevi III. *599.*

BONOMINUS Clusinus Bergomensis Medicus celebris circa Annum 1350 cujus librum de venenis et quaestionum diversarum laudat Trithemius cap. 635.

Michaël de BONONIA, *Angrianus* aliis, vel *Aygrianus*, rectius *Aygvanus*, Ordinis Carmelit. Generalis, defunctus An. 1401 † cujus *Quaestiones disputatae in IV libros Sententiarum*, Mediolani 1510 fol. et ex Leonis Prioli recensione, Venetiis 1623 fol. Vide Oudinum tomo III, pag. 1036. Ejusdem est non cotemnendus *Commentarius in Psalmos* ab aliis *Petro Berchorio* * perperam tributus, et sub *Incogniti* nomine saepius editus, Compluti 1524. Lugduni 1581, 1588 et 1602 sed sub vero Michaëlis Aygviani nomine, Venetiis 1603, 1608 Lugduni 1632, 1673 in folio. Confer Johannis a S. Angelo dissertationem apologeticam pro Incognito per se cognito, contra Michaëlis Ximenez Barranco dissertationem comparativam, Berchorio illam expositionem tribuentis. Utraque lucem vidit Madriti 1720 8. Quae praeterea a Trithemio cap. 674 et in paradiso Carmelitici decoris ab Alegrio p. 316 ad hunc Michaëlem referuntur, sunt: *De Conceptione S. Mariae. Quaestiones Sententiarum. Tabula Sententiarum. In Evangelium Lucae. Tabula Moralium Gregorii. Tabula Decreti. Quadragesimale.* Etiam *in Michaeam* et *in Johannem* memorat Ludovicus Jacobus a S. Carolo in Bibliotheca Carmelitana. Porro Trithemius etiam: *in Ethicam Aristotelis*, et *Valerium Maximum*, et *Dictionarium Theologicum*, sed quod tribus Voluminibus tantum ab A usque ad litteram C perduxit. Omitto quod ab eodem Alegrio pag. 413 memoratur alius Michaël de BONONIA junior, qui et ipse Paraphrastica Commentaria in IV libros Sentent. scripsit, obiitque A. 1575.

BONSEMBLANTES Baduarius de Peraga, Patavinus, Theologus Augustinianus, cujus ut aequalis sui meminit Franciscus Petrarcha. Obiit Venetiis Anno 1369 et a Cornelio Curtio, Philippo Elssio aliisque Augustinianorum Historicis celebratur, a quibus scripsisse traditur praeter Sermones ad Clerum et Lecturas in I, II et III Sententiarum, Quaestiones diversas tam Philosophicas, quam Theologicas, et nescio quod, utile opus studentibus.

Albertus a BONSTETEN. supra, ALBERTUS pag. 38.

BONVISINUS de Ripa citatur a Gualvaneo Flamma, de quo suo loco.

* In Bibliotheca Riccardiana superest auctoris huius liber *Vitae Scholasticae.* Vide eiusd. Catal. p. 80.

BONZO. supra, BONITUS.

Simon BORASTON, sive de BURNESTONE, Anglus, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1338. cujus inedita memorantur: *De Ordine Judiciario circa crimina corrigenda. De unitate et ordine Ecclesiasticae potesta-*

† Epitaphium Bononiae in Ecclesia Carmelitarum:
Michaël Doctor hic est, Aygvana Bononias illum
Stirps dat, Carmeli quem tulit Ordo, caput
In David ejus ovat calamus, stupor estque Latinis
Et Gallis virtus ingeniumque sedis.
Bis septingentos Annos patet ecce Novembrem,
Atque bis octonos explicuisse diem.

* De hoc infra, PETRUS.

us. De mutabilitate Mundi, et *Auctoritates rationesque desumtae ex sacra Scriptura, quae videntur impugnare contemtum temporalium, et solutiones earum. Distinctiones Theologicae*, sive *Alphabetum de vocabulis praedicabilibus*, cum *concordantia auctoritatum Doctorum. Themata Dominicalia*, sive *Sermones de Epistolis et Evangeliis Dominicalibus.* Vide Oudinum tom. III pag. 783 et Jac. Echardum tom. I pag. 594.

Stephanus de BORBONE, sive de Bella villa, dioecesis Lugdunensis, Ordinis Praedicatorum, defunctus Anno 1261 relicto opere spisso *de septem donis Spiritus Sancti*, quorum quinque tantum est persecutus. Exstat MS. in variis Bibliothecis. Vide Jacobum Echardum t. I p. 184 seq. et 186 seqq. ubi argumentum operis et ex eo excerpta. Ex ejus Parte IV tit. 7 cap. 3. locum de origine Waldensium produxit post alios etiam Oudinus tomo III, pag. 239.

Heribertus de BOSHAN, sive BOSAHAM, Anglus, *Thomae* Cantuariensi Archiepiscopo ab Epistolis, cujus An. 1170 interfecti *Vitam* circa Annum 1184 scripsit, de qua jam supra pag. 33 mentionem me facere memini. Confer Oudinum tomo secundo pag. 1516 seq. ubi etiam de Heriberti hujus glossis ineditis *in Psalmos, in quatuor Evangelia*, *in Pauli Epistolas.*

BOSO Abbas Beccensis obiit An. 1136 aetatis 71. Loquens inducitur ab Anselmo Cantuariensi in libro: cur DEUS homo? Ad eundem ejus Epist. III 22 ubi confer notas pag. 566 seq. Eidem Anselmus inscripsit librum de peccato Originis. Alius ab A. 1155 ad 1181 Cardinalis, de quo Pitseus pag. 827.

BOSOVIENSES Annales Abbatiae, Cizensi Civitati vicinae, ab Anno 1125 ad 1198 exstant in Johannis Georgii Eccardi Corpore scriptorum medii aevi tom. I, pag. 1007 ad 1024.

Matthaeus BOSSUS Veronensis, Procurator Generalis Augustinianus, Vir doctus et Politiani ac Joannis Pici Mirandulani amicus, obiit Patavii Anno 1502 aetatis 75. *Dialogum de veris ac salutaribus animi gaudiis*, Politiano vehementer laudatum edidit Florentiae An. 1491. Eidem in editione Argentorat. 1509 4. junguntur *libri VIII de vero sapientiae cultu: Dialogi duo de tolerandis adversis:* Alius *de gerendo Magistratu et Justitia colenda*, itemque *de immoderato mulierum cultu, ne foeminea ornamenta Bononiensibus restituantur. Epistolas secundas familiares* collegisse se profitetur jam septuagenarius, ediditque Mantuae 1498 fol. *Priores Epistolae CCCCLXV* cum sex Sermonibus prodiere sub titulo: *Recuperationum Faesulanarum*, Bononiae 1483. Venetiis 1492. Denique omnia junctim recusa Florentiae 1627 fol. Vide Mabillonii Iter Italicum pag. 174 seq. Baelii Lexicon, et Oudinum tomo tertio pag. 2718.

Idem Bossus testatur se scripsisse *in quinque Ciceronis Orationes*, atque ejus *libros de Oratore:* Porro *Apologiam Phalaridis* Benedicto Calcho opposuit: Apocrypha autem narratio quam confutavit scribens in Polycletum Physicum, illa ipsa est quam servavit Svidas in voce Ιησȣς, et quam Latine parti quartae Catalogi gloriae Mundi inseruit Bartholomaeus Chassanaeus. Vide, si placet, quae notavi in Cod. Apocrypho Novi Testamenti t. I, p. 371 et t. III, p. 546 seq.

* *Matth. Bossus* Can. Regularis S. Salvatoris Lateranensis. Opera eius junctim edita cur. Julio Ambrosino eiusd. Congr. Canonico prodierunt non Florentiae, sed Bononiae an. 1627 fol. Scriptum eius *de vanis mulierum ornamentis* (sic enim inscribitur) prima est ex VII. Orationibus, quae in edit. indicata leguntur. Quae vero tangit Fabricius de Apologia Phalaridis Bened. Calcho Can. Regulari opposita, nihil sunt aliud quam Epistola 40 ad eundem Calchium in lib. Epistolarum. Quae scribit de Fesulanis Recuperationibus editis Bononiae an. 1483 vix a me fidem impetrant, cum legerim hunc titulum epist. 133 ad Jo. Medicem datae an. 1492. *De Fesulanis Recuperationibus editis eiq.* (Mediceo) *dicatis;* et quidem haec ipsa est dedicationis epistola, ut ex eius lectione intelligo. Lege etiam epist. 135 ad Petr. Barocium Patavinum Episcopum datam an. 1493. in qua superiore anno collegisse se, ac edidisse Fesulanus Recuperationes confirmat.

Praeter priores Epistolas, quae in editione Bononiensi an. 1627 f. ad 135 pertingunt,

alias etiam quas vocat posteriores edidit an. 1498. ut ipse prodit in epistolas dedicationis ad Card. Alexandrinum, suntque num. 233. Recusae sunt et posteriores istae in edit. supra indicata.

His omnibus adiungit Maffeius (Verona Illustr. II, p. 3.) *Epistolarum librum III* edit. Venet. 1502. 4. Extat apud me vetustissima operum Bossii editio sine loco et anno impressionis, in qua continentur. *De tolerandis adversis dialogi duo. De gerendo Magistratu, justitiaque colenda* libellus. Item *ne foeminea ornamenta Bononiensibus restituantur ad Bessarionem card. legatum cohortatio.* Tum sequitur liber illarum epistolarum, quae priores dicuntur in editione Bonon. 1627. Sed facta inter utramq. editionem, priorem nempe illam antiquam, et hanc posteriorem collatione comperi deesse in priori omnes epistolas post 17 usque ad 30. tum et alias reliquas post epist. 112. vicissim autem vetusta illa geminas exhibet literas in posteriori omissas, ambae ad Sixtum IV. Pont. diriguntur. signanturq. num. 30 et 31 rogantq. Pontificem, ut Monialium Genuensium petulantiam coerceat. Has literas scripsisse se ad Pontificem Bossius ipse in ep. 42 postremae edit. ad Fortunatum significat. Antiquissima haec epistolarum collectio. continet ep. 102 Volumen tandem complet Oratio eiusdem Bossii *in caena Domini*, quae pariter in edit. an. 1627 comparet.

Gosswinus BOSSUTUS, Monachus et Cantor Abbatiae Villariensis in Brabantia, Ordinis Cisterciensis circa Annum 1230 scripsit *Vitam Abundi* Monachi et *Arnulphi Cornibautii*, Laici conversi Villariensis. Vide Oudinum tom. III, pag. 107.

Johannes BOSTONUS, Monachus Ordinis S. Benedicti in Coenobio *Buriensi* S. Edmundi ap. Suffolcienses in Anglia. Scripsit *Catalogum Scriptorum Ecclesiae,* cujus tres Codices MSS. exstant in Anglia triti Usserio, Seldeno, Galeo. Ac spes illius edendi facta An. 1723 a T. Tannero, cum Antonius Hallus Oxonii 1722 8 vulgasset Bostoni huius *Speculum Coenobitarum* libris III. Vide Acta Eruditorum tom. IX Supplementi pag. 181. Praeter haec duo scripta, etiam librum *de rebus sui Coenobii* memorat Baleus Centur. VII cap. 47 et ex Baleo Pitseus pag. 593 qui An. 1410 eum claruisse testatur.

Nicolaus BOTHERUS, Gallus, Ordinis Praedicatorum, cujus *Confessionale* ad Carolum Ducem Aurelianorum circa Annum 1440 compositum, MS. in Bibliotheca Regis Christianissimi. Vide Oudinum tom. III, pag. 2468. Nullam hujus Botheri mentionem facit Jacobus Echardus in Bibliotheca sua divite et conquisita diligentissime Scriptorum Dominicanorum.

Guilelmus BOTONER, Pitseo pag. 648. *Buttonerus* Worcestriensis: Rogeri Baconis et Johannis Waltheri insistens vestigiis clarus circa Annum 1470. Ejus praeclara scripta in Anglorum Bibliothecis manu exarata servantur, *Polyandrium Oxoniensium*, de Viris illustribus Academiae Oxon. *Verificatio omnium stellarum fixarum de Anno 1440. Varia Astronomica. De Sacramentis Dedicationis. Acta D. Joannis Falstolfi. De agri Norfolciensis familiis antiquis generosis.* Vide Oudinum tomo III, pag. 2613. Sed et Baleus VIII 27 testatur se vidisse ejus *Antiquitatum Anglicarum* libros III. *Collectiones Medicinales. Abbreviationes Doctorum. De astrologiae valore*, quod fortasse Baconis est potius, et *Epistolas.*

BOVO Gallo-Belga Abbas Ordinis Benedict. Monasterii Sithivensis in Morinis circa Annum 1060. Cuius narratio de inventione et elevatione corporis S. *Bertini* Abbatis, ob Normannorum metum reconditi, facta An 1052 edita a Mabillonio Sec. III. Act. SS. Benedict. pag. 153.

BOUSLAUS, sive BOHUSLAUS *de Hassenstein,* a) Baro a Lockewitz, Bohemus, vir egregius et amoeni ingenii, defunctus in arce Hassenstein anno 1510. Exstant ejus *lucubrationes Oratoriae* b) cum vita a Tho-

a) Gundlingiana XV pag. 490 seq. Jacobus Burckard in Germaniae equite, humanitatis propugnatore pag. 58 seq. Burchard Gotthelf Struvius Fasciculo VII pag. 5 ex Epistolis MStis B. Jacobi Thomasii: prae caeteris autem Joannes Christophorus Colerus in Memoria Bohuslai Hassensteinii illustrata, Witebergae 1719 et 1721 4. Bibliotheque Germanique tom. XIV, pag. 68.

b) Vide Clarissimi Heumanni Orationem de Iri-

ma Miti scripta, Pragae 1563, 8vo, in quibus Opusculum *de miseria humana*, (quod separatim quoque recusum additis notis Henningi Succovii, Halberstad. 1623, 8vo, et Christophori Graefii, Altenburgi 1667, 12.) Libellus *de avaritia. Oratio pro Petro Schotto*, Argentinensi. Fragmenta *de Felicitate. Epistolarum libri V.* quibus deinde successit *Nova Epistolarum Appendix* ab eodem Thoma Miti edita ibid. 1570, 8. Nec non *Farrago Poëmatum*, c) quae varii generis non infelici vena Bohuslaus effudit, edita et Maximiliano II Caesari dicata ab eodem Thoma Miti, Nymburgeno, Pragae 1570, 8. In his *Carmen Heroïcum de bello Turcis inferendo. Satyra in mores Procerum, Nobilium et Popularium Patriae. Ecloga, sive Idyllion Budae. In tempus brumale. De equo, Glonka dicto. De Stanislao Polono. Praeconium Divae Virginis. Elegiarum varii argumenti libri II. Epicediorum Epitaphiorumque liber. Epigrammatum libri III.* His subjunctus d) *Liber Miscellaneorum*, sive ipsius, sive familiarum Bohuslai, in quibus pag. CCXII. *Carmen ad quatuordecim Auxiliatores,* de quibus vide, si placet, quae notavi in Bibliographia antiquaria cap. VIII § 22 p. 266. Denique *Appendix Poëmatum* e) cum Elogiis in D. Bohuslaum, in quibus et Roderici Dubravii Oratio una cum *Indice Bibliothecae* f) *Hassensteiniae*. Pragae 1570; 8.vo In hac Appendice primo loco exstat Carmen heroïcum *de propris Germanorum inventis*, et *adhortatio ad praestandam gratitudinem inventoribus bombardarum et chalcographiae.* Non putem aliud scriptum esse quod Trithemius cap. 946 opus praeclarum appellat, *de Germanorum et Italorum inventis propriis.* Ex Annalibus et hodoeporico Bohuslai, quae a Thoma Miti in Epistola ad Georgium Fabricium g) memoratur, *Annales* nunquam editos puto: sed *hodoeporicon* h) exstat in farragine poëmatum, libro elegiarum secundo p. LXIII et in Nicolai Reusneri hodoeporicis, vulgatis Basileae 1580, 8.

bus Scholae finibus pag, 37 seq. laudatum Colerum pag. 53.

c) Colerus pag 49.

d) Colerus pag. 51.

e) Ibid.

f) Idem pag. 45 46. Ex eadem profecere B. Lutherus, Melancthon et alii, ut Thomas Mitis ad Georgium Fabricium: *Ex Bibliotheca Hassensteiniana DCC. Volumina, per Matthaeum Aurogallum, D. Sigismundo a Lobkowitz, Wittebergensis Academiae tum temporis Rectori sunt adducta, et postquam satis usi his fuerant Martinus Lutherus, Philippus Melancthon et alii, reportata Chomotovensem in arcem* etc.

BRACHARIUS, supra, BACHIARIUS.

Jacobus BRACELLUS Genuensis scripsit culto sermone libros V de *bello inter Hispanos et Genuenses* ab Anno 1412 ad 1444. qui prodiere ex editione Augustini Justiniani, Parisiis 1520, 4. et cum Johanne Joviano Pontano de bello Neapolitano, Haganoae 1530 et Romae 1537, 1573 et in Graevii Thesauro Scriptorum Italiae tom. I Parte 2 pag. 1261. Nec non librum *de claris Genuensibus* ad Ludovicum Pisanum Ordinis Praedicatorum, cum superioribus libris editum Parisiis, Romae etc. et *Orae Ligusticae descriptionem* ad Flavium Blondum. itidem Romae 1573, 4 et in Andreae Schotti Italia illustrata pag. 637, nec non in Graevii Thesauro Historiae Italiae tom. I. Vide Vossium de Historicis Latinis p. 616 et Diarium Eruditorum Italiae tomo XXIII pag. 367 seq. Libellum *de praecipuis Genuensis Urbis Familiis* cum praefatione ad Regium Legatum, Henricum de Merla, edidit Joannes Mabillonius itineris Italici pag 227–229.

Epistolae Bracelli excusae Parisiis apud Ascensium 1520 nonnullae etiam ad calcem Æneae de immortalitate animorum, Latine versi ab Ambrosio Camaldulensi. Genuae 1645, 4.

* Animadvertere juvat Bracelli libros de bello Hispaniensi, de claris Genuensibus, descriptionem Liguriae, epistolarum librum iunctim omnes prodiisse ex recensione Aug. Justiniani Ord. Praedicat. et Episcopi Nobiensis Parisiis an. 1520 in 4. In Epistola vero eiusdem Augustini ad Renatum de sabaudia haec legi de eodem Bracello. *Philippus ille Beroaldus aliquando ad me scripsit visam sibi Bracelli orationem Caesaris per-*

g) Laudatus Colerus pag. 53.

h) Id. pag. 11.

similem, *addiditque saeculo hoc nostro nasutiores (utar eiusdam verbis) paucos reperiri municipi meo anteponendos.* Ex his scriptam pariter a Bracello Orationem nescio quam erudimur.

In fine eiusdem collectionis legitur exemplum tabulae vetustissimae an. 1506 inventae in agro Genuensi milliario prope urbem X. etc. Incipit *Q. M. Minutius* ec.

Epistolam aliam Bracelli dat collectio Epistolarum Franc. Barbari ab Em. Card. Quirino nunquam absque insigni encomio literati commemorando, adornata. Vide epist. 130 vide et Epist. 178 in qua Barbarus frui se amicitia *cum claris et disertissimis viris Jacobo Bracellio et Gothardo Sarzanensi* gloriatur.

Petrus de BRACO Placentinus, JCtus circa Annum 1380 scripsit *Repertorium Juris Canonici* Ordine Alphabetico, et *Juris Canonici Compendium*, quae ambo adhuc in Bibliothecis Galliae MSta servantur. Vide Oudinum tom. III p. 1220. ubi etiam scripsisse *Carmina*, et duas *Demosthenis* Orationes, ac *Luciani* dialogos quosdam Latine vertisse annotat.

Thomas BRADWARDINUS, Lelando *Bredowardinus*, aliis *de Bradwardina*, Anglus Cicestrensis, * nec Dominicanis a) accensendus, nec Franciscanis: b) ingenio autem et Philosophiae, Matheseos, ac Theologiae insigni peritia *Doctoris profundi* c) titulum promeritus: cum in Archiepisc. Cantuariensem d) Avenione consecratus esset, in Angliam redux vix quadraginta diebus post obiit 26 August. e) Anno 1349. Praecipuum eius opus *de Causa DEI contra Pelagium de virtute causarum*, *et de virtute Dei causae causarum*, quod Londinensis Cancellarius ad Mertonenses suos, sive ad Custodem et socios Aulae Mariodunensis scripsit An. 1344 distributum in *libros III.* atque editum ab Henrico Savilio, Lond. 1618 fol. MStos plures Codices memorant Jacobus Echardus, et Casimirus Oudinus, Dum autem queritur Bradwardinus *totum Mundum post Pelagium abiisse*, atque huic vult malo occurrere, ipse parum abest, quin in alteram extremam partem, f) et ad sententias Godschalci ac Wiclefi deflectat, ut parebit ex sententiis ejus, quibus ad calcem operis sui epitomen ipse voluit exhibere, quarum nonnullis paucas quasdam notulas adspersi, quoniam easdem quaestiones hodie a tam multis agitari video. Praeterea autem multa subtiliter disputat, quanquam non perinde solide ubique, adversus Ethnicos, Philosophos et Judaeos, contra quos et religionis naturalis et Christianae dogmata erudite passim tuetur, nec sacras litteras modo et scripta Theologorum Christianorum, sed et Romanorum, Latineque versa Graecorum et Arabum scripta testatur se evolvisse, provocans interdum etiam ad supposititia, ut Hermetis Trismegisti de verbo aeterno, Aristotelis de secretis secretorum, Sibyllas, Ovidium de Vetula, Dionysium Areopagitam, et varias fabulosas narrationes, qualis v. g. est haec de Constantino Magno pag. 29. *Tradentibus namque Historiis*, *Constantinus Imperator Romanorum*, *per Sylvestrem Papam*, *ad fidem CHRISTI Romae conversus*, *et ab Helena regina matre sua*, *relictis idolis*, *in DEUM Judaeorum credente*, *et tunc in Judaea agente graviter increpatus*, *eo quod in CHRISTUM hominem crocifixum*, *potius quam in DEUM Judaeorum credere maluisset: rogavit Reginam*, *quatenus secum adduceret Magistros sapientissimos Judaeorum*, *disputaturos cum Doctoribus Christianorum: Quae veniens secum adduxit 140 viros doctissimos Judaeorum*, *ex quibus 12*

* Vide Bradwardinum in Causa DEI p. 559.

a) Dominicanis adscribit cum Lusitano aliisque Altamura pag. 155 et 489 ad Annum 1575 qui alium etiam fingit *Adamum Bradwardinum*, qui contra Pelagianos et Fidei hostes scripserit pag. 141.

b) Franciscanum faciunt Dupinius Bibl. Eccles. et Oudinus (sed qui ipse hoc retractat tom. III, p. 555) itemque; alii repugnante etiam Waddingo. Sed recte Richardus Simon Bibliothecae Selectae tomo II, pag. 97. *Il y a bien plus d' apparence*, *qu' il n' a été ni Dominicain ni Franciscain.* Adde Jacobum Echardum tomo primo de Scriptoribus Dominicanis pag. 744.

c) Henricus Savilius praefatione ad causam DEI contra Pelag. et Warthonus ad Cavei hist. lit. A. 1348.

d) Idem tomo I. Angliae sacrae pag. 119 42 et 61.

e) Joannis Lelandi Collectanea tomo III, p. 117.

f) Rich. Simon Lettres choises, ou Bibliotheque Critique tom. IV. Lettre 31 au P. Goudin. Ludovicus Cellotius Hist. Gotheschalci V. 19.

praeclarissimi sunt electi: Abiathar, Jonas, Godolias, Annan, Doeth, Cusi, Benjamin, Aroël, Jubal, Thara, Silion et Zambri, duobusque Philosophis Gentilibus sapientissimis Cratone et Zenophilo, de consensu partium, Judicibus constitutis, Imperatore et Regina assidentibus, et magna multitudine Christianorum, Judaeorum atque Gentilium circumstante, ad disputationis negotium properatur: undecim quoque Magistris Judaeorum praedictis, opponentibus singillatim et impugantibus fidem Christi, Sylvester respondens, singulis singillatim ex Scripturis eorum propriis convincebat, decernentibus Judicibus supradictis: duodecimus vero nolens per argumentum vocale arguere; sed reale miraculum magicum faciens, vero miraculo superatur. Quapropter, Regina, Judices, et caeteri infideles qui aderant, ad fidem CHristi pariter sunt conversi.

Sententiae XXXVI. BRADWARDINI totidem contrariis ab eo ad calcem operis oppositae.

1. Quod DEUS est tam perfectus et bonus, a) quod nihil perfectius aut melius esse posset.

2. Quod nulla res existit, nisi DEO ipsam conservante in esse.

3. Quod nulla res existit, nisi DEO ipsam immediate, b) per se et proprie conservante in esse, non tantum mediante coelo vel aliquo alio, et per illud, vel quia prohibet corruptiva, vel quia permittit rem esse, aut non destruit rem cum posset.

4. Quod nulla res creata vel creabilis sine conservatione Divina omnino, neque sine conservatione Divina immediate, per se et propria posset esse.

5. Quod omnis res facta, secundum essentiam suam, sive substantiam, fit a DEO.

6. Quod omnis res facta, secundum essentiam suam sive substantiam, fit a DEO ipsam immediate, b) per se et proprie faciente, non tantum mediante coelo, vel aliquo et alio, et per illud, nec tantum ideo quia DEUS impeditiva contraria prohibet, ut causam efficientem rei fecit aut servat, permittit, vel non impedit operari.

7. Quod nulla res secundum essentiam suam sive substantiam posset fieri nisi a DEO, neque nisi a DEO ipsam immediate, per se et proprie faciente.

8. Quod DEUS non est aliquo modo mutabilis. c)

9. Quod neque scientia DEI, neque ejus voluntas est mutabilis ullo modo.

10. Quod DEUS sciendo, volendo, et quodcunque agendo intrinsecus est semper intrinsece aeque summe et plenissime actualis.

11. Quod nulla scientia DEI causatur a posterioribus rebus scitis.

12. Quod nulla voluntas DEI, d) sive volutio a posterioribus volutis suis causatur.

13 Quod omnis actus voluntatis Divinae, Angelicae, et humanae est aliquid.

14 Quod omnis actio voluntatis creatae,

a) Hoc non putem in dubium vocandum, vel vocatum unquam ab homine sano. Sed falluntur qui putant omnes rationes illius perfectionis prorsus se intelligere, ita ut exinde quid vel quomodo agat DEUS, decernere se posse existiment, vel qui cum Platone, Aristotele, Stoicis et Abailardo ajunt Deum nihil melius nec aliud potuisse facere quam fecit. Saltem hi debebant cum Mose, valde bona omnia facta a DEO nos docente, sic illud interpretari, ut alia etiam et plura non minus bona a DEO fieri potuisse et posse faterentur, ne DEUM bonitatis suae et sapientiae velut angustioribus quibusdam et tanquam fati alicujus cancellis intercludere viderentur.

b) Hoc *immediate*, non potest aliter intelligi, quam salva illorum operandi vel non operandi facultate, quibus ipse DEUS hancce tribuit, concessitque hactenus et concedit, ut imputet illis etiam ad poenas gravissimas, si quis fuerit illa abusus, Deo licet non impediente: sed qua potuit tamen non abuti, quia nec DEUS abhorrentem ab illo abusu impedire, nedum ad eum cogere aut impellere quenquam voluisset.

c) Non sane est mutabilis DEUS: sed nec otiosum debemus fingere cum Epicuri intermundialibus Diis: Verum CHRISTO credere, cujus non inficiandum hoc est testimonium Joh. V, 17, *Pater meus usque operatur, et ego operor.* Cum igitur homines condiderit angelosque libertate actionum ornatos et delectu, non inde mutatur DEUS, quod alium jam se praebet bonis, quam erat futurus nisi discessissent ab improbitate, sed potius juste exercet quod sibi, cum eos condidisset, merito reservavit imperium.

d) Nulla scientia nova nec voluntate opus est, nova tamen actio novusque subit effectus eorum quae praescivit, et quae sub conditionibus certis voluit.

secundum essentiam sive substantia ipsam actus, fit ab ipsa, et a DEO eundem pariter coagente. e)

15. Quod omnis actus voluntatis creatae, secundum essentiam sive substantiam ipsam actus, fit ab ipsa, et a DEO eundem pariter immediate, per se et proprie coagente, non tantum mediante coelo, influentia generali, objecto, vel aliquo alio simili, et per illud; neque tali tantummodo impropria ratione, qua DEUS voluntatem creatam, quae efficit actum illum, fecit aut servat, non destruit, vel non impedit, sed esse et operari permittit, aut quia prohibet ipsam ab aliis impediri.

16. Quod quandocunque DEUS et creatura rationalis coefficiunt liberum actum suum, DEUS prius naturaliter agit illum quam ipsa, f) et quod voluntas Divina praecedit naturaliter in agendo, ut Domina, et creata ipsam subsequitur naturali ordinis, ut ancilla.

17. Quod DEUM praevelle, id est, prius naturaliter velle, seu prius aeternaliter voluisse hoc vel illud praesens vel futurum, nec est nec fuit in libera contradictionis hominis potestate. g)

18. Quod causa prima, seu voluntas Divina, non est in causa posterioris h) seu voluntatis creatae libera potestate.

19. Quod gratia, qua salvamur, datur a DEO gratis simpliciter, nec aliquo merito praevio magno vel parvo, condigno vel congruo comparatur.

20 Quod voluntas Divina i) non est impedibilis, sed universaliter efficax in causando.

21. Quod ad hoc, quod voluntas Divina sit infrustrabilis et necessaria in causando respectu suorum effectuum quorumcunque, et quarumcunque posteriorum causarum, omnesque sui effectus sint necessarii respectu illius, sufficit quod ipsa sit causa prima naturaliter, et in nullius alterius, nullarumve aliarum potestate, non impedibilis, et universaliter efficax in causando.

22 Quod necessarium est, k) DEUM mundum creasse, incarnatum fuisse, hominem redemisse, et DEUM hoc velle, ac etiam voluisse.

23. Quod cum futura contingentia fiunt praesentia, aut in praeteritum dilabuntur, voluntas divina respectu illorum non desinit esse libera aliqua libertate, seu aliquo modo libertatis intrinsecus, qua vel quo prius fuerat libera, nec incipit esse necessaria aliqua necessitate opposita respectu ipsorum.

24 Quod voluntas divina semper est aeque libera, seu aeque necessaria respectu cujuscunque sui objecti, et cujuslibet intrinseci actus sui.

25. Quod necessarium est, DEUM scire de qualibet re praesenti, ipsam esse, scire quoque atque scivisse de qualibet re praeterita, ipsam fuisse.

26. Quod cum futura contingentia fiunt praesentia, in praeteritumve transcurrunt, scientia DEI respectu illorum non desinit esse contingens l) aliqua contingentia, seu

e) Necessario dicendum aliud esse agens, quod propter actionem liberam, quaeque poterat et debebat ab eo omitti, punit DEUS, et alium agentem ipsum DEUM.

f) Hoc perinde est ac si dicerem aërem, quem spiro, prius haec scribere quam me, qui ista non impediente aëre poteram etiam non scribere: tantum abest ut in malis actionibus homo vel angelus, quatenus malae et a DEO prohibitae sunt, DEO ut Domino obsequi sit dicendus.

g) DEUS voluit homini permittere actionum suarum delectum, hoc est facultatem movendi sese in partem utramvis: sed ad malam ac sinistram moveri eum non determinavit.

h) Atqui diserte Christus Matth. XXIII, 37 *quoties volui? et noluisti.*

i) Absoluta, nullis descripta conditionibus. Sed de conditionata vide Jerem. XXVI.

k) Necessarium ex sapientissimo plenissimo Bonitatis Decreto Divino, neutiquam ex alia necessitate quacunque quae tempus, rationes et modum ita et non aliter faciendi DEUM deligere coëgisset, nam quaecunque facere vel non facere DEO placuisset, omnia valde bona fuissent futura.

l) Hoc est non desinit illa, praesentia licet, jam adeoque necessaria, tanquam contingentia, cognoscere, hoc est ea, quae non contingere potuissent. Ita etiam tanquam contingentia illa cognovit antequam contingerent, licet ex perfectione Divinae Majestatis atque Sapientiae suae, cui rerum etiam liberrime contingentium eventus, antequam evenerint, tanquam praesentes ipsius oculis patent, sicut prudentium hominum sagacitas, eventuras res multas potest praevidere, quas tamen ipsa neutiquam ita evenire vel cogit vel facit.

aliquo modo contingentiae intrinsecus, qua seu quo prius fuit contingens, nec incipit esse necessaria aliqua necessitate opposita respectu ipsorum.

27. Quod scientia DEI semper est aeque libera, seu aeque necessaria intrinsece respectu cujuscunque sui objecti, et quod intellectus divinus seu DEUS aeternaliter permanet intrinsecus plenissime uniformis, semper videlicet aeque liber, aut aeque necessarius respectu cujuslibet intrinseci actus sui.

28. Quod quicquid CHristus secundum intellectum, voluntatem, et linguam suos humanos in proprio genere, per actus naturales humanos distincte scivit, credidit, voluit, viva voce asseruit et juravit, necesse eum ita fecisse; m) et quicquid ad quemcunque intellectum scivit, credidit, voluit, asseruit, aut juravit, necesse est eum ad eundem intellectum ita fecisse.

29. Quod si CHristus secundum naturam suam humanam per actus naturales humanos distincte scivit, credidit, voluit, et asseruit, et juravit de aliquo futuro contingenti quod hoc erit, illo adhuc manente futuro contingenti: necessarium est CHristum ita fecisse, et ita necessarium tunc, sicut erit, quando illud erit praesens in praeteritumve transmissum.

30 Quod nunquam fuit nec est in hominis potestate decipere CHristum secundum naturam humanam assumtam, unione manente, facere ipsum credere falsum, mentiri velle inaniter, aut repugnanter voluntati divinae, neque unquam fuit aut est in hominis potestate facere aliquid unde cum quibusdam veris aliis sequitur CHristum secundum naturam suam humanam unitam, fuisse aut esse deceptum, falsum credendo, mentitum fuisse, praesentialiterve mentiri voluisse, seu velle inaniter, aut repugnanter voluntati divinae.

31. Quod possibile * fuit Christum secundum naturam suam humanam unitam et in proprio genere habere actus cognoscendi, et volendi naturales proprios et distinctos respectu aliquorum in potestate hominis positorum, et aliquorum contingenter, et non absolute necessario futurorum; et quod impossibile fuit CHristum secundum naturam suam humanam unitam, et in proprio genere decipi in credendo, aut errare volendo, velle videlicet fieri, quod nunquam fieret, aut repugnanter sive difformiter voluntati divinae, velle, inquam, voluntate rationali, non appetitu sensuali sive carnali.

32. Quod Prophetiae de CHristo ante adimpletionem earum erant necessario adimplendae, et quod medio tempore inter mundationem seu sanctificationem beatae Mariae et sanctorum Patrum Veteris Testamenti in fide CHristi Redemptoris futuri, transitum quoque et salvationem eorundem Patrum et passionem CHristi fuit necessarium, ipsos fuisse mundatos, sanctificatos, et salvatos per fidem CHristi Redemptoris futuri, et quod non fuit possibile ipsos fuisse mundatos, sanctificatos, et salvatos per fidem fictam, falsam, erroneam, et mendacem.

33. Quod prophetiae et promissiones Christi ante adimpletionem ipsarum erant et sint necessario adimplendae.

34. Quod non omnes prophetiae praedictae de CHristo, nec omnes prophetiae aut promissiones CHristi de futuris erant mentaliter, tacite, conditionales: sed multae mentaliter simpliciter absolutae.

35. Quod necesse est Ecclesiam sanctam CHristi usque in finem mundi perseverare fidelem.

36. Quod non est possibile Ecclesiam sanctam CHristi ex doctrina CHristi semper aut unquam directe fuisse deceptam in substantialibus articulis fidei Christianae, aut erronee credidisse resurrectionem mortuorum, diem Judicii, aut vitam aeternam, et quod necesse est haec fore, reprobos quoque habere supplicium, et electos gaudium sempiternum.

Hactenus BRADWARDINI Sententiae.

Alia ejus scripta haec sunt: *Tabulae Astronomicae*, quas habuit Savilius: *Geometria speculativa*, Parisiis 1504 fol. et cum *Arithmetica speculativa*, (quae separatim An. 1502 prodierat) ibidem 1512 fol. Praeterea Baleus V 87 memorat ejus *Arithmeticam*

m) Hoc est non parabolico tantum et mystico intellectu.

* *Legendum*: impossibile.

Practicam: et *de Proportionibus velocitatum:* Venetiis 1505. additque alia, quae a Lelando cap. 347 omittuntur, *De velocitate motuum. Commentarios in IV libros sententiarum*, *Summam Theologiae*, pro qua Pitseus habet *Summam Scientiarum,* cum neuter illas videatur usurpasse oculis: tum *Placita Theologica*, *de Sancta Trinitate*, *de praemio salvandorum*, *de praescientia et praedestinatione*, et *Sermones per annum.* A Pitseo pag. 471 etiam adjungitur Liber *de quadratura Circuli.*

* Novum et ignotum scriptoris huius opusculum servat MS. Cod. Coenobii S. Mariae ad Scotos Viennae Ord. S. Benedicti. Inscribitur *Meditationes Bravardini.* Incipit *O magnae et mirabilis.*

Non abs re hic integra recitaretur adnotatio quaedam, quae legitur excusa in calce opusc. *Epitoma proportionum Alberti de Saxonia* per F. Isidorum Insulani Mediolanensem (de quo utroque scriptore et de opusculo isto vide suo loco). *Qui Albertus a Thoma Berduardi excipiens.* etc. *Hunc Thomam vocat Raimundus sui sethi calculator in tractatu primo de intensione et remissione venerab. Magistrum Thom. de Berduardino; cuius dicta veneratur et recipit.*

Johannes BRANDO, Monachus Dunensis in Flandria, Ordinis Cisterciensis, defunctus An. 1428 scriptor *Chronodromi*, sive Chronici ac cursus temporum ab rerum Origine ad Annum Christi 1414. MSti adhuc in variis Belgii locis, vide Carolum de Visch p. 176 Bibliothecae Cisterciensis, vel Oudinum tomo III pag. 2301. Hoc, ab Anno 1414 ad 1431 continuavit BARTHOLOMAEUS DE BECKA, atque ab Anno 1431 ad 1463. *Ægidius de Roya*, qui opus hoc ab Anno 1292 etiam in compendium misit, ut dixi supra pag. 23. idque compendium cum *Adriani de Budt* continuatione ad Annum 1480 prodiit Francofurti 1620 fol. in tomo primo Annalium rerum Belgicarum. Etiam Chronicon hujus Brandonis *de gestis Praelatorum Monasterii Dunensis* MS in Bibliothecis Belgii.

Aurelius BRANDOLINUS Florentinus, lippus, sed qui multis visu pollentibus acutius vidit eleganti ingenio, defunctus A. 1497. Scripsit libros duos *paradoxorum Christianorum* ad Matthiam Corvinum, Regem Hungariae, Basileae 1498 Romae 1531 Basileae 1543 et Coloniae 1573. Dialogum *de humanae vitae conditione et toleranda corporis aegritudine* ad eundem Matthiam, Basileae 1498, Viennae 1541 et Basileae 1543 8. *De ratione scribendi Epistolas,* libros III ibidem 1498 1549. Coloniae 1573. et Romae 1735. 8. Praeterea Julius Niger pag. 74 Historiae Scriptorum Florentinorum memorat ejus *Orationes* et *Carmina* in laudem *Antonii Squarcialupi* et *Baptistae Platinae:* Opusculum de virtutibus a Domino JESU in passione ostensis: (45 Editum (Romae Silber) Sec. XV Ibid. 1596, 8. Ibid. 1767, 8 cum Ital. vers. *Aug. Mariotti.* Italice etiam a *Lion. Cernoti Ven.* 1596, 4.) Librum de Legibus: Commentarios in Pauli Epistolas: et Novum ac Vetus Testamentum, sive Historias, Sanctorum Veteris et Novi Testamenti heroicis versibus explicatas. Vide diarium erud. Italiae t. 20 p. 150.

* Nemo, quem norim, inter Opera Brandolini huius recensuit libellum, quem in MS Cod. servat Biblioth. Canonicor. Maioris Ecclesiae Lucanae hoc tit. inscriptum. *Lippi Brandolini libellum de Laudibus Musicae et Petri Boni Ferrariensis*, qui cantor erat illorum temporum celebris Ferdinando carus. Datur statim praefatio soluta oratione scripta ad eumdem Regem. Incipit: *Contemplanti mihi superioribus diebus.* Tum succedit ad Petrum Bonum elegia, cuius hoc specimen.

Inter Pieridum vates clarissime alumnus
Unica lux Phoebi gloria summa lyrae
Accipe parva quidem Tyrreni munera Lippi;
Sed tibi quae procerum nemo dedisse queat
Sed quia nunc agimus Ferrandi munere vitam
Haec tibi Ferrandum mittere dona puta.

Dein exordium operis istud.

Huc adesad nostros Citharamque et carmina cantus.
Affer ab imparibus vecta elegia modis.

Praeterisse pigeret Brandolinum hunc Eremitarum S. Augustini coetui adlectum fuisse.

Eius *oratio pro S. Thoma Aquinate* habita Romae in Templo S. M. Minervae ad Cardinales et populum, et dicata Oliverio

S. R. E. Card. Neapolitano, evulgata est typis anno et loco incertis in 4.

BRAULIO Joannis Caesaraugustani in Hispania Episcopi successor ab Anno 627 et 646. Concilio Toletano quarto A. 633 et quinto A. 636. sextoque A. 638 interfuit, unde *clarum Canonibus* puto dictum ab Ildefonso cap. 12 de scriptoribus Ecclesiasticis. Speciatim *sextae Toletanae Synodi Canones* Braulionis stylo formatos notat Nicolaus Antonius V. 5 Bibliothecae veteris Hispanae pag. 278. De eo Acta Sanctorum 18 Martii tom. II, pag. 635 seq. Huic Braulioni Isidorus Hispalensis libros Originum dedicavit, rogatu illius compositos et a Braulione XX libris divisos. *Isidori elogium* breve a Braulione compositum, et *binae ad Isidorum Epistolae*, plus simplici vice cum Isidori operibus editae. Elogium illud etiam apud Surium et in Actis Sanctorum 3 April. *Vita S. Æmiliani* Presbyteri et Monachi Turiasonensis, defuncti An. 564 ad germanum suum Frummianum Presbyterum et Abbatem exstat in Prudentii Sandovallii Fundatione Benedictini Ordinis in Hispania sub Gothorum imperio, Hispanice edita Madriti 1601 fol. in Francisci Bivarii notis ad Chronicon Marco Maximo, Episcopo Caesaraugustano tributum, ibidem 1652 in folio pag. 475 cum *Hymno* in eundem Confessorem pag. 488 et in sexto Volumine Martyrologii Hispani Joannis Tamai de Salazar, 12 Maji pag. 111 Lugduni 1659 fol. et apud Mabillonium Sec. I. Benedictin. pag. 205. *Vita S. Leocadiae Toletanae Virginis* sub Diocletiano passae, de qua Baronius ad Matyrolog. 9 Decembr. Omitto Vitam *Vincentii, Sabinae et Christetidis* aliorumque *Martyrum Caesaraugustanorum*, et *Vitas Patrum*, et opusculum *de vana saeculi sapientia*, et aliud *de adventu SS. Apostolorum Jacobi Petri et Pauli in Hispaniam*, de quibus Nicolaus Antonius pag. 279.

Florentius BRAVONIUS, Anglus, auctor Chronici circa Annum 1118 infra FLORENTIUS.

Senatus BRAVONIUS, Possevino male *Braconius*, Prior Monachorum Vigorniensium Ordinis Cluniacensis circa An. 1180. Scripsit Vitam *S. Wulstani* Episcopi, apud Surium et in Actis Sanctorum 19 Januar. et *Osswaldi* Episcopi apud Surium 15 Oct. et *Epistolas VII* quarum argumenta apud Oudinum tom. II, pag. 1579.

Bernardus a BREITENBACH. supra, BERNARDUS pag. 204.

BREMENSIUM rerum scriptores duobus vel tribus Voluminibus comprehensos dare voluit V. C. *Georgius Rothius*, a) Rector Stadensis ante paucos annos defunctus, ilisque ornandis adhibere editos *Adamum* Bremensem, Diplomata Lindenbrogiana, *Albertum* Stadensem, et *Henrici Wolteri* Chronicon Archiepiscopatus Bremensis, quod vulgavit Meibomius: *Joannis Renneri* Chronicon Bremense rhythmicum Germanice dialecto Saxonica editum Bremae 1583. et laudato Rothio curante Stadae 1717 8vo recusum: recentiorumque scriptorum *Vilhelmi Dillichii* Chronicon Bremae et Praefecturarum ejus: *Luneburgi Musshardi* b) monumenta nobilitatis antiqua illustrium familiarum, inprimis Ordinis Equestris in ducatibus Bremensi et Verdensi, edita Germanice Bremae 1708 fol. *Urbani Pierii* de Urbis Bremae antiquitate Consulumque et Senatorum ordine elogium. (*Henrici Postii* fastos Consulares et Senatorios Reipublicae Brem. ab Anno 1433 ad 1725 Bremae 1726 4. *Joannis Henrici Hintz* notitiam sacri Ordinis in Ducatibus Bremensi et Verdensi, tempore Jubilaei Augustanae Confessionis An. 1730. et Lutheranorum Superintendentum Generalium et Pastorum a tempore Reformationis in praesentem aetatem Bremae, Stadae, Buxtehudae et Verdae. Stadae 1731. 8.vo)

Ex ineditis, Chronicon Civitatis Bremensis, scriptum Germanice dialecto Saxoniae inferioris ab *Herberto Schenio*, cellario Capituli, templique S. Anscharii, quod Bremae est Canonico: et a *Gerhardo Reinesberch*, ejusdem Capituli Vicario usque ad Annum 1436 cum duplici ejus continuatione, una ad Annum 1547. et altera longe uberiore ad Annum 1563. *Joannis Renneri* Chronicon

a) *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen*, Anno 1718 p. 546. Nova Litteraria A. 1719 p. 53 seq.
b) Acta Eruditorum tom. IV Supplementi p. 522.

Bremense majus usque ad Annum 1511 et inde ad 1583 duobus spissis Voluminibus, aliudque Chronicon simile alterius auctoris ab Anno 788 ad 1584. *Joannis Othonis* Luneburgensis Historiam Bremensium et Hamburgensium Episcoporum ab Anno 780 ad 1580. Chronicon Ecclesiae *Rosenfeldensis*, seu *Harsefeldensis*, quo usus est Abbas Luneburg Brummerus: Chronicon vetus Monasterii et opidi *Buxtehude*. Excerpta quaedam ex Registro MS. *Johannis Rode*, Archiepiscopi Bremensis, ex cujus Chronico dederat nonnulla illustris Leibnitius tomo II scriptorum Brunsvicensium p. 253. seq. Collectanea de *Wursatia* cum Jure Provinciali veteri Frisico *das Landriucht*, *ofte* Asigebook *der edelen vrigen* Vresen, et *Haronis Eide Fouwes*, Wursato Frisonis collationem Juris Provincialis Wursato Frisici cum Jure communi, ex editione Giessensi 1666 4.

Sed Consilium illud laudati Rothii in herba periit, perinde ut B. Casparis Bussingii, Superintendentis deinde Generalis Oldenburgensis, quod Bremae 1690 4. significaverat in schediasmate, cui titulus: *Eröfnung des Bremisch: Verdischen Ritter-Saals.* Neque adhuc lucem vidit promissa a celeberrimo Theodoro Hasaeo * Historia emendatae Religionis in Urbe Bremensi.

BRENDANUS *Conacius*, Abbas Hibernus circa Annum 560 cujus *Verba Religionis DEI*, sive liber *de legibus et observatione Monachorum*, *Charta coelestis haereditatis*, et *Confessio Christiana* memorantur a Baleo XIV 78.

BRENLANLIUS cognomento *Britannus* a Gesnero in Appendice Bibliothecae, praeclarus Astrologus fuisse circa Annum 1344 et plures libros *de Astrologorum praenotionibus* scripsisse traditur, unde mihi parum credibile, quod Pitseus pag. 443 ad Gesnerum provocans, Brenlanlium hunce vehementer ait invectum in Astrologiam Judiciariam, eam merum reputasse daemonis inventum et libros plures scripsisse *contra praenotiones Astrologorum*.

BREVIARIA *variarum Ecclesiarum*:

* Bibliotheca Theologico Historica Bremensis tom. I, pag. 161.

BREVIARIUM *Aberdonense* in Scotia A. 1509 de quo Acta Sanctor. t. II April. p. 438.

Ambianense Parisiis in 4 et Ambiani 1550 1670 forma minore, et 1683, 12 quatuor Volum. auctoritate Francisci Favre Episcopi Ambianensis.

Ambrosianum, Mediolani 1556 8 Venetiis 1558 8 et S. Caroli Borromei jussu An. 1582 recognitum, Mediolani 1588, 4 1625, 1661, 8 tribus Voluminibus. Confer Acta Sanctor. tom. I. Junii pag. 643.

Andegavense MS. ante trecentos amplius annos, fuit in Bibliotheca Telleriana. Exstat et editum A. 1624.

Aniciense, sive *Podiense* MS. ante quadringentos prope annos: fuit in Bibliotheca Telleriana.

Antwerpiense A. 1496.

Argentoratense 1478.

Arosiense, Arosiae 1504 4.

Aptense, Basil. 1515 fol.

Aquensis Ecclesiae breviarium MS. in Bibl. Regia Paris. n. 4446:

Atrebatense 1595, 8 duobus Voluminibus.

Audomarense A. 1518.

Augustinianorum, infra *Windesemensis*.

Aurelianense Parisiis 1542 8.

Bajocense memorat Bollandus.

Bambergense jussu Viti Episcopi A. 1575.

Basileensis liber breviarius secundum consvetudinem Chori Ecclesiae Basil. quomodo horae Canonicae absolvendae sint. Basileae 1480 4. Idem videtur, de quo Morlierius in libro: Essais de Litterature tom. I, pag. 149.

Ordinis S. Benedicti breviarium MS. ante trecentos annos, in Bibliotheca Telleriana. Novum Pauli V et Urbani VIII auctoritate editum Parisiis 1645, 8 duobus Voluminibus, his adde specialia: *Brunsfeldense* Lovan. 1607 8. *Cassinense* Venetiis 1586. *Pannoniense* Viennae 1579 8. *Tegernseense*, 1577 fol. et quae plura apud Lippenium et Hendreichium memorantur.

Bisuntinum, Divione 1653, 8.

Bituricense Venetiis 1481; 8 Lemovicis 1512, 8vo, et jussu Reginaldi de Beaurce, Archiepiscopi Bituricensis, Parisiis 1586.

Bracarense a Roderico Cunha Archiepiscopo recognitum, Bracharae 1634. 4.to

Bremense Argentorat. 1511.
Brugense 1520.
Bruxellense 1516.
Cameracense Parisiis 1497, 8 duobus Voluminibus.
Caminense in Pomerania A. 1521.
Canonicorum Regularium A. 1488 editum laudat Bollandus.
Capuanum Capuae 1489, 4.
Carmelitarum Venetiis 1542 fol. 1579, 8. et Sebast. Fantoni Generalis. Venetiis 1622, 8.
Carnotense in 8.vo Vetus editio ante annos ducentos, et ab Episcopo Nicolao de Thou, Parisiis 1584 duobus Volum. et 1633.
Carthusiense Parisiis 1521, 8 et 1522 forma minore, Papiae 1560, 8.vo Lugduni 1587, 8.
Congregationis Casalis Benedicti. Parisiis 1534, 8.
Cassinensis Congregationis. Venet. 1586 f.
Catalaunense MS. ante annos 400. quo usus Edmundus Martene.
Cisterciense Parisiis 1534, 12, 1581, 4 et 1617, 8.
Claromontensis Ecclesiae et *S. Flori.* Tierni 1557, 8.
Cluniacense Parisiis 1584, 8. duobus Voluminibus, aliud Pauli de Babusson et Claudii de Vert, Parisiis 1686, 8. Vide Memorias Trevoltinas Anni 1718 pag. 286 et de Joannis Baptistae Thiers Observationibus, Ephemerides eruditorum Parisiens. A. 1702 tom. II pag. 299 tom. IV pag. 171. Dupinii Bibl. Eccles. tom. XVIII pag. 283.
Coelestinorum Ordinis Benedicti. Venetiis 1508, 8.
Colbertinum Parisiis 1679, 8.
Coloniense A. 1498 et 1577.
Constantiense typis Erhardi Ratdolt, ante ducentos annos, 8. et editum An. 1561 Christophoro Episcopo, et 1575 Marco Sitico Cardinale, et 1599, 8.
Corisopitense vetus in Gallia Lugdunensi memoratur a Bollando.
Coenobii Regalis *S. Dionysii.* Parisiis 1550, 8.vo
Dolense in 8vi, vetus editio ante annos ducentos.
Dominicanorum, sive *Ordinis Praedicatorum*, Venetiis 1556, 8. Romae 1611, 8. Breviarii Confirmatio a Clemente IV. An. 1267 apud Edmundum Martene tomo II Anecdotorum pag. 502 seq. De antiqua editione hujus breviarii excusa An. 1514, 4 vide Theophili Sinceri *Nachrichten von raren Büchern*, Frf. 1732, 8 p. 345 sq.
Eborense in Lusitania A. 1548.
Ebroiciense Parisiis 1545, 8. 2 Voluminib. et 1585.
Eduense MS. An. 1452 in Bibliotheca Telleriana.
Elnense circa Annum 1500 in 8 et Hispali 1528 fol.
Erfordianum excusum ante hos ducentos annos.
Fontis Ebraldi, Paris. 1546, 8 Virginum, 1526, 8 duobus Volum.
Giennense Hispali 1528 fol.
Claronense laudatum a Goldasto in Alemannicis.
Graecorum breviarium, sive Anthologium Graece curante Antonio Arcudio, Romae 1598 8.
Granatense, Granatae 1544 8.
Hafniense in fol. *anno milleno quingenteno quoque deno.*
Halberstadense in 4 to vetus editio. videJacobi Friderici Reimanni Bibliothecam pag. 557 seq.
Hamburgense per Albertum Krantz. Argentor. 1519 fol.
Herbipolense 1518 fol. et 1575 jubente Julio Episcopo.
Hildesheimense A. 1516.
Hispalense in 4 vetus editio.
Insulense A. 1533.
Jotrense, sive *Meldense* MS. in Bibliotheca Telleriana.
Lemovicense A. 1587, 8 duobus Voluminibus, et A. 1625.
Leodiense A. 1520 et pars aestiva 1514 et novum breviarium A. 1636.
Lexoviense, sive *Liciense* An. 1624 vide Nicolaum Comnenum Papadopoli pag. 152 seq. praenotionum Mystagogicarum. Novum Liciense, sive *Lexoviense* An. 1704 magnam partem ex novo Senonensi.
Lovaniense MS. et

Breviarii *Lubecensis* parte aestiva usum se testatur Jo. Bollandus.

Lugdunense A. 1498 fol. Alia vetus editio forma minore: et Lugduni 1584, 8 correctiones C. de Laboureur. Lugduni 1647 8.

Lundense, Parisiis 1517 8.

Magdeburgense, in opido Siptzen. 1504 8.vo

Mediolanense An. 1635 vide Ambrosianum.

S. Melanii, Benedictin. vetus editio in 8.

Meldense, Parisiis 1546 8,vo duobus Voluminibus.

Meldense novum, in quo multa ex Senonensi A. 1702.

Meldense. supra *Jotrense*.

Mindense A. 1516.

Fratrum Minorum, Parisiis 1506, 8 1614, 1629.

Moguntinum MS. habuit Bollandus praeter edita An. 1495, 1507 et jussu Danielis Archiepiscopi 1570, 1612, 12.

Monasteriense A. 1489.

Morinense. A. 1542.

Mozarabum, sive *Toletanum*, secundum regularn B. Isidori Tolet. 1502 fol. per Alfonsum Ortizium, Canonicum Toletanum. Jussu Francisci Ximenls.

Nivernense, Parisiis 1534, 12. duobus Voluminibus.

Noviomense A. 1630.

Olivetanum, Venetiis 1580 8. Mediolan. 1610 fol.

Originacensis Monasterii in Veromanduis, A. 1619.

Parisiense vetus in Bibliothecae Regis Christianissimi Codice 4445 annorum circiter 400. Editum 1479, 8 1492, fol. 1545, 1557, 8 1584, 1636, et ex auctoritate Francisci Harlay Archiepiscopi, Parisiis 1680, 8 1684, 12 quatuor Voluminibus, cui breviarii *reformationi*, ut testatur Menagius in historia mulierum Philosoph. A. 1690 sect. 38. ubi de S. Catharina, *operam dederunt, Viri doctrina et pietate illustres, Jacobus de Sancta-Bova, Professor Theologus Sorbonicus; Guillelmus Bruneterius, tunc Archidiaconus de Bria in Ecclesia Parisiensi, hodie Episcopus Santonensis; Claudius Castellanus, Canonicus Parisiensis; Nicolaus Gobilio, Doctor Sorbonicus, et Parochus Sancti Laurentii apud Parisios, Leonardus Lametus, Doctor Navarricus, tunc Canonicus Parisiensis, nunc Parochus Sancti Eustachii apud Parisios; Claudius Amelina, Archidiaconus Parisiensis; Nicolaus Coquelinus, Cancellarium Parisiensis; et Nicolaus Tornosus, Theologus et Concionator eximius.* De recognitione facta An. 1675 et 1697 vide Honorati de S. Maria reflexions sur la Critique tom. II, pag. 81. et de Nicolai Toinardi consilio novi breviarii concinnandi, G. Wallini, eruditi Viri dissertat. de S. Genovefa pag. 27 seq. Memorias Trevoltinas An. 1722 pag. 528.

Passaviense A. 1505.

Podiense, vide *Aniciense*.

Praemonstratense auctoritate Francisci a Longo prato Abbatis, et cura Johannis le Paige. Parisiis 1598, 1608, 8 duobus Voluminibus.

Pragense, Venetiis 1517 8.

Razeburgense A. 1506.

Remense, Caroli a Lotharingia, Parisiis 1543, 8. Ludovici a Lotharingia, Remis 1614, 8 duobus Voluminibus. Caroli Mauritii la Tellier. Parisiis 1684, 12 quatuor Voluminibus.

Roeskildense, Parisiis 1517 4.to

Romanum, Taurini 1474, Venetiis 1478, fol. 1515, 1522, 8 Romae 1477, 1479 8 1482, 1490, cura fratris Gratiae Feltrensis, circa Annum 1514, 4. 1544, fol. 1546, 1551, 1557. Lugduni 1504, 1547, 8.vo Parisiis 1511, 1537, 1543, 1547, 1565 forma minore, 1568, 8.vo 1543, 1563, 1577, 8 aliaque apud Lipenium, Hendreichiumque: et imaginibus decoratum Parisiis 1525, 8 et Pauli III jussu recognitum a Francisco Cardinali Quignonio 1536. Lugduni 1538, 1542, 8. Parisiis 1542, 4.to jussu Pii V ex Decreto Concilii Trident. An. 1572. Venetiis 1615. auctoritate recognitum Clementis VIII et Urbani VIII. Parisiis 1652, 1647, 1675. Antw. 1707 Venet. 1710 et a Martino Sebaldo, Mogunt. 1622, 8 et Parisiis 1647, 4 e Typographia Regia, quatuor Voluminibus, 4. (16 et inter innumeras edit. *Parmae (Bodoni)* 1783 vol. IV. 8.) et lingva Slavonica, Rom. 1648, 8 et cum Gallica versione a Nic. le Tourneux, Paris. 1688, 8 quatuor Voluminib.

Rothomagense An. 1491 fol. 1587. Cardinalis a Borbonio, Rothomagi 1594, 12 duobus Voluminibus, et 1626. De novo ante paucos publicato annos, Bibliotheque Françoise A. 1731 tom. XV, pag. 173.

Rupellense Henrici de Laval, Paris. 1686, 8 quatuor Vol.

Sajense, Parisiis 1616 4.

Salmantinum, in 8 vetus editio.

Saltzburgense vetus editio in 8 ante annos ducentos.

Sarisburgense Breviarium, sive Portifortium, 1499 et Londini 1555, 4 Duaci 1604 4.

Senonense Nicolai du Puy, Canonici, Parisiis in 4 editio vetus: et alia in 8. Parisiis 1528, 8.° duobus Volumiuibus. Cardinalis a Borbonio. Senonis 1558 et 1560 8. His praeter illud Anni 1641 novissimum accessit A. 1702 auspiciis Archiepiscopi de la Hogvette. Confer ejusdem Epistolam Pastoralem editam Gallice A. 1718.

Servorum B. Virginis A. 1634.

Slessvicense A. 1512. Paris. in 8 jussu Godschalci ab Ahlefeld.

Sossmense, Parisiis 1548, 8 duobus Voluminibus.

Spirense A. 1478, 1507 auctoritate Philippi Episcopi 1522 8. directorium horarum etc. atque 1590 pars hyemalis, jussu Eberhardi Episcopi.

Stregnense laudatum illustri Benzelio.

Svessionense Parisiis, forma minore. Breviarium Monialium S. Mariae Svessionensis 8.

Sylvanectense, Parisiis 1521, 8 duob. vol.

Toletanum, supra, *Mozarabum.*

Tolosanum, quo usus Edmundus Martene.

Tornacense A. 1497 8.

Trajectense A. 1508, 1518. Antw. 1551, 8.°

Trevirensis Dioecesis Monasteriorum SS. Maximini, Naboris, Willebrordi. Anno 1600.

Tullense A. 1535.

Turonense MS. quo Edmúndus Martene usum se esse testatur.

Valentinum, Lugd. 1526 8.

Viennense, Lugd. 1498, 8 fuit in Biblioth. Baluziana.

Virdunense, Parisiis 1499, 8 1625.

Upsalense, Holmiae 1496 4.

Windesemensis Congregationis Canonicorum Regularium S. Augustini. Antwerp. 1519 fol.

Wormatiense A. 1576.

Zagabariense, Venet. 1505, 1584, 8.

Joannes BREVICOXA (Belgico nomine *Cortohosa*, (a *Kurze Hose:* Gallico b) *Courtecuisse*) Cenomanensis, Doctor A. 1388. Parisiensis, et ab Anno 1407 Regis Franciae Caroli VI ad Benedictum XIII et Bonifacium IX de pace Legatus, ac post habitam in conventu Parisiensi An. 1408 contra Benedicti interdictum Ecclesiasticum, gravem orationem, Regis Eleemosynarcha et per annos aliquot gerens vices Jo. Gersonis Cancellarii, denique A. 1420 usq; ad 1422 Episcopus Paris. inde Anglorum et Burgundionum invidia Gebennam, sive Genevam translatus, ibique non diu post defunctus. De lucubrationibus ejus audiendus Launojus in Historia Gymnasii Navarrei p. 465 (recusae tom: IV operum.)

Joannes Brevicoxa multa scripsit opuscula, quae nondum lucem aspexerunt. Exstant partim in Bibliotheca Coenobii sancti Victoris, partim in Bibliotheca Regia, partim in Bibliotheca Parisiensis Ecclesiae.

Tractatus *de Potestate Ecclesiae et Concilii* extat in Bibliotheca sancti Victoris. Is ipse est, quem ex illo Codice MS. vulgavit Ludovicus Ellies du Pin cum operibus Johannis Gersonis tom. I, pag. 805–904 inscripsitque Tractatum *de Fide, et Ecclesia, Romano Pontifice et Concilio generali.*

Gallica Versio libri de quatuor Virtutibus, *Senecae* attributi, extat in Bibliotheca Regia, quam Anno MCCCCIII. Joanni Bituricensium Duci consecravit.

In eadem Regia Parisiensi, *Sermones de tempore*, Latine et Gallice. Sermo primus de Adventu, incipit: *Bonum est praestolari.* En attendant la venie etc.

Quae sequuntur, extant partim in Bibliotheca Parisiensis Ecclesiae, partim in Bibliotheca sancti Victoris.

Quaestio: *Utrum cum unitate divinae essentiae stet pluralitas personarum sine formali distinctione?*

a) Bzov. ad Annum 1408 num. 1.
b) Oudin. tom. III, pag. 2557.

Quaestio: *Utrum ineffabilis et immensa DEI essentia possit esse creaturae formalis cognitio vel gratia.*

Recommendatio Sacrae Scripturae, quae incipit: *Olivam uberem, pulcram*, etc. Jeremiae XI.

Alia *recommendatio Sacrae Scripturae* et *Facultatis Theologiae*, quae incipit: *Super omnem terram gloria tua*, Psal. LVI.

Primum Principium *super lecturam Bibliorum*, quod incipit: *Tota pulcra es amica mea.*

Secundum Principum, quod incipit: *Ædificavit turrim, et locavit eam agricolis*, Marci XII.

Collationes quatuor *super Commendatione Scriptarae Sacrae*, quae omnes incipiunt: *Regina Austri.*

Quaestio: *Utrum jus regalis dominii in regno animae rationalis soli competat voluntati.*

Quaestio: *Utrum Lucifer sit omnium sapientissimus, non obstante quod sit omnium pessimus.*

Tertium Principium.

Quartum Principium.

Responsio Quaestionis in Sorbona: *Utrum omnis transgressio divinae legis sit mortalis.*

Quaestio Vesperiarum: *Utrum* Thomas *legem CHRISTI firmiter tenuerit.*

Quaestio Vesperiarum in Licentia et Magisterio *Radulphi de Porta:* Utrum portae coelestis aditum decor intraverit.

Laudatio seu Vesperisatio *Radulphi de Porta* sub hoc titulo: *Hoc est Opus DEI.*

Quaestio de Resumpta: *Utrum legis naturalis censura peccantem in legem, accuset mortaliter.*

Lectiones *in Evangelium beati Joannis* super illa verba: *Omnia per ipsum facta sunt;* et super multa alia Joannis et caeterorum Evangeliorum testimonia.

Guilelmus BREVINUS Anglus, Romae diu versatus, circa Annum 1470 scripsit *de septem principalibus Ecclesiis Urbis Romae*, ex quo MS. in Bibliotheca Vaticana Alexander Cookius aliique * produxere testimonium de sella perforata, sed de cujus usu credibiliora sunt, quae notavere Joannes Rhodius ad Scribonium Largum p. 280 seq. Valerius Chimentellus de honore bisellii cap. 20 tom. VII Thesauri Antiquitatum Rom. Graeviani pag. 2094 seq. et Bernardus Montfauconus in Diario Italico pag. 159.]

* Vide Oudinum tom. III, pag. 2678 seq.

Guido sive *Gerardus de* BRIANSONE, Ordinis Minorum, Doctor Parisiensis et Lector Tolosanus, circa Annum 1450. Scriptor Commentariorum *in IV libros Sententiarum ad mentem Scoti*, editorum Par. 1512, 1517, 4. Atque *In septem Psalmos Poenitentiales* et *in Dionysium Areopagitam de coelesti hierarchia.*

BRICMORUS Sophista Oxoniensis, quem Baleus X 89 ex Lelando, et Pitseus p. 828 referunt scripsisse hypomnemata in Aristotelis priora et posteriora Analytica: in Topica ejusdem et Sophisticos Elenchos.

BRIDFERTHUS, sive BRIDFRITHUS, Lelando cap. 136 *Brightefertus*, Saxo, Abbonis discipulus, Monachus Ramesiensis, circa Annum 1000 scripsit *in Bedam de rerum natura* et *de temporibus*, commentaria edita tomo secundo Bedae operum, ut supra pag. 174 notare me memini. Atque eodem pertinet Brideferti *Computus Latinorum, Graecorum, Hetruscorum, Ægyptiorum et Anglorum*, qui exstat MS. in Bibliotheca Bodlejana. Ejusdem *Vitam S. Dunstani*, Archiepiscopi Cantuariensis, An. 988 defuncti, edidit Henschenius in Actis Sanctorum 19 Maji tom. IV p. 345. Praeterea Joannes Baleus Centur. 2 cap. 35 memorat ejus librum *de principiis Mathematicis*, et alium *de institutione Monachorum.*

S. BRIGITTA, rectius BIRGITTA, Sveca filia Birgeri Regis, sive Legiferi Uplandiae, nata A. 1304. [Mater ejus Ingeburgis, a) avia materna, nomine Sigridis, quam praeter rem pro matre Brigittae venditant plerique.] Ex coniuge Ulfone de Ulfaesa, b) Nericiae Principe octo liberorum c) mater,

a) Ericus Benzelius pag. 66 ad Joannis Vastovii vitem Aquiloniam.

b) Vastovius in vita Brigittae pag. 94.

c) Idem pag. 96. Filiorum quatuor, et filiarum totidem, ex quibus *S. Catharina* nata An. 1556 et An. 1581 extincta, de qua idem Vastovius pag. 107. Benzelius in notis pag. 71. Legenda ad calcem Revelationum Brigittae pag. 596.

illo deinde inter Cistercienses Monachos Anno 1344 * defuncto, ipsa sub Regula S. Augustini novum Ordinem Monasticum d) S. Salvatoris instituit. Magistro usa MATTHIA, Lincopensi Canonico, ab eo curavit sacra Biblia Svecice e) transferri, qui etiam glossas iisdem illustrandis addidit: atque de his accipiendum, quod in vita Brigittae legitur: f) *Sacra Biblia, quae Gothico idiomate sibi scribenda curarat, lectitabat.* Revelationes ipsi factae esse divinitus feruntur ab Anno 1344 unde Romam adiit An. 1346 atque inde post Hispaniam, Neapolim, Siciliam petiit sacra Palaestinae loca, indeque Romam iterum reversa diem obiit An. 1373, 23 Jul. g) sanctisque adscripta est An. 1391 a Bonifacio IX. h) et Anno 1415 a Johanne XXIII in Concilio Constantiensi: i) consecrationem hanc tempore Schismatis factam confirmante etiam An. 1419 Martino V. *Revelationes* ejus probatae a Concilio Basileensi, Gregoriique XI. Urbani V. Bonifacii IX et Martini V jussu recognitae. *Regulam* Ordinis sui circa A. 1363 a Papa Urbano V confirmari postulat libro quarto revelationum capite 137. quod etiam factum ab eo esse annotat Consalvus Durantus ad istum locum et ad IV 49 ex Joanne Nauclero alisque. *Regula* illa LX fororum et fratrum XXV quae Capitibus XXXI. constans p. 523 subjicitur octo libris *Revelationum.* Hi ex recognitione Cardinalis Joannis de Turrecremata prodiere Lubecae 1492. Norimbergae 1521. Romae 1521, 1556 et cum notis Consalvi sive Gundisalvi Duranti a S. Angelo in Vado Presbyteri et S. Theol. Professoris, postea Episcopi Feretrani in Ducatu Urbinatensi, Romae 1606. Antwerpiae 1611. Rom. 1628 et Colon. 1628 fol. cum Revelationibus SS. Virginum Hildegardis et Elisabethae: et Simone Hormanno curante Monachii 1680 fol. Praemittuntur octo revelationum libris *Orationes* sive *Precationes* Brigittae *quindecim de Passione Domini,* ex edit. Rom. 1530, 8. Libro septimo pag. 476–486 subjecta est ALPHONSI, ex Episcopo Giennensi in Hispania, Eremitae, qui Revelationes Brigittae in libros digessit, (sicut ex Suecico Latine vertit k) PETRUS OLAI de *Alvastro*, sive Prior Ord. Cisterc. in Coenobii *Alvastrensi* et S. CATHARINÆ quae S. Brigittae filia, a sacris confessionibus fuit, diemque obiit An. 1390, 9 Apr.) Illius inquam *Alphonsi* Epistola pro defensione illarum Revelationum. Deinde post octavum librum, et quam dixi Regulam sequitur Brigittae *Sermo Angelicus de excellentia B. Virginis*, capita XXI p. 536. *Orationes IV* ejusdem argumenti pag. 553. Revelationes extravagantes a *Petro Olai* additae Alphonsinis pag. 559. In hisce extravagantibus c. 48 jubetur *Petrus de Alvastro* Latine ea scribere, quae Svecice illi Brigitta dictaret: et cap. 45. Regulam a Spiritu CHristi dictatam. Epitome revelationum Brigittae duplex ab OLAO MAGNO concinnata Romaeque edita a Jo. Messenio l) aliis memoratur: sicut et versio earum Gallica Lugd. 1650, 4 et Germanica Norimberg. 1500, 1521 fol. et Dillingae 1569, 8. Colon. 1664, 4. Quantum tribuendum sit hisce revelationibus, in quibus *ex eventis multarum praedictionum fateri coactum se veritatem*

* Olaus Rosencrantz apud Thomam Bartholinum tomo II. Actorum Medic. Hafniens. pag. 56.

d) Confer S. Antoninum Parte 3 tit. 24 cap. XI § 4 pag, 797 seq. Albertum Crantzium IX 52 metropol. et X 13 Saxon. Natalem Alex. Sec. XIII et XIV tomo VII, pag. 245 edit. in fol. ex Thoma Walsinghamo, et quae plura de fundatione et privilegiis Ordinis S. Brigittae, ejus Revelationibus praemittuntur. Regula prodiit et Gallice Parisiis 1622 forma minore. *La regle des freres Novissimes de l'Ordre du Sauveur.*

e) Laudatus Benzelius pag. 66 infra; MATTHIAS.

f) In Vastovii vide Aquilonia pag. 95.

g) Vita Brigittae apud Surium et in Actis Sanctorum 23 Jul. S. Antoninus parte 3 tit. 21 cap. XI et Legenda ad calcem Revelationum pag. 591. Vide et quae supra in BIRGERO pag. 258.

h) Vide Bullam in Laurentii Cherubini Bullario tom. I, pag. 297. Processum ritus exponit Petrus Amelius de caerimoniis Ecclesiae Romanae cap. 153 in Mabillonii museo Italico pag. 535 seq.

i) Hermannus ab Hardt Prologom. ad tom. III Concilii Constantiensis pag. 15 et in tomo ipso pag. 28 tom. IV, pag. 39 etc. Jacobus l'Enfant histoire du Concile de Constance pag. 67 ubi et icon S. Brigittae aere nitide descripta.

k) Joannes Schefferus de Svecorum scripsit p. 11.

l) Apologia contra Gomarum pag. 389 confer W. Ernesti Tentzelii dialogos menstruos A. 1690 pag. 159 seq.

professus est Franciscus Costerus m) vide si placet Joan. Caramuelem tom. III Theologiae moralis fundamental. pag. 386. Hermannum Conringium ad novenam S. Antonii de Padua pag. 29 seq. D. Augusti Pfeiferi anti Enthusiast. pag. 195. B. Joannem Winklerum in judicio de revelationibus Asseburgicis, edito Germanice p. 80 seqq. D. Martini Chladenii dissertationem de Brigittae revelationibus, editam Witeb. 1715, 4. Oudinum tom. III pag. 1098 seq. etc. Testimonia hujus Sibyllae Arctoae n) adversus abusus Papatus collegere Flacius et in lectionibus memorab. Joannes Wolfius ad Annum 1370. Romae An. 1485 prodiit *Onus Mundi*, sive Prophetia de malo futuro ipsi Mundo superventuro, in qua continentur revelationes quaedam e quarto Brigittae libro, cum Oratione in ejus laudem. Vide etiam librum, cui titulus: *Onus Ecclesiae*, capite tertio. *B. Virginis Officium* a Brigitta compositum et ex Latino versum vidit lucem Anglice Londini ante Annum 1500. Vide Henrici Warthoni auctarium ad Usserium de Scripturis sacrisque vernaculis p. 447.

In Bibliotheca Paulina Lipsiensi teste B. Fellero pag. 89. MStae servantur *Communicationes HEMMERICI*, S. Theologiae Professoris, super certis articulis ex libro Revelationum S. Brigittae extractis. Ejusdem *Resolutiones IX Articulorum* iisdem objectorum, et apologia alia Anonymi itemque pag. 90 alia *PETRI*, de quo supra, et qui in Codice Paulino vocatus Venerabilis Vir Frater Generalis Confessor Monasterii Wazsteunensis. Quem autem pag. 157 Catalogus memorat *librum* Brigittae *ad Reges*, nullum alium esse constat, quam librum octavum Revelationum.

* Revelationes eius latine redditas fuisse a Petro quodam priore Albastri recte admonet hic Fabricius; quamquam accuratius haec animadvertenda fuerant; non enim integrum Revelationum opus, sed eius maximam partem Latine ab eo factam asserit Diarium Vazstenense a Benzelio vulgatum, in quo Petri huius obitum an. 1390 consignatur.

Vitam S. huius viduae Latinis literis scriptam dedit Nicolaus Hermannus Episcopus Lincopensis *Paedagogus olim filiorum S. Birgittae*. Haec vitae S. Birgittae historia incipit: *Rosa rorans bonitatem*. Docet haec omnia Diarium dict. ad an. 1391. (*45 Vita di S. Brigida di Svezia scritta dal P. Guglielmo Burlamacchi della Congr. della M. di D. Firenze 1769, 4.*)

Translationem Reliquiarum ejusdem Roma ad Monasterium Vazstenense literis consignavit Joannes Ben. (f. Benedictus) in eodem Monasterio asceta. Vide Diarium ad an. 1440. quo anno scriptor iste opus perfecit.

Revelationes S. Brigittae, quae in concilio Basilensi validis oppositionibus impetebantur, strenue defendit Card. de Turrecremata, cujus apologiae quamquam hucusque eruditi excusam putarunt una cum ipsis Revelationibus Romae et alibi impressis; reipsa tamen nonnisi prior pars prodivit, reliqua singulas accusationes enarrans, et refutans in Codic. Bibliothecar. MSS. jacuit, et nunc tandem mea primum opera evulgata est in tom. IV Supplem. Concilior. pag. 910. etc. Ibi vero catholici Theologi nanciscentur, quae reponit Turrecremata ad ea revelationum loca, ubi Birgitta de Rom. Pontifice abloqui visa est. Atque haec demum opponas testimoniis ex iisdem revelationibus excerptis a Matthia Flacco Illyrico, de quo hic Fabricius. Vide Art. XVIII et XX.

Alia S. BRIGITTA Scota, sive Hiberna, quam ajunt trigesimo post S. Patricium obiisse A Christi 523 aetatis 70. De hac Baronius ad Martyrolog. Surius et Acta Sanctorum Calendis Februarii tom. I pag. 99 seq. ubi vita ejus duplex, scripta a duobus Anonymis p. 118 et 125 et tertia, quam Canisius ediderat tom. V Parte 2 p. 625. (Tom. I editionis novae pag. 416) a COGITOSO pag. 129. nec non quarta elegis versibus a CHILIENO Monacho pag. 141. confer Tillemontium tom. XVI Memor. Eccles. p. 793 et Brigidam thavmaturgam, sive dissertationem de S. Brigida habitam in Collegio Hibernorum Parisiensi, editamque Parisiis

m) Chronico Episcoporum Sveriae cap. 5.

n) Ita vocatur Jo. Mollero ad Schefferum de Svecorum scriptis pag. 255.

1620, 8. Omitto BRIGITTAM tertiam Faesulis claram in Hetruria sub saeculi noni extremum, de qua Acta Sanctorum 1 Februar. pag. 243 sqq. itemque plures hoc nomine, ut Ratisbonensem Abbatissam S. Wolfgangi, de qua eadem Acta 1. Februar. et alias 9 Mart. 5 et 21 Maj. etc.

BRISTANUS Croylandensis in Anglia Monachus et Praecentor Ordinis S. Benedicti, Musicus et Poëta circa Annum 870. qui cladem Monasterio suo a Danis illatam descripsit threno in cineres ejus, versibus elegiacis, quorum hoc initium ex Ingulfo apponit Pitseus pag. 167

Quomodo sola sedes dudum Regina domorum
Nobilis Ecclesia, et nuper amica DEI.

S. BRITHWALDUS, sive de quo supra p. 223. BERTHOWALDUS, qui teste pag. 128 eodem Pitseo An. 731 obiit, et scripsit etiam *Vitam S. Ecguini*, Episcopi Wicciorum, sive Vigorniensis, An. 716 defuncti, MStam in Bibliotheca Cottoniana. Vide Oudinum tom. I pag. 1676.

Guilelmus BRITO Aremoricus, sive ex Britannia minore, Gallus, non modo prosa oratione *compendium annalium Rigordi* de gestis Philippi Augusti scripsit, ut ex Jacobi Meieri annalibus Flandricis notavit Vossius: sed etiam in *Philippide* sua, quam anno aetatis quinquagesimo quinto cecinisse se testatur, a) *libris XII* carmine hexametro persecutus est gesta et laudes Philippi Augusti Adeodati, ab Anno 1180 ad 1223. Francorum Regis, ad filium ejus primogenitum *Ludovicum*, filiumque nothum *Petrum Carlotum*, cui ipse a studiis fuerat. b) Prodiit primum cura Petri Pithoei in scriptoribus XI veteribus historiae Francorum ab Anno 900 ad 1283. Francofurti 1596 fol. deinde in Andreae du Chesne scriptoribus Francicis tom. V pag. 93. Parisiis 1649 fol. denique separatim cum amplis atque eruditis notis Gasparis Barthii, Cygneae 1657, 4., qui genuinum operis titulum esse ait: *Speculum boni, paceque et bello, pii, cordati et fortunati Principis*, ac poëma hoc c) judicat nulli ab octingentis annis postponendum, et facilitate sermonis spiritum Ovidianum maxime repraesentare: demtis aetatis, qua vixit, nationisque notis. Ante Philippidem testatur Brito d) scripsisse se carmen in laudes Petri Carlotti sui, tunc nondum quindecim nati anno, imposuisse ejusdem nomine nomen *Karlotida*, sed quam nemo hactenus in lucem protulit. In rebus Philippi, Britonem vestigiis et narrationis filo *Rogeri ab Hoveden* Annalium scriptori maxime institisse, eidem Barthio observatum, qui vicissim a Rigordo recedere eum non raro monet p. 499.

a) Lib. 3 vers. 381.
b) Lib. 12 vers. 900.
c) In notis pag. 7 adde pag. 528 ubi Gualtero praefert, Alexandreidis scriptori: et XLII 7. Adversar.

Guilemus BRITO, Camber, Ordinis Minorum, quem An. 1356 diem obiisse notant Possevinus, Pitseus pag. 481 et ex eo Waddingus pag. 151 ubi praeter *Grammaticalia* quaedam, ut vocant, et commentarios in divisiones *Boëthii* in dicta quaedam et alia opera *Alexandri Neccam*, in sex *Gilberti Porretani* principia, in Isagogen *Porphyrii* et in *Aristotelis* Praedicamenta, perihermenias et elenchos Sophisticos, memorant ejus librum *in prologum Bibliorum*, (hoc est, ut ex MS. Biblioth. Victoris Paris. Oudinus tom. III p. 1019 *commentarium in omnes prologos Biblicos S. Hieronymi:*) et nescio quam *Bibliothecam sanctorum Patrum*, idemque *opus, abbreviatum.* Hujus Britonis *Vocabularius*, cum Vocabulorum Hebraicorum in Bibliis occurrentium interpretatione Latina MS. exstat Lipsiae in Bibliotheca Paulina teste B. Fellero pag. 288 Catalogi. Fuit et in Menarsiana pag. 159. Idem nimirum Brito, cujus *Synonyma* edita Parisiis 1504, 4 apud Dionysium Rosse. Cujus *Summa*, sive *opusculum difficilium vocabulorum Bibliae ex glossis Sanctorum* in variis Bibliothecis evolvit Cangius, ut notavit in praefatione ad glossarium mediae Latinitatis § 49 ubi affert versus leoninos, quos praefigere illi opusculo, et quibus claudere illud huic Britoni placuit.

BRITONIS Militis *regulae amoris* MSS. memorantur a Sandero tom. II Bibl. Belgic. pag. 213.

Bonaventura BROCARDUS, Ordinis Minor. infra, BROCHART.

d) Lib. 1 vers. 10.

BROCARDUS, sive BURCHARDUS Teutonicus Reineccio Westphalus, aliis Argentoratensis, Ordinis Praedicatorum, Anno 1222 missus in terram sanctam et per decem annos in ea commoratus: hinc redux inde descripsit circa Annum 1240 *descriptionem terrae sanctae* (unde nomen ei Brocardo *de monte Sion*) ad fratrem Burchardum Lectorem Ordinis Praedicatorum in Maydenburch. Locus capitis VII. in quo Anni 1283 mentio, in aliis excusis et MStis non legitur, ut a B. Staphorstio nostro demonstratum tomo tertio Historiae Eccles. Hamburgens. pag. 353. sicut nec locus ille, in quo provocatur ad Concilium Lugdunense An. 1273. Allegat autem plus simplici vice tanquam viventis adhuc et spirantis librum *Venerabilis Domini Jacobi et Patris de Vitriaco, Jerosolymitani Patriarchae de conquesto terrae sanctae,* quem constat defunctum A. 1244. Mira est non modo editionum inter se, * verum etiam Codicum MSS. ut illius quem in Bibliotheca Ecclesiae Petrinae hujus Urbis laudatus Staphorstius evolvit, diversitas, aliis, ut fit, alia adnotantibus, quae deinde librarii tanquam primi auctoris descripsere. Prodiit haec descriptio primum Venetiis 1519, 8 a Joanne Host de Romberch, Kyrspensi Wesphalo: Deinde in Simonis Grynaei novo orbe regionum ac insularum, Basileae 1532 fol. pag. 298 atque iterum 1537 et 1557 et separatim Antwerpiae 1536, 8. quam editionem secutum se testatur Philippus Bosquierius Caesarimontanus Minorita, qui etiam in capitum numeros distinxit; Col. 1624 8vo, sicut apparet ex eadem Antwerpiensi expressas Parisiensem 1544. Wittebergensem 1554, 8 cum Casp. Peuceri de dimensione terrae, et 1579, 8. Sed accuratius integriusque vulgavit Reinerus Reineccius, cum itinerario Hierosol. Bartholomaei de Saligniaco: Magdeburgi 1587, 1593, 4. et ad calcem Eusebii atque Hieronymi de locis Hebraicis, Lugduni Batavorum 1707 fol. Johannis Clericus. Ex alio Codice sed minus integrum Henricus Canisius tom. VI Antiquarum Lectionum pag. 295. Ingolstad. 1604, 4 et tom. IV editionis novae Basnagianae pag. 9. Amstelodami 1727 fol. Non omittendum, quod Germanica versio ex Latina Simonis Grynaei editione jam An. 1534 vidit lucem Argentorati fol. in collectione scriptorum, quae prodiit sub titulo: *Die neue Welt der Landschaften und Insuln.*

* Vide Jacobum Echardum tom. I Bibliothecae Ordinis Praedicatorum p. 591 seqq.

De BROCARDO, a quo *Brocardica Juris*, infra et in BURCHARDO Wormat. De BROCARDO Persico Comite erudito circa A. 1408 Franc. Arisius in Cremona litterata tom. I pag. 286 seqq. *Jacobum* autem BROCARDUM Pedemontanum omitto, est enim recentior, qui multa vaticinari ausus, ab eventu refutata: praeter paraphrasin Rhetoricam Aristotelis, partitionesque Oratorias, Parisiis 1549. Venetiis 1558, 8 et scriptum *de antibaptismo jurantium in Papam, et in Ecclesiam Romanam, deque eorum idolo zeli*, mysticam quoque et propheticam *Geneseos* interpretationem edidit Lugduni Batavorum 1580, 8, recusam ibidem 1584, 4 et Bremae 1585, 1593, 4 (damnata in Synodo secunda Reformatorum Rupellensi A. 1581 et in alia Medioburgensi ejusdem anni:) ne non *Levitici*, *Cantici Canticorum*, *Haggaei, Zachariae et Malachiae,* Lugduni Batavorum 1580, 8, et interpretationem ac paraphrasin *in Apocalypsin* ibid. 1580 et 1610, 8 et Anglice Jacobo Stanfort interprete, Londini 1582, 4. Vide Baelii Lexicon in *Brocard*, Voëtium tomo II dissertat. select. pag. 1075. Jacobi le Long Bibliothecam Exegeticam p. 652 et Acta Eruditorum An. 1693 pag. 30 et An. 1711 pag. 280. Exstat etiam hujus Brocardi liber *ad Christianos de prophetia complenda* in his quae sunt secundi adventus Domini, et *ad Hebraeos de primo et secundo CHristi adventu*, dicatus Elisabethae, Reginae Angliae. Alius *Marinus* BROCARDUS, Venetus, cujus scriptum de lue Venerea exstat in Aloysii Luisini Aphrodisiaco, sive magnae sylloges LX scriptorum de illo argumento, tomo posteriore, post editionem Venetam 1616 fol. nuper recusae Lugduni Batavorum 1729 fol. curante viro paucis comparabili Hermanno Boerhave.

Alius BROCARDUS ejusdem aetatis, Vice-

dominus Argentinensis, qui testatur se An. 1225 missum a Friderico II Romanorum Imperatore, in Ægyptum ad Saladinum, Regem Babiloniae, descripsitque *Legationem* hanc *in Ægyptum* brevi libello non magnae rei et a priore de quo p. 262 prorsus differente, qui MS. adhuc servatur in Basileensi Biblioth. Vide Jac. Echardum tom. I p. 394. Huic potius quam superiori Brocardo videntur tribuendi *Annales de gestis Frederici I Imperatoris in terra sancta*, quos Wolfg. Lazium habuisse testatus est Gesnerus in Appendice Bibliothecae.

Alius etiam, ut videtur, (licet Oudinus tomo III pag. 591 eundem cum primo velit) BROCARDUS Argentinensis, Ordinis Praedicatorum, qui circa Seculi XIV initia scripsit *Summam de casibus*, sive *Summam Brocardicam de vitiis et virtutibus*, in libros quinque tributam, in quo opere condendo, utut videatur ad Summam *Raymundi de Pennaforti* attendisse, tamen plura habet sibi propria et singularia, ut notat, qui plures ejus laudat Codices MStos Jacobus Echardus tom. I p. 466.

Bonaventura BROCHART, Ordinis Minorum Conventus Bernensis in Neustria, quem in itinere Hierosolymitano An. 1535 socium habuit *Greffinus Arfagart*, Eques Normannus. Horum iter Gallice descriptum Volumine non parvae molis MStum in Bibliotheca Regia Parisiensi laudatur a Crucimanio in Bibliotheca Gallica duobus in locis, voce *Bonaventura* et *Greffin.* Esset igitur hoc loco a me praetereundus, nisi eum cum Brocardo Teutone, Ordinis Praedicatorum, Philippus Boscquierus multique alii confundissent. et Latinae longeque brevioris terrarum sanctarum descriptioni auctori praenomen Bonaventurae praeter rem, ab hoc altero mutati, tribuissent, quos eo nomine reprehendit laudatus Echardus tomo I pag. 392 seq. Scriptum autem *de sacra expeditione adversus Turcas obeunda* ad Philippum Regem Galliae A. 1332 auctorem habet *Petrum Paludanum,* Brocardoque praeter rem tributum a nonnullis fuit, quoniam in MStis nonnullis adjunctum fuit Brocardi libro de terra sancta. Vide sis Oudinum tom. III pag. 592.

Andreas BRODA, Doctor et Professor Theologus Pragensis, tempore Concilii Constantiensis An. 1415 pugnavit *pro communione sacrae Coenae sub una specie*, cui *Jacobus*, sive *Jacobellus de Misa*, alio nomine *de Strziebro*, Bohemus, Ecclesiae Pragensis Pastor, Vindicias pro communione plebis sub utraque specie opposuit. Brodae disputationem Academicam e Codice Caesareo vulgavit V. C. Hermannus ab Hardt tomo III. Concilii Constantiensis pag. 392. Jacobelli Vindicias pag. 416 ad 585.

Joannes (perperam *Philippus* aliis) BROMEARDUS, sive *Bromyard*, Herefordiensis Anglus, Ordinis Praedicatorum, qui Wiclefum oppugnasse traditur in Concilio Londinensi An. 1382. Ejus *summa Praedicantium,* quae praeter editionem antiquam sine loco et anno in folio, prodiit Norimbergae 1485 fol. 1518. Lugdun. 1522, 4 Venet. 1586 4. et Antwerp. 1614 fol. *Opus trivium* ordine alphabetico ex tribus Legibus Divina, Canonica et Civili. Vetus editio sine loco et anno in fol. et Paris. 1500 4. Haec est quae Gesnero *summa Juris moralis* videtur appellari. *Distinctionum* Theologicarum opus primo loco laudat Lelandus cap. 380. De aliis ineditis, in quibus etiam *liber contra Wiclefistas*, Baleum vide VII 4 Pitseum pag. 551 seq. et Jacobum Echardum tomo I Bibl. Ord. Praedicator. pag. 701.

Joannes BROMIUS. Anglus, Augustinianus, qui in Gorlestonensi sive Gorledunensi Monasteri obiit An. 1449. Praeter *Sermones* quosdam, scripsit *indices in Bibliothecae Gorledunensis* et speciatim in *Chronicorum quorundam volumina.* Vide Elssium encomiastici Augustiniani pag. 335 Baleum VIII 13 Pitseum pag. 640 seq. sed et Echardum l. c.

Thomas BROMIUS Carmelitarum in urbe Londinensi provincialis medio Saec. XIV scripsit *Lecturam Theologiae*, *Commentarios in Epistolam Pauli ad Romanos*, et *Concionum* Volumen unum teste Lelando cap. 418.

Joannes BROMPTON, Abbas Jorevallensis, Ord. Cisterc. in Anglia in agro Richmondensi: à Pitseo pag. 870 Vossio pag. 708 et aliis habetur pro auctore *Chronici* ab Anno Christi 588 quo S. Augustinus venit in An-

gliam, usque ad mortem Richardi I. sive An. C. 1198. a) Sub ejus quoque nomine prodiit ex duobus MSS. Cottoniano et Benedictino Cantabrig. inter scriptores X historiae Anglicanae Londini 1652 fol. pag. 725-1283 curante Rogreo Twysdenio. Verum Joannes Seldenus in judicio de historicis istis volumini praemisso pag. XXXVIII seq. (et tomo IV. Opp. Seldeni pag. 1165) observat auctorem ne Jorvallensem quidem Monachum, nedum Abbatem hunc Bromptonum fuisse, sed *Anonymum* quendam, qui sub Eduardo III scripsit, et cujus Opus Bromtonus donavit Coenobio Jorvallensi. Pretium hujus Chronici auget, quod in illo exstat servata vetus Latina versio Legum Anglo-Saxonicarum, INÆ Regis West-Saxiae pag. 759 ALVREDI Regis West-Saxonum pag. 819 et GODRICI Daci Regis Estangliae pag. 828 EDUARDI pag. 835 et ADELSTANI pag. 839, 847, 849, 851 EDMUNDI pag. 858 EDGARI pag. 870 ETHELREDI pag. 893 ad 903. KANUTI Regis Anglorum, Danorum et Norweganorum pag. 914 ad 932. WILELMI Conquaestoris pag. 982. HENRICI I, pag. 101. De Hibernia uberius tradit pag. 1072 seq. ex GIRALDI Cambrensis topographia.

Joannes BRUGMANNUS Belga Ord. Minor. in conventu Audomaropolitano circa Annum 1456. Scriptor *vitae B. Liduvinae virginis* Schiedamensis, defunctae An. 1433 quae exstat apud Surium, et in Actis Sanctor. 14 Aprilis (non 4 ut bis excusum apud Oudin. tom. III, pag. 2563.) Epitome etiam apud Franciscum Haraeum 14 April. ut Vossio jam notatum.

Stephanus BRULIFER, Ordinis Minorum, Doctor Paris. circa A. 1460 de cujus scriptis Oudinus tom. III, pag. 2629 ex Possevino et Waddingi Bibl. Ordin. Minor. pag. 320. Moguntina Synodus in qua *Concionem de valore Missarum* habuit, videtur illa An. 1451 de qua B. Joannes Andreas Schmidius in historia Conciliorum Moguntinorum § 39. In *libro de SS. Trinitate*, Brulifer recte reprehendit pictores, variis et indignis modis mysterium sanctissimum deformantes. Apud Possevinum vitiose *Mactoviensis*, pro *Macloviensis*, patria enim Bruliferi *Maclovium* minoris Britanniae, vulgo *Saint Malo*.

BRUNELLUS *Vigelli*, (sive potius NIGELLI *Wirekeri*, Angli Monachi Cantuariensis, qui circa An. 1200 vixit) *asinus* sive *speculum stultorum*, de asino qui volebat caudam auferri et novam creari, Satira scripta versibus elegiacis, praemissa epistola ad Guilelmum, postea Episcopum Eliensem, quem auctor *semper diligendum fratrem* appellat, aitque speculum stultorum se id scriptum appellasse, *ut inspicientes aliena inspecta stultitia, tanquam speculum eam habeant, quo inspecto propriam corrigant*. Prodiit Coloniae per Joannem Koelhof de Lubeck, 1471 fol. et sine loco et anno 8 Colon. 1499, 4. et in praxi jocandi Frf. 1602 8. pag. 352 et jussu gloriosissimi Ducis Luneburgensis AUGUSTI, Gvelpherbyti 1662 8. cum Ovidio de vetula. De Codicibus MSS. vide Polycarpi Leyseri hist. Poëtarum medii aevi pag. 751 seq. qui et prologum emendatiorem exhibet pag. 753 seq. ex MSto. Helmstadiensi.

*Authoris huius opus a Fabricio indicatum ego pariter in MS. Saec. XV servo; sed carens edito conferre ambo simul non valeo. P. Martene Vet. Mon. VI, 1 edidit *sententiam Brunelli de ord. Religiosis:* quem titulum an ipse repererit in MS. Cod. vel de suo proposuerit incertum est. Testatur ille inter multa quae offendit in Cod. Brunelli carmina excerptum hoc se legisse, quod aliquod utile referre sibi videretur cum reliquia inania, et futilia et ipse judicaverit, et Mabillonius pariter arbitraretur. Porro in *speculo stultorum*, quod servo, Carmen istud de Ord. Religiosis non legitur; unde nec in edito legi censeo. Postremus Religiosorum ordo, cujus Brunellus ibi meminit est ordo *Symphinigram* in Anglia a S. Gilberto Anglo institutore paulo post medium Saec. XII fundatus.

BRUNETUS LATINUS, Florentinus, Dantis et Guidonis Cavalcanti praeceptor, vir

a) Pag. 725 in proemio auctor scribit historiam se constituisse deducere usque ad Eduardum a conquestus tempore primum, quem coronatum esse constat An. 1272. Idem auctor pag. 967 Eduardi tertii meminit, qui coepit regnare An. 1326. Laudantur ab eo Henricus Huntingtoniensis, Wilhelmus Malmesbur, etc.

doctus et eloquens, magnisque legationibus functus, diem obiit in patria A. 1295, Latine pauca scripsit, ut *librum de vitiis et virtutibus.* Nam *thesaurum* in tres distributum partes, quibus historiam omnem doctrinamque moralem et Rhetoricam voluit complecti, constat in Gallia ab eo primum Gallice compositum, et ab ipso etiam auctore versum Italice, ab aliis deinde in Latinam linguam translatum. Omitto scripta ab eo Italice, compendium Ethices Aristotelis, versionem Ciceronis Rhetoricorum, aliaque memorata Julio Nigro in scriptorum Florentinorum historia pag. 112.

Petrus de BRUNIQUELLO, Augustinianus, circa Annum 1380 teste Chronico Oldenburgensi apud Meibomium tom. II, pag. 164. *Doctor egregius et Episcopus Civitatis novae. Hic Magistrum Sententiarum exposuit. Omnia Salomonis Opera interpretatus est. Bibliam quasi totam postillavit. Et post multa digna opera, opus illud aureum fecit, in quo omnes Novi ac Veteris Testamenti historias per alphabetum et ad singulas appropriavit materias.*

S. BRUNO ex Colonia Agrippina Germanus, A. 1086 a) Auctor Ordinis CARTHUSIANORUM, in eremo Calabriae defunctus An. 1101, 6 Octobr. et Sanctis adscriptus An. 1514 cujus vitam scripsere Franciscus de Puteo et Petrus Blomeveane et ex illis Laurentius Surius 6 Oct. aliique, qui de Carthusianis tradidere Arnoldus Borstius, Petrus Dorlandus, Theodorus Petraeus et Petrus Sutor cum Auberti Miraei originibus Carthusianis junctim editi Coloniae 1609,8. ne dicam de ineditis scriptis Nicolai Riccii, Severi Travaglionis, Vincentii Manerii, et Matthiae Valerii. b) Etiam de vita S. Brunonis variorum calamo versibus scripta dictum in *Zacharia* BENEDICTO.

(47 *Storia di S. Brunone composta da Ercole M. Zanotti. Bologna* 1741. 4. di pag. 351.

Fabulam de causa secessus Brunonis in eremum, quod Doctor Parisiensis Raymundus a mortuis ad tempus regressus, c) accusatum se et judicatum atque damnatum professus esset in ipso feretro, recte expunctam esse ex Breviario Romano, erudite demonstravit et contra Polycarpum de la Riviere, d) Theophilum Raynaudum et Epistolam Andreae Saussaei didascalicam asseruit Johannes Launojus libro singulari, e) qui post editiones Paris. 1646 Argentorat. curante Johanne Alberto Portnero 1656 et auctiores Paris. 1662 et Ratisbon. 1720 8. recusus est tomi secundi Operum Launoji junctim editorum Genevae 1731 fol. Parte secunda. Prodiere Opera S. Brunonis Paris. 1524 fol. apud Ascensium, in quibus, fabula illa, ne quis deroget fidem, figuris ligno, sicut deinde a Josepho Pentimallo aeri incisis clare conspicienda exhibetur. In editione Coloniensi Theodori Petreji 1611 fol. in tres Tomos distincta, primus habet *expositionem in Psalmos*, secundus *in Epistolas Pauli Apostoli*, * quae separatim quoque prodierat Parisiis 1508 cum scriptore Anonymo Vitae, cujus fidei parum esse tribuendum, Launojus cap. 2. laudati. libri § 4 docuit. Caetera scripta minora tertium tomum implent, sed quae exceptis duabus *Epistolis ad Radulfum Viridem*, Ecclesiae Remensis Praepositum, pag. 145 et *ad suos, Majoris Carthusiae eremum* in Delphinatu prope Gratianopolin *incolentes*, pag. 156 a Mauro Marchesio referuntur ad BRUNONEM alterum, de quo mox, Astensem. Adde Labbeum de S. E. tomo I, pag. 211. Combefisius tamen in Bibliotheca Concionatoria facit cum iis, qui illa Brunoni Carthusiano-

a) Vide Sirmondi Opera tom. IV pag. 667 seq.

b) *Matthiae Valerii* historiam Ecclesiasticam et profanam de religione Carthusiana memorat Picinellus in Athenaeo scriptorum Mediolanensium pag. 420. Video etiam laudari: *Perioux de la Periere d'Orleans* Critique de la Bibliotheque Chartraine de *D. Liron*, Benedictin. Haec nunquam vidi, uti nec *Mauritii Chancaci* Angli librum, quo Carthusianos in Anglia celebravit.

c) Zacharias Benedictus Vicentinus carmine de origine Ordinis Carthus. quod tomo tertio Operum S Brunonis subjicitur. Similis fabella de Andrea quodam apud Baronium ad Annum 1070 num. IV.

d) Rivierium lib. 2 dissertat. Angel. discursu 8 Raynaudum in antemurali adversus fortia ingenia tom. XIX Operum, et Saussaeum in Epistola edita Paris 1646 8.

e) Adde Observationes Hallenses tomo VII Observ. 18.

* Petrejus pag. 414 subjecit etiam Epistolam Paulo tributam ad Laodicenses, sed ignoratam Brunoni,

rum institutori malunt tribuere. Scripta illa minora sunt: *De laudibus Ecclesiae*, paradiso, arca Noae, tabernaculo, templo etc. p. 1 cum *sermone de Zachaeo* pag. 19. *De ornamentis Ecclesiae*, fide, spe, charitate, caeterisque virtutibus pag. 21. *De novo Mundo*, sive de novis in Ecclesia pag. 50. *De festivitatibus festivitatum*, de SS. Trinitate, de Nativitate DOMINI, Circumcisione; Epiphania, et octavis ejusdem, de palmis, de Coena Domini, de Parasceve, de Pascha, de Adscensione Domini, et de Pentecoste *Sermones XVIII*, pag. 72 *De B. Virginis* laudibus, Nativitate, Purificatione, Annunciatione et Assumtione *Sermones V*, pag. 106. *De Martyribus*, *Confessoribus* etc. Sermones varii argumenti XXII. Hactenus S. Brunonis opera junctim edita a Petrejo. Ab eo tempore brevis *Confessio Fidei* quam morti vicinus, fratribus edidit, primum vulgata a Mabillonio tom. IV Analect. pag. 400 (editionis novae pag. 447.)

BRUNO, ex Monacho *Astensi* Ordinis Benedictini in Liguria Abbas A. 1107. *Cassinensis*, Episcopus A. 1110. *Signiensis*, diem obiit A. 1125. Sanctis adscriptus A. 1183. Vide Acta Sanctorum tom. IV Julii pag. 471 seq. Petrum Diaconum de illustribus Cassinensibus cap. 34. Ughellum tomo I, pag. 1236. Antonium Oldoinum in Athenaeo Ligustico pag. 119 seq. et Maurum Marchesium, Panormitanum, Monachum Cassinensem in dissertatione de Brunone hoc et libris ab eo compositis edita Romae separatim, et deinde prefixa illius operibus junctim editis, Venetiis 1651 fol. duobus Voluminibus, et tom. XX. Bibliothecae Patrum pag. 1295. In priore, Commentaria in *Pentateuchum*, *Job*, *Psalterium*, *Cantica Canticorum*, et *Apocalypsin*. Praefatione in Psalterium alterius etiam expositionis non in vulgatam, sed in aliam versionem a se compositae meminit: *Cum adolescentulus essem, exposui Psalterium secundum aliam translationem*, * Gallicanam nempe, ut auctor Vitae testatur: *Rogatus a quibusdam Ultramontanis Psalterium secundum Gallicanam translationem compendiosa expositione percurrit.* In secundo Volumine exstant *Sermones CXLV* quos recensuit etiam Combefisius in Bibliotheca Concionatoria et quorum alii sub Hieronymi vel Augustini nomine, alii sub Eucherii Lugdunensis vel Eusebii Emeseni titulo legebantur. Tractatus *in Canticum Zachariae. De Incarnatione Domini. De sacrificio azymi. De Sacramentis Ecclesiae*, *mysteriis atque Ecclesiasticis ritibus*, ad Gvalterium, Magalensem Episcopum. *Hoc est*, quod deinde edidit Dacherius tom. XII spicilegii pag. 79 unde in nova spicilegii Dacheriani editione est omissum. *Vita S. Leonis IX.* Papae. (amplior ea, quam duobus libris scripsit WIBERTUS Archidiaconus Rom. editam a Sirmondo cum Vita Caroli Boni Flandriae Comitis, Parisiis 1615 8. nec inter opera Sirmondi junctim vulgata, sed in Actis Sanctorum 19 April. tom. II, pag. 642 seq. obviam.) *Responsio ad quaestionem*, cur corruptus Ecclesiae status. *Vita S. Petri* Episcopi Anagnini, cum privilegio Canonizationis ejusdem An. 1105 (vide propylaeum Sanctorum Maji p. 207 et Pagium ad Annum 993 num. 4.) *Epistola ad Portuensem Episcopum* et alia *ad Paschalem II.* Papam. *Sententiarum libri sex*, qui non differunt a scriptis, quae tomo tertio operum Brunonis Carthusiensis vulgata superius retuli, sed Signiensi tribuuntur etiam ab Anonymo Mellicensi cap. 83. His Marchesius denique subjunxit ODONIS Astensis Monachi expositionem in Psalmos per contemplationem exaratam, quam Brunoni nostro dedicavit. Confer Labbeum de S. E. tomo I, pag. 213. Praeter haec in collectione Operum ejus obvia, traditur etiam Bruno hic scripsisse, sed adhuc inedita *in librum Judicum*, *in Judith*, et *in Jsaiam*. Vide Jacobi le Long Bibliothecam exegeticam pag. 654. Etiam *Versus* ejus *in laudem Mariae* memorat Petrus Diaconus loco laudato.

* *S. Brunonis Astensis expositiones quatuor Evangeliorum* extare MS. in suo Cod. Membran. Saec. XII testantur clarissimi editores indicis codicum MSS. Bibl. Taurinensis II. 34. idemque censent opus cum eo quod Le Long in Bibl. Sacra refert sub ti-

* Talis est expositio, quae exstat sub nomine Brunonis Herbipolensis.

tulo *Commentariorum in Evangelia*, atque in MSS. adhuc latere indicat. Clariss. vero Jos. Pasinus Biblioth. illius moderator dudum per literas mihi significavit de opere illo edendo consilium agitare, quod ut praestet vir doctissimus communi omnium eruditorum prece rogo et obtestor.

In Bibl. Riccardiana MS. Cod. Saec XII servat ineditum hucusque opusculum scriptoris huius *de muliere forti*. *Expositionem* in Canticum Canticorum multam ab ea discrepantem, quae prodiit in Biblioth. Patrum, cuius operis fragmentum exibet cl. Lamius in Catal. eiusd. Bibliothecae, qui et addit geminas epistolas eiusdem adhuc ineditas.

BRUNO *Tullensis* Leucorum in Gallia * ab Anno 1026 ad 1049 Episcopus, inde inter Papas LEO IX a 12 Februar. Anni 1049 ad Annum 1054, 19 April. quo die videnda Martyrologia et Acta Sanctorum tom. II Aprilis pag. 642 seqq. ubi Vita scripta a *Wiberto*, de quo pag. 266. Eandem tradidere etiam *Anselmus* Remensis, de quo pag. 310. *Bruno* Signiensis, de quo jam dixi: e recentioribus Augustinus Bontemps, Atrebas, Monachus Lobiensis, carmine heroico. Epitaphium ejus ita Urbem alloquitur:

Victrix Roma, dole, † nono viduata Leone,
Ex multis talem non habitura Patrem.

Extant ejus *Epistolae XIX* in Conciliorum tomis saepius editae, in Labbeanis tom. IX pag. 949 in Harduinianis tom. IX pag. 927 quorum argumenta perstrinxi tom. IX Bibliotheca Graecae pag. 579. Ex his tertia et nona etiam obvia apud Laërtium Cherubinum in bullario: pleraeque etiam apud Baronium etc. Ab harum prima longiore ad Michaëlem Cerularium, Constantinopolitanum Patriarcham et septima ad Constantinum Monomachum, diversae sunt memoratae Sigeberto Gemblacensi cap. 149 liber ad eundem Constantinum, *ne sineret invalescere in Imperio suo tot haereses: Graeci enim,* si Leonem audimus, *ut* Simoniaci *domum DEI vendebant; ut* Valesii, *hospites suos castratos etiam ad Episcopatum promovebant: ut* Donatistae *jactabant esse in sola Graecia Orthodoxam Ecclesiam: ut* Severiani *dicebant maledictam esse Legem Moysis: ut* Pnevmatomachi *professionem Spiritus Sancti abscindebant a Symbolo: ut* Nazareni *Judaismum observabant; parvulos morientes prohibebant baptizari ante octavum nativatis diem: Latinos in nomine sanctae Trinitatis baptizatos rebaptizabant, et ipsi sacrificantes de fermento, Latinos vocabant* Azymitas, *et claudentes eorum Ecclesias, eos persequebantur.* Videtur etiam diversum opus notare Sigebertus, cum post Epistolarum illarum mentionem subjungit *Scripsit super his etiam* ad Graecos *librum luculento sermone, Evangelicis et Canonicis testimoniis destruens eorum errores, et Catholicae Ecclesiae fidem adstruens.* Leonis IX *Sermones*, sive *Homiliae*, cum ejus Epistolis lucem viderunt Lovanii 1565. et curante Laurentio Surio, ac quinque adjungente Epistolas, Coloniae 1568 ad calcem Operum Leonis Magni, ac denique ex recensione Canonicorum regularium S. Martini Lovaniensis, Antwerpiae 1583. Ludovicus Jacobus a S. Carolo p 150 Biblitheeae Pontificiae inter Leonis IX scripta refert *Responsoria* in veneratione Martyris *Cyriaci* et *Hidulphi* Archiepiscopi LIX. Trevirensis, *B. Odiliae* Virginis et *B. Gregorii* Doctoris et Pontificis, Anglorum Apostoli: et quae Metis transiens Sigefridi Abbatis Gorziensis precibus composuit, *B. Gregorii*, aliis *Gorgonii* Presbyteri Martyris *nocturnalia responsa.* Anonymo Mellicensi quidem cap. 85 judice, Bruno hic *in Musica sublitissimus fuit, et inter cantus alios, quos plurimos edidit, historiam beatissimi Papae Gregorii satis artificiose composuit. Atque,* ut ait Sigebertus, *si quis attendat cantus in honore Sanctorum ab eo compositos, cum primo Gregorio Papa merito comparabit.*

Alius BRUNO, qui circa Annum 1100 *Paterii*, de quo supra pag. 72. *Gregoriale* continuavit, eique secundam tertiamque partem addidit, misitque ad Wernerum quendam, * ut constat ex Epistola Brunonis

* Sammarthan. Galliae Christianae tom. III, pag. 1096.

† Apud Ludovicum Jacobum et alios perperam excusum *dolet*.

* Forsan Merseburgensem Episc.

praemissa Gregoriali in nova editione operum Gregorii M. Parisiis 1705 fol. tomo quarto Parte 3 atque obvia etiam apud Oudinum tom. I p. 1566 adde tom. II p. 958. Idem fortasse Bruno Monachus, de quo pag. 795.

BRUNO *Cassinensis*, supra *Bruno Astensis*.

BRUNO, Henrici Aucupis filius et Othonis Magni Imperatoris frater, *Coloniensis*, ab Anno Christi 953 ad 965 Archiepiscopus. Huic *commentarios in Pentateuchum* alii tribuunt, quales habentur editi sub nomine Brunonis Herbipolensis, et de quo jam dixi, Astensis. Sixtus vero Senensis lib. 4. Biblioth. S. pag. 270 testatur in Bibliotheca Bononiensi Praedicatorum extare MS. hujus Brunonis *Commentarium in quatuor Evengelia*, quo testatur se illa post Pentateuchum Moysis, ut nova veteribus jungeret, illustrasse.

Alius BRUNO *de Colonia*, cujus *Lapidarius* ex Alberto Magno de mineralibus excerptus exstat MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, teste B. Joachimo Fellero pag. 291. Catalogi MS.

Eusebius BRUNO, ab An. 1047 ad 1081. * Episcopus Andegavensis, cujus *Epistolam ad Berengarium*, edidit Claudius Menardus notis ad Augustini libros duos operis imperfecti ad Julianum pag. 499. Berengario favisse arguunt Deodwinus et Durandus Troarnensis. Adde Benedicti Picteti historiam Ecclesiasticam seculi XI editam Gallice pag. 276, 833 seq. et Sammarthanorum Galliam Christianam tomo II pag. 127. Adversarium deinde Berengarii professum se hunc Brunonem, affirmare sine magna causa videntur Dupinius, Pagius aliique recentiores Cum Signiensi hunc Brunonem perperam confundit Miraeus in auctario de S. E. pag. 57.

BRUNO *Herbipolensis*, Episcopus, Ab Anno 134 ad 1045 de quo Sanctis adscribendo actum An. 1237. Vide Acta Sanctorum 17 Maji tom. IV pag. 38 seq. et Jo. Petri de Ludewig scriptores Wirtzburgenses p. 470 et 561. Ei *commentaria in totum Psalterium* tribuit Trithemius cap. 315 atque lucem viderunt illa S. Kiliano ab auctore dicata, in quibus vetus Latina versio obelis et asteriscis notata cum LXX et Hebr. confertur, consultis etiam Augustini, Hieronymi, Cassiodori, Gregorii et Bedae commentariis, cum commentariis ejusdem Brunonis *in Cantica Veteris et Novi Testamenti, in Orationem Dominicam*, et *Apostolorum simbolum atque Athanasii.* Colon. 1494. Norimb. 1497, 4 et ex Jo. Cochlei recensione, Herbipoli 1531, 1555, 4 recusa in Bibliotheca Patrum Coloniensi tom. XI et Lugdun. tom. XVIII. Ejusdem *Commentarios in Pentateuchum*, vulgavit Georgius Galopinus, Duaci 1648, 4.

* Chronica Andegavensia apud Labbeum tomo I Bibliothecae novae MSS. pag. 276 282 287 288.

BRUNO Monachus, scriptor *Historiae belli Saxonici*, ab An. 1073 ad 1082 non minus infestus Henrici IV Imper. memoriae, quam Gregorio VII faventes alii, Anselmus Lucensis, Paulus Bonried sive Bernrietensis Lambertus Schafnab. Marianus Scotus etc. Prodiit illa Brunonis historia Werinhero Episcopo Merseburgensi dicata in tomo primo scriptorum German. Freheri pag. 173.

BRUNO Longoburgensis, Medicus ante hos trecentos amplius annos, cujus *Chirurgica* in variis Bibliothecis MSS. ut Lipsiae in Paulina pag. 251 in Rostgardiana p. 524 aliisque.

* In Codice Trivisaneo cuius meminit V. doctiss. Apostolus Zeno ante paucos hosce menses publico luctu elatus extat: *Chirurgia Magistri Bruni Longoburgensis ex dictis sapientum breviter elucidata et compilata.* In fine legitur: *Anno ab incarnat. Dom. 1252. mense Januar. Ind. X Paduae in loco S. Pauli. Ego Brunus Longoburgensis Calaber huic operi finem imposui.*

Diversus ab hoc BRUNO sive BRUNUS *Lasca*, Chirurgus Florentinus circa Annum 1290 amicus Petrarchae, pater Dini de Garbo, Chirurgi celebris et Francisci. Vide Julium Nigrum de scriptoribus Florentinis, pag. 113.

BRUNO *Bonifacius*, Saxo, ex illustri Baronum de Qverfurt prosapia, Monachus Ordin. Bened. Coenobii Magdeburgensis: inde *Ruthenorum* Archiepiscopus, Prussorumque, Apostolus, et Martyr CHristi Anno 1008. de

quo Arnoldus Wion tomo I ligni vitae pag. 260 seq. et Acta Sanctor. tom. VI Junii pag. 217 et tom. IV Julii pag. 438. Huic Trithemius cap. 336 et lib. 2 de illustribus Benedictinis cap. 85 tribuit *libros duos commentariorum in Genesin.*

BRUNO Episcopus *Signensis*, supra *Bruno Astensis.*

BRUNWILLERENSIS Monachus* Ordinis Benedict. prope Coloniam, circa Annum 1063 de vita Comitum Palatinorum Rheni, Ehrenfridi sive Ezonis et Mathildis, eorumque filiae B. Richezae, Reginae Poloniae: in illustris Leibnitii scriptoribus Brunsvicensibus tom. I pag. 313–322.

BRUUN, Latino nomine velut κατ' ἀντίφρασιν dictus, *Candidus*, (nam Germanicis auribus Fuscum potius designat) seculo IX Monachus Fuldensis, Ord. Bened. scriptor *vitae Ægilis*, Magistri sui Abbatis Fuldensis (ab An. 818 ad 882 de quo supra p. 24) libris duobus, prosa altero, altero versibus, qui editi à Christophoro Browero in sideribus Germaniae, Mogunt. 1616, 4 et inde à Mabillonio in Actis Sec. IV Benedictin. pag. 226. Vitam *Baugolfi*, Abbatis itidem Fuldensis, necdum quisquam in lucem protulit, quod sciam.

Leonhardus BRUNUS *Aretinus*, non infimus inter illos, qui post foedam et longam barbariei noctem renascentibus litteris facem praelucere feliciter coeperunt. Hic Colucii Salutati et Emanuelis Chrysolorae discipulus; Petrarchae exemplo in cujus cupide saepius intuitus esse fertur imaginem, incredibili ardore studiorum passus est se incitari, ita ut florente aetate admodum (natus An. 1369) a) meruerit An. 1404 ab Innocentio VII Pontifice cooptari, qui ei ab Epistolis esset, ut A. 1413. Johannis XXIII cum quo petiit Constantiam: redux exinde, per longum tempus gessit munus Cancellarii Reipublicae Florentinae, ibique An. 1444, 7 Id. Martii, aetatis 75 defunctum laudavit pro funere successor ejus *Poggius*, cujus Oratio edita a Baluzio tom. III Miscellan. pag. 252 et recusa tomo octavo thesauri scriptorum Italiae Burmanniani, et ante Leonhardi Aretini Epistolas, curante me repetitas praelo Hamb. 1724, 8. *Jannotii Manetti* Florentini Orationem memoriae ejus dicatam et laudibus, inque variis Bibliothecis b) MStam, Philibertus de la Mare Senator Divionensis praefigere voluit operibus Aretini, quorum collectorum a se editionem meditabatur, quorumque Catalogum publici juris fecit Divione 1653, 4. *Carolum Marsupinum* Aretinum de illius laudibus memorat Julius Niger in historia scriptorum Florentinorum pag. 119. Operae pretium quoque de eo adire diarum eruditorum Italiae tom. IX p. 201 seq. Antequam vero de scriptis ejus dicere ingredior, juvat cum Lectore communicare *Lini Colutii Salutati*, nondum editam, quod sciam, ad Innocentium septimum, Epistolam, in qua Leonhardum hunc, alumnum suum Pontifici ita commendat, ut spem de ea maxi mam concepisse se ostendat, quam eventus comprobavit.

INNOCENTIO Papae
Linus Colucius Salutatus.

Post humilem recommendationem et pe dum opuscula beatorum. Nescio cui magis gratuler, sanctissime Pater et Domine vere successor Petri, uniceque vicarie JESU CHRISTI, Tuaene Sanctitati an filio Tuo dilecto Leonardo Aretino, quem in tuum à secretis noviter adscivisti. Laetor equidem et exulto quod tibi talis servitor accesserit, quali Tua sanctitas indigebat. Non quod bonos et industrios non haberes, sed quoniam quotquot Tibi boni contigerint, vel dominis aliis in quorum manibus orbis terrarum est, semper pluribus egeritis. Laetor quidem et exulto contigisse talem Tuae beatitudini servitorem, aetate juvenem, corpore validum, aspectu gratum, scientia clarum, eloquentia singularem, latinis excellentem literis, peritum non mediocriter Graecis, quodque super omnia pretiosum est, integra fide et singulari bonitate praestantem. De

* Fortasse *Wolfermi* qui contra Berengarium scripsit.

a) Poggiana pag. 10 seq.

b) Giornale de' Letterati d' Italia t. IX pag. 568 Labbeus Biblioth. MS. Naldus Naldius in Manetti vita.

quibus quidem omnibus licet pleraque videas, et omnia forte perceperis, ego tamen tibi verax et fidelissimus testis sum. Cum enim ipsum jam diu recepissem in filium, et ipse se totum conversatione domestica mihi dederit, totum agnosco, totumque discussi, nec me potest in aliquo, tanto tempore latuisse. Continua et studiosa nobis consuetudo fuit, et cum de cunctis quae componerem judex esset, et ego suarum rerum arbiter versa vice, nos mutuo sicut ferrum ferro acuitur, exacueramus, nec facile dixerim et ex hoc dulci et honesto contubernio uter nostrum plus profecerit. Uterque tamen eruditior evasit, ut fateri oporteat mutuo nos nobis fuisse vicissim discipulos et magistros. In quorum memoria, dum haec scriberem, minus commotus sum, cum me sentiam tali socio talique praesidio destitutum. Maxima quidem certitudine, de quacunque re amborum, consentiret auctoritas, tenebamur. Nunc autem nec habeam quod doceam, nec et a quo discam. Sed haec satis. Tuo quidem commodo et honori suo mea decet incommoda posthabere. Tamen ad Leonardum nostrum pro conclusione revertatur oratio. Habes virum fidelem et integrae conditionis et mentis. Scio quid loquor et quod CHRISTI vicario loquor. Quamobrem hortor et opto, quod Tuae clementiae et humanitati charus sit, et eum expertus fueris, pro meritis honores suis, qui vix cognitum honorasti. Quibus quicquid fides et devotio mea meretur accedat supplico. Me quidem in ipso, cum plusquam dimidium animae meae sit, reputabo, sicut eum honoraveris, honoratum. Et haec satis. Spero quidem sine meis et aliorum suffragiis benignitate Tua et virtute sua gratiam suis meritis debitam in Tuae sanctitatis oculo eum reperturum. Pro honore autem suo et quia sibi talis contigit dominus, qualem potest imo debet, quicunque servire majoribus se disponit, optare, statu summum, benignitate conspicuum, natura mitem, munificentia largifluum, mente intelligentiaque praestantem, quique neminem naso suspendit adunco, ut Flaccus, gratulor tota mente. Spero quidem virtute Tua et probitate sua videre scientiam, quod rarissime fit, pro meritis honoratam. Vale Pater Sanctissime. Sunt qui putent me Tibi prima epistola displicuisse, quod et ego vererer, nisi quod ipse nihil respondendo suasi mihi te laesum à me in aliquo non putare. Nec humilitatis enim nec benignitas esset parcere vel leviter Tuam celsitudinem offendenti. Florentiae VIII. Idus Sextilis.

Ex scriptis Leonhardi, quae magno numero apud Julium Nigrum pag. 352 seq. et ante Epistolas Hamburgi recusas, edita et inedita enumerantur, praecipua sunt:

1. *Historiae Florentinae libri XII* a Sixto Brunone, Dobelensi Misnico Latine editi Argentorati 1610 fol. cum versio Italica Donati Acciajuoli saepius jam vidisset lucem, Venetiis 1476 fol. Florent. 1492. Venetiis 1561, 4. etc. *Orsus est eam,* inquit Poggius, *paulo supra trecentesimum annum, a quo tempore res populi Florentini certiores ex superiorum scriptis referuntur -- et cum constitueret ad haec nostra tempora usque historiam prosequi, bella solummodo, quae cum priori Duce Mediolani gessimus* (usque ad Annum 1420.) *conscripsit, reliqua perficere conantem mors interrupit.*

(18 *Lat. et Ital. a D. Acciaioli. Firenze Le Monnier* 1856. 8.)

2. *Rerum suo tempore in Italia gestarum ab Anno 1378 usque ad Annum 1440.* * *Commentarius*, Venetiis 1475, 1485 fol. et ad calcem historiae Florentinae, Argent. 1601 fol. Lugd. 1539, 4 et novissime curante D. Jo. Gerh. Meuschenio † Frf. 1732, 4 et in tom. XIX scriptorum Italiae, Corporis Mediolanensis. Exstat et Italica versio Donati Acciajoli, Venetiis 1561, 4. cui Franciscus Sansovinus continuationem adjunxit usque ad Annum 1560.

3. *Epistolarum libros octo* editos Augustae apud Knoblochium An. 1521 et Basileae apud Henricum Petri 1535, 8. ex Basileensi editione curavi recudi Hamburgi 1724, 8. Ab eo tempore autem beneficio meritissimi Viri *Joachimi Negelein*, Pastoris ad S. Mariae et Professoris Norimbergensis, evolvi Codicem MS. qui non modo editas

* Perperam apud Julium Nigrum pag. 352 bis excusum 1404.

† Acta Erud. A. 1732 pag. 166.

illas Epistolas pluribus locis emendatiores exhibebat, sed etiam Epistolas adhuc *ineditas LII* quas ad prelum paratas ad nos misit, eisque libellum de temporibus suis, ex editione antiqua Veneta subjungi laudatus Negelinus voluit.

4. *Epistolam ad* eruditam foeminam *Dominam Baptistam de Malatestis*, quibus bona studia commendantur, edidit Johannes Alexander Brassicanus, Argent. 1521, 8 Alia *ad Cyriacum Anconitanum* vulgata a Baluzio tomo sexto Miscellan. pag. 538.

5. *Invectiva in Carolum Malatestam*, ob statuam *Virgilii*, victis hostibus apud Mantuanos eversam, exstat in Viri Clarissimi *Joannis Georgii Schelhornii* Amoenitatibus Litterariis tomo III, pag. 225–240.

6. *Commentarii rerum Graecarum* ex edit. Argentor. 1610 fol. recusi in tomo septimo Thesauri Antiquitatum Graec. Gronoviani.

7. *Oratio adversus hypocritas* cum Poggii Dialogo ejusdem argumenti, recusa Magliabechi svasu Lugduni 1689 12.

* Epistolas eius ingenti numero auctas et erudita praefatione ornatas vulgavit V. clariss. cuius amicitia mihi applaudo Ab. Laurentius Mehus Florentinus, qui duobus tomis totam istam collectionem absolvit. In praefatione Catalogum satis diligentem intexuit operum omnium Leonardi. Ex viri igitur doctiss. adnotationibus hunc ego tradam de Operibus Latinis Leonardi Aretini catalogum, ea tantum supplendo quae desunt in Fabricio.

Epistolarum Libri X. ex recens. L. Mehus Florentiae editi An. 1741. t. 2. 8.

8. *De Bello Punico* Libri III. prodierunt primo Brixiae an. 1498. sub h. t. *Polybius historicus de primo Bello Punico latine Leon. Aret. interprete.*

9. *Commentarium rerum Graecarum ad equitem Ang. Acciaiolum* de quib. Fabricius.

10. *Isagogicon moralis disciplinae ad Galeottum Ricasolum* qui liber an. 1475. prodiit Lovanii sub h. t. *Aristoteles de moribus ad Eudemium* latine Leon. Aret. interprete.

11. Dialogorum Libri III. ad Petrum Histrium prodierunt Basilaee an. 1536. sub h. t. *Dialogi duo de disputationis exercitationisque studiorum usu et necessitate.*

12. *De Aristotelis vita* ad Card. S. Crucis. nondum prodiit.

13. *De Militia* ad Rainaldum Albertum equit. Flor. Nondum prodiit.

14. *De studiis et literis* ad illustrem Dominam Baptistam de Malatestis. Prodiit Amstelod. 1645 cum Hug. Grotii et aliorum Dissertationibus de Studiis bene instituendis.

15. *De interpretatione recta* ad Bertum Genuensem. Nondum prodiit.

16. *De orig. Romae et unde dicta sit.* Nondum prodiit.

17. *Interrogatio ad Franciscum de Fiano* quo tempore fuerit, Ovidius; causa per quam Ovidius fuerit in exilium relegatus; et si revocatus ab exilio fuerit in patriam remissus. Nond. prodiit.

18. *De institutione adolescentium ad Robertinum Carrariensem* Ambigit doctiss. Mehus, num falso nomine Leonardi inscriptus sit libellus iste; nam facile sub hoc tit. latet libellus Petri Pauli Vergerii ad Ubertinum de Carraria *de ingenuis moribus et liberalibus studiis adolescentiae.*

19. *De Nob. Florent. Urbis.* Nond. prodiit.

20. Imp. Eliogabali *Oratio protreptica sive adhortatoria ad meretrices.* Edita est inter Hist. Augustae Scriptores ab Aldo Man. Venet. an. 1519.

21. *Oratio pro se ipso ad praesides.* Nondum prodiit.

22. — *In nebulonem maledicum.* Nondum prodiit.

23. *Basilii M. liber* ab eo in Latinum translatus *ad juvenes, quibus studiis opera danda est.* Paruit Bononiae a 1497. Est interpetratio orationis S. Basilii de legendis antiquorum libris.

24. *Xenophontis philosophi liber qui dicitur tyrannus per Leonard. Aretinum ex Graeco versus ad Nicolaum Nicoli.* Nond. paruit.

25. *Vita S. Antonii e Graeco versa* ed. Basil. 1540. 8.

26. — *Pirri ex Plutarco versa.* Nondum prodiit.

27. — *Pauli Aemilii tum Tiberii et Cai Gracchorum, Sertorii, Catonis Uticensis, Demosthenis oratoris* per eund. versae nec editae hucusq.

28. Vertit etiam *Platonis* epistolas nondum ex ea vers. editas. Item Platonis Phedonem de immortalitate animi ad Innoc. VII. Pont. Hanc offendi in Cod. meo, in quo praefigitur praefatio alia ad Nicolaum Bartholomaeum f. Nicoli, ibiq. et meminit orationis suae seu laudationis Florentinae Urbis.

29. *Platonis Gorgias* ab eo versus, item *Phaedrus*, item *Crito* nondum prodierunt.

30. *Apologia Socratis ex Xenophonte in Latinum conversa.* Extat MS. in Cod meo, necdum prodiit.

31. *Aristotelis Ethicorum* libri X prodierunt. Parisiis an. 1504.

32. Item *Politicor.* lib. VIII. Venet. an. 1504. *Oeconomicorum* liber II nond. prodiit.

33. *Oratio Aeschinis in Ctesifontem* Basilaee an. 1528. ubi etiam eodem anno prodiit Oratio Demosthenis contra Aeschinem eodem interprete. Alias pariter eiusdem Dem. orationes ab eo conversas tradit Manettus.

34. *Comaediae Aristophanis* primae actus ab eo versus nond. prodiit.

35. *Theana ad Nicostratum.* Epistola est Graeca ab eo versa. Nondum prodiit.

36. *Libellus de duobus amantibus* in Latinum ex Bocacio transfiguratus per Leon. Aret. prodiit Turonii 1467. 4.

37. *Dialogus inter Ciceronem et Philistium* memoratur P. II. codd. MSS. Angliae, in quo etam opere mentio est Epistolae Leon. Aret. ad Eugenium in duas Homilias S. Basilii.

38. *Ptolomaei Almagestum* per Leonard. versum extare dicit Montfauconius in Bibl. R. Parisiensi.

39. Odysseam Homeri per Leonardo versam possedisse fertur Aegidius Card. Viterbiensis. Hoc tamen opus nihil aliud esse puto, quam Leon. Aret. *Orationes Homeri* ab ipso oratorio more conversas. Servat illas MSS. Cod. meus, et praecedit huic liberae versioni brevis interpretis praefatio, tum ad singulas orationes argumentum.

40. In Biblioth. R. Parisiensi servari dicit P. Montfauconius eius opusculum *de bello Trojano* cum *vitis Caesaris et Pompeii.*

41. Sunt praeterea eiusdem Leon. si quibusdam creditur, notulae in Terentium; officiorum Romanor. nomina; proemium in orationes Homeri et in libellum de institutione ad Herennium.

Liber *de rebus suo tempore in Italia gestis* nullam versionem a D. Acciaiolo adornatam habuit; haec enim Acciaioli versio est de libris XII Historiae Florentinae; quare in hoc corrigendus est Fabricius ad num. 2.

42. In Cod. MS. quem possidet Rmus Martius Micheli Can. Eccl. Cathedralis, Lucensis, mecumque communicavit sunt orationes e Greco in Latinum conversae per L. Aret. Sunt autem Orationes quaedam Aeschinis et Demosthenis orationes duae, quas nec Mehus in suo catalogo opp. Leonardi memorat.

43. In alio Cod. apud eundem humanissimum virum est quaedam brevis oratio in laudem imperatoris eidem cl. Mehus non visa. Incipit: *si laudes tuas, gloriosissime princeps in hoc brevi collationis spatio.* Post hanc sequitur Aeschinis Epistola è Graeco sermone in Latinum traducta per D. Leon. Aretinum Incipit: *Ego me ad Rempublicam contuli* etc.

BRUNICHIUS, cujus ἔκθεσιν Βρουνιχίου Ῥωμαίου χρονογράφου laudat Johannes Malala tom. I, pag. 239 et BRUTIUS Chronographus, cujus apud Cangium inter scriptores mediae Latinitatis mentio, videntur Graece potius quam Latine scripsisse. Nam et Brutius non citatur nisi a Graecis scriptoribus, Eusebio in Chronico quod Latine vertit Hieronymus, Syncello, Malala, cui vitiose Βούττιος, et Chronici Alex. scriptore cui Βρύτιος appellatur. Vide Eusebii Chronicon Graecum editionis Scaligerianae pag. 80 ubi perperam Βρούττιος Hieronymum pag. 44 et Scaligeri notas pag. 205 atque Arnoldi Pontaci pag. 595 ad Euseb. cui licet placet Baronii suspicio, pro Bruttio apud Hieron. legentis *Eratium* vel *Brutianum*, contra tot codicum fidem tamen merito non probatur.

Leonhardus BUCKIUS, Oosterwicanus, Canonicus Regularis S. Augustini Corsendoncanus in Brabantia, defunctus A. 1488 scriptor dialogi, cui titulus: *norma vitae religiosae*, aliorumque *tractatuum spiritalium et anagogicorum*, ut a Valerio Andrea Desselio pag. 624 Bibliothecae Belgicae appellantur.

BUCONIUS Honorio lib. II cap. 77 de luminaribus Ecclesiae, Trithemio autem cap. 171. *Victorianus Buconius*, idem est, qui in Gennadii editionibus cap. 78 de scriptoribus Ecclesiasticis VOCONIUS appellatur, ex frequenti litterarum B. et V. passimque obvia permutatione: quanquam Corbejensis Codex Gennadii, et Gvelpherbytanus etiam teste celeberrimo Doctore Ernesto Salomone Cypriano, refert *Buconium*. Hic Castellanae urbis Mauritaniae circa Annum 450 Episcopus scripsit librum adversus Ecclesiae inimicos Judaeos, et Arianos, et alios haereticos, et Sacramentorum egregium, ut vocat Gennadius, volumen, sed ex ejus lucubrationibus nihil ad nos pervenit.

BULGARANUS Comes sub Gundemaro Gothorum Rege circa Annum 610 Galliae Narbonensis praefectus, cujus *Epistolarum* ἑκτάδα editurum se promisit Cardinalis de Agvirre, notit. Conciliorum Hispaniae p. 104 exscriptam ex Codice Overensis Ecclesiae membranaceo ante quingentos annos exarato: quarum prima et secunda est ad Episcopum quendam Franciae, tertia ad Episcopum nescio quem, quarta et quinta ad Agapium Episcopum, et sexta ad Gundemarum Regem. Vide Nicolaum Antonium Biblioth. veteris Hispanae lib. V cap. 5 tom. I, p. 274.

BULGARINUS *(De Bulgarinis)* Senensis, JCtus, qui Pisis et in patria docuit circa An. 1490 scriptor commentarii in tit. de verborum obligationibus et in tit. qui admitti in bonorum possessionem possunt.

*Eius quaestiones in tit. Cod. *qui admitti ad bonor. possession. possint*, prodierunt Senis per Mag. Henricum Harlem 1492 f. Eiusdem disputatio *in sex dubia legalia* una cum consilio *ad eandem materiam spectante* ibid. 1493 per eund. in fol.

In Cod. 289 impresso Biblioth. Felini est scriptum Bulgarini sup. Rubrica *soluto Matrimonio quemadmodum dos petatur*, impressum Senis per Mag. Henricum de Harlem 1491.

BULGARUS, Pisanus aliis, Arisio in Cremona Litterata tom. I, pag. 75 seq. Cremonensis, sed Sigonio, Pancirollo, Pastrengo aliisque rectius a) Bononiensis, Alberti F. JCtus excellens, atque Friderici Ænobarbi in jure de caussis appellationum dicendo Vicarius, circa Annum 1160 scripsit *glossas in Jus Civile* admixtas Accursianis, et Commentarium *de Regulis Juris antiqui*, qui additis notis Placentini saepius lucem vidit. Confer Guidonem Pancirollum de claris Legum Interpretibus lib. II cap. 15. qui inter alia notat Bulgari sententias, de ambiguo jure prolatas, in universa Italia vim legis habuisse, et ipsum quod venusta pronunciatione doceret, *os aureum* vulgo appellatum. Hic Mart. Gosiani, Legum Doctoris, adversarius etiam corpus suum Anno. 1167 b) moriturus Bononiae ad S. Proculum tumulari jussit juxta valvas Ecclesiae, Martini sepulchro directe oppositas, *ut, sicut vivens illi contrarius fuerat, sic deficiens objiceretur in morte.* c) Graeca autem in Pandectis non Bulgarus, ut a quibusdam traditum, utpote Graecarum litterarum perinde, ut Accursius minus peritus, sed BURGUNDIO Pisanus Latina fecit, Leonis Jurisconsulti avus, ut ex Odofredo JCto, qui A. 1265 Bononiae obiit, commentario in leg. 11, Dig. de legibus ab eodem Pancirollo observatum.

(50 Vide *Cosi del Vollia* in op. *Memorie d'Illustri Pisani.* Pisa 1790. 4. v. 4.

BULLARIA ET EPISTOLÆ PONTIFICUM ROMANORUM. Primus *Dionysius* Exiguus circa saeculi sexti initia, Canonibus Conciliorum etiam Pontificum Romanorum Decreta coepit adjungere: cujus exemplum sunt imitati complures, ad *Gratianum* usque, de quibus dicere me memini in limine t. XI Bibliothecae Graecae, laudatis etiam viris doctis qui idem ante me argumentum tractaverant, et quibus jam licet adjungere illustrem Virum Justum Fontaninum in diss. de Collectionibus Canonum, praesertim Gratiani Decreto, ante editionem Jo. Turrecrematae, Rom. 1726 fol. Josephum Saenz de Agvirre, Cardinalem diss. 2 Ecclesiastica, praemissa Conciliis Hispaniae tom. I, pag. 42 seq. Franciscum de Roye,

a) Giornale de' Letterati d'Italia tom. XV p. 205.

b) Johannes Nicolaus Paschalis Alidosius de Doctoribus Juris Canonici Bononiensibus pag. 59.

c) Giornale de' Letterati d'Italia tom. X p. 274 ex Guil. Pastrengi lib. de Originibus rerum p. 15.

JCtum Andegavensem, in historia Juris Canonici, praemissa libris tribus Juris ejusdem institutionum, Parisiis 1681, 12 Claudium Fleury in historia Juris Canonici, vulgata Gallice ibid. 1720, 8 et D. Christianum Gotfridum Hofmannum, Antecessorem Viadrinae Academiae, introductione in Jurisprudentiam Canonicam et Pontificiam, Francof. 1725 8.

Decretorum Pontificiorum ratio etiam habetur in collectionibus Canonicis recentiorum scriptorum, *Francisci Joverii, Augustini Barbosae* aliorumque: et in Conciliorum tomis, ubi Epistolae Pontificum descriptae, Conciliisque adjunctae leguntur. Passim etiam adductae ab Annalium Ecclesiasticorum conditoribus. Singulare autem studium in Epistolis Pontificum colligendis et separatim vulgandis, auspiciis Sixti V et Clementis VIII posuit *Ant. Carafa*, Card. et Bibl. Vatic. praefectus, qui cum *Antonio de Aquino* Romae 1591 fol. tres tomos vulgavit, X mense antequam tertius e praelis exiret jam defunctus: in quorum primo Epistolae à S. Clemente I ad Pelagium II in *secundo* a Gregorio M. Anno 590 ad Leonem IV. in *tertio* denique a Nicolao I ab An. 858 ad Gregorium VII cujus Registrum in An. 1085 desinit. Auctarium meditatus fuerat Antonius de Aquino, sed illud ipso non diu post Carafam defuncto intercidit, exceptis iis Epistolis quas Baronius ab eo acceptas passim Annalibus suis inseruit. Laudat hunc Antonium, atque in acceptis illi debere se easdem gratus confitetur Baronius tum alibi, tum ad A. C. 431 num. XV.

Ab eo tempore, novo et curiosissimo studio, ante paucos annos Epistolas Rom. Pontificum a S. Clemente I usque ad Innocentium III genuinas separatas a supposititiis recensere atque notis illustrare instituit vir eruditus *Petrus Coustant,* Presbyter et Monachus Ordinis Benedictini e Congregatione S. Mauri: sed primus tantum egregii illius Operis tomus lucem vidit Paris. 1721 fol. qui desinit in Xysto tertio et An. C. 440. De illo uberius dixi tomo XI Bibliothec. Graecae pag. 760 seq. Coustantio autem, eodem An. 1721 Octobr. 18 rebus humanis subducto, a) et *Simone Mopinoto* Remensi, qui curam continuandi illius operis in se susceperat, similiter extincto 11 Octobr. A. 1724 b) in flore aetatis cum annum ageret undequadragesimum: ab eo tempore jussi sumus secundum itemque tertium sylloges hujus utilissimae Volumen exspectare à claro tot aliis antiquitati Ecclesiasticae illustrandae exhaustis laboribus *Ursino Durando*, c) cui vegetam senectutem et felices propositorum publico susceptorum bono successus lubenti animo apprecamur.

In Prolegomenis Coustantius p. LVII seq. de antiquis Canonum collectionibus disserit, Latinis praesertim, MS. *Corbejensi* Sec. VI sub Vigilio p. LXII. *Quesnelliana* ad calcem operum Leonis M. quam Gelasii tempore vel non diu post compositam disputat pag. LXVII. *Longobardica* Biblioth. Colbertinae, quam priore non juniorem observat pag. LXXIX et alia ampliore ejusdem Bibliothecae, ex duabus superioribus circa Annum 660 in Galliis conflata pag. LXXXVII. De collectione DIONYSII *Exigui*, qui Pontificum decreta hortante Juliano S. Anastasiae Presbytero adjunxit circa saeculi sexti initia p. XC. De Codice Canonum Ecclesiae *Africanae* p. XCIV. De Concordia Canonum auctore CRESCONIO Afro circa Annum 690 p. CV. De Codice Canonum, quem A. 774 vel 787 HADRIANUS I. Carolo M. tradidit, edito primum Moguntiae A. 1525 p. CVIII. De collectione apud *Hispanos* scripta post Annum 589 et Isidoro VI. 15 Origg. laudata, p. CXI. De Codice Canonum in X diviso libros et MS. in Biblioth. Ecclesiae Toletanae p. CXXII. De collectione ISIDORI MERCATORIS ex veris falsisque et interpolatis monumentis conflata p. CXXV. *Hac fraude*, sunt p. CXXVII verba laudati Coustantii, *quam sit perniciose de Ecclesia meritus dici vix potest. Hinc debilitati pe-*

a) Journal des Savans A. 1722 pag. 21 166 et 217. Memoires de Trevoux An. 1722 pag. 1541 1681.

b) Idem An. 1725 pag. 182. Hic Mopinotus auctor apologiae pro Coustantio editae Romae A. 1724 quod in Paparum auctoritatem injurius non fuerit. id. pag. 1708.

c) Idem pag. 2104 Journal des Savans An. 1726 pag. 526 et A. 1732 pag. 232.

nitus fractique disciplinae nervi, perturbata Episcoporum jura, sublatae judiciorum Leges, aut miserum saltem in modum afflictae: hinc discordiarum, seditionum ac litium seges immensa, quae tot seculis ad Ecclesiae dedecus, fideliumque offensionem fruticavit. Nondum innotuerat haec Isidori sylloge A. 855. quam deinde ab aliis subinde augeri, et Pontificum Epistolas alias adjungi contigit. idem p. CXXXII seq. De collectione Canonum MS. *Sorbonicae Bibliothecae* ante An. 1109 ad *Anselmum* Archipraesulem, in duodecim divisa partes, p. CXXXV.

Post GRATIANUM, quatuor collectiones Decretalium Epistolarum vulgavit cum notis Antonius Augustinus, Ilerdae 1576 fol. de quibus dictum Volum. XI Bibliothecae Graecae pag. 20 seq. primam BERNARDI CIRCA, et secundam JOANNIS VALLENSIS, desinentes in Decretalibus *Caelestini III* tertiamq; ex *Innocentii III* Registris, jussu ejus factam a PETRO BENEVENTANO, et quartam VINCENTII, constitutiones alias ejusdem *Innocentii III* complexam. Quintam vero collectionem negat Antonius Augustinus potuisse se reperire, in qua *Honorii III* constitutiones collectae a TANCREDO a) Bononiensi Diacono circa Annum Christi 1227 sub ipsius Pontificis nomine, interprete JACOBO ALBANO, Faventino Episcopo, Henrici Ostiensis Praeceptore. Hanc primus luci dedit Innocentius Cironius, Cancellarius Academiae Tolosanae, Tolosae 1645 fol. Verum exstant quoque Pontificum complurium separatim editae, ut

Leonis Magni Epistolae, qui Episcopus Rom. fuit ab Anno CHristi 440 ad 461. saepius editae inter ejus opera, atque novissime eruditissimi Paschasii Quesnelli observationibus illustratae Paris. 1675, 4. et Lugd. 1700 fol.

Epistola dogmatica ad Flavianum b) Constantinopolitanum Episcopum, et altera c) ad Leonem Imperatorem Graece, vulgatae a Gerhardo Vossio ad calcem Gregorii Thaumaturgi, Mogunt. Anno 1604, 4.

Epistolae variorum Pontificum ad Petrum Cnapheum sive Fullonem, Graecae et Latine editae, Ingolstad. 1616, 4, et tom. XII Gretseri Operum.

Gregorii I. (Papae ab Anno 590 ad 604.) Epistolarum libri XII saepius inter ejus opera editi, et novissime Parisiis 1705. fol.

Pauli I. (Papae ab Anno 757 ad 767.) Epistolae XXXI in Francisci du Chesne tom. III scriptorum Francicorum pag. 725-760.

Volumen Epistolarum quas Romani Pontifices *Gregorius III Stephanus III* etc. miserunt ad Carolum Martellum, Pipinum et Carolum Magnum, Principes et Reges Francorum, auspiciis Caroli Magni collectum, et editum a Jac. Gretsero. Ingolstad. 1613, 4 et tom. VI Opp.

Leonis III. (Papae ab Anno 795 ad 816.) Epistolas X ad Carolum Magnum primus e MSS. Academiae Juliae edidit Hermannus Conringius notisque illustravit. Helmst. 1647, 4 et tom. V Opp. p. 587.

Epistolae sexdecim *Nicolai I* qui ab Anno CHristi 858 ad 867. Pontificatum gessit, editae Romae Anno 1542 fol. Longe plures deinde evolvit Baronius, ac Binius in Conciliorum tomis et post eum alii dederunt.

Alexandri III. Epistolae vulgatae a Sirmondo et aliis, de quibus supra p. 55.

Sylvestri II. (Papae ab An. 999 ad 1003.) Epistolae CLIX cum decreto electionis editae e Bibl. Papyrii Massoni JCti, Paris. 1611, 4.

Leonis IX. de quibus supra.

Innocentii III. (Papae ab Anno CHristi 1198 ad 1216.) Epistolas libris XVI digestas, insignem rerum Ecclesiasticarum et Civilium illa aetate cognoscendarum thesaurum vulgavit Stephanus Baluzius Paris. 1682 fol. duobus voluminibus, post longe imperfectiores collectiones Guil. Sirleti Rom. 1543. Coloniensem 1576 fol. vel Pauli du May d) Paris. 1625, 8 et Francisci Bosqueti Tolos. 1635 fol.

Antonii Dandini Alteserrae commentarius in Innocentii III Decretales. Paris. 1666 fol.

Gregorii IX. (Papae ab An. 1227 ad 1241)

a) Vide Pagium ad A. 1185 num. 2.

b) Graeca versio incipit: ἀναγνόντες τὰ γράμματα τῆς ἀγάπης τῆς σῆς.

c) Graeca versio incipit: ἱποσόμενον ἐμαυτὸν διαμέμνημαι.

d) Vide Menagiana tom. III p 320 seq.

Decretales Epistolae saepius editae separatim, atque inter opera à Jacobo Pamelio illustrata Antwerp. 1572.

Bonifacii VIII. de quibus supra p. 239.

Pii II. (antea Æneae Sylvii) qui Papa fuit ab Anno 1458 ad 1464.) Epistolae CCCCXXX. ante Pontificatum scriptae, Norimb. 1481 et Lugd. 1497 fol. et inter Opera Basileae excusa. *Vide* ÆNEAS.

Bullae Pontificum a *Joanne XXII* ad *Paulum III.* vulgatae a Lud. Gomesio. Romae De Cartulariis. Chartis 88. 1542, 4.

Hadriani IV. (Papae ab Anno 1522 ad 1523.) Epistolae editae Coloniae 1535 Vide Lud. de S. Carolo Bibl. Pontificiam p. 107.

Pii IV et *V* et *Gregorii XIII* Florentiae 1583, 1586 4.

Pii V (Pontificis Max. ab Anno 1566 ad 1572.) Epistolarum libros quinque Latine edidit Franciscus Goubau, Antwerp. 1640, 4 post editionem Italicam Mantuanam a) 1587, 4 (51 in op. « Vita di Pio V scritta da Girolamo Catena con una racc. di Lettere, tradotte in lingua Toscana,) et Latinas Coloniensem atque Romanam 1629.

(52 Hae quoque editiones memorandae: *Pii* PP. V *Constitutiones litterae et Decreta eius mandato edita. Romae ap. haered. Ant. Bladii* 1573. f. pag. 22. 290. — *Lettres de S. Pie V sur les affaires religieuses de son temps en France suivies d'un Catechisme Catholique Rom. par de Potter. Bruselles* 1827. 8. fig.

Gregorii XIII. Constitutiones Ecclesiasticae et litterae Apostolicae, Lugd. 1582 8.

Sixti V. Constitutiones a Laërtio Cherubino, editae Rom. 1583 fol.

Collectio Bullarum et Constitutionum *Clementis VIII* separatim editarum ab Anno 1592 ad 1603 fol. in Bibliotheca Telleriana.

Gregorii XV ab An. 1621 ad 1923. Constitutiones et Decreta, Rom. 1623 fol.

Bullarium *Innocentii XII* editum Romae A. 1697.

a) Ludovicus de S. Carolo Bibliotheca Pontificia pag. 194 in qua passim de singulorum Epistolis Pontificum, ubi exstent annotat, plures eorum collectiones MStar. in Bibliotheca Vaticana adhuc delitescere testatus.

Bullarium *Clementis XI.* Romae 1723 fol. et inter ejus Opera Frf. 1723 fol. et in VIII vol. Bullarii magni, edit. Luxemburgensis.

Bullae Pontificum a Bonifacio VIII. (An. 1294-1303) ad Paulum IV. (An. 1555-1559) Romae apud Anton. Bladum 1559 fol.

Collectio Bullarum à Gregorio VII. (An. 1073-1085) ad Gregorium XIII. (A. 1572-1582) Rom. 1589 fol.

Bullarium sive Collectio Constitutionum Romanorum Pontificum, jussu Sixti V collectum: a Gregorio VII usque ad Sixtum V (qui Pontificatum gessit ab Anno 1585 ad 1590) cum rubricis *Laërtii Cherubini*, Rom. 1586 fol.

Summa Constitutionum Pontificalium et rerum in Ecclesia Romana gestarum a Gregorio IX. (An. 1227-1241) ad Sixtum V curante *Petro Mathaeo* JCto, Lugd. 1589 4.

Bullarum, Brevium et Constitutionum Apostolicarum, quae in Archivio Impressoris Cameralis existunt, index. Rom. 1627, 12. in Biblioth. Barberina.

Rocci Passani Presb. Oratorii (defuncti Rom. 1664) breviarium bullarum; nescio an editum. Vide Raph. Soprani scriptores Liguriae p. 251.

Summa Bullarii per *Stephanum de Quaranta.* Venet. 1607, 4. Lugdun. 1622, 4 usque ad Paulum V.

Jacobi Castellani Compendium Constitutionum summorum Pontificum a Gregorio VII ad Clementem VIII. (Papam ab Anno 1592 ad Annum 1605.) Venet. 1603, 4.

Bullarium magnum *Laërtii Cherubini* JCti Romani a) a S. Leone Magno (Papa ab Anno 440 ad 461) ad Paulum V (ab Anno 1555 ad 1559.) Romae 1617 fol. tribus voluminibus. Et a D. *Angelo Cherubino*, Monacho Cassinensi continuatum usque ad Urbanum VIII. (Papam ab Anno 1623 ad 1644.) Romae 1638 fol. quatuor voluminibus, et Lugd 1655 fol. additis Innocentii X. Constitutionibus, plenior editio Rothomag. 6 Vol.

Bullarii Collectanea per *Augustinum Barbosam*, Lugd. 1634, 4.

Flavii Cherubini Compendium Bullarii a

a) Prosper Mandosius Bibl. Roman. p. 192.

Laërtio Cherubino editi, Lugd. 1624, 4. Rom. 1638 fol.

Bullarii magni Cherubiniani continuatio ab Urbano VIII ad Clementem X. (Papam ab Anno 1670 ad 1676) per *Angelum a Lantusca*, et *Joannem Paulum* a Roma, a) Ordinis Minorum tom. V et VI. Rom. 1672 fol. quae editio praestat Lugdunensi, A. 1697 fol. in qua nonnulla omissa.

Bullarium magnum Romanum usque ad Benedictum XIII Luxemb. 1729 octo voluminibus fol. apud Andream Chevalier. In nono volumine supplementum omissorum in omnibus editt.

(53 et *Romae, Mainardi* 1739. et seqq. 17 t. in 28. vol. f. *continuatio a Clem. XIII ad Pium VIII cur. Andr. Barberi Ib.* 1835 sqq. f.)

D. Bouchardi bullarium Romanum novum digestum juxta libros ac titulos decretalium Gregorii IX. una cum Concordantia Romano Pontificiarum ac Tridentinarum Constitutionum. Hist. liter. de l'Europe 1726 Sept. p. 81.

Vincentii Petrae JCti, Commentarius in Bullarium edi coepit Rom. 1705 fol. Tomus quartus jam lucem vidit Anno 1714. Journal des Savans 1714. Août pag. 225.

Constitutiones Pontificiae et Romanarum Congregationum Decisiones ad Vicarios utriusque Cleri spectantes, *Jo. Baptista Pittono*, b) Sacerdote Veneto collectore. Venetiis, apud Leonardum Pittonum, collectoris fratrem 1712, 1719, 1722, 8. 3 Voluminib.

Joannes Baptista Confectius, sive *Consettius*, in Collectione Privilegiorum sacrorum Ordinum Fratrum mendicantium et non mendicantium, Venetiis 1607, 4.

Hieronymi Rubei, Romani, Pontificia diplomata ac privilegia Clericis Regularibus Congregat. Somascensis concessa.

Constitutiones Pontificiae et Romanarum Congregationum decisiones ad Episcopos et Abbates utriusque cleri Canonicosque Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum, spectantes, recensitae a *Joan. Baptista Pittoni*, Venet. 1712, 1719, 1722, 8 tribus Vol.

Ejusd. Constitutiones Pontificiae et Romanorum Congregationum, ad Matrimonium spectantes. Venet. 1725, 8.

a) Prosper Mandosius Bibliotheca Romana p. 199.
b) Giornale de' letterati d' Italia tom. XIX. p. 441.

Michaelis de Neapoli ab origine fundat. Ordinis Franciscanor. ad Annum CHristi 1633 brevia Pontificum, statuta etc.

Julii de Venetiis Chronologia historica Seraphici Ordinis, ab An. 1643 ad 1718. Neapoli 1650 fol. et Venetiis 1718 fol. Giornale d' Italia tom. XXXV pag. 490.

Emanuel Rodericus in nova collectione et compilatione privilegiornm Regularium mendicantium et non mendicantium, Turnoni 1609 fol.

Cartusiensis Ordinis instituta antiqua et nova cum bullis Pontificum Romanorum: per Amorbachium 1510 fol.

Bullarium Cassinense, seu constitutiones Pontificum, Imperatorum, Regum, etc. et decreta sacrae Congregationis pro Congregatione Cassinensi, per *Cornelium Margarinum*. Venetiis 1650 fol. Tuderti 1670 fol. 2 Volum. Giornale di Roma 1671 p. 21.

Bullarium Ord. eremitarum S. Augustini a *Laurentio Empolo* collectum, Rom. 1628 f.

Bullarium Ordinis Cluniacensis, Lugdun. 1680 fol.

Antonii Gonsalez de Acunna, bullarium confraternitatum Ordin. Praedicatorum, Rom. 1668, 4. Ejusd. summarium privilegiorum a sede Apostolica Ordini Praed. concessorum ab Anno 1216 ad 1669 ibid. 1670, 4. Plures bullas omissas esse notat Jacobus Echardus tom. II Bibl. Dominicanae p. 692 qui p. 704 memorat etiam *Antonii Chesnois*, bullarium ejusmodi vulgatum Gallice Rothomagi 1678, 4.

Claudii Arrhenii bullarium Romano Sveo Gothicum, seu Codex bullarum aut literarum, quas Pontifices Romani quibuscunque de causis miserunt in Sveciam. MS.

Johannis Peringskioeld diplomata Svedica Papalia et Episcopalia. MSS.

Hippolytus Marraccius promisit bullarium Marianum, s. collectionem bullarum, Constitutionum, Diplomatum, Breviumque Apostolicorum, in honorem cultumque Mariae Virginis a summis Pontificibus emanatorum, 2 Vol.

Thomae Thomassoni, Ord. Praed. decretorum Apostolicae sedis, Conciliorum, sacrarum congregationum et Patrum aurea Catena. Rom. 1654, 4.

Joannis Antonii Novarii summae bullarum, cum novissimis decisionibus sacrae Rotae Romanae adjunctis a *Josepho Domitio* et cum nonnullis additionibus Abbatis *Michaëlis Justiniani*. Rom. 1677 fol. Giornale di Roma pag. 113.

Diplomata Pontificia et Regia Ordini regulari et hospitali S. Spiritus concessa, cum notis. Paris. 1724.

Basilii Seregni Mediolanensis Indulta et Privilegia Pontificia Canonicis Regularibus concessa. Mediol. 1606.

Bullarii Seraphici Indiculus per *Petrum de Alva*. Rom. 1655, 4.

Bullas Pontificum pro Societate Jesu, cum Regulis Societatis publicavit Ægidius de Smidt S. J. Antw. 1647.

Archivium bullarum, decretorum, etc. fratrum et sororum tertii Ordinis S. Francisci, per *Franciscum Bordonum*, Parmae 1658, 4.

(54 *Bullarium Vallumbrosanum* (*cur. P. Fulgentio Nardi*) *Florentiae* 1729. 8. p. 107.)

His omnibus novissime accessit *Justi Fontanini*, Archiepiscopi Ancyrani; Codex Constitutionum, quas summi Pontifices ediderunt in solemni canonizatione Sanctorum a *Johanne XV*. Anno CHristi 993 ad *Benedictum XIII*. An. 1729. Romae 1730 fol. Bibliotheque Italique tom. X p. 279. Acta Eruditor. tom. X supplem. p. 385.

* Omisit Fabricius collectionem quandam bullarum extravagantium additam lib. VI. Decretalium in vetustis editionibus nonnullis: Debetur haec diligentiae Hieronymi Clarii Brixiani IC. protonotarii et comit. apostolici, qui bullas nonnullas Pontificum a Bonifacio VIII usque ad Sixtum IV simul iunxit deditq. tanquam ad Clementinas additionem, praemissa sua ad lectorem praefatione. Suppetit haec mihi collectio ex editione Andreae de Torresanis de Asula Venetiis adornata an. 1500.

Johannes BURCHARDUS, Argentinensis, Capellae Alexandri VI. Papae Clericus et Cerimoniarum Magister, postea etiam Ecclesiae Hortanae praefectus a Julio II. scripsit *Diarium* ab Anno 1492. quo Alexander VI creatus est Papa, usque ad Annum 1505 sive Julii secundi initia. Ex hoc diario excerpta, (integrum enim tunc negat se potuisse consequi illustris Leibnitius) Hanoverae 1696, 4 publicavit, inscripsitque: *Specimen Historiae arcanae, sive anecdotae de vita Alexandri VI. Papae.* Integrum postea illi obtulit vir eruditissimus Maturinus Veysserius la Crose, cujus editionem dehinc meditatum se testatur duobus locis Epistolarum ad laudatum Crosium datarum pag. 373 et 393. in quarum priore ait se velle in lucem dare *Scriptores restitutos*, hoc est Volumen jam editorum, sed longe meliori facie lectoribus offerendorum. In altero, cum laudasset Crosii institutum, qui *Johannis de Vesalia* scriptum contra indulgentias vulgare voluit, subjungit sibi in animo esse edere *Volumen rerum Italicarum*, *scriptorum bonam partem ineditorum aut auctiorum*, *eique inserere* integrum Diarium Burchardi, *tum Alexandri VI auctum et correctum ex Crosiano Codice*, *tum Julii II: itemque diarium* Paridis de Grassis, *et dissertationem* Commendoni *de aula Romana*, *et Vitas Pontificum* Augerii de Biterris (de quo supra pag 76.) *laudatas a Baluzio non uno in loco.* Ongarellum *quoque*, *qui scripsit ante annos circiter trecentos.* In his, quae de Hieronymo Savonarola Burchardus pag. 45 seq. excerptorum Leibnitianorum tradit, fidem frontemque desiderat Jacobus Quetif in additionibus ad vitam Savonarolae Parisiis 1674, 12 editam pag. 70 77 79 etc. Videtur Quetifus ille integro Burchardi diario MS. usus fuisse, sicut Raynaldus quoque. Quod autem facere Leibnitius promiserat, hoc praestitum deinde a familiari ejus Johanne Georgio Eccardo est, in cujus Corpore historicorum medii aevi tom. II, pag. 2017–2160. *Diarium Curiae Romanae* auctore Burchardo integrum legitur, desinens in Mense Decembri Anni 1505. Ita autem de illo Eccardus in praefatione num. XVIII. *Bona fortuna integrum* Burchardi *diarium Alexandri VI. Papae acta recensens*, *postea inventum est in Codice Berolinensi*, *unde illud jam damus. Odoricus Raynaldus ejusdem testimonio per omnem Alexandri VI vitam utitur*, *illudque in Archivio Vaticano*, *numero 104 signatum*, *extare prodit. Burchardus in hoc suo opere*

nonnunquam provocat ad veteres libros ceremoniales; *et didicimus demum ex Raynaldo, ipsum quoque alio opere* Diarium Ceremoniarum Curiae Romanae *scripsisse, cujus MStum etiam in Archivio Vaticano extet. Cum enim sub anno 1484* § *28 mentionem facit legum a Cardinalibus in Conclavi ante electionem Innocentii VIII in propria commoda conditarum, quibus Papa novus adstringendus sit:* Quae vero, *inquit*, Leges inventae sint a Cardinalibus, refert accuratissime praedictus Joannes Burchardus, Argentinensis, Clericus sacris ceremoniis Praefectus, in MSto Codice Tabularii Vaticani. *Idem Diarium Raynaldus adducit quoque sub anno 1485* § *42 ubi de creatione Maximiliani in Regem Romanorum agit. Diarium de caetero Alexandri VI in Codice Berolinensi misere trajectum erat, et quae non procul ab initio stare debebant, in finem fere rejecta erant. Ut haec in ordinem justum redigerentur, Excerpta Diarii Leibnitiana nobis profuere. Codex quoque Berolinensis Literis Alexandri VI ad Savonarolam finiebatur; quae vero deinde usque ad finem anni 1505 sequuntur, in Codice solum Excerptorum Guelferbytano extitere.*

(55. Diarium Burchardi commentariis et monum. adiectis ab Achille Gennarelli JC. et eq. Florentiae 1856. 8. gr. pag. huc usque 320.)

BURCHARDUS, sive BURGHARDUS *Dorcestrius*, Anglus, Monachus Ordinis Benedict. Giribennensis, *Fremundi* Offae Regis F. ex Occidentalis Angliae herede Monachi et Martyris, *Vitam et Martyrium* scripsisse perhibetur circa Annum 870. Vide Pitseum pag. 166 et Baleum II 22.

S. BURCHARDUS Anglus, (alter, quem a priore Pitseus rectius distinguit, Lelandus eundem facit cap. 99.) Monachus Ordinis S. Benedicti, *Nuisscellensis*, Comes Bonifacii Frisiorum Apostoli, et Herbipolensis ab Anno 752 ad 791. Episcopus, a Pitseo pag. 164 traditur scripsisse *de substituendo successore prolixam et elegantem Orationem.* De illo plura in Joannis Petri Ludovici scriptoribus Würtzburgensibus tom. I, p. 388 seq. et apud Surium 14 Octobr.

BURCHARDUS *Balernensis* et postea *Bellae vallis* Abbas in Comitatu Burgundiae. Hujus subscriptionem in Vitam S. Bernhardi Cangius se notat reperisse in Codice Sangermannensi 584. Nimirum intelligit caput ultimum, quod libro primo vitae S. Bernhardi per Gvilelmum S. Theodorici conscripto subjunctum legitur in editionibus Operum S. Bernhardi Horstianis et Mabillonianis, ut in novissima tom. IV pag. 1105. Ad hunc Burchardum Epistola S. Bernardi 146.

BURCHARDUS *Dorcestrensis.* supra, *Anglus.*

BURCHARDUS Monachus S. Galli, *de casibus Monasterii S. Galli* ab Anno 982 ad 1204 editus in Goldasti Alemannicis tom. I, pag. 110. De duobus vero antiquioribus *Abbatibus S. Galli* Burchardis, primo (cognomine *Ingenito*, quod ex utero matris excisus esset) Abbate ab Anno 959 et secundo defuncto An. 1034 vide Bibliothecam Patrum edit. Lugdunens. t. XXVII pag. 524 ubi prioris *Epistola ad Ottonem Magnum*, quam ille *piperis granum* consuevit appellare, et alterius legitur *Epitaphium.*

BURCHARDUS *Mangepheldius* sub initia Sec. XIII. Huic digestam *Weichbiladm Saxonicam Magdeburgensem* debemus, cujus meliorem editionem Latino-Germanicam nuper dedit Joannes Fridericus Ludovicus, Halae Saxonum 1721, 4 post Lipsiensem Christophori Zobelii, una cum jure feudali Saxonico, 1589 fol. et Francofurtensem Goldasti, 1613 fol. in qua junctae leges Longobardorum, Lotharii Capitulare, Speculum Saxonicum et Jus Camerale.

BURCHARDUS *Notarius* Imperatoris Friderici Barbarossae, Scriptor Epistolae *de victoria Friderici, et excidio Mediolanensi* An. 1162 ad Nicolaum Sigebergensium Abbatem, tom. I scriptor. German. Freheri p. 330-332.

BURCHARDUS *Nuisscellensis.* supra, *Anglus.*

BURCHARDUS, qui *Palaestinam* descripsit. Supra, BROCARDUS pag. 262

BURCHARDUS Praepositus Augiae Divitis, sive *Reichenaviensis* circa Annum 990 temporibus Ottonis III. Imperatoris versificator non infelix.

BURCHARDUS *a Rotenburg*, quem instauratorem Platonicae Philosophiae celebrant clarum circa Annum 1381.

BURCHARDUS, sive BROCARDUS a) Hassus, ex Lobiensi Monacho Dioecesis Leodiensis, Ord. Benedicti, b) *Wormaciensis* ab Anno CHristi 996. Episcopus, ab *Olberto* Abbate postea Gemblacensi, praeceptore suo adjutus c) Walterio Spirensi Episcopo impellente composuit, et Brunichoni Ecclesiae Wormatiensis praeposito dicavit *duodecim tomos decretorum* collectos ex sacris litteris, ex Conciliis et Epistolis spuriis decretalibus, d) nec non Poenitentiali Romano, Theodori et Bedae: et ex scriptis SS. Gregorii, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Benedicti, Basilii Magni et Isidori, et sub titulis digestos. *Collectiones utillimas* vocat Anonymus Mellicensis cap. 4. Hoc opus ipsum, quod a nomine auctoris *Burchardus* teste cap. 141 Sigeberto appellatum est, integrum nec dum lucem vidit, sed tantum excerpta ex illo, sextam aequantia portionem, divisaque in *libros* XX ex quibus Surius modo XVI habuit, quibus in Conciliorum editione utitur sub hoc titulo: *ex Codice XVI librorum.* Exemplaria vetustissima Burchardi Pithoeus testatur exstare in Bibliothecis Ecclesiarum Carnotensis, Tricassinae, et Burdigalensis. In Hendreichii Pandectis Brandenburgicis pag. 794 memoratur editio Burchardi Paris 1499, 8 quam nunquam videre me, nec ab aliis laudari memini. Sed cum viginti illis, quos dixi, libris Decreti, *lex familiae* excusa est Coloniae A. 1548 (1549) fol. ex editione Bartholdi Questenburg. Eadem deest in editione Paris. 1549 (1550) apud Joannem Foucherium, 8. Sed hanc claudunt *Canones Synodi Salegunstadensis* sub Aribone Moguntino Archi-Episcopo, cui Burchardus praesens adfuit Anno Christi 1023 et *quomodo initianda Synodus*, sive Constitutio ordinis, qui in celebranda Synodo observari debet. Bene multa accepisse Burchardum a Reginone, nec pauca de suo addentem, multa corrupisse, notat Baluzius ad Reginonem pag. 454 seq. et ad Gratianum pag. 539, 552 etc. Idem in praefatione ad Antonium Augustinum de emendatione Gratiani § 18 testatur, se tria vidisse Burchardi antiquissima exemplaria optimae notae. Ex his Codicem Dionysii Talonii, laudat pag. 497, 502 etc. Atque editos libros non satis integros atque emendatos exstare. observatum etiam in Georgii Cassandri Operibus pag. 1091 et 1098. *Nacti etiam sumus* inquit, *MStum opus Burchardi, quod obiter tantum cum impresso Parisiis Anno MDXLIX contulimus, et deprehendimus epistolae phrasin totam immutatam. In libro vero XX impressus liber capita C. exscriptus vero CLVIII continet, et quorundam capitum ordo immutatus legitur.* Joannis Molinaei tamen editio, quem Burchardi libris emendandis operam locasse Cassander ibidem testatur, lucem haud vidit. Non ipso Burchardi opere, sed tantum illius epitome usum fuisse Gratianum monet Gvido Pancirollus III 1 de claris legum interpretibus. Argumenta librorum viginti editorum adscribere supersedeo, quia ista habes etiam apud Gerh. Mastrichtum Histor. Juris Eccles. § 251. Oudinum tom. II, pag. 526 et Casparum Sagittarium tom. II introduct. in Histor Eccles. pag. 750 seq. Obiit Burchardus Anno CHristi 1025, 13 Kal. Sept. Statuta Canonum de officio Sacerdotum ex libris Burchardi vulgavit Canisius tomo VI Antiqu. Lect. vide tomo III editionis Basnagianae f. 297 seq.

Huic Burchardo *Albertus* Metensis, de quo supra pag. 45 libellum de diversitate temporum inscripsit, quem cum Burchardi *Epistola* in Alberti laudem comparata edidit Johannes Georgius Eccardus tomo primo Corporis Historicorum medii aevi p. 91 seq.

a) Hinc *Brocardica Juris.* Confer Celeberrimi D. Christiani Thomasii Dissertationem de Brocardico *causa fatua excusat a dolo*, Halae 1720 4 et Damasii *Burchardica*, sive Regulas Canonicas ex recensione Petri Alauni Aquilii, Coloniae 1564, 8 et in Oceano Juris, sive Tractatu Tractatuum tomo XVIII, pag. 506.

b) Joannes Trithemius II 73 illustrium Benedictinorum.

c) Vide Sigebertum ad Annum 1008 et Baluzium § 18 praefat. ad Antonium Augustinum de emendatione Gratiani. De Olberto illo, sive Alberto Trithemius cap. 308 et 310 supra pag. 113.

d) Blondellus prologom. ad Pseudo-Isidor. c. 18 pag. 98 seq. Vicissim Capitularibus noluisse Burchardum uti, notat Baluzius ad Gratian, p. 530 599 etc.

Omitto de recentioribus Burchardis dicere, ut de *Ulrico Burchardo* Episcopi Bamberg. Wigandi a Concionibus aulicis, cujus dialogismus de fide * inter Didymum et Credulum prodiit A. 1534, 4.

Laurentius BURELLUS, Divionensis, Carmelita circa Annum 1494 auctor *Heliadis*, sive poëmatis de laudibus Eliae Prophetae, magni ut volunt parentis Carmelitarum. Praeter hoc etiam prosa scripsisse multa traditur a Trithemio cap. 897. atque inter alia *de illustribus Viris sui Ordinis*. Episcopum *Cisterciensem* recte vocat in Bibl. Bibliothecarum Labbeus, ex quo perperam *Cisterciensem* fecere apud Hendreichium p. 795. Fuit enim Burellus Episcopus Cistaricensis sive Sistaricensis in Gallia (Segestericum sive Segestericensem etiam appellant, vulgo *Sisteron*) ab Anno 1499 usque ad Annum 1504 quo diem obiit supremum. Vide Samarthanorum Galliam Christianam tom. III editionis primae pag. 1034 et Joannem Columbum de gestis Episcoporum Sistaricensium libro 3. Lugd. 1668 fol.

Dionysius de BURGO S. Sepulchri, Augustinianus circa An. 1380 qui judice auctore Chronici Comitum Oldenburgensium apud Meibomium tom. II p. 164. *In omni arte dicendi fuit perdoctissimus. Poëtas, Historiographos, Oratores et Philosophos denique universos exaravit,* ** *quod sui Commentarii, quos super* Valerium Maximum, *super librum* Metamorphoseos, *super* Maronis *operibus, super tragoediis* Senecae, *superque Rhetoricis et Politicorum* (Aristotelis) *libris composuit, testatur. Hic fabulas omnes ad tam praecellentem tropologicum sensum reduxit, nihil jucundius, nihil denique utilius possit adferri.*

Joannes de BURGO sive BURGENSIS, Cancellarius Universitatis *Cantabrigiensis* circa Annum 1380 exemplo Guilelmi de Pagula, qui simile opus suum, Oculum Sacerdotis inscripserat, condidit *pupillam oculi* de Sacramentis et Sacramentalibus, libris decem, opus grande, quod perinde, ut ejus epitome in variis Angliae Bibliothecis MStum exstat. Vide Oudinum tomo III pag. 1186. Pitseus pag. 543 etiam editum notavit Parisiis 1510, 1518 et Argentorati 1510 1518. Idem hujus Burgensis *librum homiliarum ad populum* memorat.

Joannes de BURGO, Monachus Cluniacensis atque Abbas in Anglia *Petroburgensis* circa Annum 1390. qui teste eodem Pitseo pag. 448 praeter *Sermonum variorum librum* scripsit *Annales Anglorum*, hoc est, *Chronicon Petroburgense* ab Anno 654 quo tempore Monasterium de Burgo S. Petri a Peada Rege Merciorum fundatum erat, ad Annum 1368 MS. in Bibliotheca Cottoniana. Vide Oudinum tom. III pag, 1088.

* Cuinam Joanni Burgensi tribuam opusculum inscriptum: *de varietate astronomiae*, haereo ambiguus. Fragmentum eius affert Jo. Marius Belga in libello de schismatis et concilior. differentiis cap. XV. viderint lectores eruditi.

Joannes BURGENSIS. infra, BURIENSIS.

De *Paulo* BURGENSI ab Anno 1415 in Hispania Episcopo, ex Judaeo Judaeorum oppugnatore, infra, PAULUS.

Joannes BURGUNDIO, sive BURGUNDIUS, Juriconsultus et Judex Pisanus, de quo juvat adscribere haec pulchre notata a Laurentio Pignorio Epistola XXXIX ad Joannem Bonifacium pag. 159. *Huic sunt qui adscribant versiones eorum, quae in Pandectis graece leguntur,* * *licet Accursius Bulgarum interpretem esse velit: porro hic noster tunc temporis Graecae linguae peritia inclaruit. Et memini me videre olim apud Nobilissimum Virum, et ab Eruditionis laude clarissimum Joannem Vincentium Pinellum, Codicem manuscript. hoc titulo.* Incipit liber vindemiae a domino Burgundio Pisano, de Graeco in latinum translatus. *quae erant* aliquot Schedia Geoponicon. *Incidit etiam in manus meas versio libelli nescio cujus, Gregorii Nysseni, ita inscripta;*

Liber B. Gregorii Nysseni ** *incipit.* Dominatori Friderico invictissimo Romanorum Imperatori, et Caesari semper Augu-

* *Unschuldige Nachrichten* Anno 1705 pag. 811.
** Forsan leg. *explanavit.*

* Supra pag. 275.
** Intellige *Nemesii* de natura hominis, Nysseno praeter rem tributum opus. Vide t. VII Bibl. Graecae p. 450.

sto, a Burgundione Judice natione Pisano pertranslatus anno Incarnationis Domini MCLX. Indictione XIII. *Incipiebat autem*, Invictissimo „ et gloriosissimo Domino. *finiebat*, propter utilitatem illorum abstulerunt. *Mutius autem Pansa, in Bibliotheca Vaticana, de eodem tradit, interpretem egisse Evangelii Sancti Joannis*, ✝ et *Librorum Genesis nonnullorum: et fuisse hac re* Joannis Chrysostomi *praedicatorem, quod (ut videbimus) ex ipsius etiam Epitaphio compertum est, hoc autem hujusmodi esse accepimus:*

Quis, qualis, quantus jacet hic in marmore clausus
  Ille vir egregius, promitur inferius.
Decessit senio propria Burgundius urbe,
  Cui similis vivens vix fuit, est, vel erit.
Omne quod est natum terris sub Sole locatum
  Hic plene scivit scibile quidquid erat,
Optimus Interpres Graecorum fonte refectus
  Plurima Romano contulit eloquio.
Commentor primus, Chrysostomus ille secundus,
  Claruit, expositor, scripsit et innotuit.
Docta patet late Doctoris epistola Pauli
  Otia cujus erant scribere, cura labor.
Invidia caruit, vitam sine crimine duxit,
  Illaesus vitiis, noxia quaeque fugans.
Gloria, Laus, et Honor proles generosa parentum,
  Id fuit in terris, Sol quod in axe suo.
Venit ut ad caudam plenus mercede laborum,
  Inquit terrenis: hospita terra vale
Debitor insignis ne creditor opprimeretur,
  Psychem namque polo reddidit, ossa solo.
Qui legis in titulo, sic si cupis esse probandus,
  Hujus ad exemplum curre per alta maris.

Quibus sane carminibus non omnino malis non contentus, qui Memoriam posuit, adjecit etiam haec rythmica, quibus sane carere aequo animo poteramus.

Doctor Doctorum jacet hac Burgundius urna
Schema magistrorum laudabilis et diuturna.
Dogma Poëtarum, cui Litera Graeca Latina
Ars Medicinarum patuit Sapientia trina.
Et nunc Pisa dole, tristeris Thuscia tota
Nullus sub Sole est, cui sic sunt omnia nota.
Rursus ab Angelico coetu super aera vectum
Nuper et Angelico coelo gaudete receptum.

Anno Domini MCLXXXXIIII, III Calend. Novembris.

* Praeter haec omnia ex Graeco Latinum etiam redditum est a Burgundione opus S. Joannis Damasceni *de fide ortodoxa* et Fabricius ipse jam admonuerat Bibliothecae Graecae tom. VIII. 780. et superest legenda haec versio inter Codd. MSS. Biblioth. Venetae S. Marci, ut ex vol. II. Codd. eiusd. Bibliothecae Cod. 83. discimus. Hanc operis notissimi versionem nunquam paruisse notavit Fabricius: cum tamen eius exordium afferat Zanettus Indicis Veneti author doctiss. atque illum ego contulerim cum vetustiss. edit. veneta an. 1514. quae ex versione Jacobi Fabri Stapulensis expressa legitur in titulo una eademque cum illa mihi visa est. Nam Burgundionis versio ita exordiebatur: *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit ineffabilis igitur est Deus et incomprehensibilis.* Respondent haec ad verbum Venetae editioni, nisi quod pro *Deus* est *Divinitas.* Fortasse igitur Faber interpretis Pisani versionem reformavit, atque hinc inde interpolavit.

Optime praeterea Fabricius monet librum Gregorii Nysseni, quem a Burgundione versum Latine scribunt, idem esse ac Nemesii opusculum *de natura hominis.* Titulum tamen operis qui latuit Pignorium, is erat: *liber de Anima.* Tradit haec Jo. Diaconus Veronensis in Hist. Imperiali, cuius fragmentum ea de re affert Tartarottus in Commentario de hoc opere Joannis Diaconi. Porro haec sunt verba scriptoris huius, cum Nysseni opera recenset: *item* (scripsit) *librum de anima valde obscurum qui a iudice Pisano translatus fuit in Latinum tempore Friderici II Imperatoris.* Porro nisi fucus factus sit Joanni Diacono, ut pro Friderico I. secundum posuerit, ex eius auctoritate emendanda est aetas Burgundionis, quem coeteri omnes scriptores sub Friderico I. collocant. Vivebat Joannes iste saec. XIV ineunte.

(56 Vide Antonioli in op. *Memorie d' illustri Pisani. Pisa 1790. 4. v. 4.*)

BURIDANUS Bethuniensis Artesius, discipulus Guilelmi Occami, liberalium artium Professor Parisiis nominatissimus circa Annum 1350 et Philosophus pro illa aetate subtilis, sed a Nominalium adversariis Lu-

✝ Idem pag. 647 ubi testimonium Roberti de Monte ad Annum 1180 in continuatione Chronici Sigeberti. De versione *Chrysostomi in Matthaeum* a Burgundione composita dixi ibid. pag. 645 et de *Damasceni Orthodoxa Fide* tomo VIII, pag. 780. De utraque etiam Oudinus tomo II, pag. 1296 seq.

tetia pulsus concessit in Germaniam, auctorque fuit requirendi ab Urbano V diplomatis, quo villae Viennensi in Austria generale studium omnium facultatum concessum est An. 1356 excepto Theologico, quod An. 1384 etiam addidit Urbanus sextus. Scripta Buridani sunt: *Quaestiones in libros Politicorum, Ethicorumque. Quaestiones Metapysicales, in Aristotelis Logicam, in libros Physicorum,* et *de anima, de memoria et reminiscentia,* caeteraque, quae vocant *parva naturalia.* Prodiere universa Johanne Dullardo Gandavensi curante Parisiis 1500, 1516, 1518 in Ethica etiam deinde Oxonii 1637, 4 et in Politica 1640, 4. In Logica et Metaphysica Londini 1641, 4. Argumentum Buridani de asino inter duos vel plures aeque distantes et similes per omnia acervos foeni, propter arbitrii defectum vel aequilibrium perituro fame, Spinosa p. 89 et 91. Opp. postumor. omnino concedit etiam valere de homine: sed bene refellitur a Baelio in Lexico, ubi de Buridano disserit. Criminationem de Joanna, Philippi Pulchri uxore, post Robertum Gagvinum lib. 7 Historiae Gallicae, et Joannem Launojum, Gymnasii Navarrei tom. I, pag. 15 etiam confutavit Morlierius, Essais de Litterature tom. II, pag. 183 seq. Sophisma autem, quod Buridano tributum Gagvinus memorat, et nescio quod aenigma continere Baelius conjicit, sola interpunctione constabat. *Reginam interficere nolite, timere bonum est.* Haec verba etiam possunt distingui sic, ut contrarius sensus prodeat, si post secundum et post quartum vocabulum comma ponatur.

BURIENSIS. vide, BOSTONUS et de BURY.

Adamus BURLEY, Magister Philosophus Anglus, cujus nisi *Quaestiones Logicales* Pitseus pag. 820 commemorat.

Gvalterus BURLEY, sive BURLÆUS, e discipulo Scoti, Scotistarum adversarius celebris, ac *Nominalium* hyperaspista circa Annum 1337 Magister Oxoniensis, cujus scriptorum catalogus longus apud Lelandum cap. 378. Pitseum pag. 435 et Baleum V 42. Commentarii et Quaestiones in *Aristotelis* * Categorias, perihermenias, priora posterioraque Analytica, Elenchos et Topica, Physica, de Coelo et Mundo: de motu animalium: de anima, meteora, parva naturalia, Metaphysica, de moribus, Politica, Oeconomica ad Richardum de Bury: et Problematum librum: in Isagogen *Porphyrii*, in *Gilberti Porretani* sex principia, in artem *Lulli* Cabbalisticam: in Logicam *Scoti*: Commentarii *in libros Sententiarum*: praeterea *de universalibus: de tribus agentibus* libri duo*: de formis accidentalibus*, (ubi de intensione ac remissione formarum. MSS. Bibliothecae Paulinae Lipsiensis pag. 183.) *De divisione entis: de sensibilibus: de mixtione elementorum: de ideis: de substantia Orbis: de divisione scientiarum: de sensibus interioribus: de quinque sensibus: de relatione, qualitate et quantitate, de principiis per se, de duobus principiis, de potentiis animae, rationes terminorum, de sensu et sensato, toto et parte, finito et infinito, de modo definiendi, de abstructis, de potentiis activa et passiva*, et *de via modernorum.* Librum *de fluxu et refluxu maris*, Rogero BACONI tribuit Antonius Wood Antiqu. Oxoniens. tom. I, pag. 40. Libellus *de vita et moribus Philosophorum*, incipiens a Thalete et desinens in Seneca cap. CXXXI prodiit sine nomine auctoris Argentin. 1516, 4. Tot capita etiam in versione Italica Venetiis 1521 8. * *Vite de Philosophi moralissime* etc. Exstat et ed. Latine Col. 1472 et Norimb. 1477 fol. In alia antiqua editione sine loco et anno, quam describit Clarissimus Heumannus in Actis Philosophorum Parte XIV, pag. 282 seq. tantum capita continentur CXIX. Venerabili Viro *Walthero Burley* diserte tribuit Codex MS. Gudianus.

Simon BURNESTON. Supra, BORASTON.

BURTONENSES Annales, a nato CHRISTO usque ad Annum 1291 editi a Thoma Galeo, inter rerum Anglicarum scriptores veteres, Oxoniae A. 1684 fol. In Codice Parkeriano hi annales continuati leguntur usque ad Annum 1339.

Joannes Taxston de BURY, Ordinis Benedictini Monachus et ab Anno 1279. Abbas Coenobii S. Edmundi *Buriensis* in Co-

* De editionibus vide Hendreichium pag 890.

* Supra pag 116.

mitatu Angliae Suffolciensi, scripsit ab An. 1235 ad 1253. *Annales Angliae*, in quibus causam inter Robertum Grossetestum Lincolensem Episcopum et Innocentium IV. Pontificem agitatam uberius exposuit, ut ex Lelando notant Baleus IV 51 et Pitseus pag. 360. In limine Catalogi MSS. Bibliothecae Cottonianae memoratur *Chronicon ab orbe condito ad Edwardum I.* a) *Angliae Regem, inclusive, scriptum a* Joanne Taxston *Monacho* de Bury, *post annum MCCLXVII. quo tempore habitum Monachalem susceperat, ut patet ex ejusdem hac de re inserta adnotatione temporis, fol. 57 b. Videtur esse non inaccuratus temporum supputator, et rerum memorabilium in Anglia gestarum diligens collector.* Quae porro in Catalogo MSS. Bibl. Bodlejan. 103 n. 37. Lelandi signantur excerpta *ex Annalibus Abbatis de B.* additurque: *forsan de Burgo.* Haec Oudinus tom. III, pag. 530 recte de Abbate Buriensi accepit, qui etiam in Lelandi libro de scriptoribus Britannicis cap. 339. *Joannes* BURGENSIS appellatur, velut e Burgo S. Eadmundi. Vide supra, Jo. BOSTONUS, pag. 246.

Alius *Joannes* BURIENSIS a Baleo VIII 20 et Pitseo pag. 650 memoratur, quem ajunt Anno 1460 vixisse Ordinis S. Augustini Monachum in Conventu Clarensi, ac praeter *lecturas S. Scripturae*, *sermones*, *quaestiones* et *libros duos contra Reginaldum Pecock*, sive *Pavonem*, b) scripsisse *Commentarios in S. Lucae Evangelium* illos ipsos haud dubie innuentes quos Lelandus c. 545 tribuit *Joanni a fano Eadmundi*, Carmelitae Gippovicano.

Richardus de BURY, Dunelmensis sive Dunholmensis Episcopus, et Eduardi III. Regis Angl. Cancellarius diem obiit An. 1345 24 April. aetatis 59 de quo idem Lelandus cap. 417. *Richardus* Angravilla, *Bederici natus fuit, quae Civitas totius Sudvolgiae prima est, sed a recentioribus propter fanum magnificentissimum ibidem* D. Eadmundo, *Ostroanglorum Regi, a Danis Aquiloduni impie trucidatum*, Eadmundi Curia *dicta: unde cum a Trittemio* (cap. 624) *tum ab aliis authoribus,* Richardus de BURY, *truncato vocabulo appellatur.* Hic cum Oxonii Bibliothecam fundasset, librum de amore librorum et institutione illius Bibliothecae a Roberto HOLKOT a) conscribi fecit, inscripsitque *Philobiblion*, illique Epistolam A. 1344 suo nomine praefixit, unde libellus iste etiam sub Richardi nomine prodiit saepenumero, ut Spirae 1483, 4. Parisiis 1500 4 apud Badium, cujus editionem postea secutus fuit Goldastus: tum Oxoniae 1599, 4 et Lond. 1600, 4. in ecloga Oxonio Cantabrigiensi Thomae Jamesii: nec non ad calcem Centuriae Epistolarum Philologicarum quam vulgavit Goldastus Francof. 1610, 8. addiditque Epistolam Bessarionis, qua suam ille Bibliothecam instructissimam A. 1469 donavit Bibliothecae Venetae S. Marci. Recusa est haec Goldasti sylloge Lips. 1674 8. Philobiblion vero illud exstat et in B. Jo. Andreae Schmidii collectione de Bibliothecis, Helmstad. 1703, 4. quod Morhofio b) judice *etsi dictio genium istorum temporum sapit, tamen eleganter scriptam est, ac multa proponit rei Bibliothecariae arcana.* In MSto Codice hujus Philobiblii, quod habeo nitide exaratum in membrana, ad calcem rubro colore signata leguntur haec verba: *Explicit Philobiblon* c) *Domini* Ricardi de Muiegervile, *cognominati* de Bury, *quondam Episcopi Dunolmensis. Completus autem tractatus iste in manerio nostro de Ankelande XXIV die Januarii, Anno Domini Millesimo trecentesimo XLIII. aetatis nostrae quinquagesimo octavo praecise completae: Pontificatus vero nostri anno undecimo finiente ad laudem DEI feliciter.* Argumenta capitum libro praemittuntur hunc in modum:

1. *Quod thesaurus sapientiae potissimum sit in libris.*

a) Edwardus primus coepit regnare Anno 1271.

b) Hic Episcopus Cicestriensis, sententiam Berengarii de Sacra defensitans, palinodiam canere An. 1457 coactus et Episcopatu dejectus fuit. Vide Lelandum cap. 566 Baleum VIII 19.

a) Jacobus Echardus tomo I de scriptoribus Dominicanis pag. 631. Thomas Hearne Appendice 2 ad Lelandi Collectanea pag. 299.

b) Lib. I polyhist. cap. 17.

c) Sic diserte Codex meus: pro quo apud Warthonum *Augervillus*, apud Trithemium *Angravilla.* Apud Baleum, qui et Epistolas atque Orationes ejus ad Viros Principes commemorat, V 69 *Aungravyle,* Pitseo denique pag. 467 *Aungervillius.*

2. *Qualis amor, libris rationabiliter debeatur.*

3. *Qualiter libris emendatis pretium sit aestimandum.*

4. *Querimonia librorum contra Clericos jam promotos.*

5. *Querimonia librorum contra Religiosos possessionatos.*

6. *Querimonia librorum contra Religiosos mendicantes.*

7. *Querimonia librorum contra bella.*

8. *De multiplici oportunitate quam habuimus librorum copiam conquirendi.*

9. *Quod licet Opera Veterum amplius amaremus; non tamen damnamus studia modernorum.*

10. *De successiva perfectione librorum.*

11. *Quare libros liberalium litterarum praetulimus libris Juris.*

12. *Quare libros Grammaticales tanta diligentia curamus renovare.*

13. *Quare non omnino negleximus fabulas Poëtarum.*

14. *Qui deberent esse librorum potissimi dilectores.*

15. *Quae commoda confert amor librorum.*

16. *Quam sit meritorium libros novos scribere et veteres renovare.*

17. *De debita honestate circa librorum custodiam adhibendam.*

18. *Quod tantam librorum collegimus copiam ad communem profectum Scholarium, et non solum ad propriam voluntatem.*

19. *De modo communicandi studentibus omnibus libros nostros.*

20. *Cohortatio Scholarium ad repetendum pro nobis suffragia debitae pietatis.*

Quod denique Trithemius et ex eo Leland' ajunt ad hunc Richardum exstare Epistolam Franc. Petrarchae de insula Thule; hoc ita est accipiendum, quod Petrarchae Epistola de hoc argumento exstat prima libri tertii, non vero data ad Richardum, sed ad Thomam Messanensem, in qua testatur se de Thule sermonem fecisse cum Richardo Angliae Regis Cancellario, quem vocat *virum ardentis ingenii, nec litterarum inscium, abditarumque rerum ab adolescentia supra fidem curiosum.*

Joannes BUSCHIUS Zwollensis, Canonicus Regularis Anno CHristi 1475 a) aetatis 76 testatur se absolvisse *libros IV de reformationibus et visitationibus diversorum utriusque sexus Monasteriorum, Ordinum diversorum* [Canonicorum regularium, sive Augustinensium, Pramonstratensium, Nigri Ordinis sive Benedictinorum, Ordinis Minorum, Carthusianorum b) et Fratrum voluntarie c) pauperum: nec non Monialium Ordinis Cisterciensis, et Ordinis B. Mariae Magdalenae d) de Poenitentia, Regularissarum e) de extrema paupertate etc] quorum epitomen sive partem vulgavit illustris Leibnitius tomo II scriptorum Brunsvicensium p. 477–506 deinde ex meliore codice, integrum p. 806–970 subjuncto appendicis vice Catalogo praepositorum Conventus Canonicorum regularium in Sulta prope Hildesiam, quorum XXV fuit ab Anno 1440 hic Buschius, deinde ab Anno 1459 praepositus XXVIII. Monasterii novi Operis prope Hallis, dioecesis Magdeburgensis. Vide p. 499. Cum adhuc frater in Windesem esset, narrat p. 926 se ad palinodiam redegisse Lectorem Ordin. Praedicatorum, qui Zutphaniae pro sacra Concione docuerat, Laicis non licere libros Teutonicos habere vel evolvere, et sermones nonnisi ad populum in Ecclesia fieri debere. In eodem Conventu Windesemensi testatur p. 504 scripsisse *de Viris illustribus librum* illum ipsum nempe, cujus partem priorem Heribertus Rosweidus Antwerp. 1621, 8 vulgavit *de origine Coenobii et Capituli et Congregationis Windesimensis*, sive Windesheimensis. Nam pars altera *de Viris illustribus Ordinis Canonicorum Regularium Windesemensis* adhuc MSta in Bibliothecis Belgii latet, ut notatum Valerio Andreae p. 473. Apud Sveer-

a) Buschius apud Leibnitium tomo II scriptorum Brunsvicensium pag. 955 seq. Confer ejusdem prolegomena pag. 40 seq. et Oudinum tom. III p. 2547 sq.

b) *Carthusia*, inquit Buschius pag. 95 ; *a prima sua institutione semper in observantia regulari permansit, propter tria, videlicet solitudine, silentium et visitationem.* Per tria, *So. Si. Vi.* Carthusia permanet in vi.

c) Hic Ordo institutus Hildeshemii An. 1470 Vide quae Buschius pag. 857.

d) Vide pag. 869.

e) Idem pag. 880.

tium p. 405 memorari video *Vitam Joannis Kempis* qui Thomae frater fuit, et Latinam e Teutonico versionem *Epistolae* prolixae *de modo proficiendi in religione*.

Arnoldus BUSCHIUS, Carmelita Gandensis, sive Gandavensis, scripsit teste Paulo Langio in Chronico Citizensi p. 887 *de laudibus S. Annae* et *de viris illustribus Ordinis Carthusiensium*. At hunc alii non Buschium vocant sed cum Jacobo Bergomate, Trithemio, Alegrio aliisque rectius BOSTIUM, de quo supra pag. 131 seq. Fallitur que praeclarus Vossius, quando Buschium hunc Langii, Carmelitam, confundens cum Joanne Buschio Augustiniano, ait Arnoldum scripsisse de viris illustribus Ordinis Windesheimensis. Itaque delenda quae de Arnoldo de Busco supra p. 131.

Guilelmus BULTER, Ordin. Minorum Theologus Oxoniensis laudatur a Pitseo p. 589 quod determinationis libello Anno 1401. *contra versionem Anglicam Bibliorum* edito defendit publicum edictum, *ut omnia illa Biblia Anglice translata* * *comburerentur*, *ne imperita multitudo inde per se hauriret animarum suarum venenum*, *unde Pastorum suorum ductum secuta haurire posset salutem*. Legisse se illam determinationis libellum testatur Lelandus cap. 480 cui *Botelerus* appellatur. Apud Pitseum et Baleum VII 19 praeterea memorantur ejus *Lectura* in IV libros *Sententiarum* et *de indulgentiis Papalibus*: et *Quaestiones varii argumenti*.

Nicolaus de BYARTO, Gallus (non Anglus,) Dominicanus (licet Franciscanum faciunt alii) circa An. 1250 (non 1410.) Baleo VII 52. *Bayarde*, Lusitano *de Briacho*, Pitseo p. 588. *Bajardus*, aliis *de Viardo*, *Biardo*, *Biarto* vel *Byartho*, et apud Waddingum vitiose *de Broido*. Vide Jacobum Echardum Bibliothecae Dominicanorum tomo I p. 123 seq. Scripsit *Distinctiones theologicas*, sive Conceptus Praedicabiles. *Sermones* et *Summam de abstinentia* detestabili et laudabili (quae etiam sub titulo *Dictionarii Pauperum*, prodiit Argentorat. 1518, 8, et Parisiis 1530, 8.) *Placita Theologica* et *Lectiones varias*.

* Sive a Joanne Wiclefo, sive a Joanne Trevisano, qui A. 1398 obiit. Vide sis Bibliothecam litterariam editam Londini 1725, 4 num. IV, pag. 2.

LIBER III.

Philippus CABASSOLUS, ex Cavallicensi Episcopo A. 1362 Cardinalis et Episcopus Sabinensis, obiit Perusii An. 1372. Vide Georgii Josephi Eggs purpuram doctam p. 420 seq. qui *poëmata* ejus in Petrarchae ad eum Epistolis laudata memorat. Liber *de vita et miraculis B. Mariae Magdalenae* ad Henricum de Villariis, Archiepiscopum Lugdunensem, MS. in Bibliotheca S. Victoris Paris. Vide Oudinum tom. III p. 1035.

Aloysius CADAMUSTUS Patricius Venetus circa Annum 1500 qui non Latine sed Italice scripsit Navigationem ad terras novas, sed Latine versam ab Archangelo Madrignano. Exstat in Simonis Grynaei Novo Orbe, Basil. 1532 fol.

Vincentius CADLUBKUS, KADLUBKO, sive CADLUCUS, ex Praeposito Sendomiriensi Episcopus ab Anno 1209 ad 1219. Cracoviensis, inde Monachus Cisterciensis, in Coenobio Andreovicensi obiit Anno 1226. Hic suasu Casimiri Justi, Principis Poloniae, *de gestis Polonorum* composuit *libros quatuor*, quorum tres priores dialogi more scripti sunt per Epistolas inter Matthaeum Cracoviensem Episcopum, et Johannem Archiepiscopum Gnesnensem, et regni hujus origines et progressum perstringunt usque ad Annum 1174. Libro quarto Vincentius gesta et negotia Polonica inde persequitur, usque ad Annum 1202. Prodiere Dobromili 1612, 8 et cum Joannis Dlugossi seu Longini historia Polonica, Lipsiae 1711 fol. tomo secundo pag. 599. Utraque editio adjunctum habet *Commentarium* * Anonymi, qui Jagelloniorum temporibus vixit. Monet editor mirari se quod Cromerus (sicut alii quoque apud Vossium p. 457.) Vincentium primum historiam Polonicam scripsisse dicat, *cum nos, duos priores, Gallum ANONYMUM, et BASCKONEM custodem Poznaniensem habeamus, tibique daturi DEO duce simus. Non aegre ego fero stylum*;

* De hoc Acta Eruditorum tomo quinto Supplementi pag. 425. Oudinum tomo tertio pag. 25.

errores alios, amore patriae ardens condono: sed hoc mihi dolet, quod meminit aliorum ante se scriptorum, et eos non nominat: viros praeterea maximos de libertate praeclare disserentes introducit nominibus illorum suppressis. Nec Galli illius Anonymi, nec Baskonis historia Polonica lucem adhuc vidit, quod sciam, Baskonem autem alii non ante Cadlubcum scripsisse, sed integro amplius seculo posteriorem contendunt, circa Annum 1370 vixisse affirmantes. Ita Christophorus Varsevicius in Catalogo scriptorum Polonicorum, et Samuel Joachimus Hoppius de scriptoribus historiae Polonicae §. 12.

CADOCUS Ventolugius circa Annum CHristi 570 conditor Monasterii Lancaronensis, inter scriptores Britannicos laudatur a Lelando cap. 36. De eodem Baleus Centur. I cap. 64. *Hunc ferunt auctores contra quosdam sui temporis Epicureos ad Gildam scripsisse de Vita animae.* Idem repetit Pitseus pag. 100. qui Gildam sapientem Cadoci discipulum appellat.

CADUCANUS Banochorensis, sive Bangorensis in Anglia Episcopus diem obiit anno 1225. cujus *Speculum Christianorum*, et *Homiliarum* Volumen memorant Lelandus ca 228. Baleus III 85 et Pitseus p. 298.

CÆCILIUS, quem *Ebenradum* cognomine, Apostoli Jacobi majoris discipulum et Episcopum primum Iliberritanum in Hispania, et anno secundo Neronis Martyrium obiisse fabulantur, non praetereundus hoc loco mihi visus fuit, quoniam in laminis plumbeis in caverna cujusdam Montis prope civitatem Granatensem An. 1595 repertis, quas Romani de la Higvera scilicet, vel alius similis nugivenduli improba et crassior fraus eo loco defoderat, inter alias commentitias scriptiones *Jacobi* Apostoli, sub *Ctesiphontis* ejus discipuli, hujusque Caecilii nomine lingua Arabica et Hispanica scripta, etiam quaedam Latine circumferuntur, sicut in manibus meis est volumen integrum horum commentorum scriptum Latine, cujus pars quidem ex Arabico versa notatur jussu Congregationis Inquisitionis Romae A. 1641 a Bartholomaeo a Pectorano, Ordinis Minorum strictioris Observantiae, Provinciae S. Bernardini in regno Neapolitano. Sub Caecilii autem nomine in hoc Volumine exstat: 1) *Libellus mysteriorum magnorum.* 2) *Colloquium S. Mariae Virginis cum Jacobo Apostolo.* 3) *Liber sententiarum circa Fidem et directionem, ostensus Jacobo a Maria Virgine, jussu ejus traductus in Arabicum per manus discipuli ac scriptoris illius,* Caecilii Ebenradi. 4) *Liber historiae sigilli Salomonis.* 5) *Liber notitiae Divinae potentiae, benignitatis et justitiae circa Creaturas,* Partes duae, per Caecilium Ebenradi, discipulum Jacobi Apostoli, Defensorem Legis Evangelicae. 6) Liber *de natura Angeli et ejus potentia.* 7) *Liber relationis de dono domus pacis, et domus tormenti ac vindictae.* 8) *De Jacobi Apostoli gestis, miraculisque et peregrinatione ad praedicandum Evangelium,* Partes duae. Inter haec non video comparere, quem Franciscus Bivarius in notis ad Pseudo-Dextri Chronicon pag. 109 memorat librum *de excellentiis et miraculis CHristi Domini ac Matris Ejus, ab Incarnatione Verbi usque ad Adscensionem.* Sed plane videri potest frons periisse de rebus, quando idem Bivarius non dubitat ab eodem Caecilio compositos fuisse *Commentarios in Apocalysin Joannis* eo tempore quo nondum erat scriptus hic liber ab Apostolo, eosque lingua Hispanica, quae post saecula aliquot interjecta demum debebat in usum venire: hanc enim demum vere esse unam *ex linguis novis*, quibus loquuturos Apostolos exstet promissum Marc. XVI v. 17 Notum autem, haec commenta ab sanioribus Romanae Ecclesiae sic ut merentur explodi, et ab ipsis Pontificibus Urbano VIII et Innocentio XI prohibita fuisse ac condemnata. Confer Acta Sanctorum tom. I Februar. sub init. et tom. VII Maji pag. 285. nolo enim repetere quae jam notata a me sunt in Codice Apocrypho Novi Testamenti pag. 962 seq. et t. II pag. 722. Vt tamen lectori gustum commentorum horumce exhibeam, placet subjungere, est enim perbreve scriptum, cui titulus: *Liber mysteriorum magnorum, quae vidit Jacobus Apostolus in monte sancto, ob Concilium maximum scriptus de mandato ejus per manus* Caecilii, *sui Discipuli.*

Dixit JACOBUS filius Schiamichi Zebedaei, Apostolus. Cum complessem mandatum Sacrae Virginis Mariae circa praedicationem, nec non et fidem Abenelmogheiri, quem nominavi Aldaysium in Insula ista Hispaniae, deliberavi exire ab illa versus Romam infelicem; interea revelatum fuit mihi, ut redirem ad montem sanctum, et morarer in eo ob visionem Mysteriorum magnorum, ex parte DEI, et jussus sum exarare illa ad futurum tempus. Reversus igitur illuc permansi in eo tribus mensibus, Divino cultui operam navando, et dum in obscuritate noctis ad DEUM orarem, super venit mihi somnus levis, inter vigiliam existens et somnum, et ecce! Angelus magnae potentiae, et majestatis, quem vidi coruscantem luce resplendente, venit ad me ex parte throni, et dixit mihi: Ne timeas, Jacobe, scribe quod ostensum fuerit tibi nocte ista in tabulis plumbeis, et conserva illas in isto monte sancto, simul cum veritate Evangelii, et libro, ut sciant veritatem servi DEI in Concilio maximo, ubi interpretabitur veritas in futuro tempore, et dixi: assentio, et obedio DEO, et tunc apertum est coelum et vidi in eo templum, et ostium ejus clausum sera ex auro rubro, cujus templi valorem nemo scit, nisi DEUS: et vidi Moysem Prophetam DEI cum tabulis in suis manibus, conquerentem apud DEUM; aspexi autem in illis, decem loca deleta signorum, et ecce! Angelus magnae potentiae et majestatis exclamavit ex parte throni, et dixit. O Moyses, ne moestus sis de tabulis, quoniam DEUS complebit lucem suam, quamvis renuant infideles. Deinde apertae sunt portae templi, et vidi in eo librum, obseratum, et in eo erant septem sigilla, ex lineis triangularibus aurea, cujus valorem nemo nisi DEUS scit. Templum vero luce coruscabat, quae obfuscabat oculos, et ingressus est Moyses in illud cum tabulis, et clausum est, sicut erat prius, et tunc interrogavi Angelum de illo loco, et dixit ad me: Scias quod illud templum est templum, quod dicitur templum Misericordiae, et liber, quem vidisti in eo, est veritas Evangelii, quam neminem insipientium DEUS scire faciet, usque ad diem interpretationis ejus in Concilio maximo, et scias, quod Judaei deleverunt de lege Moysis decem signa, in quibus erat veritas promissi in ipsa lege, et proprietates illius erant aperte cognitae sub lingua patria, et vulgari, nec aenigma habebat neque amphibologiam, quoniam DEUS manifestavit suam legem servis suis evidenter notam; Veruntamen tentavit illos Satan, ut illa delerent ob causam destrutionis regni eorum, ac legis ipsorum, in adventu illius in mundum, et propter tale peccatum ingressae sunt inter eos, et introibunt inter nationes barbaras, dissensiones et schismata magna. Particularitates igitur illorum decem signorum posuit DEUS in veritate Evangelii, ac reservavit explicationem illorum ad Concilium maximum, in quo loco nemo illa negare poterit, et perficiet DEUS ibi suam lucem vehementer contra intentionem impiorum. Ac laudaverunt Angeli in eo loco DEUM, laudantes cum voce velut tonitrua, et expergefactus sum terrore perterritus, et praecepi scribere istam visionem, sicut jussus sum, et DEO gratias super omnia.

Completus est liber per manus *Caecilii Ebenradi*, discipuli *Jacobi*, Apostoli.

CÆCILIUS Episcopus in Africa circa Annum Christi 250 tempore S. Cypriani, cum eodem Epistolas quasdam consignasse legitur, ut IV LVII LXVII LXX. Ad eundem Epistola LXIII. Alius ni fallor ab eo CÆCILIO, de quo Pontius in S. Cypriani vita: *Erat sane illi etiam de nobis contubernium viri justi et laudabilis memoriae* Caecilii, *et aetate tunc et honore Presbyteri, qui eum ad agnitionem Verae Divinitatis a seculari errore correxerat. Hunc toto honore atque omni observantia diligebat, obsequenti veneratione suspiciens, non jam ut amicum animae coaequalem, sed tanquam novae vitae participem.* Exinde etiam *Caecilius Cyprianus* deinceps dici beatus Martyr libenter voluit, ut a Pearsono ad Annum 246 recte est annotatum. Baronius ad Annum 250 num. 5 eundem putat Rhetorem nobilem Afrum, a quo Diadumenum Imperatorem eruditum narrat Lampridius in Diadumeno

cap. 8. Sed is nec *Caecilius* ibi vocatur, nec *Caecilianus*, verum *Caelianus*, (non modo in MSS. teste Casaubono, sed et in editis ante Casaubonum) ubi Lampridius affert Diadumeni Epistolam quam fuere, qui eam dixissent esse hujus *Caeliani*. Alius etiam, ut videtur, CÆCILIUS NATALIS apud Minucium Felicem, qui ab Octavio victum se, et persuasum de Christianae Religionis veritate, triumphatorem erroris profitetur, hoc est idem Octavio se in acceptis referre beneficium, quod Caecilius alter in S. Cyprianum contulit. Similiter a CÆCILIANO S. Augustini, alius ad quem Symmachi Epistolae.

CÆDMON Monachus Ordinis Benedictini, Bedae IV 22 hist. Anglor. *Cednom*, aliis, ut Lelando cap. 59. *Cedmon*, vel *Ceadmon*, quae Latine, vel num quae scripserit, mihi incompertum: a Cangio tamen memoratur, et quae Beda de illo refert, digna memoria mihi visa sunt. Ait enim, quod hic frater in Monasterio Hildae Abbatissae. (quae An. 530 diem obiit.) *Divina gratia specialiter insignis, carmina religioni et pietati apta facere solebat, ita ut quicquid ex Divinis litteris per interpretes disceret, hoc ipse, post pusillum, verbis poëticis maxima suavitate et compunctione compositis in sua, id est Anglorum lingua proferret: cujus carminibus multorum saepe animi ad contemtum seculi, et ad appetitum sunt vitae coelestis accensi. Et quidem alii post illum in gente Anglorum religiosa poëmata facere tentabant, sed nullus ei aequiparari potuit. — At ipse cuncta, quae audiendo discere poterat, rememorando secum, et quasi mundum animal, ruminando in carmen dulcissimum convertebat, suaviusque resonando, doctores suos vicissim auditores faciebat suos. Canebat autem* * *de creatione mundi, et origine humani generis, et tota Genesis historia, de egressu Israël ex Ægypto, et ingressu in terram repromissionis: de aliis plurimis Sacrae Scripturae historiis: de incarnatione DOMINI ac passione et resurrectione, et ascensione in coelum: de adventu Spiritus Sancti et Apostolorum doctrina: item de terrore futuri judicii, et horrore poenae gehennalis, ac dulcedine regni coelestis multa carmina faciebat. Sed et alia perplura, de beneficiis et judiciis Divinis, in quibus cunctis homines ab amore scelerum abstrahere, ad dilectionem vero et solertiam bonae actionis excitare curabat.* Veri Caedmonis genuina pauca supersunt, de quibus Georgius Hickesius in Grammatica Anglo-Saxonica et Moeso-Gothica c. XXIII p. 187, 189. Quam vero ex Usseriano Codice An. 1655, 4. Franciscus Junius Amstelodami edididit paraphrasin Geneseos et aliarum historiarum Veteris Testamenti, eamque Caedmoni adscribit in notis ad Willeramum p. 248. eam ad longe juniorem aetatem esse referendam, idem Hickesius non dubitat. Simili faculate carmina, optimis Poëtis non inficianda, ex tempore ad stuporem audientium effundendi, nostra aetate apud Germanos nostros enitescit *Dan. Schoenemannus* non procul Berolino Pastor Eccl. Geltoviensis, de quocunque proposito argumento mira disserens verborum suavitate, acumine, copia, delectuque et pondere sententiarum. Hic natus Gryphisvaldiae, a Rectore et Senatu Academiae Gryphiswaldensis hocce testimonium tulit in programmate publico promulgato A. 1620, 29 Maj. *Hujus insignis doni cum Rostochii, Gustrovii, et praesertim in Aula Strelizensi, ubi largissimis Ducis Serenissimi sumtibus nutritur, illustria edidisset documenta, pati non potuit, ut Academia sua patria diutius ignara esset hujus tanti sibi a DEO concessi beneficii. Ideoque ante aliquot dies modeste a nobis petiit, ut sibi liceret in publica Cathedra facultatis hujus suae poëticae publicum edere specimen. Congregato itaque die 27 Maji Magistratu Academico, una cum civibus et hospitibus non paucis, quidam ex nobis ab ipso petiit, ut de confusione linguarum carmen aliquod funderet. Ocyus ille conscensa Cathedra de hac materia ita nitide, ita copiose, idque mixto*

* Joannes Tinmuthensis in historia aurea MS. lib. XX cap. 7 apud Henricum Warthonum ad Usser. de Scripturis sacrisque vernaculis pag. 350. *Cednon fecit mira poëmata, quasi per omnes sacrae Scripturae historias: — Divinitus edoctus in lingua patria facere carmina compunctiva: cui nullus alius in hujusmodi potuit aequiparari.*

carminum genere, peroravit, ut videretur plurium dierum meditationem praemisisse. Cum alius ex nobis de SS. Trinitate Carmen extemporale posceret, alius rogaret, ut Juventutem Academicam ex Marc. XIII vers. 35, 36, 37 ad vigilantiam cohortaretur, utriusque desiderio plenissime satisfecit, ostensa cum eruditione probe fundata, tum facultate affectus movendi plane singulari. Tandem cum alius peteret, ut tres has diversas materias in unam orationem concinne compingeret, etiam hoc dictum factum praestitit, cum magno auditorum plausu. Longe plura specimina ab eo fuere deinde edita Berolini, quorum insignia quaedam commemorat Vir laudatissimus *Johannes Gustavus Reinbeckius* in praefatione ad syllogen carminum ejus extemporalium, quinque Voluminibus in 8, vulgatam Berolini 1721, 1722. Ex iis autem, quae de Caedmone Beda refert, et quae de Schoenemanno accepimus, satis constare potest hanc sollertiam non exercitationi, ut in *Antipatro* volebat Cicero, a) sed singulari cuidam virtuti ac felicitati ingenii concessae Divinitus, esse tribuendam. Quemadmodum et quae hodie apud Senenses de nobili equite cui *Perfecto* b) nomen, Italia celebrat, atque apud Mediolanenses de *Olivetano* c) Monacho versuum tamen facilitate et subitanea effusione potius admirabili, quam ingenio. De *Sylvio Antoniano* Romano, qui licet humili natus loco, An. 1603. Cardinalis diem obiit, haec Erythraeus pinacotheca prima pag. 36. *Ita in versibus faciendis erat felix, ut annos natus non amplius decem, quavis proposita materia, eos versus ex tempore funderet, quos quivis vir doctus, vix multo tempore, multoque*

a) Cicero III 50 de Oratore: *Quod si* Antipater *ille* Sidonius, *quem tu probe, Catule meministi, solitus est versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore, tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut cum se mente ac voluntate conjecisset in versum, verba sequerentur: quanto id facilius in oratione, exercitatione et consuetudine adhibita, consequentur?*

b) *Memoires de Trevoux An.* 1729. *Decembre pag.* 2094 *de Sienne.* Ce que l'on a publié il y a quelques années de la facilité surprenante du Cavallier *Perfetti* a faire sur le champ d'excellentes pieces de vers sur quelque sujèt que l'on veuille lui proposer, est une merveille qui persevere, et dont tous les étrangers sont témoins avec admiration. Le talent *d' improvvisare*, qui est icy assez ordinaire, est dans lui en un si haut degré de perfection, qu'il faut l'avoir entendus pour le croire, ou pour ne avoir une juste idée. Voicy sa maniére de l'exercer. On lui propose trois sujèts tirez ou de l'Histoire soit sacrée soit profane, ou de la Physique, ou des Mathematiques, ou de la Morale, en un mot d'ou l'on veut. Des que le prémier sujèt lui a eté nommé, il s'assied, et fait mettre auprès de lui son valet, qui tient une guitarre. Il lui marque l'air sur le quel il veut chanter, et aussi tôt ses vers coulent avec une rapidité qu'on ne pourroit pas suivre en écrivant. La prémiére octave contient la proposition du sujèt, et son dessein ou division. Il execute toutes les parties sur la même cadence, en même genre de vers et par ordre, pendant une quart d' heure. On lui propose en suite le sécond suièt, qu'il traite de même sur un air different, et ainsi du troisiéme. Le quatriéme doit toûjours étre une matiére de pastorelle ou chose champêtre, et il refuse tous les sujèts de galanterie. Il trouve enfin le moyen, quelque different que soient les quatre sujéts, de les reünir en une même piece. Après une heure de pareil exercice, la source n'est point tarie, et les vers ne couleroient qu' avec plus de profusion, si l'égard que l'on a pour la santé du Poëte, ne mettoit des bornes a la curiosité des Auditeurs. Au reste ce qu'il chante est si seavant, si recherché et en même tems si naturel et si juste, que s' il étoit mis en prose, ce seroit sur chaque sujèt une excellente dissertation. et l'expression est si elegante, et le vers si harmonieux, que l'on est enchanté.

Idem An. 1725 *pag* 1700. On vous a sans doute informé du couronnement du Cavallier *Perfetti.* C'est un grand honneur et bien singulier que d'être couronné Poëte au Capitole: mais le merite du Cavalier Perfetti est encore plus singulier et plus rare. Dans le genere *d' Improvisare* il passe tout ce qu'on peut s'imaginer avant que de l'avoir entendu: et lors même qu' on est témoin, on a peine à croire ce quen l' on voit.

c) *Bibliotheque Italique tom. IV An.* 1729 *p.* 289. Un Moine *Olivetan* s'est attiré icy une foule d'admirateurs par sa facilité à faire des Vers sur le champ. Il a voulu donner des preuves de son talent dans le Refectoire de son Couvent, où il y eut un grand concours de monde, et sur tout de Noblesse. Il répond en vers à toutes les Questions qu'on lui fait. L'addresse avec la quelle il tourne et rime ses réponses est extraordinaire; mais ses vers sont foibles; quoi qu'il se donne le tems d'y penser, en chantant tout ce qu'il dit d'une maniére trésdésagréable. Lens gens peu capables de juger de la Poësie font le grand nombre, non plus parmi les Ecclésiastiques: que parmi les autres hommes: ce grand nombre l'admire.

labore adhibito, composuisset; cujus rei periculum factum est maxime in prandio, quod Cardinalis Pisanus pluribus sui ordinis viris clarissimis dedit. Nam cum Alexander Cardinalis Farnesius, fasciculum florum Silvio tradidisset, quem illli ex Cardinalibus convivis redderet, qui Pontifex Maximus futurus esset, puer Cardinali Medicaeo obtulit, qui multo post ad Pontificatum maximum Pii Quarti nomine, ascendit, ejusque laudes, ad lyrae cantum, elegantissimis prosecutus est versibus; quod Cardinalis de industria factum, neque carmen illud extemporarium, sed accurate cogitateque compositum domoque allatum, existimans, ut ipse ludibrio haberetur, non leve commoti animi signum dedit; sed a Cardinalibus, id persancte negantibus, rogatus, ut experiretur, et argumentum, quod magis sibi placeret, in medium afferret; tum ipsum vere de pueri ingenio existimaturum; quod ab eo factum cum esset, ita puer eleganti carmine, ita verborum ac sententiarum luminibus illustri, rem sibi propositam explicavit, ut Cardinalis, summam in admirationem elatus, simulac factus est Pontif. conquisito illi, et invento, Pontificiis in aedibus, honorificum locum, et quotidianum victum, magnifice praebuerit. Addam his licet *Franciscum Macedo* Conimbricensem, tot inclytum scriptis tum propriis tum adversariorum, quem Calendae Maji An. 1681 aetatis 87 extinxere. a) Hic Mantuae professus est publice, nihil exstare in universo Virgilio reprehensione aut censura dignum, ac si cui aliud videretur, ejus se objectiones statim confutaturum quovis ille vellet carminis genere: idque deinde fecit versibus Heroïcis, Sapphicis, Adoniis, Asclepiadeis, aliisque. b) Omitto, quae Jovius pag. 156 elogiorum plura de Cammillo Querno, Monopolitano, Archi-Poëta Leonis X ad cujus mensam infinita carmina torrentis effusa in morem, rotundo ore decantavit. De *Accolto*, cognomento *Unico*, Aretino haec Johannis Matthaeus Toscanus in peplo Italiae lib. II cap. 95.

a) Henricus Noris tom. IV Opp. p. 801.

b) Saucassanus in continuatione Bibliothecae volantis Cinellianae tom. XIX pag. 41.

Carmina, quae subito tibi sunt effusa calore,
  Vel quae sunt lima saepe polita tua,
Qui legit, haud cernit quid differat impetus arte,
  Et procusa pari cuncta labore putat.
Atque ait: haec si est ars, nihil hac est cultius arte:
  Si furor, est ars hoc culta furore minus.

Idem Toscanus de *Andrea Marone* Brixiano cap. 67.

Carmina, vix aliis longo perfecta labore,
  Ad citharam subito fusa calore canit.
Audiit haec quisquis, deprompta ex tempore juret,
  Praemeditata tamen, qui legit illa, putat.
Usque adeo neque sic properanti defuit haec, quae
  Cunctantes multos gratia destituit.
Mira fides, sed certa: oculis absistere flammae,
  Sudare et facies visa canentis aquas
Fronte tument venae, quatit artus entheus horror,
  Dulcia distincto verba tenore fluunt.
Tale melos fundens indigna peste Poëta
  Opprimitur, magno crimine, Phoebe, tuo.
Scilicet antiqui cui cedere Musa Maronis
  Coepit, ab hoc vinci te quoque posse putas.

CÆLESTIS Scriptor *Vitae Valeriani junioris et Gallieni* Imperatorum, ut conjicias ex Trebellio Pollione cap. I. Valeriani junioris.

CÆLESTINUS I Papa ab Anno 423. Septembris 16 ad Annum 432. De quo Gennadius cap. 54. Acta Sanctorum 6 Aprilis tom. I pag. 543. Ejus *Epistolae XIV* in tomis Conciliorum: nonnullae etiam Graece inter S. Cyrilli Opera, et in Actis Concilii Ephesini. Vide Ludovici Jacobi Bibliothecam Pontificiam pag. 39 et Caveum, qui spurias esse notat *tres* alias *Epistolas*, de quibus Nicephorus XIV 39 ad Cyrillum, ad Johannem Antiochenum, et Rufum Thessalonicensem: in illis enim de Procli evectione a Cyzicena sede ad Constantinopolitanam mentio, quae accidit An. 434 duobus post Caelestini obitum annis. De *Auctoritatibus sedis Apostolicae Episcoporum de Gratia DEI et libero voluntatis arbitrio*, subjectas Epistolae ad Episcopos Galliarum, in Sirmondi Conciliis Galliae t. I p. 60 et in editione Petri Coustant pag. 1188-1195. quas Antonius Carafa et Sirmondus *Prospero*, Quesnellus *Leoni Magno* tribuit, Caelestino vindicat praeter laudatos a Caveo et a Tillemontio tom. XVI pag. 15. etiam Lupus Ferrariensis de tribus quaestionibus p. 268 et teste in notis pag. 491. Baluzio, Petrus de Marca. Saltim Caelestini jussu collectas est verisimile. *Commonitorium* breve Epi-

scopis et Presbyteris euntibus ad Concilium Ephesinum (cui Caelestinus ipse non interfuit) in Baluzii Conciliis p. 382 et in Christiani Lupi Epistolis Ephesinis pag. 470 et apud Coustantum pag. 1152. cui optimam reliquiarum hujus Caelestini editionem debemus. in Epistolis Pontificum p. 1051-1218 ubi Caelestini quidem XVII et ad eum VIII et pag. 1097 fragmentum *Sermonis* ab eo habiti in Concilio Romano A. C. 430.

CÆLESTINUS II antea *Guido de Castro*, Papa ab Anno 1143 Septembris 26 ad 1144 Martii 9, cujus *Epistolae duae* ad Cluniacenses, et *tertia* ad Doletanum Archiepiscopum, in tomis Conciliorum. Tertia etiam in Aguirrii Conciliis Hispaniae tom. III pag. 351. Petri Venerabilis ad hunc Caelestinum Epistola in Andreae du Chesne Bibl. Cluniacensi pag. 847.

CÆLESTINUS III antea *Hyacinthus*, Papa ab Anno 1191 Apr. 12 ad 1198. Januar. 8. cujus *Epistolae XVII* in tomis Conciliorum. Epistola ad Canonicos Urgellenses, et altera ad Capitulum Narbonense apud Aguirrium tomo III pag. 400. Posteriorem hanc ediderat Baluzius tomo II Miscellan. pag. 241. De aliis ineditis vide Ludovicum Jacobum pag. 41. Constitutiones tres, quibus S. Ubaldus et Joannes Gualbertus consecrantur, et Congregatio Monachorum confirmatur Montis S. Virginis Ordinis Benedictini, vide sis apud Cherubinum t. I p. 77.

CÆLESTINUS IV ex Monacho Ordinis Cisterciensis Papa ab 27 Octobr. ad 22 Novembr. An. 1241. Cujus *Orationes* et *Epistolas* idem Ludovicus Jacobus commemorat, et in his unam ad S. Adamum Abbatem in Scotia Mailrosensem.

CÆLESTINUS V antea *Petrus de Murrone*, Papa ab Anno 1294 Jul. 5. usque ad 12 Decembr. ejusdem Anni, quo se Pontificatu sponte abdicavit, inde Sanctis adscriptus a Clemente V. Vide Marianam XVI 17 hist. Hispan. et Odoricum Raynaldum ad Annum 1313 num. 40. Baronium ad Martyrolog. Roman. 19 Maji. Ab hoc Ordo CÆLESTINORUM, pro quibus Constitutio obvia in Bullario Laërtii Cherubini tomo primo pag. 197. Ejus Opuscula edita Neapoli curante Caelestino Telera Sipontino A. 1640 fol. et recusa tomo XXV Bibliothecae Patrum edit. Lugdunens. pag. 754 ubi post vitam ab editore scriptam, sequitur pag. 765. *Vita* ab ipso scripta Caelestino Papa. Deinde *liber de Virtutibus* pag. 770. Beatitudinibus pag. 771. Virtutibus Theologicis, Fide, Spe et Charitate pag. 772. De aliis virtutibus variis per capita LXII ibid. De Virtutibus Cardinalibus pag. 787. *De vitiis et peccatis* pag. 788. *De vita hominis ejusque vanitate* pag. 797 et praecepta vitae recte instruendae pag. 798. *De exemplis ac similibus moralibus* pag. 801. *De sententiis Patrum Eremitarum* pag. 802. *De miraculis B. Mariae Virginis* pag. 813. Summa CÆLESTINA *de Censuris*, excommunicatione majori et minori pag. 817. Suspensione pag. 821. Interdicto et irregularitate pag. 822. Dispensatione et Absolutione pag. 823. *De Sacramentis Ecclesiae* p. 825 ubi inter alia de Ecclesiasticis personis: et reservata Papae XXXIV pag. 836. *De decem praeceptis Decalogi* pag. 846. *De praeceptis Ecclesiae* pag. 856. *De Legibus* pag. 857. *Epistolae* breves VI pag. 864 *Formularium* litterarum *dimissorialium* ad Ordines suscipiendos, et *Salutationum*, quae in Epistolis apponuntur. *Precationes* XX ante et post decantatos *Psalmos* p. 865-867. Praeter haec a Ludovico Jacobo pag. 41 memoratur *liber de perfectione Religiosorum*, ex fide Petri Crespetii, Caelestini, qui vidisse se illam testatur in sermone de S. Caelestino V. et Constitutio, *licere Pontifici Romano abdicare se Magistratu*, cujus rei unus ultro ipse exemplum edidit.

(57 *Vita di S. Pietro Celestino raccolta dal P. Lelio Marini Lodeggiano Ab. della med. congr. Milano* 1637. 4. Lib. IV. pag. 550.)

CÆLESTINUS Historicus. Supra, in CÆCILIO.

CÆLESTIUS Scotus, Presbyter, Magister et Dux Pelagiani exercitus, armigerque Pelagii a) teste Gennadio c. 44 *antequam Pelagianum dogma incurreret,* b) *imo adhuc*

a) Vide Vossii Historiam Pelagianam lib. I c. 5. Norisium lib. I cap. 5. Garnerium tomo primo ad Marium Mercatorem pag. 140 seqq.

b) MS. Corbej. *antequam Pelagio concurreret*, pro quo Codex Capituli Veronensis, teste illustri

adolescens, scripsit ad Parentes suos *de Monasterio* Epistolas *in modum libellorum*, tres in omnibus, c) *DEUM desiderantibus necessarias. Moralis siquidem in eis dictio nil vitii postmodùm proditi, sed totum ad virtutis incitamentum tenuit.* Pro his postremis verbis Codex Corbejensis habet: *postea vero haereticus publicatus, a Papa Zosimo condemnatus est.* De hoc vide, si placet, Henricum Noris lib. I histor. Pelag. cap. 13. Pagium ad Annum 418 num 17 et 41 et Zosimi Epistolam 2, 3, 12 cum Coustantii notis pag. 943 seq. 974. et libellum Paulini Diaconi adversus Caelestium A. 417 oblatum Zosimo ibid. p. 963. Fragmenta *libelli Zosimo oblati,* quo Caelestius a sententia Innocentii d) Papae provocaverat, ibid. p. 985 seq. ex Augustini libro de peccato Originis cap. 5, 6, 7, 23 et de gratia CHristi cap. 33. Nam quae ex sermone 191 de tempore addit Garnerius, Pelagio ipsi potius tribuenda, quam Caelestio. *Contra traducem peccati* primus scripsit, ut ex scriptore Praedestinati cap. 88 et Vincentii Lirin. commonitorio c. 34. Garnerius notavit. Ex alio Caelesti libro fragmenta apud Augustinum de gestis Palaestinis cap. 13, 14, 18 et ex Caelestii *definitionibus* e) libro de perfectione justitiae contra Caelestium, ex quibus acumen ejus satis ostendi, Norisius existimavit. Ad Caelestium eundem, sed minus certa conjectura, *Epistolas duas* saepe excusas inter dubia Hieronymi scripta, unam *de duobus filiis, frugi et luxurioso*, quae incipit: Omnium quidem de Scripturis quaestionum absolutio: et *de Scientia Divinae Legis* alteram, cujus initium: *Praesumtionem meam excusare conarer.* Ab hoc Caelestio Pelagianos etiam CÆLESTIANORUM venisse nomine, testis Augustinus de haeresibus cap. 88.

CÆLIUS Aurelianus, Siccensis ex Sicca Veneria Africae, quae trium dierum itinere a Carthagine distabat, Medicus insignis, Galeno cujus nusquam meminit superior, ut recte Cangio visum, neque unum appellare potuit de nomine Barthius, qui XXXVIII 3 Adversar. scripsit: *videmur nobis observare aliquot a Caelio Aureliano nominari scriptores Galeno posteriores.* De hoc Caelio ejusque scriptis et editionibus abunde dictum in Bibliotheca Latina IV 12.

Julianus CÆSARINUS Episcopus Tusculanus et Cardinalis obiit diem An. 1444 scripsit tempore Concilii Florentini contra Graecos, et de S. octava oecumenica Synodo, et de processione Spiritus Sancti. (58 *op. editum. Gr. Lat. Florentiae* 1762. 4.) Vide Oudinum t. III p. 2342 et Georgium Josephum Eggs purpurae doctae libro tertio.

Ex t. IV. JULIAN. *Caes.* senior, * Romanus, *Cardinalis* S. Angeli An. 1426 creatus a Martino V et legatus in Bohemiam ac Germaniam: deinde ab Eugenio IV ad Concilium Basileense, interfuit etiam Concilio Ferrariensi et Florentino, ac denique legatus in Hungariam in infelici illa clade cum Rege Uladislao occubuit A. 1444, 10 Nov. aet. 46. Vitam ejus Italice scriptam a Vespasiano Florentino edidit Ughellus in Episcopis Grossetanis tom 3 Italiae sacrae p. 671 seq. cui jungenda quae de eo Andreas Victorellus ad Ciacconium in Vitis Cardinalium pag. 116. Huic Juliano Nicolaus Cusanus dicavit libros de docta ignorantia, et libros de conjecturis qui *Deo amabilem, reverendissimum Patrem et praeceptorem suum metuendum* appellat. Praeter *Orationes duas de bello Turcis inferendo* in Nicolai Reusneri Turcicis tom. 3 parte 2 p. 106, 110 et *disceptationes* in Actis Concilii Basileensis, Ferrariensis et Florentini obvias, *Epistolae* ad Eugenium IV conantem dissolvere Concilium Basileense, mira libertate perscriptae exstant in Orthuini Gratii fasciculo rerum expetendarum et fugiendarum Colon. 1535 fol. et Lond. 1691 fol. In B. Reiseri Catalogo MS. Bibl. Augustanae pag. 105 eaedem duae Epistolae notantur, sed pag. 47 ubi memoratur Juliani Cardinalis

Maffejo: *antequam Palatio concurreret.* Sed rectius Corbejensis. Vide Norisii Opera t. IV p. 848.

a) *Epistolas tres morales.* Honorius Augustod. lib. 2 cap. 44.

b) De hac vide Gennadii cap. 45 et Pagium ad Annum 416 num. 14 seq. et Annum 417 num. 17. Coustantii Epistolas Pontificum pag. 887 seq c) Germanice apud Godfr. Arnoldum tom. VI hist. haeres. pag. 76.

* Ita dicitur propter Julianum Caesarinum juniorem, qui Cardinalis obiit A. 1510.

Legati a Nicolao V tractatus *de translatione Imperii* utique pro Nicolao V legendum; *Eugenio IV.* neque enim alium sub Nicolao V Cardinalem Julianum reperias, et Caesarinus jam in vivis esse desierat, cum Pontifex A. 1447 cooptaretur Nicolaus V.

*Praeter ea omnia quae de scriptionibus eius notat Fabricius, veniunt etiam in numerum orationes geminae ab eo dictae, seu potius de scripto traditae Basileaensibus PP. quarum altera factum suum excusat, quod invitatum in concilium se continuerit, quam ego orationem ex Vindobonensis Bibliothecae Cod. deprompt am in meo Concilior. supplemento evulgavi; alteram ex Recanatensi Cod. jam dederat Coletus in edit. Veneta Labbei, ego vero ex eodem Vindobonensi Cod. iterum descripsi.

(59 *Epistolae duae* in *Ambr. Traversarii Epipst. Flor.* 1759.)

CÆSARIUS *Abbas* Lirinensis, Ordinis S. Benedicti, *Homiliarum* auctor circa Annum 670 vixisse et ab Episcopo Arelatensi diversus fingitur a Possevino et aliis: Sed libenter assentior rationibus eorum, qui S. Benedicti aequalem, non Benedictinum agnoscunt hunc, de quo mox Caesarium eundem qui ex Abbate Lirinensi invitus An. 502 est Episcopus Arelatensis cooptatus.

CÆSARIUS ex Abbate Lirinensi Episcopus ab Anno 502 ad 542 *Arelatensis*, de quo caput 86 Gennadio additum, et Cyprianus, (sive Tholonensis Episcopus, sive alius a) in Caesarii vita,) apud b) Surium 27 Augusti, et Vincentium Barralim pag. 245. Chronologiae Lirinensis, Ludovicus Jacobus a S. Carolo in limine libri de scriptoribus Cabilonensibus, et singulari de Caesario ejusque scriptis dissertatione Oudinus tom. I pag. 1339 seq. professus se meditatum editionem novam operum Caesarii, cujus ordinem exponit. In illa post *Regulas* duas Sanctimonialibus et Monachis a Caesario praescriptas, sequi debebant (qui singuli ab eo enumerantur) *Sermones CCCIII.* Hinc *Epistolae duae* ad sororem Caesariam Abbatissam ejusque Congregationem, et tertia hortatoria ad Virginem DEO dicatam, apud Holstenium in appendice Codicis Regular. pag. 63 et tom XXVII Bibliothecae Patrum pag. 347 et *quarta* ad Ruricium Lemovicensem Episcopum, inter Fausti Rhegiensis Epistolas a Canisio tom. V. Antiquarum Lection. editas duodevigesima, tom. I edit. novae pag. 366 et Ruricii responsio lib. 2 Epist. 32 et 35 id. pag. 397, 399 et in Bibliotheca Patrum tom. VIII pag. 558, 573, 574. Denique *Testamentum* Caesarii, quod dedere Baronius ad A. 508 n. 33. Vincentius Barralis in Chronologia Abbatiae Lirinensis Lugd. 1613, 4. Petrus Saxius in Pontificio Arelatensi cap. XXX. ubi de Caesario hoc multa, tom. I scriptorum rerum Germanicarum Menckenii τȣ μακαρίτȣ pag. 179. Carolum le Cointe ad Annum 542 tom. I pag. 616 et Holstenium Parte III Codicis regularum p. 32 in cujus parte secunda pag. 54 exstat *Regula ad Monachos* ab Abbate S. Tetradio Presbytero et Abbate, S. Caesarii nepote transmissa: et partis 3 pag. 12 *Regula ad Virgines* in Coenobio Massiliensi sub Abbatissa Caesaria, sorore. Exstat etiam in Actis Sanctor. tom. I Januarii pag. 730 seq. et in Bibliotheca Patrum edit. Lugd. tom. VIII p. 866, 873 et cum notis Francisci Meynardi ad calcem vitae S. Radegundis, edente Stephano Piquoto Soc. Jes. Pictavis 1621, 8 Ex *Sermonibus* editi fuerant XL * a Gilberto Cognato, Basil. 1558, 4 et in Orthodoxographis An. 1569 pag. 1861. Inde Sermones XLVI in Bibliotheca Patrum tom. VIII pag. 817 (ex edit. Coloniensi Quenteliana, in qua falso inscribuntur Admonitiones et interpretationes aliquot difficilium Scripturae locorum, FOELICIARII, Arelatensis Episcopi.) Alii XIV quos Paris. 1669, 8 vulgaverat

a Vide Carolum le Cointe tom. I Annal. Francorum pag. 602.

b) Etiam librum secundum de miraculis Caesarii, qui apud Surium nullus est, exstare MS. Parisiis in S. Martini coenobio, notavit Miraeus ad Gennadii c. 85 promiseratque Oudinus tom. I pag. 1345 se editurum Vitam Caesarii libris duobus scriptam a Cypriano ejus discipulo, Messiano Presbytero et Stephano Diacono ad MStos Codices collatam.

* Horum vigesimus est ad Monachos Lirinenses. Sed juniorem oportet esse auctorem duodequadragesimi sermonis, in quo B. Gregorius laudatur cum Augustino pag. 1932 Orthodoxographorum. In alia editione ejusdem sermonis tom. VIII Bibliothecae Patrum Lugd. pag. 858 citatur cum ailo Augustini dicto Isidorus.

Baluzius, cum ejus notis recusi tom. XXVII pag. 324. Denique *Sermones centum et duo* in appendice tomi quinti Operum Augustini, Benedictinis curantibus, Lutetiae, Amstelodami et Venetiis excusorum. Plerosque etiam Caesarii sermones recensuit Combefisius in Bibliotheca sua Concionatoria. De illis utique audiendus Rivetus IV 28. Critici sacri t. II Opp. p. 1150. Etsi nonnulla sint, inquit, quae Caesarium authorem, habeant, tamen cum id scripti genus, Homiliarum nempe, varie interpolari, misceri, et confundi soleat, et a Monachis exscriptoribus multa pati, qui additiones suas saepe immiscent, aut etiam in eo genere putidos suos foetus sub eruditorum Patrum nominibus protrudunt, ut eis aliquam gratiam concilient, prudenter cavendum, ne nobis imponi sinamus. *Admonitio ad concubinarios et adulteros* tom. XXVII Bibliothecae Patrum p. 345. *De contemtu praesentis Vitae.* idem pag. 436. *De decem Virginibus* sermones duo ibid. pag. 345 seq. ex appendici Codicis regularum Holsteniani pag. 86 (minus integros enim habes. t. VIII pag. 685.) *Exhortatio ad tenendam vel custodiendam charitatem* tom. VIII pag. 861. Epistola ad *Germanos quosdam,* quae incipit: Vereor Venerabiles filii, id. p. 862.

Multis interfuit Conciliis * Caesarius: praefuit enim Agathensi An. 506 et Canonum *Epaoënsis* Concilii An. 517 auctorem maxime fuisse notat Isidorus: deinde *Arelatensi IV.* 8 Idus Jun. An. 524 in conventu Episcoporum ad dedicationem Basilicae B. Mariae congregato. Subscribit item *Carpentoractensi* An. 527. *Valensi* II et *Arausicano* II An. 529. ubi actum fuit de Gratia et Libero Arbitrio: et Bonifacius II ejus rogatu A. 530 probavit ea quae in Synodo *Arausicana* fuerant definita. Symmachus Papa *libelli a Caesario oblati* consultationibus respondet apud Baronium ad Annum 514 num. 4 seq. Et Papa Felix IV Epistola ad eum data roboravit opus Caesarii alterum, sed quod hodie similiter, ut Epistola Felicis desideratur, in quo fuere *de Gratia et libero arbitrio testimonia Divinarum Scripturarum et Sanctorum Patrum judiciis monita, ubi docuit hominem nihil de proprio agere boni posse, nisi eum Divina Gratia praevenerit.* Ita apud Gennadium legitur cap. 86. Exstat tamen alia Felicis IV ad Caesarium Epistola, data post Consulatum Mavortii, hoc est Anno 528. apud Sirmondum tom. I Conciliorum Galliae p. 214.

* Sammarthani tom. I Galliae Christianae p. 59.

CÆSARIUS Monachus *Heisterbacensis,* Ordinis Cisterciensis, dioecesis Coloniensis ab Anno 1199 adhuc superstes An. 1227 quo absolvit *libros III de vita et miraculis S. Engelberti,* Archiepiscopi Coloniensis, Anno 1225 Martyris, editos a Surio Novembr. et ab Ægidio Geleno notis illustratos Coloniae 1633. An. 1222. a) absolvit *libros XII dialogorum de miraculis, visionibus et exemplis suae aetatis*, Monachorum praesertim ac Monialium Ordinis Cisterciensis in Germania, qui citantur a Theodorico Engelhusio. Prodiere in fol. b) sine loco et anno: deinde Coloniae 1591, 8, et curante Tilmanno Brendenbachio 1599. et in tom. I Bibliothecae veterum scriptorum Ordinis Cisterciensis Bertrandi Tissierii. *Homiliae super Dominicis et Festis totius Anni,* sive Fasciculus moralitatis ex recensione Joannis Andreae Coppenstein, Dominicani, Coloniae 1615, 4. Ex ineditis ejus, quae Carolus de Visch. pag. 57 seq. Bibliothecae Cisterciensis memorat, referri merentur *Commentarius in Cantica graduum* et *alios Psalmos: super XIV tempora Salomonis* c) Sermones XIV *In Ecclesiasticum*, libros novem, quorum singulorum litterae auspicales repraesentant nomen auctoris, CAESARIUS. *Chronicon Episcoporum Coloniensium. Dialogus modicus philosophice scriptus de statione Solis sub Josue, et de regressu Solis sub Ezechia, et de obscuratione Solis in passione CHRISTI. Vita B. Elisabethae,* Lantgraviae, ad petitionem fratrum domus Teutonicae de Marpurgo. *Contra haereticos* d) *sui temporis et errores eorum* dialogus etc.

a) Vide Possevinum tom. I pag. 286 et Oudinum tom. III pag. 81.

b) Vide Tobiae Eckardi de MStis Quedlimburg. pag. 46.

c) Ecclesiastae I.

d) Haereses Waldosianas lib. V cap. 20. Vide Usserium de Scripturis vernaculis pag. 151.

Innocentius CÆSARIUS Brixiensis, defunctus An. 1512 scriptor disertus direptionis Urbis Brixiae, factae a Gallis An. 1508 laudatusque Vossio de Historicis Latinis p. 816.

CÆSARII Abbatis *Prumiensis* glossarium citatur a Browero, a Cangio in *herperretus* etc.

Michael CÆSENAS Ordinis Franciscanorum Anno 1316 Generalis usque ad Annum 1343. quo Monachii obiit, a Ludovico Bavaro assertus contra Joannem XXII ipse in variis scriptis reprehensor Papae et mendicantium propugnator Monachorum. Vide Waddingum tomo tertio Annalium ad Annum 1317 et 1322 ubi quaedam hujus Caesenatis *Epistolae et Protestationes* contra Joannem XXII ex editione veteri Lugd. 1495 et Goldastum t. II de Monarchia Imperii p. 1236 eundem Waddingum pag. 259 Bibliothecae Ordinis Minorum, ubi ejus *Commentarios in Ezechielem*, *in IV libros Sententiarum*, et *Sermones* de tempore et de Sanctis memorat. Warthonum ad Caveum, Oudinum tomo III pag. 789 etc.

CAJETANUS Vicentinus, Canonicus Patavinus clarus An. 1430 Auctor Commentariorum in Aristotelis libros Physicorum et de Coelo ac Mundo, et in libros de anima. Vide Trithemium cap. 770. Alius *Cajetanus* Vicentinus junior, cognomento *Tienaeus*, qui auctor Ord. Clericor. Regular. Theatinorum, A 1547 diem obiit, Sanctisque adscriptus est A. 1629. de quo Comnenus Papadopoli tom. II Gymnasii Patavini pag. 272. De *Daniele Cajetano* Cremonensi, qui Doctor humaniorum litterarum extinctus Mediolani A. 1528. Arisius in Cremona litterata: et de *Thoma de Vio*, *Cajetani* nomine notiore, insigni illo sacrarum litterarum interprete et Cardinali, quem annus 1534 rebus humanis constat abstulisse, Jacobus Quetif tomo secundo Bibliothecae Dominicanorum. De *Jacobi* CAJETANI *de Stephaniscis*, Cardinalis, defuncti A. 1343 opere prosometrico MS. quo vitam et res gestas Caelestini V Papae celebravit, vide Labbei Bibliothecam MSS. pag. 236. De aliis ejus poëmatis, Epistolis, Sermonibus G. J. Eggs pag. 159 purpurae litteratae.

* Caietanus iste Vicentinus author comment. in Aristotelem et ipse pariter cognomen habuit de Tienis, quo dein Cajetanus junior Ord. Teatinorum primus author vir sanctus distinguebatur. Ita enim me legisse succurrit in veteri cod. MS. Biblioth. Malatestarum Caesenae, in quo Commentarii eiusdem Cajetani in lib. Phisicorum Aristotelis continentur. *Expliciunt quaedam utilia per me Gaietanum recollecta cum Dei auxilio, cui sint gratiae infinitae, sicut eius celsitudo meretur. Gaietanus de Tyenis.*

Eiusdem Caietani de Tyenis est liber *expositionum regularum et sophismatum Hentisberi*, cuius prior ut arbitror editio facta est Venetiis an. 1483 fol. curante Mag. Francisco Angubiensi Medicinam theoricam legente.

Commentarii Caietani in libros Phisicorum prodierunt. Venetiis an. 1496 in fol.

CAJUS Episcopus Romanus ab An. 283 Decembr. 16 ad 296. Vide Acta Sanctorum April. 22 et Caesarem Becillum in Actis S. Caji Papae et Martyris, quae illustrata notis edidit Romae 1628. *Epistola ad Felicem* Episcopum legitur in Pseud-Isidoro Blondelli pag. 377 seq. convicta fraudi et νοθείας inter alia etiam ex hoc, quod *paganorum* vocabulo pro ethnicis idololatris utitur. De eo, quod in veteri Pontificali libro Cajus dicitur constituisse, *ut omnes Ordines in Ecclesia sic adscenderent, si quis Episcopus fieri mereretur, ut esset ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter et exinde Episcopus ordinaretur*, videndus Petrus Coustant in Epistolis Rom. Pontificum pag. 304 seq. De aliis Cajis dixi ad S. Hieronymum de S. E. cap. 59.

* Quanquam scriptorum, quorum Caius nomen fuit, fusiorem tractationem in Bibliotheca Latina Fabricius exegit; ut quaedam tamen hic tradam de Caio vetusto Saeculi II labentis scriptore, invitat me fragmentum vetustissimum a Muratorio ex Cod. MS. annor. 1000 vulgatum Antiquit. Medii aevi tom. III, pag. 853. Quamquam de Authoris nomine nihil in ea legitur; censet tamen vir eruditus Caii Rom. Ecclesiae presbyteri esse, quem constat XIII tantummodo Pauli epistolas annumerasse, teste

Eusebio Eccl. Hist. Lib. VI cap. XX omissa ad Hebraeos epistola, quod cum fragmento isto plane quadrat. Demum librum pastoris, ait scriptor fragmenti *nuperrime temporibus nostris in urbe Roma Herma conscripsit sedente in cathedra urbis Romae ecclesiae Pio Episcopo fratre eius;* quae verba Hermae subaequalem auctorem fragmenti constituunt, neque hoc pariter a Caio est alienum. Verum postrema haec, ut vetustatem antiqui scriptoris probent; nihil tamen de Caio evincunt. Insuper vix credo Eusebium et S. Hieronymum tam sedulo animadvertisse omissionem epistolae ad Hebraeos in scriptis Caii; nihil vero curasse neglectum unius ex epistolis S. Joannis; cuius duas tantummodo recognoscit: *subscripti Joannis duae in catholica habentur.* Expendant haec eruditi et judicium suum retineant quoadusque maior lux veritati detegendae affundatur.

DOMITIUS de CALDERIIS, prope Veronam, sive CALDERINUS, qui Juvenalem An. 1474 Statium A. 1475 inde Ibin Ovidii, Silium et Martialem, Svetonium, et Epistolas Ciceronis illustravit, Latine autem vertit Attica et Corinthiaca Pausaniae, ut librum adversus Angelum Brotheum, Grammaticum, Observationum libros III. ex quibus nonnulla in Gruteri Lampade, sive face artium tom. I. pag. 311 seq. Orationes et Epistolas omittam. Vide de eo Baelii Lexicon, ac de ejus scriptis, Bibliothecam Gesneri pag. 217. Diem obiit A. 1477 teste Trithemio cap. 839.

Joannes CALDERINUS, Doctor Juris Canonici Bononiensis circa Annum 1350. gener Joannis Andreae, de quo supra pag. 89. De illo et filio *Caspare* CALDERINO, qui in Decretales, et Indicem Decretalium, et de Interdicto Ecclesiastico scripsit, vide Pancirollum lib. III de Legum Interpretibus cap. 21.

* Codex MS. Felini n. 282 servat Consilia Jo. Calderini et Casparis ejus filii, cujus operis Pancirolus non meminit. Sed Gazzalupus in historia interpretum et glossatorum habet Jo. Calderinum *fecisse pulchrum opus Consiliorum.* De operibus vero Joannis, et Casparis ad Pancirolum nos remittens Fabricius non egregiam ille operam praestat lectoribus, cum Pancirolus pauca tangat. Animadvertisse igitur oportet *Commentarium in Decretales, earum Decretalium Indicem,* et *de interdicto Ecclesiastico* librum authorem habuisse non Casparem, ut male hic Fabricius, sed Joannem. Caspar dedit *repetitionem* super tit de poenitentiis et Remiss. impressam in fol. sine loco et anno. Item et *consilia*, quae MSS. servat Cod. Felini 365. Alius codex eiusdem Felini n. 408 hanc adnotationem exibet ipsa doctiss. Felini manu scriptam: *Bartholomaeus Sozinus vir doctiss. a quo exemplum huius libri habui, dicebat audivisse Marianum patrem suum dicentem Antonium de Butrio, qui haec consilia per rubricas distinxit et abbreviavit, sedasse multa bona ex iis extensis, quae resecanda non erant, cum nullum ex verbis horum Calderinorum careat sale.* Porro in hoc Codice consilia sunt integra, et extensa cum pluribus et variis adnotationibus extremo margini adscriptis, quas dedit idem Felinus, dum saeviente peste ab Urbe Praenestem se recepisset an. 1493.

Jo. Calderini commentatio in rubricam de usuris extat in MS. cod. 419. Bibl. Felini.

Denique eiusdem scriptoris erat olim tractatus de *auctoritatibus vet. et novi Testamenti in canonibus insertis.* Extabat olim in MS. cod. 146. Bibl. Felini; modo vero avulsis nescio cuius iniuria foliis, nihil superest praeterquam adnotatio quaedam in principio legenda quae defectum monet.

CALDONIUS Episcopus in Africa tempore S. Cypriani, cujus Epistolae inter Epistolas illius Martyris leguntur. Vide Blondellum de Episcopis pag. 41.

CALDRINI *repertorium* citatur a Theodorico Engelhusio. Fortasse intelligit Indicem Johannis Calderini in Decretales. Integer titulus operis est in editione Spirensi An. 1481 fol. *Joannis Caldrini tabula continens auctores et sententias Bibliae prout in compilationibus Decretorum et Decretalium inducuntur, edita a Thoma Dorniberg de Memmingen.*

CALENDARIA vetera complura feruntur, de quibus dixi lib. IV Bibliothecae Latinae

capite sexto, neque alia in praesenti habeo, quae dictis addam quam Calendarium An. Christi 354 *Lambecianum*, ex ejus tomo quarto, et Graevii tomo VIII. una cum iconibus recusum exstare etiam in supplemento Antiquitatis illustratae celeberrimi Viri Bernardi de Montfaucon: Fragmentum vero Commentariorum, quos in illud paravit Hieronymus Aleander, in Philippi a Turre monumentis Veteris Antii pag. 222 seq. tomo VIII. Thesauri Italiae Burmanniani parte IV. Integrum quoque illud Calendarium, sed sine iconibus, ex Codice Joannis Cuspiniani dedit Conradus Janningus In Actis Sanctorum tomo VII. Junii pag. 178 una cum alio Calendario antiquo *Ptolemaei Sylvii* An. Christi 448 ad Eucherium Episcopum, ex Codice MSto, qui apud Jesuitas Antwerpiae servatur. Partem vulgaverat Joannes Bollandus praefatione ad tomum I. Januarii pag. XLIV. ubi de Calendariis medii aevi Christianis erudite disserit. Calendarium *Ambrosianae*, et alterum *Sitonianae* Bibliothecae (Caroli Sitoni, Mediolanensis) edidit praeclarus Muratorius tom. II scriptorum Italiae Parte II, pag. 1027 et 1035. His denique accedit fragmentum Kalendarii veteris a Kalendis Julii ad Kalendas Januarias, quod in Prolegomenis tomo secundo Anastasii de Vitis Pontificum praefixis dedit V. C. Franciscus Blanchinus, Veronensis, Romae 1725 fol. Calendarium Breviarii Romani exstat etiam in Bartholomaei Gavanti Thesauro rituum tom. II, pag. 212.

Gualterus CALENIUS ex Cambria Britannus, Archidiaconus Oxoniensis circa Annum 1120. postea etiam justa nonnullos apud Baleum II 65. Excestriensis Episcopus, (non ut apud Vossium Oxoniensis.) *Galfrido* Monemuthensi auctor fuit, ut Britannicorum regum historiam, quam ex Armorica ipsi scriptam lingua Britannica obtulit, Latine verteret: quod Galfridus fecit persecutus res a Britone usque ad Cadwaladrum, qui Anno Christi 676 Patri Cadwalino successit. Huic Galfrido auctarium quadringentorum annorum a Calenio additum non ineleganti sermone notat ex Ranulpho qui de legibus Angliae circa Annum 1230 scripsit, idem Baleus et ex Baleo Pitseus pag. 198. Sed de GALFRIDO infra suo loco, et de PONTIO *Virunio*, qui sex priores Galfridi libros, omissis quae fabulosa videbantur, redegit in compendium in gratiam Badoërae, clarissimae Venetorum familiae à Britannicis olim oriundae, ut bene notatum Lambecio tom. II, pag. 479. Galfridum, Pontiumque cum aliis rerum Anglicarum scriptoribus vulgatos jam memoravi supra pag. 97.

Ambrosius CALEPINUS dictus a patria Calepio, oppido in Cenomanis Italiae habente nomen a bonitate vini, quod καλὸν πίνειν a). Augustinianus vixit Bergomi, ubi octogenario major est mortuus An. 1510, 30 Nov. Perotti et multorum aliorum proficiens industria, utilissimum laborem insumsit adornando *Dictionario Latinae linguae*, cujus prima An. 1505 secunda editio recognita ab auctore Venet. 1509 fol. tertia et quarta Parisienses a Badio Ascensio 1510 et 1525. Ab eo tempore b) variis in locis et multorum virorum doctorum industria ita purgatum, locupletatum, interpolatumq; est, perinde ut postea Basilii Fabri thesaurus Latinae linguae, ut Calepinus si jam rediret opus suum non agnosceret utique, sed miraretur. Parisiis *Jacobus Montanus*, primus *Graecas* voces addidit. A. 1539 Basileae *Conradus Gesnerus*, a quo adjunctum virorum, locorum, rerum onomasticon 1568. Venetae editioni A. 1545 addita *Italica* vocabula et *Graeca*, et secundae apud *Paulum Manutium* Anno 1583. Nova recognitio quam *Joanni Passeratio* praeter rem c) typographi adscripsere 1570, 1581 atque inde Genevae 1609 Paris. 1637 fol.

a) Gesnerus in Onomastico, ad calcem Calepini edit. Basileensis. Cangius praef. ad glossarium Latinum §. LII. Angelus Roccha indice auctorum ante Commentar. de Bibl. Vaticana, Rom. 1591, 4 et Jacobus Duportus pag. 152 poëmatum.

b) Carolus Joseph Imbonatus Biblioth. Latino Hebr. p. 505. Erythraeus pinacothec. III pag. 202. Bibliotheca Aprosiana pag. 604 seq. Adolphi Clarmundi vitae virorum doctorum, editae Germanice, tomo primo pag. 219.

c) Joan. Henricus Boeclerus de Lexicis Graecis, et in Bibliographia Critica pag. 26. Bibliothèque ancienne et moderne tome VII pag. 318. Obiit Passeratius A. 1602.

Antwerpiae 1572. Latinis vocibus additae *Hebreae*, *Graecae*, *Gallicae*, *Italieae Germanicae.*

Calepinus *Decem linguarum* Lugduni 1586. *Undecim linguarum* ita ut Latinis respondeant *Hebraica*, *Graeca*, *Gallica*, *Italica*, *Germanica*, *Belgica*, *Hispanica*, *Polonica*, *Ungarica*, *Anglica.* Basil. 1605, 1610 fol. ex recognitione quinta sextaque; subjuncto Conradi Gesneri Onomastico egregie locupletato, et septima 1627 fol.

Calepinus Matthaei Maurach, Hungari S. J. Viennae 1630, 12. in quo ex Calepino synonyma, composita, derivativa, attributa etc.

Calepinus *Octo linguis* Lug. 1647, 1663 fol.

Novissime Calepinus *septem linguarum* ex recensione praeclari atque accuratae eruditaeque diligentiae viri *Jacobi Facciolati.* * Patav. 1718 fol. Apud Koenigium in Biblioth. pag. 135 legas hunc Calepinum etiam *de laudibus Venetiarum* scripsisse. Ille vero valeat et spolia ampla ferat, Carolus a S. Caecilia, Neapolitanus, quem idem Koenigius pag. 148 narrat Calepini dictionarium tenuisse memoria, et ordine recitare potuisse.

CALIXTUS, *Calistus*, *Callistus*, Episcopus Romanus ab Anno 219 ad 223 Octobr. 14 quo Martyrii ejus a) memoria recolitur. *Epistolae duae*: 1 ad Benedictum Episcopum, et 2 ad Episcopos in Gallia constitutos, Callisto suppositae, cum notis νοθείας in Blondelli Pseudo Isidoro pag. 252 seq. De constitutione *jejunii quatuor temporum* videndus Petrus Coustant in Epistolis Pontificum p. 113 sq. Acta Martyrii ejus apud Surium 14 Oct. haud in omnibus sincera fatetur Baronius ad An. 226 n. 2 cui adde Tillemontium tom. III memor. Eccles. pag. 251 et 681 edit. Parisens.

CALIXTUS II antea *Guido*, ex Archiepiscopo Viennensi, Papa ab Anno 1119 Febr. 14 ad Annum 1124 Dec. 12. Ejus *Epistolae XXXV* in tomis Conciliorum Labbeana, Harduini et Coleti, ex quibus apud Binium solae primae octo, atque in editionis Regiae tomo vigesimo septimo. Sex Epistolas ad Hispanos exhibet quoque Aguirrius tom. III Concil. Hispan. pag. 334 Epistola ad Ludovicum VI Regem Francorum apud Dacherium tom. III p. 146 et edit. novae tom. III pag. 478. Alia apud Baluzium tom. VII miscell. pag. 137 aliae ad alios quinque t. II p. 192. Ludovicus Jacobus p. 37 Bibl. Pontificiae cum monuisset Epistolas quasdam hujus Calixti legi apud Baronium tom. XII et in Concilio Lateranensi A. 1122 et Joannem Marianam, Bibliothecam Floriacensem, Guilelmum Malmesburiensem, Conradum Abbatem Urspegensem, Joannem Livraeum et alios, subjungit: *Ei sedis Apostolicae legato scribit Paschalis II. Hic liber Epistolarum asservatur in Bibliotheca Cassinensi.* Multus in laudibus *Jacobi* Majoris fuit hic Calixtus, quem vocat *Apostolum* et *Patronum Galaeciae*, et in quem *Sermones IV* in Galaecia eb eo habiti leguntur in Bibliotheca Patrum tom. XX edit. Lugd. p. 1278. Ex *libello de miraculis S. Jacobi*, quem laudat Trithemius cap. 359 excerpta apud Vincentium Bellov. lib. XXVI speculi Hist. cap. 30 seq. Liber *de vita et obitu Sanctorum*, quem huic Callisto Vossius tribuit, is est qui legitur inter S. ISIDORI Hispalensis opera, ut Oudino jam notatum tom. II pag. 1006. qui Callistum minime dubitat esse non approbatorem modo, sed et auctorem *Historiae Caroli Magni* commentitiae quae sub TURPINI nomine legitur, de qua infra suo loco. Callisto etiam tribuitur apud Lud. Jacobum pagina 37. Liber *de inventione corporis Turpini Archiepiscopi et martyris. De translatione corporis S. Jacobi Apostoli. De contractibus illicitis.* Constitutio de regalibus Henrico V restitutis exstat apud Laurent. Cherubinum tom. I bullarii p. 58.

* Huius Calixti, ut arbitror, est scriptum quoddam *de conversione Augustini* quod legitur in libro *sermonum* S. Augustini impressum Mutinae an. 1477. in 4.

CALIXTUS III antea *Alphonsus Borgia*, Papa ab Anno 1455 April. 8 ad A. 1458 Augus. 6. Ejus *Epistolae novem*, inter Æneae Sylvii Epistolas libro I pag. 817, 818, 819, 821, 822, 825, 840. Aliae *III* ad Ca-

* Giornale de' letterati d' Italia t. XXXI p. 412.

a) Non 14 Septembris, ut Ludovicus Jacobus in Bibliotheca Pontificia pag. 56.

b) Sammarthor. tom. I Galliae Christianae pag. 799 seq.

rolum VII Galliarum Regem de Turcis non modo Constantinopoli sed omnibus Europae finibus longius repellendis, editae a Dacherio tom IV spicileg. pag. 381. (Tom. III novae edit. pag. 796) et in tomis Concilior. Labbeana, Harduini et Coleti. *Constitutiones quatuor* apud Cherubinum tomo I bullarii pag. 379. Dicitur etiam A. 1456 composuisse *Officium in* Festo *transfigurationis* Christi quod 6 Augusti celebratur. Vide Macrorum hierolexicon pag. 634 seq. et Hospinianum de festis Christianorum p. 135.

Philippus Bonacursius, Graeco nomine CALLIMACHI notior, Janensis e Geminiano Hetruriae oppido, ditionis tunc Florentinae, magnis legationibus functus et insigni in aula Polonica auctoritate, diem obiit Anno 1496. Calendis Nov. Idem, *longa EXPERIENTIA nomen cui dedit e merito*, ut adeo Philippus Callimachus a Callimacho Experiente, praeter rem distinguatur. De hoc praeter Joannem Michaelem Brutum in ejus vita, praemissa historiae de clade Varnensi, praeter Jovium, Vossium, ac Baelium, Octavius Ferrarius prolusione IX Julius Niger in historia scriptorum Florentinorum p. 169 seq. et Fridericus Hannibal Stempel de societate abbreviatorum Romana, Jen. 1704 p. 11 seq. sed diligentissime Apostolus Zenus V. C. in Diario eruditorum Italiae tom. XXVI p. 583 seq. ejusque insistens vestigiis Niceronus in memoriis Gallice editis tom. VI pag. 196 seq. Scripsit 1) *de his quae a Venetis tentata sunt, Persis ac Tartaris contra Turcos movendis:* edente erudito viro Nic. Gerbelio, cum *Oratione* ejus A. 1476 dicta *ad Innocentium VIII* pro foedere cum Rege Poloniae ineundo adversus Turcas. Haganoae 1533, 4. Isleb. 1603 et inter scriptores rerum Persicarum, Frf. 1601 fol. pag. 402. 2) *Vitam Attilae* editam Tarvisii fortassis circa An. 1489 sine loco et anno; atque inde Haganoae 1531, 4. Basileae 1541, 8 in sylloge cui titulus. Opus Historiarum nostro saeculo convenientissimum: et in Jo. Sambuci appendice rerum Hungaricarum, ad calcem Bonfinii Francof. 1581 et Coloniae 1690 fol. p. 638 una cum Attila Nicolai Olahi, metropolitae Strigoniensis. 3) *De rege* Hungariae *Uladislao IV* et *clade Varnensi*, A. 1444 libros III Augustae Vindel. 1519, 4 et Jo. Michaele Bruto curante Cracoviae 1582, 4 et inter rerum Hungaricarum scriptores Francof. 1600 fol. p. 290 et ad calcem Martini Cromeri Hist. Polonicae Colon. 1589 fol. 4) *Epistolam de eadem clade* excusam in Phil. Loniceri Chronicorum Turcicorum tomo secundo Basil. 1556 et Frf. 1678 fol. 6) Orationem *de contributione Cleri ad bellum contra Turcas*, Cracov. 1584, 4 editore Jacobo Gorscio. Omitto alia nescio an edita, ut sunt *Historia peregrinationum suarum: Vita Georgii Sanocei*, Archiepiscopi Leopoliensis defuncti An. 1476. *De regibus Pannoniae*, poëma heroicum, memoratum Lilio Gyraldo. *De moribus Tartarorum* liber cujus meminit Trithemius cap. 944. *Amorum libri V* diverso metro. Disputatio *de eloquentia* ad summum prope perducta fastigium. *Orationes*, *Epistolae, Elegiarum* liber et alia *poëmata, hendecasyllaba, epigrammata.* Cracoviae in aede SS. Trinitatis hoc ei positum est sepulchrum: *Philippus Callimachus Experiens, natione Thuscus, vir doctissimus, utriusque fortunae exemplum imitandum, atque omnis virtutis cultor praecipuus, Divi olim Casimiri et Joannis Alberti, Poloniae, Regum Secretarius acceptissimus: relictis ingenii ac rerum a se gestarum pluribus monumentis, cum summo omnium bonorum et Regiae domus atque hujus Reipubl. incommado, Anni Salutis nostrae MCCCCXCVI Calendis Novembris vita decedens hic sepultus est.*

* Ex eius carminibus, quae servat MS. Cod. Riccardianus pauca quaedam dedit Cl. Lamius in Catal. eiusd. Bibl. pag. 89.

(60) De Phil. Bonacursio. *Serie di Ritratti de Elogj d'Illustri Toscani.* Fir. 1767. fol. 4 vol. e Lucca 1771. in 8. et plenius *Bibliografia delle Corrispondenze dell' Italia con la Polonia racc. da Seb. Ciampi. Fir.* 1834 v 3. 8.)

Angelus Barboglita CALLIMACHUS, Messanensis, Siculus, auctor *Rheginae* sive Poëmatis in laudem Petri, Cardinalis Rhegini, cui etiam Gabrielis Pirovani defensionem Astronomiae obtulit, clarus circa A. 1500. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. XXVI pag. 378 seq.

Dominicus CALLIMACHUS Senensis, Antiquitatum amator et Historicus Romae in aula Pauli II circa Annum 1470 idem Diarium pag. 375 seq.

CALLIMACHUS *de Monte Viridi*, Mazarensis Siculus, amicus Domitii Calderini circa An. 1477 scriptor libri de laudibus Siciliae, Commentariorum Poëticorum, et Epistolarum familiarium. idem pag. 377. seq.

De primordiis CALMOSIACENSIS Monasterii libri duo ab Anno 1094 ad 1222 in tomo tertio thesauri anecdotorum Edmundi Martene pag. 1159.

Petrus CALO, sive *Calotius* ex opido Clodiensi sive Clugiensi (Chiozza) ditionis Venetae, Ordinis Praedicatorum, circa seculi XIV initia, scripsit duobus ingentibus Voluminibus *Vitas Sanctorum*, quae in Barberina atque in aliis Italiae, etiam Angliae Bibliothecis MSta servantur. Vide Oudinum tomo III pag. 695 seq. et Jacobi Echardi Bibliothecam scriptorum Dominicanor. t. I p. 511 qui ex Rovetta etiam hujus Calotii tractatum *de Divinis mysteriis in Coena sacra*, *Vitam S. Dominici*, et *Sermones* memorat.

CAMALDULENSIUM historiarum collector *Augustinus Fortunius* Florentinus laudatur a Julio Nigro de scriptoribus Florentinis pag. 6. et in Actis Sanctorum Junii tom. I p. 371. Ejus libri tres historiae Camaldulensis prodiere Florentiae 1575. pars posterior Venetiis 1579, 4 (Libris V) de qua Labbeus in Bibliotheca Bibliothecarum. *Guidonis Grandi* dissertationes Camaldulenses editae Lucae 1707, 4. de quibus Acta Eruditorum An. 1709 pag. 49. *Andreas Mugnoz* sive *Mugnotius* Conchensis in libris duobus de Eremi Camaldulensis descriptione, Romae 1570, 4 et in Italia illustrata Francof. 1605 fol. *Lucas Barcinonensis* in Romualdina, sive de Eremitico montis Coronae Camaldulensis Ordine historia 1587, 8 et (italice) Venet. 1590, 8 et *Thomas de Minis* in Catalogo Sanctorum Beatorumque et dignitate ac virtutibus clarorum Ord. Camaldulensis. Flor. 1606, 4. Videndus et *Arnoldus Wion* in ligno vitae libro primo, et quae supra in Ambrosio Camaldul. p. 78, 79 et Acta Sanctorum 7 Febr. ubi de S. Romualdo fundatore Ordinis, quem ajunt diem obiisse An. 1027. (61. *Mittarelli (Jo. Bened. et Ansel. Costadoni Annales Camaldulenses Ord. S. Benedicti. Venetiis* 1755. 73 9. vol. in fol.)

Joannes CAMPANUS *de Novaria*, sive Novariensis Lombardus, auctor Libelli *de quadratura circuli*, obvii in appendice margaritae Philosophicae, quem virum Matheseos peritia conspicuum plerique scripsere floruisse circa A. 1030. a) Sed Lazarus Augustinus Cotta in Museo Novariensi, vulgato Italice Mediolani 1701 fol. pag. 78 contendit longe juniorem, referendumque ad Annum 1250. quod enim in MS. Codice Biblioth. Thoruniensis b) traditur eum conclusiones suas 796 in Euclidem finiisse Anno 1354 de librario potius quam de auctore est intelligendum. *Euclidem ex Arabico vertit Joannes Campanus circa A. C. si Volaterrano fides est, millesimum. Arabum autem interpretationem persecutus, foede perversum nobis Euclidem reliquit*, judice Huëtio p. 227 de claris interpretibus. Prodiit Campani Euclides Venetiis 1472 fol cum praefatione Erhardi Ratholdi: Conclusiones vero Campani etiam recentioribus quibusdam Euclidis versionibus additae sunt, ut Bartholomaei Zamberti, Veneti, Paris. 1516 Basil. 1537, 1546 et 1558 fol. Caetera ejus scripta sunt *Calendarium*, Libellus *de quadratura circuli* obvius in appendice Margaritae Philosophicae, *Sphaera* et *de modo fabricandi sphaeram solidam*, *Theoricae Planetarum*, *De computo Ecclesiastico*, *De compositione quadrantis* et *Breviloquium duodecim signorum Zodiaci* in quo peculiarem modum erigendi Thematis coelestis per divisionem verticalis primarii excogitavit, quem Gazulus Raguseus Astrologus qui An, 1438 floruit, est secutus.

Joannes Antonius CAMPANUS (a patria Cavellis pago Campaniae) nobiliitata per ingenii felicitatem humilitate originis, Episcopus sub Pio II et Paulo II Interamnensis sive Aprutiuns, deinde per liberiorem Epistolam c) in gravem Sixti IV indignationem incurrit, exauctoratusque et exul obiit Se-

a) Trithemius cap. 524 de S. E.

b) Petrus Jaenichius in notitia Bibl. Thoruniensis Jen. 1723 4 pag. 20.

c) Libri IX Epistola 4.

nis An. 1477 paullo major quinquagenario. Non eo solum nomine laudandus, quod eloquio ipse enituit et carmine et historia, ut in ejus epitaphio vere proditum: sed etiam quod fuit inter eos qui nascentibus litteris obstetricias manus auspicato tulere, primasque Latinorum scriptorum veterum Livii, aliorumque editiones, ut emendatiores prodirent. studio suo adjuvit. Vitam ejus Michaël. Fernus Mediolanensis praemisit Campani operibus: aliam ex ejus scriptis collectam dedit Jo. Clericus tom. XIV. Bibl. selectae pag. 56. Fernianam sed contractam sequitur Oudinus tom. III, p. 2679. Eandem notis locupletiorem celeberrimus Jo. Burch. Menckenius praefixit Campani *Epistolarum libris IX* longe emendatius recusis Lipsiae 1707, 8. in quarum fronte effigies aere descripta conspicitur, ad calcem vero appendix, in qua Campani *censurae* in CXXXVI. *Quintiliani* declamationes, in *Svetonium*, in vitas *Plutarchi*, in *Livium*, et in *Quintiliani* Institutiones: *Ciceronisque et Quintiliani comparatio*. Deinde post editoris Orationem de Campani odio erga b) Germanos, *octo libri Carminum* a Campano scriptorum. (61 Cui vol. al. iungendum *Opera selectiora: De reb. gestis A. Brachii. Vita Pii II. Descr. Thrasimeni. de ingratitudine fugienda. De regendo Magistratu et de dignit. Matrimonii. recensuit F. Ot. Menckenius.* Lips. 1734. 8.) Operum junctim editorum binas editiones habeo in manibus, primam Romanam 1495 et alteram Venetam 1501 f. quarum unam qui noverit, ambas perspectas habebit: nisi quod Venetae video Mich. Ferni quaedam addita quae in Romana non reperio, et *Jac. Antiquarii* Epistolam ad Michaëlem Fernum, in qua Campanum confert cum Jacobo Sylvio Picolomineo, Cardinali Papiensi Episcopo et utriusque scripta inedita a Raphaële Volaterrano premi queritur: tum Ferni responsionem in qua Antiquarium provocat ad praevertendum Volaterranum, officiumque hoc praestandum Papiensi, quod ipse Campano jam praestet, collectis atque in lucem prolatis ejus viri lucubrationibus, *cujus praecelsum et coeleste ingenium nihil attigit quod non incrêdibili felicitate seu subitus et extemporarius, seu meditatus et perflans luculentum praestiterit et illustre —— Oratione amplior nemo, historia illustrior, in Philosophia et disputationibus uberior, distinctor, expressior: in Epistolis concinnior, svavior: in carmine sonantior heroico, elegia gracilior, epigrammate scommosior, festivior, argutior nemo: ubique promtus et facilis, ut neque sudet uspiam oratio horridior, neque verborum licentia subsultet, aut puerilibus lasciviat sententiolis: per singula, ut quaeque deposcit res, uber et magnificus, gravis et venustus, pleno fluens alveo, non tenui excurrens rivo.* Hinc succedit post praefationem Ferni vita ab eodem scripta non indiligenter, et monitum *de postillatis*, *sicut vulgus appellat, Codicibus devitandis:* ubi inter alia: *nimia mancipum diligentia nos poene perdidit, ex ignavisque inertes facit et somnolentissimos. Tot tibi rubricellas formis apponunt, indices locant, postillas nectunt, ut quid in toto habeatur opere, illis fretus, non cures pervestigare. Unde tua cum illorum ineptis conjuncta scientia tantum dicet te in litteris profecisse, quantum qui ex Gallicis stragulis Trojana norunt imperitis bella memorare, quorum in nullo studio una est inanem picturam percensere, turpissima cura* etc. Jam sequuntur ipsa Campani a) opera, quae in priore etiam Romana editione (in cuius calce legitur RECTE VIVENDO NEMINEM METUAS) perinde exstant:

1) *Ad Pandulfum Balionium de ingratitudine fugienda libri III, pag. 22:*

2) *De regendo Magistratu ad Franciscum Lutium, Equitem Senensem, Praetorem Romanum.* pag. 43 recusa in Bibl. Patrum Lugd. tom. XXVI, pag. 799 Lovan. 1548.

3) *Joannis Antonii Campani Episcopi Cro-*

a) *Sunt illae modicae quae me genere Cdvellae,*
Parva, sed ingenio cognita rura meo.

b) *Adspice nudatas barbara terra nates.*

a) Etiam editio operum Campani Veneta A. 1518 fol. fuit in Bibl. V. C. Theodori Hasaei. Vide ejus Catalogum, Brem. 1732, 8 pag. 714. De Menkeniana Epistolarum et poëmatum editione, Acta Eruditorum 1707 pag, 278. Journal des Sav. 1708 Maj. pag. 555.

toniatae ad Franciscum Maximum Civem Romanum de dignitate matrimonii. p. 48 b.

4) *Thrasimeni lacus descriptio ad Pandulfum Balionium* pag. 51 b.

5) *Ad Jacobum Cardinalem Papiensem Episcopum de fratris obitu consolatio.* p. 55 b.

6) *Censurae: in Quintiliani Declamationes: in Orationes Tullii: in Victorinum de Generatione divina: in Svetonium: in Vitas Plutarchi: in Livium: in Quintiliani Institutiones.* pag. 36. Has censuras jam dixi recusas esse nuper Lipsiae, sed omissae nescio quam ob causam illae in Orationes Tullii et in Victorinum.

7) *Coram Pio abscessuri ad Venetos adolescentis Columnensis Oratio.* pag. 65 b.

8) *Oratio ad Senatum Venetum.* ibid.

9) *Oratio in ascensione Domini.* pag. 66. Hinc post Michaëlis Ferni Epistolam ad Cardinalem de S. Cruce et decastichon.

10) *Campani Oratio Perusiae habita initio Studii Anno* 1455 pag. 67 b.

11) *De mortis meditatione Oratio Cinericia dicta Romae.* pag. 73 b. recusa in Bibl. Patrum tom. XXVI, pag. 806.

12) *De Spiritu Sancto Oratio.* pag. 79.

13) *De Circumcisione Oratio.* pag. 82 b.

14) *In Festo Sancti Stephani.* pag. 84. b.

15) *In Festo S. Thomae de Aquino Oratio* pag. 86 b.

16) *Oratio habita in Conventu Ratisponensi ad exhortandos Principes Germanorum contra Turcas*, pag. 90 cum aliis similis argumenti recusa Isleb. 1603 et in Reusneri collect. de bello Turcico. Lips. 1595.

17) *Oratio habita Senis in exequiis Pii II Pontificis Max.* pag. 95. Omissa ante Æneae Sylvii Opera, ubi Campanus ut apud Volaterranum, male vocatur Episcopus Aretinus.

18) *Habita Perusiae in Funere Magnifici Nelli de Balionibus.* pag. 100 b.

19) *Oratio Perusiae habita in Funere D. Jo. Archiepiscopi Beneventani ad filium Perusiae Gubernatorem.* pag. 110.

20) *In Funere Cardinalis Sanctae Susannae Saxoferratensis, Oratio.* pag. 112.

21) *In Funere Baptistae Sfortiae, Urbinatis Ducis, Oratio.*

* *Oratio habita Perusiae in funere Jo. Archiep. Beneventani ad filium Perusiae Gubernatorem.* Lege ex MS. Cod. meo. *Oratio habita Perusiis in funere parentis D. Jo. Archiep. Beneventani tunc Perusii Gubernatoris.* Ubi Fabricius legit. *in fun. Baptistae Sfortiae Urbinatis Ducis;* legit MS. Cod. *Ducissae.*

22) *Campani Epistolarum Libri IX* qui Francofurti deinde Anno 1602, 1614 atque emendatius ut jam dixi, nuper Lipsiae recusi sunt: ne dicam de paucis illis, quas cum Ravisianis sive Joannis Textoris Epistolis Christianus Daumius Lips. 1657, 12 vulgavit. Vide Epistolas Reinesii Daumianas pag. 114, 118 etc.

23) *Perusinorum ad Pium II in obedientiam Oratio: novissime ab Angelo Ubaldo viro spectatissimo Perusiam allata Campani fertur, tametsi ex nitidis suis non videtur fontibus hausta, etc.* pag. 76.

24) *Pii II Pontificis Max. Vita* pag. 78. postea praemissa etiam Pii II operibus.

25) *De vita et moribus Andreae Brachii Perusini,* gestisque ab An. 1328 ad 1428 *libri sex.* Ad Carolum Fortebrachium Andreae filium pag. 2–58 recusi deinde Basileae 1545, 8 et novissime tomo XXI scriptorum rerum Italicarum, Mediolan. 1732 fol. Exstant etiam Italice Pompeio Pellini interprete Venet. 1572 4, et cum apologia pro patria Brachii, auctore Felice Ciatti, Perus. 1636, 4. Hoc in opere *rerum gestarum fidem poëtica adulatione corrupisse* Campanum Jovius arguit: et Varillasius libro IV anecdotor. Florentin. pag. 173 ait facile praecipuum hoc futurum inter ejus scripta, nisi tantum fabularum admiscuisset, ut vel versatissimis in historia seculi XV. Italiae difficillimum sit veras ejus narrationes a falsis distinguere.

Sequitur inde Epistola Ferni, quae in Romana editione non exstat, hac inscriptione:

Dictatori perpetuo: Imperatori nostro Maximo, Pomponio Leto. Magistro Equitum Phaedro, cunctaeque Reipublicae Litterariae. Michaël Fernus Mediolan. vilis pabulator, strenuem pugnam, pulchram victoriam. Desinit in his verbis: *Tibi Dictatori perpetuo: Imperatori nostro semper Augu-*

sto, Pomponi Lete, Latini parens sermonis, Reipublicae Litterariae tutor maxime, ad Campani gloriam, et meae in te devotionis testimonium, votive dicavi.

(62 Epistola ad P. Laetum, non vero ad Antiquarium est; et in edit. Romana esse negando et hic hallucinatur Fabricius.)

26) *Campani Elegiarum Epigrammatumque libri VIII.* Lipsiae etiam recusi cum Epistolis.

Subjicitur carmen Sapphicum *de miseria Poëtarum*, quod exstat etiam in laudati Menkenii analectis de infelicitate litteratorum pag. 486.

Consulere porro de hoc Campano juvavit Leonardum Nicodemum in additionibus ad Bibl. Neapolitanam Nicol. Toppi pag. 16 seq. Baelii Lexicon, Nisseroni memorias virorum eruditorum Gallice editas tom. II, p 268. Nicolaum Comnenum Papadopoli in Gymnasii Patavini historia tom. II, pag. 174. Augustinum Oldoinum de scriptoribus Perusinis pag. 23 seq. t. I.

(63 Et praecl. op. *Dissertazioni Vossiane* Ap. Zeni.)

Epistolae ad Cardinalem Papiensem ex Comitiis Ratisbonensibus An 1471 in Freheri tomo secundo scriptorum Germanicorum et Goldasti Politicis Imperialibus.

De vita *Friderici* Comitis et postea Ducis *Urbinensis* vide Diarium eruditorum Italiae tomo XII, pag. 340. Huic *Urbinati historiae* supremam, antequam obiret, manum imposuisse, ex Michaële Ferno jam Gesnerus annotavit.

* In conferenda edit. Romana Opp. Campani cum altera Veneta notat in Veneta non item in Romana legi Epistolam Jac. Antiquarii ad Fernum. Oscitantius tamen collationem istam instituisse Fabricius oportet; nam haec ipsa Antiquarii Epist. in Romana pariter non secus ac in Veneta legitur.

Ab hoc Campano distinguendi juniores tres, α) JOHANNES CAMPANUS Medicus, de quo familiari suo Joannes Pierius Valerianus de litteratorum infelicitate lib. 1 p. 299. β) M. JOANNES CAMPANUS Voidnicianus, Poëta cujus carmina duo, heroicum alterum, alterum elegiacum *de Principibus Turcicis* ab Ottomanno ad Mahometum III exstant in Gruteri deliciis Poëtarum Germanicorum parte II, pag. 72 seq. *Liminis encomium* et *Pragae urbis* carmine elegiaco, ex editione A. 1615 recusum in amphiteatro sapientiae Dornaviano tom. I, pag. 657 et *Czechias* de Ducibus Regibusque Bohemiae Gorlic. 1653, 8. γ) JOANNES CAMPANUS inter Anti-Trinitarios a Sandio relatus, qui B. Lutheri fuit temporibus. De hoc pauca quaedam dixi in Centifolio Lutherano pag. 739. Vide sis etiam pag. 721 et D. Gustav. Georgium Zeltnerum in historia Crypto-Socinianismi Altdorfini pag. 350. Sed diligentius de hoc Vir Clarissimus Joannes Georgius Schelhornius in tomo undecimo operis quod non sine ratione Amoenitatum litterarium titulo inscripsit, statim in limine.

Petrus de CANDIA, supra ALEXANDER V. Papa pag. 56.

CANDIDUS Arianus circa Annum 364 soli fortasse memoratus Philostorgio a) VIII 2 4 6 7 et IX 1. Ejus *liber de generatione Divina* cum Rhetoris Victorini Afri confutatione, occurrit subjunctus MS. in variis Bibliothecis, ut apud Sanderum pag. 140 prodiit in Berna. Ziegleri Commentariis in Genesin Basil. 1548 fol. et cum reliquiis Victorini ab Andreae Rivino editis Lips. 1662, 8 *Epistola* qua ansa Victorino scribendorum contra Arianos librorum data fuit, libris hisce praemissa legitur in Bibl. Patrum et haeresiol. Heroldi pag. 171. *Fragm. Epistolae* Candidi ad Victorinum cum Victorini responsione in Mabillonii Analectis tom. quarto pag. 155 editionis novae pag. 21 seq.

Diversi ab hoc *Candidus* Abbir Germanicianus in Africano Concilio An. 419 et *Candidus* Villaregiensis apud Augustinum. *Candidi* cujusdam *dicta de imagine Mundi* in Bibliotheca Sangermanensi evolvit Cangius, Cod. 561.

CANDIDUS Fuldensis, scriptor vitae S. Ægilis, in antiquitatibus Broweri Fuldendensibus etiam obviae, Monachus circa Annum 822 Germanico nomine BRUN, de quo supra pag. 269. Diversus ab eo CANDIDUS Britannus Presbyter, cui Alcuinus nonnulla dicavit circa An. 790. De hoc Pitseus pag. 828 seq.

Hugo CANDIDUS, sive *Whyte*, cujus historiam Coenobii Ord. Ben. Burgensis (Petroburgensis hodie) usque ad Annum 1177 laudatam Vossio pag. 454 sed tunc ineditam vulgavit *Josephus Sparke* V. C. inter Historiae Anglicanae scriptores Londin. 1723 fol. b) una cum Chronico JOANNIS BURIENSIS, de quo supra pag. 284 ROBERTI DE SWAPHAM (qui circa Annum 1273 obiit) historia et regesto Privilegiorum ejusdem Coenobii Petroburgensis: WALTERI DE WYTLESEY ejusdem Coenobii historia ab Anno 1246 ad 1321 cum ANONYMI continuatione ad 1338 et ANONYMI alterius historia Coenobii Petroburg. versibus ex usu illorum temporum Gallicis, et WILHELMI STEPHANIDÆ Cantuariensis de vita S. Thomae Cantuar. Archiepiscopi.

CANDIDUS, quem in Hexaëmeron scripsisse testantur Eusebius V. 22 Hieron. c. 48. S. Nicephorus, Honorius etc. et CANDIDUS Isaurus, circa A. 480 auctor Historiarum apud Photium Cod. 79. Graece scripsere non Latine.

Petrus CADIDUS *December*. infra, DECEMBER.

* Michael CANENSIS de Viterbio, inde Episcopus Castrensis; *De Laudibus B. D. N. Nicolai V Pont. Max. et divina electione scripsit;* quae oratio MS. extat in Bibl. Vatic. Cod. 3097. et aliud exemplar in pergameno apud V. C. Bernardinum Baroni. Lucae servatur, cui subiunguntur *hymni tres, et oratio* pro B. Hieronymo, et gratiarum actio pro sua electione ad Episcopatum. De hoc authore vide Constantinum Ruggeri, in libro de B. Niccolò Albergati. Romae 1745. 4. et Dominicum Georgii in vita Nicolai V. pag. 200. et Card. Quirini in vita Pauli II. ab eodemmet Canense scripta. Vide quoque Ughellum in Episcopis.

Nicolaus CANTLOW, sive CANTILUPUS Anglus Bristoliensis, Monachus Carmelita, atque inde Northampthoniae Prior defunctus An. 1441, 6 Sept. Ex ejus scriptis laudantur *Ordinis sui Encomium* et *Appendices Historiarum*. Sed librum de antiquitate et Origine Universitatis Cantabrigiensis, sive *Chronica fundationis Cantabrigiae* vulgavit V. C. Thomas Hearne, Oxon. 1719, 8. ut dicere me memini supra pag. 100.

Thomas de CANTILUPO, Episcopus *Herefordensis,* cujus Miracula assertione probata enarrantur in Codice MS. 87. Guilelmi Glynna Baronetti. T. II MStor. Angliae p. 52.

CANUTUS I Rex Anglorum, Danorum et Norweganorum ab Anno 1017 ad 1035 cujus leges apud Joannem Bromptonum supra pag. 263. Lambardum in Archaenomia et Speelmannum tomo I Concil. Angl. p. 539 aliosque de quibus pag. 283, 286 tum in tomis Conciliorum Labbei tom. IX Harduini VI et Veneta Coleti XI.

Robertus CANUTUS, Crecoladensis, sive, Crickeladensis, rectius a) Graecoladensis, Anglus, Prior S. Frideswidae Augustinianorum Oxoniae circa An. 1120 b) scripsit *deflorationem historiae naturalis Plinii* c) ad Henricum I Anglorum Regem. *Homilias XLI super ultimam partem Ezechielis* ubi S. Gregorius finivit, ad Reginaldum Gresebianum Canonicum *De conjugio Patriarchae Jacob. De benedictionibus Jacob et Moysis* ad Gutlandum Monachum: et *Speculum Fidei.* Vide Lelandum c. 213. Baleum III, 4 qui praeterea memorat Canuti opus *de matrimonio. Commentarios in Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros, Psalterium, Cantica Canticorum, Regum* libros *XII Prophetas, Matthaeum, Pauli Epistolas et Apocalypsin. De utriusque Testamenti sacramentis. Sermones* et *Epistolas,* et *libros duos sententiarum Theologicarum.* Eadem ex Baleo repetit Pitseus pag. 234. quem secutus etiam juniorem facit hunc Canutum quam debebat multis annis.

Martianus Mineus Felix CAPELLA, Madaurensis Afer circa A. 470. Romae scripsit

a) Reines. Epi t. ad Daumium p. 122. Tillemont. tom. VII memor. pag. 508.

b) Acta Eruditorum 1725 pag. 488. Memoires de la grande Brétagne tome XIV, pag. 49 ?.

a) Duae olim scholae in duobus prope Oxoniam oppidulis, quorum uni Latinoladae alteri Graecoladae nomen impositum, ob Graecas et Latinas literas quae ibi docebantur, Ita ex Lelando in vita Alfredi Magni Baleus pag. 215.

b) Vide Antonii Wood Athenas Oxoniae pag. 48.

c) MSS. in Angliae Bibl. Conf. Oudin. t. II p. 1024.

septem libros *de septem disciplinis*, quo titulo eos laudat Alcuinus de septem artibus pag. 1256. His duos praemisit *de nuptiis Philologiae* et *Mercurii*, qui per *aenigmaticum epithalamium* intelliguntur a Wilibaldo Abbate Corbejensi Epist. 147 tom. II veterum monumentorum Edmundi Martene pag. 334. De hoc Capella satis dixi lib. 3 Bibliothecae Latinae cap. 15. Obscurius scribendi genus illi objicit Gaufredus Canonicus Epistola ad Petrum de Buxeria apud laudatum Martene tom. I anecdotorum pag. 506. *Non petimus nos aut lascivire cum Sidonio, aut vernare cum Hortensio, aut involvere cum Marciano.* Editionem Basileensem Capellae An. 1532 fol. apud Henricum Petri, habeo a capite ad calcem collatam a viro docto cum insigni MS. Codex septingentorum annorum cum veteri commentario memoratur a Bernardo Pez tom. III thesauri anecdotorum parte III p. 620. Instituerat etiam illustris Leibnitius Capellam post Grotium illustrare, atque in usum Sereniss. Galliarum Delphini edere: sed destitisse ab eo proposito dicitur cum surrepta illi essent, quae in chartam ad institutum istud conjecerat. *Scriptorem operose in multis ineptum* vocat Nicolaus Heinsius Epistola ad Joannem Fridericum Gronovium tom. III sylloges Burmannianae pag. 466 quo pag. 460 judice, *mendosa infinita in scriptore doctissimo, sed pessime si quis alius habito: cui utinam manus aliquis admoveret. Castigavi certe plurima ex ingenio, nuper illum percurrens, et, si vacaret attente singula examinare, nulla esset pagella in qua non errores multos possim exhibere commissos.* Petrus Scriverius ad lib. I Martialis epigr. 31 vocat *lippitudinem Latinitatis et nunquam tironibus legendum scriptorem.*

(64. *Le nozze di Mercurio ec.* trad. da Alfonso Bonaccioli. Mantova 1571. 8. e da Eureta Misoscolo (Fr. Pona, Ver.) 1629. 24. fig.

Joannes CAPGRAVIUS, sive ut Lelando cap. 555. CAPOGREVUS, Anglus Ord. eremitar. S. Augustini Provincialis, et Theologus Oxoniensis defunctus Anno 1464 a) alterum *Lyram* dictum notat Elssius in encomiastico Augustiniano pag. 336. nam et ipse plerosque S. Scripturae libros Commentariis illustravit *Petateuchum* ad Hunfredum, Ducem Claudianum: *Josuam, Judices, Ruth, Regum libros*, ad Joannem Lovum, Asaphensem Episcop. *Psalterium, Ecclesiasten*, a) *Esaiam, Danielem, XII Prophetas minores*, et *Novum Testamentum.* Scripsit praeterea *Manipulum doctrinae Christianae, De Fidei Christianae symbolis* libros III ad Guilelmum Eliensem Episcopum. *Ordinarias disputationes. In quatuor libros sententiarum, Determinationes Theologiae, Lecturas per annum, Sermones per annum, Orationes al Clerum, Librum ad positiones erroneas*, *Epistolas* etc. Denique historici argumenti scripta *Vitam S. Augustini* ad Joannem Gauterofordum, Abbatem fani Joannis Avonae mediterraneae: *de sequacibus S. Augustini*, sive de illustribus Augustinianis: *De nobilibus Henricis* libros III ad Henricum VI Angliae Regem: *Catalogum Sanctorum Angliae* sive *Legendam* editam Lond. 1516 fol. *Vitam Humfredi* Glocestriae Ducis, Maecenatis sui, nec non *Chronicon* ex Jo. Tinmuthensi et aliis collectum, ab Orbe condito ad Eduardum IV. qui Anno 1461 regnare coepit. Pleraque horum MSta in Angliae Bibliothecis adhuc servantur ut notavit Oudinus tom. III p. 2595 et Warthonus ad Caveum ad Annum 1450 qui quoque *Vitam S. Gilberti* auctoris Ordinis Sempringhamii, sed Anglice a Capgravio scriptam commemorant.

Joannes CAPISTRANUS, sive de CAPISTRO, in vico hoc Aprutii natus An. 1385 discipulus Bernardini Senensis, Ordinis Minor. et circa Annum 1440 inquisitor S. Fidei, et ore ac manu oppugnator Beguardorum sive Beguinorum, Hussitarum, Turcarumque: Legatus Pontificis per Italiam ac Germaniam singulari praedicandi vi ac facultate, diem obiit A. 1456 et deinde Beatorum numero adscriptus est a Gregorio XV. De scriptis ejus non habeo quae addam notatis a Warthono ad Caveum An. 1440 ab Oudino tomo III pag. 2462. et de ineditis

a) Pitseus male refert ad Annum 1484.

a) Ita Baleus VIII. 1 Pitseus pag. 672 et alii rectius quam Elssius *in Ecclesiasticum.*

atque ab Alphonso Ciccarello ei suppositis a Waddingo pag. 197. Bibl. Ord. Minor. nisi quod apud Antonium Mongitorem in appendice ad tom. II Bibl. Siculae pag. 22 lego Joannem Antonium Sessam, Panormitanum praelo parata habuisse *S. Joannis de Capestrano Ordinis Minorum Observantium Opera omnia, diuturno labore viginti annorum collecta, notis illustrata et in tomos XVII digesta in fol.*

(64. *Vita del B. Gio. di Capistrano scritta da Salvatore Massonio ded. a P. Urbano VIII. Ven. Brogiollo* 1627. 4 fig. p. 281.)

Joannes CAPISTRANUS, Monachus Silesius qui post An. 1460 vixit, et cujus revelationem addita interpretatione exhibet Joannes Wolfius tom. I lectionum memorabilium p. 824, 825 seq.

Robertus CAPITO, sive *Grosshead*, Episcopus Lincolniensis. infra, ROBERTUS.

CAPPIDUS *Stavriensis*, Frisius Sacerdos circa Annum 920 auctor creditur *vitae S. Odalphi* Presbiteri qui circa An. 860 vixit vulgatae a Surio et in Actis Sanctor. XII Junii. Traditur etiam scripsisse *vitas SS. Lebuini. Otgeri* et *Plechelmi.* Nam de *Genealogia Principum, Ducum ac Regum Frisiae,* et *Historia Ecclesiastica gentis Frisonicae,* quas ei tribuit incendioque absumtam dolet Suffridus Petri, a) video viros doctos non minus, quam de multis aliis ab eo ex antiquitate ultima Frisiorum jactatis dubitare.

CAPREOLUS Carthaginiensis in Africa post Aurelium c) A. 430 Episcopus, *Epistolam ad Synodum Ephesinam*, misit per Bessuilam Diaconum quae exstat in Actis Concili Ephesini An. 1431 habiti Actione I Latine apud Baluz. pag. 477 Graece vero et Latine apud Binium, Labbeum, Harduinum, Coletum. Meminit hujus legationis Capreolus ipse in scripto de quo mox: Epistolae Vincentius Lerinensis pag. 323 commonitorii, et qui nonnulla ejus adducit, sed aliis verbis Latinis, Ferrandus Diaconus in Epistola ad Pelagium et Anatolium. Libellus sive Epistola altera ad Vitalem et Tonantium a) Hispanos *de una CHRISTI veri DEI et Hominis persona contra recens damnatam haeresin Nestorii,* edita primum sed mutila a Baronio ad Annum 431 num. 27 seq. ex veteri Codice Nicolai Fabri quem Balutius testatur nunc extare in Biblioth. Ecclesiae Parisiensis. Integram ex Cod. Herivallensi, in quo post Leporii libellum emendationis exstabat, vulgavit Paris. 1631, 8 t. I opusculorum: ex qua editione recusa est non modo in Sirmondi Operibus, quae junctim vulgata sunt Lutetiae et Venetiis, tomo I pag. 363-376 praemissa Hispanorum illorum Epistola, quam per Numinianum ad Capreolum miserant cum hac subscriptione: *Incolumem venerabilitatem tuam nobis Dominus noster JESUS longiorem conservet, Domine sancte ac venerabilis Papa.* Exstat haec Epistola ex Sirmondi editione non solum in Biblioth. Patrum Lugdun. tom. VII pag. 5 sed etiam in tomo secundo Conciliorum Hispaniae pag. 196 seq. cum notis Cardinalis de Aguirre. Denique *Sermonem de tempore Barbarico* (Vandalis Africa vexantibus) qui exstat in tomo sexto operum S. Augustini edit. Amst. (ad Parisiensem Benedictinor.) pag. 453 seq. Tillemontius tom. XVI pag. 502 negat Augustinum habere auctorem, sed vel Capreolum hunc, vel Quod vult Deum, vel aliquem ex Presbyteris illius aetatis Carthaginiensibus.

Helius CAPREOLUS Brixiensis JCtus scriptor *Chronicorum de rebus Brixianorum,* tam sacris et Civilibus, ab Urbis exordio ad Annum 1510 libris XIV in thesauro scriptorum Italiae Burmanniano tom. IX parte VII. Duo postremi libri in hac editione primum lucem adspexere Apostoli Zeni beneficio ex MSS. Codd. Bibl. Ottobonianae: nam prior editio Brixiens. sine loci nota in fol. tantum priores duodecim libros complexa fuit, desinentes in An. 1500. Eam solam vidit Vossius, testatus duorum postremorum Codicem MS. fuisse apud Dominicum Molinum. Idem pag. 822 notat Capreolum hunc obiisse An. 1519.

a) De scriptoribus Frisiae pag. 57.

b) Sandius ad Vossii pag. 541. Oudinus tom. II pag. 453.

c) Non post *Quod vult Deum*, qui Capreolo successit. Vide notas ad Augustinum tom. VI editionis Amstelodamensis pag. 845. Tillemont. tom. XVI memor. pag. 495 sq.

a) Sirmondus *Constantium.*

Joannes CAPREOLUS Gallus, Ord. Praedic. in Ruthenensi Conventu rebus humanis valedixit An. 1444. Scripsit *in IV libros Sententiarum* pro Thoma adversus Joan. Scotum, Petrum Aureolum, Nominales aliosque Thomae adversarios Venetiis 1483 edente Thoma de Sancto Germano, quatuor Voll. nitide in fol. inde ibid 1514, 1519, 1589. Vide Jacobum Echardum tom. I pag. 796 ubi etiam de Compendio quod ex vasto hoc opere instituerunt facere Paulus Soncinas, Isidorus de Isolanis et Silvester Prierias.

Bartholomaeus de CAPUA, JCtus qui Neapoli Jus Civile docuit, diemque obiit Anno 1316. ita enim *bis octo* in ejus epitaphio accipiendi apud Pancirollum quem si placet vide lib. 2 cap. 48 de Juris interpretibus.

Joannes de CAPUA, circa Annum 1262 ex Hebraïco vertit, et Matthaeo tituli S. Mariae in Porticu R. E. Cardinali dedicavit *Directorium humanae vitae*, quod ait ex lingua Indorum versum in Persicam, inde in Arabicam et ex Arabica in Hebraeam. Prodiit sine loci et anni nota in fol. Directorium hoc continet notum librum *Culila et Dimna* sive Στεφανίτην καὶ Ἰχνηλάτην, de cujus variis versionibus et interpretibus dixi volum. VI. Bibliothecae Graecae pag 460 seq. Insignem in illo apologorum Sinensium numerum contineri, praeclaraque scientiae moralis ac politicae praecepta lepidarum fabularum more propinari notavit David Millius Oratione erudita de fabulis Orientalium, Trajecti 1716, 4 edita pag. 16.

Thomas de CAPUA, ab An. 1216 ad 1243 Cardinalis, scriptor variorum *hymnorum* (de quibus G. Joseph Eggs in purpura docta pag. 134) et *Summae dictaminis* varii argumenti jocosi seriique prosa et rhythmo, de qua MS in variis Bibliothecis Oudinum si placet vide tom. III p. 86 seq. Et ex t. VI.

THOMAS *Capuanus*, a patria sic dictus, An. 1216 ab Honorio III Cardinalis Presbyter tit. S. Sabinae creatus est. Duabus legationibus a Gregorio IX adhibitus est, in quarum altera An. 1230 pacem inter Fridericum et Papam conciliavit. Patriarcha quoque Hierosolymitanus creatus est, sed a Pontifice non dimissus, qui Graecis hunc tantum virum invidebat. Moritur An. 1239 teste Odorico Raynaldo ad h. a. n. 19. Ad hunc data est Epistola Friderici II apud Petrum de Vineis III. 19. Scripsit *Dictatorem Epistolarem* sive *Summam dictaminis*, h. e. de modo conscribendi Epistolas et bullas Pontificias in Cancellaria Romana. Opus est miscellum, seria et jocosa, prosas et rhythmos continens, et in Bibliothecis Galliae saepius occurrit. *Summam epistolarem* vocat Codex Heilsbrunnensis, teste Hockero pag. 80. Particulam ejus edidit Jo. Ge. Hahnius Collectionis Historicorum tomo I, pag. 279. Martyrologium ejus exstat in Bibl. Vaticana, teste Bern. de Montfaucon Bibl. Bibliothecarum MSS. pag. 41. Epistolae in Bibl. Regia Parisina, ibid. pag. 937. Adde Toppii Bibl. Neapolitanam pag. 294. Oldoini Athenaeum Romanum p. 628. Oudinum tomo III, pag. 86.

CARADOCUS Monachus Ordinis Benedict. Lancarovanensis circa Annum 1150 scripsit *Historiam Britonum* sive *Britannorum successiones*, sive ut est in disticho veteri apud Pitseum, Vossium, aliosque:

Historiam Britonum doctus scripsit CARADOCUS
Post Cadwalladrum regia sceptra notans.

Latine non Britannice scripsisse persuasit sibi Lelandus c. 162 qui editurum quoque si uspiam extet, opus illud recepit. Usque ad Cadwalledrum Regem Venedotarum sive ad An. 676 historiam produxerat *Gualterus Calenius* de quo supra. Cadwalladro Idwalla successit. Historia Caradoci MS. in variis Angliae Bibliothecis, sicut *Vita Gildae Albanii* quoque, vide Usserii Antiquit. Britannic. pag. 442 Oudinum tom. pag. 1415 seq. Librum *de situ Orbis* et *Commentarium* in *Joannis Merlini Prophetiam* memorant Baleus centur 2 cap. 87 et Pitseus pag. 215, qui testatur Vitam Gildae Caradocum hoc conclusisse disticho:

Historiae veteris Gildas luculentus arator
Haec retulit, parvo carmine plura notans.

De vita Caradoci vide infra, *Sylvester* GYRALDUS.

Pontius CARBONELLUS, de Bottingata, Catalanus, Ordinis Minorum decessit e vita circa Annum 1297. Composuit *Commentarios in universa Biblia ex sanctis Patribus,*

sive *Catenas* nondum editas quod sciam, nisi quod *Catenam auream in quatuor Evangelia*, editam plus simplici vice sub THOMÆ Aquinatis nomine, huic Carbonello quidam adscripsere. Opus integrum lucem nondum vidit, sed octo magnis tomis in Bibliotheca Toletana Fratrum Minorum asservatur. Vide Waddingi Annales ad An. 1297 et Bibliothecam pag. 295. Oudinum tom. III, pag. 580.

Joannes de CARDALHACO ex Archiepisc. ab An. 1360 Bracarensi Tolosanus ab Anno 1378 ad 1390. de quo accurate Baluzius ad Papas Avenionenses tom. I, pag. 1323 seq. et ex eo Oudinus tom. III, pag. 2079 ubi etiam de legationibus ejus et de Codice *Orationum* necdum edito.

Henricus CARETUS sive de CARRETO, aliis de CALETO, Ordinis Minor. Episcopus ab An. 1300 Lucanus, qua sede excidit cum Petri Corbarii Anti-Papae et Ludovici Bavari partibus adversum se statuisset. Ejus *Logica et Modus atque resolutio S. Scripturae in Ezechielem Prophetam* A. 1316 dicata Joanni XXII MSta in Bibliotheca Colbertina. Vide Oudinum tom. III, p. 806.

* Synodi Lucensis ab eodem celebratae constitutiones ex membranaceo Lucensi Cod. ego vulgavi in meo Conciliorum supplemento IV. 307.

Ægidius CARLERIUS (De quo supra pag. 19), qui An. 1414 Basileensi Concilio interfuit, Decanus ab An. 1431 ad 1472. Cameracensis, scripsit *Consultationes Casuum* sportam sportulamque Bruxell. 1478 fol. et alia quae in MS. Collegii Navarrici Collegii Paris. exstant, atque recensentur a Launojo in historia Regii Navarrae Gymnasii pag. 581 seq. (et tom. IV. Opp. edit. Genev. Part. 3 lib. 2 cap.) et apud Oudinum tom. III, pag. 2552 seq.

In memoriam mihi hic vocat *Antonium Carlerium,* longe recentioris licet aetatis nec scriptis nobilis, cui idem Launojus epitaphium posuit libro septimo Epist. 2 pag. 623. non indignum quod et hoc loco legatur:

Sta viator et vide.

Hic jacet Antonius Carlerius, Lauduni in Belgica secunda, honestis ac religiosis parentibus natus; Facultatis Theologiae Parisiensis Baccalaureus; Basilicae sanctae Mariae Canonicus, et Ecclesiolae beati Martini ad eandem Basilicam Curio; innocentissimae et actuosissimae juxta vitae: Duobus his plusquam par titulis, si tamen alter ob plebis reditusque paucitatem id nominis meretur: absolutum Christianae humilitatis exemplar; vir simplicitatis eminentissimae, incomparabilis modestiae, cum in arduis fere nihil sibi sumeret, permulta si voluisset, diuturni usus magisterio, et acquisitae scientiae jure sibi sumpturus: In tantum frugi, ut quotidianus et domesticus victus non multum abesset a jejunio prae ciborum parcitate: Assiduus et indefessus catechistes, cum publice tum privatim: Sermocinatus vulgariter nec ulli nec usquam fuit fastidio, auribus et animis in dies audiebatur pronioribus. Hierarchicum deperiit ordinem, obedientiam et veteris disciplinae instaurationem: Contentus nusquam magis visus, aut hilarior, quam cum varia Episcopi pro negotiis piis mandata identidem perficeret seu in urbe, seu in pagis: Inimicarum charitatis litium fugitans; exortarum inter privatos rixarum pacificator humanissimus: ad captivorum, rei capitalis damnatorum, miserorum et oppressorum quorumlibet consolationem paratissimus; advolabat, non currebat; ubique locorum acceptissimus, ac propter ingenuos mores ne malis quidem invisus aut molestus habitus. Omnibus praesto fuit, quibus potuit; divitibus, egenis, qua cognitis, qua incognitis, caeteris in Clero, in Monasteriis, in Nosocomio, in Gerontocomio degentibus: Nulli defuit, si deesse non potuit, in damno positum ducens tempus omne, quod in Dei gloriam, vel in privata publicave Ecclesiae commoda non insumebat. Eo tandem Divini amoris incensus ardore, ut quod bonum praestare licuit, semper praestiterit, et quod malum, ne fieret, impedire liberum fuit, semper impediret: Et sic omnia factus omnibus, et jamdudum impletis vere Christiani hominis partibus universis, et coelo maturus, ut immortalis illic viveret, hic inter mortales vivere de-

siit. Anno aetatis suae LVII. CHristi M. DC. LXIX pridie Idus Maias.

CARMINII *liber secundus de Italia* laudatur a Macrobio V, 19. Idemque videtur Vossio quem Servius ad Æneid. V. 233 ait *de elocutionibus* scripsisse. Laudatur ab eodem Servio ad Æneid. VI 738, 862, VIII 406.

CAROLUS BOVILLUS, Gallus. ex Samarobrina Veromanduorum metropoli, quam ipse in Epistola ad Badium pag. 52 seq. describit. Canonicus Noviodiunensis clarus A. 1500 ac deinceps: varia scripsit quae studium ingeniumque ejus atque *ecstases* interdum etiam, ut vocat Naudaeus a) *profundiorum meditationum* testantur. Parisiis 1603 quidem lucem vidit *Metaphysicum introductorium*, et cum Jacobi Fabri, quem alibi Praeceptorem suum appellat, introductione in Arithmeticos Boëthii libros b) et Astronomico prodiere Bovilli *Geometricae introductionis* libri VI. et libelli *de circuli quadratura*. *De cubicatione sphaerae*, et *introductio in Perspectivam,* quae exstat etiam in appendice Margaritae Philosophicae cum *epitome rerum Geometricarum* ex Bovilli introductione per Joannem Caesarium. Basil. 1535, 4. Introductio Geometrica etiam Paris. 1587, 8 et Gallice 1514, 4. In ejusdem operibus apud Henricum Stephanum avum editis Paris. 1510 fol. exstant:

1. Liber *de intellectu* Angelico et Humano, et utriusque speculari natura et illustratione a DEO, ita ut hominis intellectus sit sensu posterior, Lunam Angelicus prior sensu: Solem referat: et intellectus sit unitas memoriae, memoria vero unitas intellectus. Ad Franciscum Hallewin, Pontificem Ambianorum. pag. 3.

2. Liber *de sensilibus* ad Carolum de Genlis. Praesulem Noviodunensem. pag. 22 ubi de cognitivis animae *viribus* sive *potentiis* tactu, gustu, olfactu, visu, auditu, imaginatione, ratione, intellectu ac mente, nec non de *objectis* ejusdem, loco, sapore, odore, colore, sono, corpore, anima, Angelo et DEO. In hoc libro pag. 25 b. et 48. Orbem Solis verum esse Mundi medium disputat, et Terram ac Firmamentum in extremis versari. Tractat etiam pag. 36 seq. de somno duplici, interiore et exteriore. Sed cum Mundum vult esse animal, p. 41 b. mira ejus est philosophandi ratio, cum in Sole et Planetis *sensus*, in Stellis *imaginationem* hujus animalis contendit consistere. Animae substantiam unitrinam, tribus circumvallatam orbibus, proprio intellectuali, corporeo et Mundano, indeque trinam vitam hominis contemplativam, activam, factivam. Sine sensuum praesidio nullam posse hominem ab homine neque sensibilium neque intelligibilium adipisci disciplinam p. 54.

3. Liber *de Nihilo* ad Jacobum Vitriacum, Cancellarium Borbonium. pag. 63. in quo inter alia, quod Materia est Entis et Nihili medium, et ad DEUM omnia nihil sunt, nec ipse creatione omnium est immutatus. Concludit denique de Theologia affirmativa disserens, verissimam et summam Theologiam esse doctam ignorantiam: (quod citra Divini Verbi Lumen subtilissimus quisque libenter est confessus.) Hic Bovilli liber recusus exstat cum Martini Schoockii tractatione Philosophica, et Jo. Passeratii carmine de nihilo, cum ejusdem Schoockii notis Groningae 1661, 8. Hunc miror non addidisse *hecatodiam* sive versus elegiacos centum, (disticha a) quinquaginta) quae de eodem argumento Bovillus pag. 75 b. ad calcem libri subjecit, dicavitque Nicolao Grambusio S. Theologiae Professori.

4. Commentarius in *Jacobi Fabri*, Stapulensis introductionem *Artis Oppositorum* sive *Logodaedalia* ad Franciscum Mellodunensem; delectum Praesulem Atrebatensem. pag. 77.

5. *De generatione* ad Ludovicum Borbonium, Antistitem ac Ducem Laodunensem. pag. 97. ubi inter alia disputat materiam totam simul elementatam. Etiam huic libro *hemihecatodiam*, hoc est versus hexametros quinquaginta de eodem argumento subjecit.

6. *De sapiente*, sive de praestantiore gradu hominum qui non tantum sunt, ut terra,

a) Naudaeus Apologia pro Magis pag. 521.

b) Vide Maittairium tom. II annal. typograph. pag. 216, 255.

a) Non centum, ut Hendreichius.

vivunt ut aqua, sentiunt ut aër, sed etiam intelligunt ut ignis, veraque bona sectantur pag. 117 ad Guilelmum Briconetum Praesulem Lodovensem. De immortalitate animi, et futura corporis instauratione cum dixisset p. 124. Sapientis mentem immortalitate plenam concludit quasi juge esse Convivium, speculum Universi pag. 132 b. Bene autem est quod melioribus argumentis edocemur de SS. in DEO Trinitate quam ex signis illis sensibilibus quae congerit Bovillus pag. 134 seq. et quod pag. 131 b. omnem cognitionem disputat aliquo modo Trinitatem esse. DEUM fontem Lucis, Angelum primum Lucis speculum pag. 140 hominem per angelicum trasparentiam pag. 141 b. Sol purus ac sine specie intellectum Angelicum, Luna maculosa humanum refert pag. 143 secundam et ultimam DEI imaginem.

7. *De numeris* sive de proprietatibus ac mysteriis duodecim numerorum p. 148 b. ad Germanum Ganajensem, Praesulem Cadurcensem. Sunt in his, sicut et in Epistolis Bovilli, quaedam non abludentia ab argutationibus Pythagoricorum, qualia apud Nicomachum et in Jamblichi Theologumenis Arithmeticae, Meursiumque et Petrum Bungum: sed et in Jodoci Clichtovei opusculo de mystica numerorum significatione, Parisiis 1514, 4. Plane autem ludit operam Bovillus, quando pag. 162 b. seq. mirificis argumentis multus in eo est, ut numerum senarium atque inde 666 ex Apocalyps. XIII 18 numerum hominis esse doceat, uti septenarium, numerum Divinitatis. Epist. 1.

8. *Epistolae XX* Bovilli et aliorum ad Bovillum, V. Germani de Ganay, IX. Francisci Ximenes, Cardinalis, XIII. XIV. Nicolai Horii. XVII Jacobi Fabri, Stapulensis, et XIX Alani Varenii. In tertia ad Germanum de Steganographia Trithemii ita sinistre judicat, a) ut Magum non dubitet fuisse Trithemium et nulla parte Philosophiae insignem, cum bonus Trithemius maximas laudes b) Bovillo non inviderit, et a Magiae crimine libenter absolvant qui Trithemium ejusque Steganographiam noverunt. Epistola X Ximenio gratulatus victoriam Oranensem, narrat Sophim Regem Persarum baptizatum et sub Christi militaturum vexillis, et Epistola XII de Nicolao de Saxo, eremita Helvetio, sine omni cibo ac potu vixisse duos et viginti annos, cujus visionem ex Bovillo repetit etiam Joannes Wolfius t. II lection. memorabil. pag. 19. Epistola XV de Veneto quodam pio viro hymnos perdulces canente ex tempore, qui Romae vilibus opertus fracellis Romae Verbum DEI publice extulit ac praedicavit, testatus damnandos omnes, qui non egerint poenitentiam. Epistola XVIII pro animae incorruptibilitate, quam Epistola XX ita describit ut Deum statuat fontem animarum, a quo in corpora mittantur, atque a corpore separatae iterum in DEUM refluant, donec olim sociatae denuo corporibus suis aeterna sponsatione jungantur.

9. *De perfectis numeris* ad Jacobum Fabrum, Stapulensem pag. 172.

10. *De Mathematicis,* sive *Geometricis rosis*, eidem medio circulo plures alios secantes circumscribentibus pag. 180 ad Jodocum Clichtoveum, quem alibi Praeceptorem suum appellat.

11. *De Mathematicis Corporibus*, ad Petrum de Gorris, Medicinae Doctorem, pag. 185.

12. *De Mathematicis Supplementis*, sive variis Problematibus Geometricis ad Remundum Bucherium Jurisperitum pag. 192 b. – 198.

Praeterea Lugduni 1531, 8 prodiere: 1) Commentarius in Psalm. CXLVII *Lauda Hierusalem Dominum.* 2) in Psalm. CXVI. *Laudate Dominum omnes gentes.* 3) *de concertatione et arca peccati.* a) et 4) *de septem vitiis humanis.*

Parisiis apud Badium Ascensium 1511, 1514, 4. 1) *in primordiale Evangelii Johannis* Commentarios per propositiones XXX. quarum ultima, *plenum Gratiae et Veritatis.* 2) *Vita Raemundi Lullii,* Eremitae. 3) *Epistolae* [aliae a superioribus] XLIII ad diversos, in quibus etiam illud pag. 62 et 63 repetitur de Nicolao de Saxo, *per annos duos*

a) Eandem Epistolam dedit Mich. Maittaire t. II annal. typograph. pag. 210.

b) Vide Hendreichium pag. 632 pandect. Brandeburg.

et viginti incibato et nullo intus liquore suffuso. Johannis Labinii quaedam Epistolae ad Bovillum leguntur pag. 74 75 b. 73 b. De colorum ordine in cauda pavonis, elementa quatuor referentium, jucunda sunt, quae disserit Bovillus pag. LXXX.

Samarobrinae An. 1520. *Suppulatio septem aetatum Mundi,* sive *Chronicon breve.*

Parisiis 1521 *Responsiones ad IX quaesita Nicolai Paxii* Balearici, sive Majoricensis.

Commentarius in *Orationem Dominicam.*

Dialogi, 1 de animae immortalitate, 2 3 de resurrectione, et *4 de Mundi excidio.* Parisiis 1551 4.

Quaestionum Theologicarum Libri VII centenis singuli quaestionibus. Parisiis 1513 fol. Liber 1) de DEO. 2) de creatione Angelorum. 3) de creatione materiae et universi. 4) de voluptatis paradiso et exilio protoplastorum. 5) de Diluvio, regnis Mundi et humanae mentis notionibus atque habitibus. 6) de veteri Testamento ab Abraham ad Christum et de Hebraeorum statu. 7) de Verbi incarnatione, Christi in terris conversatione et utriusque Testamenti Concordia. His subjiciuntur *Dialogi duo de S. Trinitate,* Christiani cum Judaeo *Boneto de Latis, Medico,* ad eximium Philosophum, Jacobum Fabrum, rectarum litterarum decus. Et Liber *de Divinis Praedicamentis,* sive: Quid sit DEUS? quantus, qualis, Cujus DEUS sit? quid agat, quid patiatur, ubi, quando sit et quis eius situs habitusque?

De raptu Pauli, quae tractatio auctior recusa 1531, 8 cum dissertatione *de Prophetica visione,* (quam solam numo aureo emtam Parisiis scribit Simlerus) nec non 1589, 8. additis *de Voto, de libero arbitrio,* et *de differentia Orationis,* quae tria etiam prodierant 1529, 8. De postremo hoc argumento itidem Epistolae duae postremae inter editas a Badio, et liber Parisiis excusus apud Robertum Stephanum 1533, 8. *de differentia vulgarium linguarum et Gallici sermonis varietate,* ex nationibus diversis, quae per Gallias transiere, vel in ea resederunt. Quae voces apud Gallos sint factitiae vel barbarae, quae item origine illis familiares, et de allucinatione Gallicanorum nominum etc. Conferenda etiam quae ad Bovilli tabulas vocum Gallicanarum notavit Wolfgangus.Hungarus. Argentorat. 1583 8.

Theologicarum Conclusionum libri X. Parisiis 1504, 1513, 4 Venetiis 1515 fol.

Physicorum elementorum libri decem, quorum singulorum capita decem singula sunt digesta decem propositionibus, Parisiis 1510 fol.

Libellus *de constitutione et utilitate artium humanarum.* Paris. 4.

Proverbia et sententiae cum Gallica versione et Latino Commentario. Paris. 1531, 1557, 1587, 8.

Antequam Bovillum relinquam, juvat ejus Epistolam apponere, qua mihi videtur quaestionem nostro tempore praeclaris ingeniis agitatam non absurde illustrare.

Carolus BOVILLUS Philippo NOFERIO Doctori Theologo S.

Oborta quadam die inter nos de creatione Mundi disceptatione, dicebas quamplurimos in eam opinationem confluxisse, quae DEUM ab aeterno potuisse omnium creationem absolvisse testatur. Ego vero haud omnino huic assertioni adversatus, subjunxi DEUM ab aeterno secundum adjacentiam quidem potestatis, a) *non tamen secundum ipsius operis executionem potuisse creare universa. Secundum adjacentiam potestatis dico, quia DEUS est aeterna omnium creaturarum potestas, qui semper et ab aeterno id potuit, quod postea actu complevit. Secundum executionem vero operis, intelligo DEUM nequaquam potuisse ab aeterno perfecisse universa, haud propter ipsius DEI naturalem quandam impotentiam, et infirmitatem, sed satius ob creaturarum alteritatem, et earum ab sui Creatoris consubstantialitate substantialive unitate prolapsionem, quod multis causis ostendemus.* Prima: *Æternitas cum infinitate substantiae convertitur: sunt enim ambae aequales, et soli Divinitati propriae. Quapropter Creaturam aeternitate metiri, hoc est dicere, illam potuisse ab aeterno subsistere, est et*

a) Confer Origenem 2 περὶ ἀρχῶν cap. 2. p. 758 et Maimonidis Doctorem dubitantium lib. 2 cap. 25.

illius substantiam statuere immensam. Qui enim Creatoris et Creaturae durationes et permanentias aequaverit, debet et amborum exaequare substantias. Secunda: *Idem est potuisse ab aeterno aliquam esse creatam substantiam, ei quod est posse extra Divinam substantiam esse aliam substantiam actu immensam. Si igitur haud potest DEUS aliquod extra se immensum: neque is potest extra se substantiam creare aeternam.* Tertia: *Cum duplex sit Divina operatio, quaedam quidem naturalis et consubstantialis, alia vero inconsubstantialis et voluntaria: illam solam aeternitate, istam vero tempore aut aevo volumus esse metiendam. Divinus enim arcanus et interior processus, aeternus: exterior vero, temporarius aut aeviternus.* Quarta: *Implicat contradictionem, creaturam esse ab aeterno, et eam esse creaturam. Nam Creatura, ut hujusmodi, est opus et opificium Creatoris, divisum et separatum ab ipsius Creatoris substantia: et nequaquam ex illa, sed ex nihilo et non ente ab eo productum. Atqui omne opus cum a mente prodeat sui Opificis, debet ipsius Opificis Mens et voluntaria operis causa, ipso suo opere, tam substantia quam duratione esse eminientior ac prior: quedamodum humanam mentem, cunctarum suarum notionum opificem, dicimus natura et duratione cunctis suis notionibus esse priorem, et aliquamdiu subsistere inanem et vacuam, postea vero eandem, suapte industria, variis speciebus propria replere et exornare scrinia. Sic et Divina Mens dicenda est aliquandiu, ut ab aeterno et toto primo aevo substitisse sola, tamquam exteriore creaturarum opere inanis et vacua; quae demum ultro omnia parturivit. Et sicut qui dixerit aliquam notionem ac speciem inesse humanae menti a natura negat illam esse humanae mentis opificium: ita et qui senserit aliquam Creaturam aut esse, aut potuisse fieri ab aeterno, negat, eandem Creaturam, esse Divinae Mentis opus.* a) Quinta: *cum haec tria ad invicem convertantur, aeternitas, immensitas et substantiae identitas: necesse est, ut si creatura potuit ab aeterno subsistere, haec et immensa sit, et Auctori suo consubstantialis. At vero esse consubstantiale, est penitus a Creatura alienum utpote, quod proprium est, duntaxat arcanorum DEI partuum, ut Filii et Spiritus Sancti.* Sexta: *Creaturam potuisse ab aeterno subsistere, mysticum Divinae Trinitatis numerum scindit ac divellit. Arguit insuper, DEUM esse imperfectum, tanquam qui aeterna alicujus exterioris substantiae praesentia indiguit, non habens intra semetipsum circa quod aeterne ageret. Qui igitur voluerint DEUM aut esse perfectum, nullius exterioris substantiae indigum, aut DEUM a DEO cadere non posse: necesse est, ut Creaturam non potuisse ab aeterno subsistere fateatur. Ob eas itaque, quas adduximus, causas liquet, nullam Creaturam posse in aeternitate locum habere. Vale! Ex Carolopontano vico, II. die Aprilis A. MDXIII.*

* Nescio quid hoc sit operis *Geometricae introductionis* Libri VI excusi Parisiis An. 1503. In Bibliotheca Collegii mei extat: *Caroli Bovillii Samarobrini Geometricum opus duobus libris comprehensum*, editumque Lutetiae An. 1557. cui praemittitur eiusdem Bovillii praefatio signata Novioduni idib. Februarii An. 1552. Quam multum haec a designato hic libro distant.

CAROLUS Magnus, Pipini, qui *brevis* a statura vocabatur, filius, nepos *Caroli Martelli*, non tam propter staturam corporis, b) quam propter virtutis et rerum gestarum excellentiam *Magni* c) meritus co-

a) Vide Lactantium lib. 7 cap. 2. Isaacus Barrow tom. IV Operum pag. 24.

Divina Virtus aut senior foret
Æternitatis fontibus ipsius,
Aut conferetur prolis aetas
Dantis eam senio Parentis.
Creatus Orbis filius est Nihil,
Est ante prolis mater originem,
Æternitas est ante nullum,
Ergo recens habeatur Orbis.

b) *Septem suorum pedum proceritatem ejus constat habuisse mensuram.* Eginhardus in vita cap. 22 ubi conferenda quae praeclarus Schminkius annotavit.

c) Carolum Calvum quoque et Carolum Crassum *Magni* cognomento, velut hereditario, usos fuisse probant ad Eginhardum Goldastus et Besselius.

gnomen, Patri ex Majore domus, post exauctoratum A. 752 Childericum Regi Francorum, successit A. 768. relicta fratri *Carolomanno* parte altera regni, cui patruus *Carolomannus* praefuerat, donec defuncto post biennium fratre etiam illam obtinuit, ac deinde Anno 800 a Leone III Pontifice Romae coronatus est Imperator, isque et Augusti nomen accepit: rebus vero humanis valedixit An. 814 Imperii 14. regni 46. aetatis 72. Quae prudenter domi ac pie, quae fortiter magna gesserit adversus Longobardos in Italia, quorum regnum An. 774 delevit, adversus Saracenos in Hispania: tum in Hunnavares, Saxones, et eorum ducem fortissimum Witekindum, quem ad Christi sacra adduxit, in Slavos etiam aliasque Gentes, praestat silere quam pauca dicere: non minus de singulari ejus ac felici studio colendae, suadendae et amplificandae Christianae Religionis, unde Sanctis post mortem adscriptus est A. 1166. Ecclesiarum condendarum, scholarum instituendarum, Legum saluberrimarum auctor nobilis ac vindex: litterarum quoque instaurator, ipse earum minime imperitus, et linguae patriae excolendae magnus suasor atque exemplum. *Erat eloquentia copiosus* a) *et exuberans, poteratque quicquid vellet apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, sed et peregrinis linguis ediscendis operam impendit: in quibus Latinam ita didicit, ut aeque illa ac patria lingua orare sit solitus: Graecam vero melius intelligere quam pronunciare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam didascali munus subiisse appareret. Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus, magni afficiebat honoribus. In discenda Grammatica* Petrum Pisanum *diaconum senem audivit, in caeteris disciplinis* Albinum *cognomento* Alcuinum, *item Diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undecunque doctissimum, praeceptorem, habuit: apud quem et Rhetoricae et Dialecticae, praecipue tamen Astronomiae ediscendae plurimum et temporis et laboris impendit. Discebat et artem computandi, et intentione sagaci syderum cursum curiosissime rimabatur. Tentabat et scribere,* b) *tabulasque et codicillos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat, ut cum vacuum tempus esset, manum effigiandis litteris assuefaceret. Sed parum prospere successit labor praeposterus, ac sero inchoatus.* Idem Eginhardus: c) *Inter coenandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiae et antiquorum res gestae. Delectabatur et libris S. Augustini, praecipue iis, qui de Civitate DEI praetitulati sunt.* Et alio loco: d) *Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendavit, erat enim utriusque admodum eruditus, quanquam ipse nec publice lege-*

a) Idem Eginhardus cap. 25.

b) Incredibile videtur omnino scribendi imperitum fuisse Carolum, nisi quis velit apud Eginhardum cap. 29. *Antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus et bella canebantur, SCRIPSIT et memoriae mandavit*, verbum *scripsit* interpretrari *scribi fecit.* Sed non perinde facile est eludere locum Concilii apud S. Macram A. 881. habiti, apud Sirmondum tom. III Concil. Galliae pag. 514. *Sicut quidam nostrum ab illis audivit, qui interfuerunt, qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, et per annos XLVI feliciter rexit, et sapientia tam in sanctis Scripturis quam et in legibus Ecclesiasticis et humanis reges Francorum praecessit, nullo unquam tempore sine tribus de sapientioribus et eminentioribus Consiliariis suis esse patiebatur, sed vicissim per successiones, ut eis possibile foret, secum habebat, et ad capitium lecti sui tabulas cum graphio habebat, et quae sive in die, sive in nocte de utilitate sanctae Ecclesiae, et de profectu ac soliditate regni meditabatur, in eisdem tabulis adnotabat, et cum eisdem Consiliariis, quos secum habebat: et quando ad Placitum suum veniebat, omnia subtiliter tractata plenitudini Consiliariorum suorum monstrabat, et communi Consilio illa ad effectum perducere procurabat.* Libenter autem fateor, cum virorum doctorum hariolationes super hoc Eginhardi loco considero, non esse in illis, quae ex asse mihi satisfaciat, quibus scribere, vel *pingere* est, quae Baudelotii est sententia, ut Graecis γράφειν, vel, ut cum Lambecio Clarissimus Schminckius, *Calligraphiae dare operam*, vel, ut Joannes Joachimus Frantzius malebat, *siderum cursum describere*, de quo proxime scilicet Eginhardus erat locutus: vel Graece scribere, ut Albericus in Chronico p. 124 vel denique Operibus scribendis ire per ora virum, quod novissime celeberrimo Heumanno in mentem venit.

c) Eginh. ca. 24.

d) Id. cap. 26.

ret, nec nisi submisse et in commune cantaret. Et cap. 29. *Post susceptum imperiale nomen cum adverteret multa legibus populi sui deesse (nam Franci duas habent* leges, *plurimis in locis valde diversas) cogitavit quae deerant addere, et discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quam quod* pauca capitula *et ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen* nationum quae sub ejus ditione erant, jura *quae scripta non erant, describere, ac litteris mandari fecit. Item* barbara et antiquissima carmina, *quibus* veterum regum actus et bella *canebantur, scripsit, memoriaeque mandavit. Inchoavit et* Grammaticam patrii sermonis. Mensibus *etiam juxta patriam linguam nomina imposuit, cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim Barbaris nominibus appellarentur. Item* ventos *duodecim nominibus propriis insignivit* etc.

I. Scripta CAROLINA.

Caroli M. *Constitutiones praecipuae tam Ecclesiasticae, quam Politicae* à LOTHARIO ejus nepote in epitomen redactae et ex MSto Codice Coenobii Teghernseensis in Bavaria, evulgatae Caroloque Quinto Imperatori et Ferdinando Caesari inscriptae ac notis illustratae a *Vito Amerbachio.* Ingolstadii 1545, 8. et cum ejusdem Amerbachii notis, ad calcem Epistolarum *Hincmari* Rhemensis, quibus *Theodulfi* Aurel. Epistolam ad Presbyteros parochiae Aurel. et *Vitam S. Vigberchti* Abbatis Friteslariensis, et *S. Hildegardem* Abbatissam de vita B. Roberti Confessoris e Lotharingiae Principibus oriundi, et quandam Bingionum Ducis addidit *Joannes Busaeus,* Noviomagus Soc. Jes. Moguntiae 1602, 4.

Caroli M. et Ludovici Pii Capitula, sive Leges Ecclesiasticae et Civiles ab ANSEGISO a) Abbate et BENEDICTO Levita collectae libris VII. adjectis etiam aliis eorundem Regum et Caroli Calvi Capitulis ex Bibliotheca *Pithoeana*, Parisiis 1588, 8. ex auctiore editione 1603 atque iterum 1620, 1640, 8. In Praefatione testantur Pithoei fratres eadem haec Capitula ante XL annos edere instituisse *Johannem Tilium, virum magno judicio praeditum ac rerum Francicarum scientissimum,* sed post ejus obitum pauca tantum folia in aliorum manus devenisse, quibus et prudentissimos ac diligentissimos viros, qui Romae Gratiani collectioni recognoscendae recensendaeque praefuerunt, libenter usos constiterit. Libri illi septem ex Pithoeana editione repetiti in *Friderici Lindebrogii* Codice Legum antiquarum, Francofurti 1613, fol.

a) De hoc supra pag. 294. Hujus quatuor libros Parisiis 1550 impressos laudat Flacius pag. 120. Catalogi testium Veritatis, excusi A. 1556, 8.

Locupletissima Constitutionum Caroli Magni collectio digesta atque illustrata a *Stephano Baluzio* in Capitularibus Regum Francorum, Parisiis 1677 fol. ubi Ansegisi quoque tom. I pag. 697. Quae singula in illo opere praeterea exhibeantur, ea ordine exposita sunt tom. XI Bibliothecae Graecae pag. 86 et pag. 493 seqq. Uberrimam autem accuratam notitiam Diplomatum, Constitutionum, Conciliorum, Donationum, Epistolarum, chartarum et Documentorum, ad historiam Caroli M. facientium ordine descripta temporis, ab Anno 769 ad 814 indicatis auctorum locis, ubi singula reperiantur, Lector reperiet ad calcem Tomi secundi historiae Imperii Germanici Germanicorumque Imperatorum, quam patria lingua, apparatu delectu et industria incredibili concinnavit vir illustris *Henricus de Bünau*, Lips. 1732, 4 pag. 873-930.

Caroli M. Epistola, qua *Offae* Merciorum Regi mittit decreta Synodi Nicaenae secundae, apud Speelmannum tomo primo Concil. Britannis pag. 305 seq.

Epistola *ad Elipandum et caeteros Episcopos Hispaniae,* aliaque in FRANCOFORDIENSI Synodo An. 794 in tomis Conciliorum, et apud Sirmondum, qui plura etiam exhibet, in Conciliis Galliae tom. II p. 161, 192 seqq. et Agvirrium Concil. Hispan. tom. III pag. 110 etc. nec non in Goldasti Imperialibus decretis de cultu Imaginum, Francofurti 1608, 8 pag. 61.

Capitulare de *Imaginibus* non frangendis nec adorandis, sed ornamenti et memoriae causa habendis, in eadem Francofur-

tensi Synodo, auspiciis Caroli, Romam missum et distinctum in *libros quatuor* hoc titulo: *Opus illustrissimi et excellentissimi seu spectabilis Viri, CAROLI, nutu DEI, Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque, sive harum finitimas Provincias DOMINO opitulante regentis: Contra Synodum* (Nicaenam II) *quae in partibus Graeciae* (An. 787) *pro adorandis imaginibus stolide sive arroganter gesta est.* De hoc opere ita Georgius Cassander Epistola ad Joannem Molinaeum data, A. 1560 pag. 1103 Operum: *Quatuor illos libros adversus Synodum Graecorum de adorandis imaginibus Nicaeae habitam* insignes *appellavi, primum quod Illustrissimi Regis Caroli nomine et auctoritate assentiente universa Synodo, cui et Legati Romani Pontificis interant, conscripti et editi sint. Deinde quod videam eos libellos in pretio et honore semper habitos fuisse; asservatur enim hoc volumen Caroli Romae in Bibliotheca Vaticana penitiore, ubi non nisi insignes et eximii libri reponi soleant. Vidi et alterum in Galliis apud quendam eruditum virum, modo Episcopum, ex Bibliotheca quadam illustri scriptum, serico villato et aureis umbilicis exornatum. Meminerunt ejus apud veteres, qui de Concilio Francofordiensi scripserunt, et Hincmarus Archiepiscopus Remensis, vir rerum Ecclesiasticarum peritissimus et studiosissimus, et proxime superiore aetate Nicolaus de Cusa ex auctoritate ejusdem Hincmari. Nostra vero aetate Augustinus Steuchus, Eugubinus Episcopus, Bibliothecarius Pontificis, qui auctoritate ejus libri ad confirmandam suam de Romani Pontificis potestate sententiam ex VI quodam capite ejusdem libri adducit, asserens librum eum vetustissimum litteris Longobardicis scriptum in Bibliotheca Vaticana servari, non credenti videndi potestatem futuram. Breviter, citatum honorifice hoc volumen et laudatum lego, damnatum, reprehensum, imo vel notatum non lego. Quod si quis Carolum Imperatorem contemnat, certe talis a scriptoribus ejus aetatis habitus non est; et quod illi peritiae rerum sacrarum defuit, id assidua consuetudine doctissimorum virorum supplevit, in quibus facile princeps fuit* Alcuinus, *ab aliquibus* Albinus *dictus, cujus non pauca religiosissime et catholicissime scripta leguntur, cujus praecipue opera hos libros conscriptos ut credam, facile adducor, cum et ille rerum sacrarum peritissimus fuerit, et Carolo familiarissimus, et stylus satis congruat; imo integrum quoddam caput in hos libros totidem fere verbis in commentariis in Johannem ejusdem Alcuini positum deprehendi, ut prorsus Alcuini esse videatur; quod tamen Carolus, sententiam totius Synodi Francofordianae sequutus, pro zelo suae fidei suo nomine conscribi et evulgari voluerit: Illud certe constat, Synodum illam Graecorum Nicaeae iterum habitam in celebri illa Synodo Francofordiensi rejectam fuisse, qua parte statuebat imagines Sanctorum adorandas, omnesque, Gallicanas praecipue Ecclesias in eadem sententia fuisse, ut indiscretam illam imaginum adorationem, quam Graeci exigere videbantur, improbaverint.* Conferenda quae de iisdem Carolinis libris Cassander in Consultatione, capite de imaginibus et simulacris p. 977. Operum. Ex Gallico Codice primus hos libros vulgavit *Johannes Tilius*, Briocensis postea, et 1567 Meldensis Episcopus sub *Eliae Philyrae* a) nomine volens delitescere, Parisiis 1549 forma minima. Itaque Flacius pag. 115seq. narrans se illos legisse in decimo sexto vulgatos alicubi in Galliis, editionem hanc Tilianam respicit: quando autem An. 1556 scripsit *nunc recusos in Germania*, notat alteram factam Coloniae A. 1555. b) Ab eo tempore *Goldastus* novam illorum editionem curavit in sylloge Imperialium decretorum de cultu imaginum, Francofurti 1608, 8. de quo opere dixi tomo XI Bibliothecae Graecae pag. 489 dictum etiam in Casparis Sagittarii τȣ μακαρίτȣ introductione in Histor. Ecclesiast. tomo I pag. 1025. Eandem editionem novo *Philippi Parei* nomine prae-

a) *Elias* Joannem, *philyra* Tiliam non obscure signat. Confer Baelii Lexicon in *Tillet* nota B. C. Johannis Vogtii dissertationem cum Theodori Hasaei notis editam in Bibliotheca Bremensi Tom. VI pag. 529 et Clarissimi Heumanni prolegomena ad libros Carolinos.

b) Idem pag. 28.

fixo etiam praeferre Annum 1628 clarissimus Heumannus a) annotavit. Repetiti quoque hi libri sunt in laudati *Goldasti* Constitutionibus Imperialibus tom. I pag. 23 post editionem primam Anni 1610 recusis Francofurti 1673 et 1713 fol. nec non in *Petri de la Lande* supplemento Conciliorum Galliae, Parisiis 1660 fol. in quo etiam obvia acta Conventus Parisiensis A. 824 contra imagines, edita primum a Bongarsio 1596, 8. Goldastoque pag. 623 sed a Conciliorum editoribus et Sirmondo in Conciliis Galliae praeterita. Denique laudatus Heumannus nactus editionem ex Tiliana expressam in octava forma, sed loci et anni nota carentem, hosce libros Carolinos nova cura recensuit, doctisque ornatos prolegomenis vulgavit b) Hanoverae 1731, 8 hoc titulo: *Augusta Concilii Nicaeni II censura.* Non audiendos esse, qui fidem horum librorum in dubium vocavere, eruditissimi quique ex ipsa Romana Ecclesia viri fatentur: e quibus Sirmondus t. II Conciliorum Galliae p. 191. *Nunc vero et Synodi* (Francofurtensis) *Canones, librosque Caroli pro legitimis omnes fere agnoscunt.* Adde sis Mabillonii praefationem ad Sec. IV Auctorum Ordinis Benedictini: et quae D. Joannes Georgius Dorscheus ad Concilium Francofurtense, Christianum Nifanium ostensione Historico-Theolog. de Carolo Magno pag. 85 seq. pag. 350 et contra Nicolaum Schaten pag. 805 sq. Nicolai Scatenii Carolum Magnum pag. 190 etc.

Capitulare Caroli Magni A. 800 *de villis,* una cum Epistolis LEONIS III ad Carolum, edidit Herm. Conringius Helmstadii 1647, 4 et tomo V. Operum Conringii junctim nuper excusorum. Ex Conringii editione Baluzius tomo I Capitular. pag. 331 et Johannes Georgius Eccardus Franciae Oriental. tom. II, pag. 911. De illis Leonis Epistolis Flacius in Catalogo testium pag. 127 seq. editionis primae.

Volumen Epistolarum XCIX. quas Romani Pontifices, GREGORIUS III. STEPHANUS III. ZACHARIAS I. PAULUS I. STEPHANUS IV. HADRIANUS I. et Anti-Papa CONSTANTINUS miserunt ad Principes et Reges Francorum CAROLUM MARTELLUM, PIPINUM et CAROLUM M. auspiciis ipsius Caroli M. in unum corpus digestarum Anno ejus regni XXIII CHRISTI 791 MS. in Bibliotheca Caesarea, de quo Lambecius tom. II, pag. 320 ubi operae pretium esse ait illud novo studio conferri cum Sebastiani Tengnagelii apographo, ex quo illas Epistolas edidit Jacobus Gretserus Ingolstad. 1613, 4 recusas tom. VI Gretseri Operum, et apud du Chesne tom. III, pag. 701.

Fragmenta quaedam Caroli Magni aliorumque, incerti nominis, de veteris Ecclesiae ritibus ac caerimoniis, a *Wolfgango Lazio* c) Caesareo Historico eruta a tineis. Antwerpiae 1560, 8. In hoc Volumine continentur: *Epistola* Caroli M. prolixior *ad Alchoinum*, extrema parte mutila, de caerimoniis Ecclesiasticis, d) quae incipit: *Pervenit ad nos Epistola missa a religione prudentiae vestrae* pag. 1–105. ALCUINI *ad Carolum M.* (illa ipsa, ad quam superiore Epistola Carolus respondit) pag. 106 *Versus de Mysterio Missae*, (sine nomine auctoris, quem HILDEBERTUM esse constat) pag. 112. Fragmentum incerti Auctoris de ritibus et caerimoniis Ecclesiae Romanae a Nativitate Domini per hyemem pag. 132. RABANI MAURI ad Imperatorem Ludovicum Pium de Virtutibus et Vitiis pag. 190–306.

REMEDII Curiensis Episcopi Canones Alemannici XLIX ex Pontificiis Epistolis excerpti jussu Caroli M. in tom. II Goldasti Alemannicorum pag. 134.

Diploma *de Scholis Ossnabrugensis Ecclesiae* critice expensum ab A. J. sive Joanne Georgio Eccardo, Helmstadii 1717, 4 Ejusdem censura ejusdem diplomatis 1721 4.

Praefatio in *Homiliarium* Pauli Diaconi (de quo infra in PAULUS) Epistola Ency-

a) Idem pag. 29 seq.

b) Acta Eruditorum A. 1731 pag. 265. Bibliotheque Germanique tom. XIV p. 215. *Auserlesene Theologische* Bibl. 54 tom. V pag. 496.

c) Vide Burchardi Gotthelf Struvii Bibliothecam antiquam tom. I A. 1705 p. 479.

d) Haec Caroli Epistola recusa saepius in Bibliothecis Patrum.

clica *de Baptismo et ejus ritibus* ad Odilbertum, Archiepiscopum Mediolanensem, et alia *de gratia septiformi Spiritus*, editae a Mabillonio in Analectis, pag. 73 74 75 editionis novae.

Charta divisionis Imperii Caroli Magni, sive *Testamentum*, inter P. Pithoei scriptores XII coaetaneos pag. 283-288 Francofurti 1594, 8. Adde Nicolaum Hertium in Notitia regni Francorum veteris a prima origine ad excessum Ludovici Pii, inter laudati Hertii opuscula tom. I, pag. 200 Francofurti 1700, 4.

Epistolae tres Caroli in Alcuini operibus pag. 1611 seq. et una ad Alcuinum *de ratione septuagesimae, sexagesimae et quinquagesimae* pag. 1147.

De cura quam gessit in *homiliis* ex celebrioribus Doctoribus ad usus Ecclesiarum per annum seligendis, tradendi locus infra, ubi de HOMILIARIO: hic enim titulus operi inscribitur, cui praefixam Epistolam editam jam dixi a Mabillonio, in qua Carolus testatur *libros Veteris ac Novi Testamenti*, qui librariorum imperitia depravati fuerant, cura sua *ad amussim correctos* fuisse, qua in re eum Alcuini usum opera, jam notavi supra pag. 50. Illud vero mirandum, quod ultimo etiam vitae tempore, post divisas Testamento inter liberos suos, regiones, huic studio vacasse refert Theganus inter XII scriptores P. Pithoei pag. 299. *Postquam divisi fuerant, Dominus Imperator nihil aliud coepit agere, nisi in orationibus et eleemosynis vacare, et libros corrigere. Nam quatuor Evangelia CHristi, quae intitulantur nomine Matthaei, Marci, Lucae et Johannis, in ultimo ante obitus sui diem cum Graecis et Syris optime correxerat.* Quod vero nonnulli tradiderunt non modo Latinos sacros libros emendari, sed etiam in Francicam, a) sive Teutonicam linguam transferri Carolum curasse, hoc filii ejus Ludovici Pii tempore et auspiciis factum esse referunt alii, quorum sententiae suffragatur praefatio paraphrasi poëticae Theotiscae MS. praefixa, et a du Chesnio, sive Quercetano edita tom. II, pag. 326 atque inde repetita ab Usserio de sacris vernaculis pag. 112. D. Joanne Friderico Mayero in historia versionis Biblicae Lutheri pag. 152 et a Johanne Georgio Eccardo ad quaternionem monumentorum veterum pag. 41. Ex illa praefatione constat auctorem paraphraseos a Mundi creatione capto initio, juxta veritatem quaeque excellentiora summatim decerpentem, et interdum quaedam, ubi historiae commodum duxit, mystico sensu depingentem, ad finem totius Veteris ac Novi Testamenti interpretando more poëtico, satis dulci eloquentia perduxisse, totumque opus per *viteas* b) distinxisse, *quas nos*, inquit, *lectiones vel sententias possumus appellare.* Sicut autem de Caedmone supra pag. 289 notare me memini, eum singulari quodam instinctu Numinis, facultatem poëticam ad sacra decantanda sortitum; ita et *hunc Vatem ferunt dum adhuc artis hujus esset penitus ignarus, in somnis esse admonitum, ut sacrae Legis praecepta ad cantilenam propriae linguae congrua modulatione coaptaret.*

Litaniae Carolinae ab eodem Mabillonio vulgatae tom. II Analect. pag. 682 et editionis novae pag. 170, 171 editoris judicio scriptae sunt temporibus Caroli Magni et Hadriani I. Pontificis, atque ut Carolus le Cointe tom. VII. Annalium pag. 308 post Annum CHristi 782 et ante 789. Etiam Litanias ad Alcuinum auctorem referebat Georgius Cassander pag. 1121 Operum.

Donationes Caroli M. factae Pontifici Romano. Vide Carolum le Cointe tom. VII Annal. pag. 303 seq. Jacobum Gretserum de Imperatorum, Regum ac Principum Christianorum in Sedem Apostolicam munificentia pag. 19 seq. Ingolstad. 1610, 4 et tom. VI Operum Aubertum Miraeum in Codice donationum piarum, Bruxell. 1624, 4. sed et Fridericum Spanhemium tom. II. Operum pag. 558 seq. de ficta collatione Im-

a) Confer Usserium de Scripturis vernaculis pag. 110 seq. D. Kortholtum de variis sacrae Scripturae editionibus pag. 318. Nifanii Carolum non Papistam pag. 122 sq.

b) Papias: *Viteae dictae quod vinciant: quibus crines innectuntur, fluentesque ligantur capilli.* Perperam editum *vitae*.

perii a Pontifice in Carolum, quod utique suis ille meritis et opibus DEO annuente paraverat. Sicut nec a Graecis ad Francos delatum illud Pontificis munere, probarunt Flacius Basileae 1566, 8 et contra Bellarminum, Francofurti 1592, 4. Matthaeus Dresserus, Goldastus in Politicis Imperialibus pag. 487. D. Kortholtus adversus Timotheum Laubenbergerum, Jenae 1660, 4 aliique, et novissime Jo. Frid. Pfeffingerus ad Vitriarium tom. I, pag. 362 seq.

Quae versu scripta Caroli Magni nomine feruntur, quoniam pauca sunt, junctim hoc loco offerre Lectori volui, qui in illis *Alcuini* alicujus venam fortassis agnoscet, cui Carolus sensus suos metro exponendos commisit.

Ad Papam HADRIANUM I.
inscripta Codici Latino Psalterii, de quo Lambecius tom. II, pag. 261.

Hadriano summo Papae Papaeque beato
Rex Carolus salve mando valeque Pater.
Praesul Apostolicae munus hoc sume Cathedrae,
Vile foris visu, stemma sed intus habens.
Organa Davidico gestat modulantia plectro,
Continet et lyricos suavisonosque modos.
Haec Tua, CHriste, chelys miracula concinit alma,
Qui clavem David, sceptra domumque tenes.
Mystica septeno fuerant haec trusa sigillo,
Carmina ni CHRISTUS panderet ista DEUS.
Hoc Vobis ideo munus pie dedo Sacerdos,
Filius ut mentem Patris adire queam.
Ac memorare mei precibus sanctisque piisque
Hoc donum exiguum saepe tenendo manu.
Et quanquam modico niteat splendore libellus,
Davidis placeat celsa Camoena Tibi.
Rivulus iste meus teneatur flumine vestro,
Floriferumque nemus flosculа nostra petant.
Incolumis vigeas Rector per tempora longa,
Ecclesiamque DEI dogmatis arte regas.

Epitaphium ejusdam HADRIANI
Papae, a) defuncti Anno 795.
26 Decembr.

Hic Pater Ecclesiae, Romae decus, inclytus Auctor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita Deus, pietas lex, gloria Christus,
Pastor Apostolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum,
Sed sacris longe nobilior meritis.
Exornare studens devoto pectore Pastor
Semper ubique suo templa sacrata Deo,
Ecclesias donis, populos et dogmate sancto
Imbuit, et cunctis pandit ad astra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
Et pro plebe sacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Urbs Caput Orbis honor, inclyta Roma, tuas.
Mors cui nii nocuit, Christi quae morte perempta est,
Janua sed vitae mox melioris erat.
Post Patrem lachrymans Carolus haec carmina scripsi;
Tu mihi dulcis amor; te modo plango Pater.
Tu memor esto mei; sequitur te mens mea semper:
Cum Christo teneas Regna beata Poli.
Te Clerus, Populus magno dilexit amore;
Omnibus unus amor, optime Praesul, eras.
Nomina jungo simul titulis, Charissime, nostra:
Hadrianus, Carolus; Rex ego, tuque Pater.
Quisque legas versus, devoto pectore supplex.
Amborum mitis, dic, miserere Deus.
Haec tua nunc teneat requies, Charissime, membra;
Cum Sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tua clamet in aures,
Principe cum Petro surge videre Deum.
Auditurus eris vocem, scio, Judicis almam:
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tum memor esto tui nati, Pater optime, posco;
Cum patre', dic, natus pergat et iste meus.
O pete Regna, Pater felix, coelestia Christi;
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Cum Sol ignicomo rutilus splendescit ab axe,
Laus tua, Sancte Pater, semper in orbe manet.

Ad PAULUM b) Diaconum.

Parvu'a Rex Carolus seniori carmina Paulo
Dilecto fratri mittit honore pio.
Quae rapuit calamus subito dictantis amore
Deman!ans castae c) fer mea verba cito.
Ad faciem Pauli venerandam perge per urbes,
Per montes, sylvas, flumina, lustra pete.
Casinum montem Benedicti nomine clarum
Pastoris magni praecipuique patris.
Illic quaere meum mox per sacra culmina Paulum,
Ille habitat medio sub grege credo Dei.
Inventumque senem devota voce saluta,
Et dic, Rex Carolus mandat Aveto tibi.
Gaudia dicque reor nostrae sibi magna salutis
Gratificam Christi per miserantis opem.
Atque pium patrem rogito tunc semper ubique
Pro nobis preces ut ferat ille sacras.
Nec non nos fratrum precibus commendet honestis,
Sum votis quorum certus adesse Deum.
Quapropter sociis per me mandare salutem
Perpetuae pacis omnibus his placuit.
Ecce valete simul cuncti juvenesque senesque,
Gratia vos Christi protegat atque regat.

AD EUNDEM.

Hinc celer d) egrediens celeri mea charta volatu
Per sylvas, colles, valles quoque praepete cursu

a) Lambec. pag. 265 Acta Sanctorum tom. VII, Junii pag. 109.

b) Alcuini opera pag. 1720 nam alterum inemendatum pag. 1719 omittere praestabat.

c) Chartae.

d) Jo. Baptista Marus notis ad Petrum Diaconum de viris illustribus Cassinensibus cap. 8 p. 169.

Alma Deo chari Benedicti tecta require,
Est nam certa quies fessis venientibus illuc,
Hic olus hospitibus, piscis, hic panis abundat,
Pax pia, mens humilis, pulchra et concordia Fratrum.
Laus, amor, et cultus Christi simul omnibus horis.
Dic Patri et sociis cunctis, salvete, valete:
Colla mei Pauli gaudendo amplecte benigne,
Dicito multoties, salve Pater optime, salve.

Si Joanni Turpino Cap. XXV fides, his verbis et similibus Carolus *ROLANDUM* suum extinctum luxit:

Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.
Sex qui lustra gerens, octo bonus insuper annos,
Ereptus terrae justus ad astra redis.
Ad Paradisiacas epulas te cive reducto,
Unde gemit Mundus, gaudet honore Polus.

II Vitae et de rebus CAROLI Magni Scriptores veteres.

PAULI Diaconi Fragmentum de Caroli M. majoribus et liberis apud du Chesne tom. II pag. 201 et Freherum, Franc. pag. 177 seq.

Carmen epicum *de origine gentis Carolinae,* scriptum circa Annum 840 et vulgatum a Thoma Carmelita An. 1644 atque cum notis Joannis Jacobi Chifletii obvium in ejus Operibus Historicis pag. 431 seq. Antwerp. 1650 fol.

Genealogia scripta An. 867 ex Canisii tomo V antiquarum lectionum (tom. II editionis novae p. 372) et apud Chifletium p. 438.

EGINHARDUS vitae scriptor, chronicique, de quibus suo loco: et Joannes Bollandus ad Eginhardum tomo I Actorum Sanctorum 28 Januarii pag. 874 aliaque pag. 888 seq. et de Pipino 21 Februar. pag. 250 seqq.

Joannis TURPINUS fabulosus scriptor, in Schardio et Reubero obvius, de quo itidem suo loco, et supra in CALIXTO II pag. 299. Supplementum ex Codice Caesareo vulgavit Lambecius tomo II pag. 334 seq.

(64 *Turpini De vita Caroli M. et Rolandi c. n. a Seb. Ciampi. Florentiae* 1822. 8.

Gesta Caroli M. ad Carcassonam et Narbonam et de aedificatione Monast. Crassensis (Auctore Philomena a F. Guil. Paduano correct.) ed. et illustr. Seb. Ciampi Florentiae 1823. 8.

Annales BERTINIANI, de quibus supra pag. 223. ADELMI Benedictini, sive ADEMARI, de quibus pag. 13. METENSES apud du Chesne tomo III pag. 262.

Annales NAZARIANI apud Freherum tom. I Francic. pag. 86 et Andream du Chesne tom. II. HILDENESHEIMENSES apud Leibnitium tomo I Brunsvic. pag. 710.

Plures Annales in tertio et in eodem secundo Andreae du Chesne tomo, ut PETAVIANI (ex Codice MS. Alex. Petavii) ab An. 708 ad 800. LOISELLANI, sive PLEBEJI ab Anno 712 ad 814. TILIANI ab Anno 708 ad 808. PITHOEANI ab Anno 714 ad 883.a) MASCIACENSES apud Labbeum tom. II p. 733 aliique, de quibus Jacobus de Long, Biblioth. Histor. Galliae pag. 326 seq.

Monachi Sangallensis (NOTKERI) libri II post Canisium et Andream du Chesne emendatiores ex Codice Ulrici Obrechti membranaceo edita in Simonis Friderici Hahnii collectione monumentorum t. II p. 534 seqq.

IVO Carnotensis apud Freherum in corpore Franciae hist. pag. 53.

Annales Francorum ab Anno 776 ad 825 idem pag. 179-181. Alii ab Anno 726 an. 796 a Labbeo editi tom. II Bibliothecae novae MSS. pag. 733-736.

Gesta Caroli Magni secundum ALCUINUM, citantur ab ALBERICO Monacho trium fontium pag. 12. qui ipse in rebus Caroli multus est, perinde ut alii Chronicorum scriptores REGINO Prumiensis, ADO, SIGEBERTUS Gemblacensis, CONRADUS A LICHTENAU, ALBERTUS Stadensis, MARIANUS et alii, scriptoresque summarum speculorumque Historialium, ANTONINUS Florentinus, VINCENTIUS Bellovacensis etc.

Annales LAMBECIANI ab Anno 794 ad 803 apud Lambecium tom. II pag. 377-383. Iidem aliis FULDENSES, sive LAURESHAMENSES ab An. 714 ad 817 pag. 366-377.

Icon *Leonis III* Papae et Caroli Magni in Actis Sanctorum tom. II Junii 12 pag. 582 et de Actis Leonis cum Carolo ante et post Coronationem An. 800 pag. 578 seqq.

Levini (aliis *Ferii*) HILPERICI, Monachi Selingestadiensis Carmen de Congressu Caroli M. et Leonis Papae versibus hexametris

a) De his adde Lambecium tom. II, pag. 354 seq. qui pag. 351 seq. continuationem edidit ad A. 887.

cum notis Goldasti. Genev. 1600, 4, adde notas Barthii XLVI, 2 Adversarior. Primus ediderat Canisius tom. VI. Antiquarum Lectionum pag. 519 (tom. II editionis novae Basnagianae pag. 474.) Deinde Andreas du Chesne tom. II Scriptorum Francorum pag. 188 et sub ALCUINI nomine in Operibus Alcuini pag. 1747. Incipit: *Rursus in ambiguos gravis admonet ancora colles.*

Vita Caroli M. maximam partem repetita *ex Annalibus*, quos *plebejo* et rustico sermone scriptos evolvit Regino ad Annum 814 apud du Chesne tomo secundo p. 50.

Similis lucubratio *a Monacho Coenobii Egolismensis S. Eparchii,* in Petri Pithoei scriptoribus coaetaneis duodecim pag. 230 et apud du Chesne tom. II pag. 68 et in Kulpisii scriptoribus German. p. 45. Confer Lambecium tom. II pag. 343 seq.

POETÆ SAXONIS, qui Arnulfi Imperatoris aetate scripsit, Monachus Paderbornensis, Annales a) Caroli Magni *libris V* ab Anno 771 ad 814. Libri quatuor heroicis et quintus versibus elegiacis, post Reineccii Helmstad. 1596 et du Chesne tom. II pag. 136 editiones, recensiti a Leibnitio tomo I scriptorum Brunsvic. pag. 120-171.

ÆGIDII *Parisiensis* Carolinus carmine hexametro, libris V ad Ludovicum, de quibus supra pag. 22.

ASTRONOMUS Ludovici Regis Domesticus, scriptor Annalium ab Anno 741 ad 828 vide Lambecium tom. II pag. 327. Hi a Reubero pag. 15 editi. (unde etiam Annales REUBERIANI a nonnullis dicuntur) cum continuatione usque ad Annum 842. idem de cujus vita Ludovici Pii dixi supra pag. 136 ubi A. 841 legendum pro A. 814. Vide et pag. 13.

ANONYMI Compilatio Chronologica ab Anno 772 ad 1410 apud Leibnitium tom. II scriptorum Brunsvicensium p. 62 et alterius ANONYMI de fundatione quarundum Saxoniae *Ecclesiarum* aliisque originibus a temporibus Caroli M. ad Ottonem Magnum, apud eundem tomo primo pag. 260.

Johannis Launoji de *scholis* celebrioribus a Carolo M. et post eundem per occidentem instauratis. Parisiis 1672, 8 et cum Johannis Mabillonii itinere Germanico, Hamburgi 1717, 8, et in tomo quarto Launoji Operum, Genevae 1731 fol. cui jungendi *Caesar Egassius Bulaeus* in historia Academiae Parisiensis, *Carolus le Cointe* in Annalibus Francorum, et *Jacobus Burckard* de variis Scholarum a Caroli M. aetate ad Seculum XVI. mutationibus. Jenae 1715, 4to.

Mr. le Blanc, dissertation historique sur quelques *Monnoyes* de Charle Magne a) Paris 1689, 4. et cum ejusdem scriptoris opere de numis Francicis. Amstelodami 1692, 4.

De Caroli M. ejusque posterorum benevolentia in Judaeos, Jacobus Basnage in historia Judaeorum libro VII. cap. 2 seq. et occasione *numi Judaici* a Claudio Francisco Menestrierio b) producti Hermannus ab Hardt in Jona in luce pag. 548 seq. et Joannes Georgius Eccardus in dissertatione edita Helmst. 1720, 4. Spes autem liberationis quam sibi Judaei tunc concepere, non minus cassa et inanis, quam fabulosum iter Caroli M. in Palaestinam, de quo viri docti ad Eginhardi caput 16 et Clarissimus Burmannus praefat. ad Thesaurum Siciliae pag. 11. seq. Valeant igitur JOANNES ADGIO, Regis Frisonum filius, et ADEL ADELINGUS Frisii, quorum illum Suffridus Petri c) ait scripsisse *de expeditione Caroli, Francorum Regis, cum Ottogero, Daniae Rege, in terram sanctam,* et *de expeditione ejus in Indiam*, nec non *de Indianae terrae qualitate* et *gentium in ea diversitate.* Adelingum vero *de monstris Indiae,* et *de moribus Indorum eorumque Religione.*

CLEMENS Historicus, et JOHANNES de *Rosergio*, Archiepiscopus Tolosanus, de quibus infra suo loco.

CONRADUS Presbyter, qui Latine de gestis Caroli scripsit, deinde Germanico carmine quoque. Vide le Long Bibliothecam num. 6724 Germanicum MS. Codicem in Ta-

a) Hi annales perperam Reineccio tanquam auctori tribuuntur a Jacobo le Long. n. 6757.

a) Acta Eruditorum tomo II Supplementi pag. 59.

b) Histoire Civile, ou Consulaire de la ville de *Lyon*, 1696 fol. pag. 219.

c) de scriptoribus Frisiae Decad. VI num. 2 3 pag. 48 seq.

bulario Reipublicae Argentoratensis vidisse se testatur Joannes Joachimus Frantzius in historia Caroli M. pag. 29 aitque, Auctorem *non longe fuisse ab aetate Caroli si membranàm ac caetera antiquitatis indicia spectes, remotum, qui carmine Germanico expeditionem Hispanicam descripsit, sane quod formam operis attinet, successu praeter seculi genium felici*, etc. De eodem argumento Poëma vetus Gallicum, de quo laudatus Longus num. 6673 la Conquete du grand Roy Charle Magne des Espaignes. Paris 1609, 4.

Poëma *de rebus gestis Caroli M. et Rolandi*, antiquis rhythmis Germanicis MS. in Biblioth. Caesarea. Prologum et clausulam dedit Lambecius Tomo secundo p. 385.

Walfrandi de Ekembach, vide Longi Bibliothecam n. 6678.

Versus *in laudem Caroli Imperatoris* apud Lambecium tom. II pag. 266 *Aurea Davidicos* etc. apud Edmundum Martene tom. VI Monumentorum pag. 811 seq. Incipit: *O DEUS omnipotens.* Ex libro Evangeliorum A. 788 apud du Chesne tom. II pag. 186 Incipit: *Orbe bonus toto* etc.

Hymnus COLUMBANI ad Andream Episcopum de obitu Caroli Caesaris tom. VI Operum Rabani pag. 227 Inc. *A Solis ortu usque ad occidua.*

AIMERICUS de PEIRACO, Abbas Moissiacensis circa Annum 1400 de gestis Caroli M. ad Johannem Ducem Bituricensem, MS. in Codice Regio Paris. n. 1344 locus ex illo citatur a Cangio in voce *Dulciana*, et a Philippo Bonanni in gabinetto harmonico, edito Italice. Romae 1722. 4. pag. 69.

MICROLOGUS circa Annum 1165 *de sanctitate meritorum et gloria miraculorum B. Caroli Magni, libri tres*, quorum prologos et argumenta capitum edidit Lambecius Tomo II. pag. 329, seq. et p. 358 qui de Carolo inter sanctos relato, Officioque quo memoria ejus 28 Jan. recolitur, etiam videndus pag. 349 sq. Praeter natalem ejus 28 Jan. celebratur etiam festum translationis ejus 5 Kalend. Augusti, *Carlomagnalia.* Confer Bulaeum tomo II historiae Academiae Parisiensis pag. 342.

In Bibliotheca Bruxellensi servatur magnae molis membranaceus Codex MS. in linguam Francicam meliorem conversus An. Christi 1458 continens *Historiam Caroli M.* elegantissimis imaginibus illustratam, quarum una exhibet antiquiores Francorum Reges a Pharamundo ad Carolum Magnum, quam aere descriptam illustratamque lectoribus suis offert Jacobus Chiffletius in limine Anastaseos Childerici Regis. Antwerp. 1655, 4.

Relatio, *quomodo Carolus Magnus a Constantinopoli Aquasgrani attulerit clavum et coronam Domini* MS. in Bibliotheca Caesarea. Vide Lambecium tomo II pag. 363.

DONATUS ACCIAJOLUS de vita Caroli Magni, in Latinis editionibus vitarum Plutarchi editus plus semel, et in Freheri scriptoribus Francorum, et locupletior nuper tom. I scriptorum Germanicorum Menckenii pag. 813. Etiam ab Acciajolo eadem Vita consignata Italice. MS. in Bibliotheca Magliabechiana.

Planctus in obitum Caroli M. tom. II parte 2 scriptorum Italiae celeberrimi Muratorii pag. 690.

III. Elenchus recentiorum quorundam de CAROLO M. Scriptorum.

Praeter viros doctos qui vel Eginhardum illuminavere, aut qui Annales Ecclesiasticos Civilesque condiderunt, resve Francorum, Germanorumque, aut Italiae illorum temporum, majoribus notissimisque operibus illustrandas sibi sumsere.

Anonymi Poëtae Itali, *li fasti di Carlo Magno e de suoi Paladini, in ottava rima.* Venet. 1481 fol. Memorat Jacobus le Long num. 6676, et num 6675 simile Poëtae Galli, Roman de Charle Magne, et du Chevalier Guerino, surnommé Meschino, in Padoa 1473, Venet. 1477 1481. fol.

Petrus von Beek in Aquisgrano, sive historica narratione de Civitatis Aquisgranensis origine et progressu. Aquisgrani 1622. 4.

Franciscus de Belleforest in historia novem Carolorum Regum Gallorum, Gallice edita Parisiis 1568. fol.

Joannes Henricus Boeclerus libro de rebus Seculi IX. et X. Argentorati 1656 4. et tomo tertio Dissertationum Academicarum junctim recusarum ibid. 1712 4to.

Joan. Henricus de Bunau, de quo supra.

Nicolai Courtini Charle Magne, ou le retablissement de l'Empire Romain, poëme heroique. Paris 1666. 12.

Hardevici a Dassel panegyrici tres de tribus Magnis. Constantino, Carolo, et Othone, Augustae Vindel. 1589 4to, vide Alberti Friderici Mellemanni poëmata R. 1. b.

Joannis Joachimi Frantzii historia Caroli M. Argent. 1644, 1656 4. cum Eginhardo.

Marquardi Freheri de statura Caroli Magni Heidelbergae 1612, 1622 Norimbergae 1657 4. et cum florum sparsione *Henrici Guntheri Thulemarii,* Heidelbergae 1681 12. et ad calcem Eginhardi illustrati a V. C. Jo. Hermanno Schmincke pag. 220 Trajecti 1711. 4.

Joannes Cryphiander libro de Weichbildis Saxonicis, sive Colossis Rolandicis, Urbium qnarundam Saxonicarum. Argentorati 1666. 4. de quibus Rolandinis statuis juvabit quoque consulere Joannem Fridericum Rhetium. Francofurti 1678 4.

Joannes Nicolaus Hertius in notitia regni Francorum veteris a prima ejus origine ad excessum usque Ludovici Pii, inter ejus Opuscula tomo primo, Francof. 1669. 4.

Carolus Gottlob Hoffmann de pietate Caroli Magni in convertendis Saxonibus. Schneebergae 1728. 8vo. adde quae dixi in libro de propagatione Evangelii pag. 425.

Abraham Hosemanni Ertzehlung. Bùdissin 1617. 4.

Martini de Ibarra Caroleidos libri IV. carmine heroico, Barcinone 1516. 4. Argumenta librorum hoc complexus tetrasticho, quod est etiam apud Nicolaum Antonium tom. II Bibl. Hispan. pag. 83.

Primus sancta canit Caroli incunabula Regis,
Quaesitum Arctoo Regem de patre secundus.
Tertius Hesperiae sulcantem caerula classem,
Imperium fratres mutantes numine quartus.

Joannis Davidis Koeleri de familia Augusta Carolingica, antiquorum monumentorum auctoritate innixa Altdorf. 1725. 4to. Confer *Io. Frid. Pfeffingerum* ad Vitriarium tomo I p. 438. seq.

Ejusdem Koeleri dissertatio de Bibliotheca Caroli Magni ad Eginhardi caput 33. Altdorf. 1727. 4.

Joannis Henrici Krause dubia vexata circa Caroli Magni historiam Lipsiae 1706. 4to.

Lovis le Laboureur, Charle Magne, poëme historique, libri tres primores. Paris 1664. 8. et 1666, 1687. 12.

Johannis Letzneri a) *Historie von Carolo M. Hildesheim* 1602. 4. et in Philippi Julii Rethmeieri Chronico Brunsvico-Luneburgensi, edito Germanice, Brunsvici 1722. fol.

Erpoldi Lindenbroch neu-vermehrte Chronica des grosmuchtigen Keysers Caroli M. von seinem innerlichen Wandel und Privat-Leben, Thaten, Kriegen. Damburg 1593 4.

Hermanni Adolpb Meinders de statu Religionis et Reipublicae in veteri Saxonia sub Carolo M. et Ludovico Pio. Lemgov. 1711. 4.

D. Christiani Nifanii ostensio, quod Carolus M. non fuerit Papista. Francofurti 1670. 8. Ejusdem Carolus M. iterata vice exhibitus Confessor Veritatis Evangelicae. Francof. 1679. 8.

Angeli della Noce, Archiepiscopi Rossanensis, dissertatio de Caroli M. effigie exstante in Codice Bibliorum asservato in archivo S. Pauli Romae. Alia apud Clarissimum Schminckium ad Eginhardum ex Jo. Tristani commentario de liliis Gallice edito Parisiis 1656. 4. Aliae in Actis Sanctorum tom. II Junii 12. pag. 582 et in Joannis Petri Puricelli monumentis Mediolanensibus, Mediolani 1645. 4to, et tomo IV Thesauri Italiae Burmanniani pag. 35. Aliae apud Paulum Petavium in gnorismate, tom. II Thesauri Sallengriani pag. 1037. Joannem Jacobum Chifletium in Anastasii Childerici pag. 3. 34. 130. etc. Vide sis et Nicolaum Alemannum de parietibus Lateranensibus, Jacobi Sponii Miscellanea pag. 284. Joannis Mabillonii iter Italicum pag. 70. et 231. Joannem Michaëlem Heineccium de sigillis pag. 81. ubi etiam de eo, quod barbata Caroli imago, ut in statuis et picturis, ita et in sigillis, numisque etc.

Christophori Otti laurus Carolina de gestis Caroli M. et Caesarum Carolingorum. Ingolstad. 1654.

Joachimi Augusti Pastorii Tacitus Ger-

a) Perperam *Tetzneri* in Bibliotheca Lippeniana pag. 254.

mano-Belgicus, sive de origine et gestis Carolorum Magni, Audacis et Quinti, aliorumque Principum. Colon. 1658. 8.

Relatio de statua equestri, *Carolo Magno Ecclesiae Romanae Vindici*, in porticu Vaticani posita Romae a Clemente XI Papa. Senis 1725 fol. (Italice) Acta Eruditor. Anno 1727 pag. 247.

Simonis Rugieri Carolus Magnus poëmate Italico. Rom. 1655. 12.

Christophori Adami Ruperti Oratio XXIII quae est de Carolo Magno, ut *Bartholdi Beemanni*. Marp, 1643. 4. etc.

Joannis Christfridi Sagittarii dissertatio de Carolo Magno, in ejus selectioribus dissertationibus, editis Altenburgi 1670. Lipsiae 1695. 4.

Nicolai Schaten Soc. Jes. de vita Caroli M. Francofurti 1700, 4. Ejusdem Carolus Magnus Romano-Catholicus. Neuhusii 1677. 4.

Arnoldi Schleuferi Vita togata Caroli M. Fabriani Saxonum, sive Bremae 1590, 4.

Carolus Samuel Schurzfleischius in fundamentis historiae mediae, scripto postumo vulgato Schneebergae 1728, 8.

Guilelmi Stuckii, Tigurini, Carolus M. in Henrico IV. Galliae Rege redivivus. Tiguri 1592, 1612, 4.

Henrici Thevin Aquisgranensis Soc. Jes. vita Caroli M. Germanice. Coloniae 1658, 12.

Henricus Güntherus Thulemarius. supra in *Frehero*.

Octavii Tronsarelli, Romani, Poëtae Itali, Papia a Carolo M. recuperata. MSS. Libri II. tantum. Vide Erithrei Imag. XXXVI. et Mandosii Bibliothecam Romanam t. II, pag. 246.

Fasti Carolini ex MStis Annalibus Westphalo-Rhenanis *Henrici Turckii* Soc. Jes. edente Conrado Bartholdo Behrens, Medico. Francof. 1707, 4. atque inter scriptores rerum Germanicarum vulgatos Joanne Michaële Heineccio et Joanne a Georgio Leuckfeldo. Francofurti 1707, fol.

Petrucci Ubaldini, Florentini, Vita di Carolo Magno. Londra 1581, primus liber Italice excusus fuisse fertur in Anglia. Vide Diarium Eruditorum Italiae T. XXVIII. pag. 399.

Hugolini Verini, Florentini Carliados, de gestis Caroli M. libri XV. Carmine Heroico. Vide Julium Nigrum de scriptoribus Florentinis pag. 511 et Diarium Eruditorum Italiae Tomo XXVI, pag. 437.

Joannes Christophorus Wagenseilius diss. de Imperatoribus Francicis.

Caroli Wagneri Chronicon rerum Caroli Germanice Magdeburgi 1579, 4. sed etiam Latine plus simplici vice editum.

Ernestus Casimirus Wasserbach in appendice de statura Arminii, Wittekindi et Karoli M. ad calcem dissertat. de statua illustri Harminii. Lemgov. 1698, 8. Neocori Bibl. novorum librorum A. 1698, pag. 175.

Christiani Weisii ad ea quae de Carolo M. Claudius Fauchet et Johannes de Serres prodidere. Weissenfelsae sive Leucopetrae 1674, 4.

* Codex ille Carolinus quem Lambecius exactum ad MS. Cod. Vindobonensem se iterum emissurum spopondit, reipsa typis expressus fuit, sed nescio quo casu rarissima eius editionis volumina in publicum prodire permissa sunt. Ex uno tamen illorum aliquo Muratorius extrahendus curavit variantes, quas ille dedit in nova codicis huius editione in tom. III. part. II. Rer. Ital. pag. 73. etc.

(67 Cod. Carolini editio locupletior in op. *Caiet. Cennii Monumenta Dominationis Pontificiae. Romae* 1760. 4.)

(68 Garopoli (Girolamo) *il Carlo M. ovvero la Chiesa vendicata poema.* Roma Corbelletti 1660. 12. 2.ª edizione. — Bonaparte (Lucien) Charle Magne Poeme. Rome 1814. 4. v. 2.)

CAROLUS CALVUS, Ludovici Pii Filius, Caroli Magni nepos, Lotharii et Ludovici frater, ab Anno 840. Occidentalis Franciae Rex, ac An. 878. seq. Imperator, cujus foedera et capitularia et cum fratre Ludovico Germanico, et singularibus ipsius auspiciis promulgata refert Joannes Fridericus Pfeffingerus Vitriarii illustrati tomo I, pag. 59. seq. Praeter ea quae in Capitularibus Francorum Sirmondianis et Baluzianis obvia sunt, Praeceptum pro Siefrido edidit Baluzius in appendice ad Marcam Hisp. pag. 778 alia pag. 782. 784. 785. 786. 787. 789. 791. 792. 793. 794. 795. De praecepto Go-

this concesso et Hispanis videndus Petrus de Marca p. 287. 288.

CAROLOMANNI Regis Francorum circa Annum 889 praeceptum pro Monasterio S. Caeciliae in dioecesi Vecellensi, in appendice ad Marcam Hispanicam pag. 811.

CAROLI Simplicis An. 898 et 922. data praecepta pro Ecclesia Gerundensi, in appendice ad Marcam Hispanicam pag. 828. 842. 843 alia pag. 830. 831.

CAROLUS IV. Bohemiae Rex, et ab Anno 1346. Imperator ad 1378 cujus auspiciis promulgata An. 1356. Noribergae et Metis sanctio illa pragmatica sub *aureae bullae* titulo nobilis, de electione et coronatione Imperatoris, juribus Electorum et aliis jus publicum Germaniae spectantibus, consignata ut creditur a Bartholo a) JCto, atque illustrata a multis, ut Joanne Limnaeo, Henrico Günthero Thulemario et Joanne Petro de Ludewig. Vide laudatum Pfeffingerum ad Vitriarium tom. I pag. 228. seq. et de caeteris Caroli IV *Constitutionibus* pag. 70. sq.

Epistolas quasdam vulgavit Joachimus Joannes Maderus ad calcem Gervasii Tilberiensis Helmst. 1673. 4. Pragensis conditor Academiae An. 1347. vide Bohuslai Aloysii Balbini epitomen rerum Bohemicarum III 21 et elogia Universitatis Pragensis A. 1668 4. edita, ubi pag. 4. *bulla aurea pro Universitate Pragensi* data a Carolo IV A. 1348. 7. Id Aprilis. *Epistola ad Rempublicam Florentinam:* de qua Lambecius. II pag. 939. *Commentarium* etiam *de vita sua* ipse scripsit, quem (post Reineccium Helmstad. 1585 cum Lucemburgensium Imperatorum Historia, 4.) vulgavit Freherus in scriptoribus rerum Bohemicarum pag. 86. cum Majestate Carolina, sive *Constitutionibus pro Regno Bohemiae*, et Joannis II Archiepiscopi Pragensis Oratione dicta in Caroli IV funere A. 1379 pag. 107.

* Joannes Petrus de Ladewig in suis reliquiis t. IX. literas quasdam regis huius evulgavit legendas ibidem. Vide Diplomatarium miscellum num. 8. 9. 17. 18. 19. 20. 21. etc. Vide pariter t. IX. in codicillo Diplomatum dipl. 79. 80. Denique Caroli IV. codex Diplomaticus in quo multae ejus et aliorum ad ipsum datae litterae continentur, extat inter scriptores Rerum Germanicarum Menkenii t. 3.

CAROLUS Siciliae Rex, cujus Epistolae quatuor ab Anno 1251 ad 1254 scriptae exstant in Baluzii Miscellan. tom. I pag. 479 sq. Alia A. 1287 de duello ineundo cum Petro Rege Aragonum, in appendice ad Marcam Hispanicam pag. 587 et de rebus gestis in Vasconia pag. 592.

CAROLUS *Fernandus*, sive ut Trithemio *Phernandus* Brugensis, inter coecos eruditos a) celebris, ex Doctore Parisiensi An. 1486. Monachus apud Cenomanenses Benedictinus, defunctus An. 1496 Scripsit prosa et versu, Ruperti Gagvini aemulus, b) adversus Vincentium de Castro novo Ordinis Praedicatorum, *pro immaculata Conceptione B. Virginis* libros 2. editos Parisiis 1512 apud Badium Ascensium, qui etiam excudit libros ejus duos *de animi tranquillitate*, et *libros IV collationum*, sive *confabulationum Monasticarum*, et An. 1515 4to. *Speculum disciplinae Monasticae libris IV.* et An. 1516 opusculum *de regulae Benedictinae observatione*. Tradit praeterea Trithemius scripsisse *Odarum in laudes CHristi libros IV. Elegias de contemtu Mundi*, et carmina alia ferme innumera: atque *Epistolas* et *Orationes de S. Catharina, de Conceptione immaculata, ad Carthusianos*, nec non *laudes Ordinis Carmelitarum.*

Joannes CAROLI Florentinus, ex Bernhardino Monachus Ordinis Praedicatorum, defunctus An. 1500 aetatis 75. scripsit *Vitas* aliquot a Leandro Alberto in opere de Viris illustribus sui Ordinis editas, *Joannis Dominici*, Cardinalis, pag. 70. (obviam quoque in Actis Sanctorum 10 Junii,) *Simonis Saltarelli*, Archiepiscopi Pisani p. 86. *Aldobrandini Cavalcantis*, Urbevetani Episcopi pag. 116. *Angeli Acciajoli*, Episcopi

a) Joannes Georg de Kulpis dissertat, Academ. pag. 405. De MStis Codicibus Caesareis Latinis et versionis Germanicae Lambec. II pag. 814. 854. 960.

a) Miraei elog. Belg. pag. 145. et auctario de scriptoribus Ecclesiasticis p. 92. b. Jo. Godfridi Olearii Bibl. scriptorum Ecclesiasticorum pag. 159.

b) Vide Trithemium cap. 955; et de Gagvino cap. 914.

Florentini pag. 121 et *Joannis Salernitani.* Ordinis Praedicatorum pag. 198. b. De Commentario in Psalmos Poenitentiales Gradualesque, et de aliis ineditis vide Jacobum Echardum de scriptoribus Dominicanis tom. I pag. 899. Iulium Nigrum in Scriptorum Florentinorum Historia, pag. 261. 262 et Oudinum tomo III pag. 2623.

Cum de *Leonardo Aretino* dixerim supra pag. 269. de *Gvidone* pag. 229. de quo etiam infra in GVIDONE sum dicturus, haec de CAROLO MARSUPPINO, *Aretino*, notare juvat praeter ea, quae de illo Vossius pag. 578. Hist. Lat. Hic Carolus Eloquentiae Professor, ac deinde Cancellarius, sive Secretarius Florentinus fuit post Leonhardum Brunum Aretinum, cujus obitum A. 1444. scripta elegia decoravit, ipse extinctus est Mense Aprili A. 1453. laudatus pro funere a Matthaeo Palmerio. Praeter alia ejus poëmata Latina, quae adhuc MSta servantur, a) lucem vidit *Batrachomyomachia Homeri*, carmine reddita hexametro, Parmae 1492. 4. *Comaedia Philodoxios*, quam sub nomine *Lepidi* b) Comici antiqui venditavit Aldus Manutius junior Lucae 1580. 8. aliis ad Plautum, aliis ad Leonem Baptistam Albertum auctorem eam referentibus. Sed Carolo Aretino tribuitur etiam ab Alberto Eyb in Margarita poetica. *Oratio*, quam habuit praesente Anno 1452. Florentiae Friderico III laudant Ammiratus in historia Florentina itemque alii. c)

CAROLUS *Marsupinus Aretinus* junior, d) ad quem Marsilii Ficini Epistolae, et in cujus obitum Christophori Landini eulogium, sive elegia, et in quem hoc Angeli Politiani exstat epigramma:

> Carle quid obstrusas sapientum quaerere mentes
> Quid properas tetricos consuluisse senes etc.

CAROLI *Saxi*, Doctoris Parisiensis, *sermones de S. Bernhardo* in Bibliotheca S. Germani Parisiensis evolvisse se testatur Cangius.

a) Diarium Eruditorum Italiae tom. X p. 479. sq. Julius Niger de scriptoribus Florentinis p. 119.
b) Diarium laudatum tom. XI pag. 293.
c) id. p. 295.
d) Id. X p. 486. sq.

CAROLUS *Verardus* Caesenas Archidiaconus, et Cubicularius, ac Secretarius quatuor Pontificum Pauli IV. Sixti IV. Innocentii VIII et Alexandri VI scripsit prosa eleganti dialogis XXIII. sive scenis repraentatam actamque Ludis Romanis XI. Cal. Maji An. 1492. praesidente Innocentio VIII Pontifice *Historiam Baeticam* unius diei, sive de urbe *Granata* A. 1491 auspiciis Ferdinandi et Hellisabet Reginae expugnata, ad Raphaëlem Riarum, Cardinalem, Romae 1493. 4. Basileae 1533. fol. et in tomo secundo Hispaniae illustratae pag. 861. Francofurti 1603, fol. Vide Diarium Eruditorum Italiae tom. XXIII, pag. 378, seq. Argumentum dramati historico praemissum a Bartholino Verardo Caroli propinquo, legitur etiam in Gesneri Bibliotheca pag. 163. Obiit Carolus A. 1500, aetatis sexagesimo.

* Est apud me libellus exametris versibus scriptus dicatusque Petro Mendozae Toletano Archiepiscopo absque expressione loci, et temporis impressionis. Dramatico more concinnatus est. Praefationem dedit Carolus Verardus Caesenas Pontificis cubicularius, ibique explicat operis argumentum narrans Ferdinando Regi Hispaniarum, dum Barcinone conventus ageret, perditum quemdam struxisse insidias ad necem: eas tamen evasisse Regem non sine divino miraculo. Hoc carminis argumentum. Ait vero se drama illud prosa oratione scripsisse, scriptumque tradidisse Marcellino nepoti, et alumno suo, ut stricta pedibus oratione verteret. Inscribitur opus *Ferdinandus servatus.*

Historia Baetica edita est Romae anno non quidem 1493. sed potius sequenti 1494. argumentum metricum praefixum est a Bartholino Verardo nepote et alumno eiusdem Caroli.

Alexander CARPENTARIUS, Anglus, circa Annum 1430. Auctor *Destructorii Vitiorum*, in variis Angliae Bibliothecis MSti, atque sine nomine auctoris editi Norimbergae 1496. Venetiis 1582, 4. atque alibi. Vide Warthonum ad Caveum.

Gerhardus CARRARA Bergomas, Augustinianus, Episcopus Savonensis, qui Anno 1356 obiit. Scripsit Concordiam Novi et Veteris Testamenti, Concordantias Epi-

stolarum Pauli cum Salomone, Commentarium in Cantica Canticorum et in Pauli Epistolas: nec non in libro Sententiarum, et in librum sextum Decretalium.

Guido CARRARA Bergomas, quem Koenigius notat decessisse An. 1281 scripsisse que librum de causis rerum Longobardarum, et expositionem aenigmatum Petri, quos ego titulos, quia libros videre non contigit, fateor me non satis intelligere.

Guido CARRARA Bergomas junior, philosophus et Medicus, defunctus An. 1457 de quo Donatus Calvi in scena litteraria scriptorum Bergomensium pag. 298.

Joannes Michaël Albertus CARRARA Guidonis junioris Filius, Medicus, obiit Anno 1490. scripsitque praeter *vitam Patris* sui Guidonis, *Historiarum Italicarum libros XL. De Bello Veneto* per Jacobum Antonium Marcellum in Italia gesto librum unum versibus Heroicis. *De B. Clara* de Monte Falco Ordinis Eremitarum S. Augustini libros IV. *Admiranda*, acta Ludis Megalensibus Calixto III. Sacerdote Maximo, Frederico IV Caesare, Francisco Foscaro, Venetorum Duce: et *Orationem in funere Bartholomaei Coleonii.* Vide laudatum Calvum, et Diarium Eruditorum Italiae tomo XVI, pag. 447. seqq. Apud alios etiam memorantur ejus *de Incarnatione CHristi*, et *Tractatus septem de origine omnium scientiarum, Tragoediarum et Comoediarum libri III*, et *octo libri de regimine sanitatis, de pestilentia, fato et fortuna.*

* Praeter haec quae Fabricius indicavit, superest *Oratio Bergomi habita* An. 1466 cum Ludovicus Donatus Bergomensis Episcopatus possessionem primo adivit. Eam rem per litteras mihi olim nunciavit, vir quidam doctissimus, ex quo nihil aliud rescire modo mihi licet. *

Ex illa Carrararum familia fuit, qui An. 1716. 3 Septembr. rebus humanis valedixit Joannes Petrus Carrara Bergomas, a) Presbyter Oratorii Senogalliensis S. Philippi Nerii, qui Pisauri An. 1715, fol. edidit librum de Contractu trium contractuum, per quem justificatur contractus, quo ex credita ad certum tempus pecunia et ipsa tuta et lucrum certum habetur.

a) Diarium Eruditorum Italiae tomo XXVII pag. 461.

Bonaventura de CARRARIA, Perusinus Augustinianus et Cardinalis, defunctus An. 1390 scriptor Commentariorum in Epistolam Jacobi et tres Johannis Epistolas. Haec de eo Jacobus Longus pag. 668, seq Bibliothecae Exegeticae: sed non alium credas esse hunc *Bonaventuram*, quam *Baduarium de Peraga*, insidiis Reguli Patavini *de Carraria* An. 1389 interemtum, de quo dixi supra pag. 237 et de quo G. Joseph Eggs in purpura docta pag. 483 seqq.

Martinus CARSULANUS et *Vincentius* CARSULANUS, de quibus Raphaël Volaterranus libro XXII. Commentariorum Urbanorum: *Pontificum Romanorum, seu temporum eorum historias scripsere Vincentius et Martinus Carsulanus, Ordinis ambo Praedicatorum, Johannis XXII tempore* (circa Annum 1330). Non plura de his Vossius: et altum etiam de utroque apud Altamuram et alios silentium, qui de Dominicanis scripsere, etiam apud Jacobum Echardum, quem diligentiore studio apparatu novissime idem saxum cum Quetifo volvisse constat.

Alphonsus a CARTHAGENA, sive Carthaginensis Episcopus, atque inde Burgensis, in utroque praesulatu successor Patris PAULI *de S. Maria.* De Alphonso dictum pag. 69 seq. de Patre infra in PAULUS *Burgensis.*

Antonius CARTULARIUS, suo loco.

De CARTHUSIANIS Monachis scriptores pag. 265 in BRUNONE.

Hubertinus de CASALI ex Monacho Franciscano denique Carthusianus, circa Annum 1330 scripsit *Arborem vitae crucifixae JESU*, in qua caute quaedam legenda notavit Joannes Gersonius. Libri V memorati Trithemio cap. 525 prodiere Venetiis 1485. Verum in MStis Codicibus Ultrajectinis libros XV notavit Oudinus, quem vide tomo III, pag. 749. *De septem statibus Ecclesiae* juxta septem visiones Apocalypseos. Venetiis 1516, 4. *Responsio circa quaestionem de altissima paupertate CHristi et Apostolorum ejus*, Avenione in Con-

sistorio facta An. 1321. Pro fratribus mendicantibus *spiritualibus* contra *fratres de Communitate*, sive in commune aliquid possidentes, eorumque promachum *Bonagratiam* (de quo sopra pag. 234) editaque a Baluzio tom. I. Miscellan. pag. 307-310 et a Waddingo tom. III, Annalium ad Annum 1321. *Epistolas* quoque hujus Hubertini et *Sermones* Trithemius memorat et Waddingus pag. 328 Bibliothecae Franciscanorum, qui etiam in tomo secundo Annalium adeundus ad Annum 1321.

CASAURIENSE Chronicon, supra *Jo.* BERNARDUS pag. 568.

S. CASIMIRUS Casimiri III Poloniae Regis filius, regno Hungariae, ad quod electus erat renunciavit, obiitque in flore aetatis An. 1484 Sanctis adscriptus a Leone X, An. 1521. Vide Martyrologium Romanum 4 Martii, et Bzovium ad An. 1484, num. 27. Ejus *Hymnus in S. Mariam Virginem*, in Actis Sanctorum tom. I. Martii pag. 357 ubi etiam vita S. Casimiri scripta a Zaccharia Ferrerio et Gregorio Sviecicio.

CASINENSIS Monachi breve *Chronicon* rerum in regno *Neapolitano* gestarum ab Anno Christi 1000 ad 1212 editum ab *Antonio Caracciolo* inter quatuor antiquos Chronologos una cum Heremperto Longobardo, Lupo Protospatha et Falcone Beneventano appendicibus Historicis, Neapoli 1626, 4. Non unum illius esse auctorem putat *Camillus Peregrinus* in castigationibus, quas ad hocce Chronicon addidit ibidem 1643, 4. cum quibus illud recusum est in tomo primo Bibliothecae historicae regni Siciliae, curante *Joanne Georgio Carusio*, Panormi 1723. fol. et in tomo quinto Thesauri Italiae Muratoriani, a quo etiam idem Chronicon ex alio Codice: et pars quidem ab Anno 1000 ad 1154, pag. 139 sub nomine Domini ALBERICI, Monachi Cassinensis, et Praepositi S. Mariae de Albaneta: Altera ab Anno 1191 ad 1208, pag. 143 ex alio Codice.

Historia Monachi CASINENSIS *rerum a Longobardis gestarum in Cis-Tiberina Italia* ab Anno CHristi 840 ad 875 a Camillo Peregrino in historia Principum Longobardorum, Neapoli 1643, 4. et tomo Muratorii secundo, Burmanniani Thesauri Italiae nono.

CASINENSIS Monasterii Chronica, vide pag. 234 in ANASTASIO, atque infra, LEO Marsicanus, PETRUS Diaconus, PLACIDUS Martyr, ubi etiam de elogiis Abbatum Monasterii Cassinensis, vulgatis a *M. Antonio Scipione* Placentino, Neapoli 1630 et ex meliore editione 1643, fol.

Genselinus, sive *Gaucelinus* de CASSANHIS, aliis CASSAGNIES, Doctor Decretorum celebris, qui Tolosae et in Montepessulano docuit, inde Canonicus Biterrensis, atque Papae Johannis XXII. Capellanus et sacri Palatii causarum Auditor, scripsit *glossas* in ejusdem Papae *Constitutiones extravagantes*, ad Arnaldum Diaconum Cardinalem S. Eustachii: tum apparatum *in Decretales*, *in sextum Decretalium* et *in Clementinas*. Vide Baluzium tom. I. Paparum Avenionens. pag. 208. 738. 809 et Oudinum tom. III, pag. 880.

Andreas de CASSIA e Provincia Vallis Spoleti, Ordinis Eremitarum S. Augustini, scripsit librum ad Martinum V (qui Pontifex fuit ab Anno 1417 ad 1431) *contra imaginem nominis* Tabellulae, *quae est imago et signum Antichristi*, et contra Pseudo-Christos quos ait surrexisse in agro Dominico Zizania seminantes et ad idololatriam populos seducentes. Hunc librum in Regia Bibliotheca Parisiensi MS. evolvisse se testatur Oudinus tomo III, pag. 2331. Tabulas figuris exornatas altari praetendi solitas notavit Cangius, quem, si placet, vide.

Acta S. CASSIANI primi, temporibus Joviani, Ecclesiae Hortensis Episcopi, prosa et versu ab ANONYMO *Sanquintinensi* scripta, ex Codice Veteri Bibliothecae S. Germani de Pratis edidit vir celeberrimus *Justus Fontaninus* ad calcem librorum duorum de antiquitatibus Hortae, Coloniae Etruscorum Rom. 1708, 4. et tomo octavo Thesauri Italiae Burmanniani.

Joannes CASSIANUS, Constantinopoli Diaconus a) Romae Presbyter, atque inde

a) A Joanne Chrysostomo. Vide libro VII. de incarnatione cap. ult. Chrysostomi in plerisque

ab Anno 410 in Monastica vita consenuit Massiliae, a) obiitque major nonagenario Anno CHristi 444. Ab eodem *Massilienses* dicti pro Semipelagianis, de quibus abunde Usserius in Antiquitatibus Britannicis cap. XI seqq. et qui post Usserium historiam Pelagianam tradidere, Vossius, Henricus, Noris libro 2. et appendice ad dissertationem de quinta Synodo, Garnerius ad Mercatorem, atque editores operum *Prosperi,* qui contra Cassianum scripsit. Sed de Gennadio singillatim praeter editores adeundi Tillemontius tom. XIV Memor. Ecclesiast. Antonius Rufus in historia Massiliae libro XI. Oudinus tomo I pag. 1134. seq. et Guilelmus Cuperus in Actis Sanctorum 23. Julii tom. V pag. 458. sq. Cassiani scripta sunt.

1. *Libri IV. de institutis* Coenobiorum b) Mundoque renunciantium, ad Castorem, Aptae Juliae in Gallia Pontificem, cum *libris octo de remediis octo Capitalium vitiorum,* Gastrimargiae, spiritus fornicationis, philargyriae, irae, tristitiae, acediae, cenodoxiae et superbiae. Ex prioribus quatuor libris epitomen unico volumine composuerat EUCHERIUS Lugdunensis, teste Gennadio cap. 63. Illam epitomen Graece versam videtur legisse Joannes Climacus gradu IV. et Photius Cod. 197. eandem nempe, quae MS. in variis Bibliothecis, ut Caesarea, de qua Lambecius tomo IV, pag. 167. et tomo V, pag. 276. Regia et Jesuitarum Paris. teste Richardo Simone t. I. censurae in Bibliothecam Ecclesiasticam Dupinianam pag. 151 seq. Eandem ex Codice Altempsiano edidit cum Latina versione celeberrimus Montfauconus tomo III. Operum S. Athanasii pag. 366.

2. *Collationes Patrum* in Scetica a) eremo commorantium *libris XXIV.* ad *Leontium,* Papam Forojuliensem, et *Helladium* itidem Episcopum, quibus decem primores inscribuntur, ut undecima cum sex sequentibus *Honorato* Episcopo et *Eucherio,* quos sanctos fratres appellat: et duodevigesima reliquaeque *Joviniano, Minervio,* alteri *Leontio* et *Theodoro.* Ex his duodevigesima est de tribus generibus monachorum, qui sunt *Coenobitae, Anachoretae,* et *Sarabaitae* sive suo jure, nulla regula viventes, et de quarto, quod ait recens accessisse *gyrovagorum.* Collatio decima tertia est celebris illa scripta circa Annum 426 damnata a Gelasio Papa et Arausicana Synodo, cui PROSPER circa Annum 432. *librum contra Collatorem* opposuit, et quae in Prosperi Opp. sicut Prosperi liber cum Cassiano saepius variis in locis prodiit. Etiam priorum collationum VII. Epitomen Latinam EUCHERIUS composuisse videri potest, nam et ejus Graecam versionem legit Photius Cod. 197. et Manuscriptam illam in Caesarea Biblioth. notavit Lambecius tom. IV, pag. 166.

(69 *Volgarizzate nel Secolo XIV. Lucca* 1856, 8. e *Tradotte da Bened. Buffi Eremita Camaldolense Venezia* 1563, 4.)

3. *De incarnatione CHristi, contra Nestorium* libri VII. ad Leonem Romanum postea Episcopum, primum editi Basileae 1534, 8. multis adhuc locis, Vossio Epist. 404. judice, medicam manum desiderantes. Prodiere etiam in Jos. Simleri Scriptis veterum Latinis de una persona et duabus naturis JESU CHRISTI. Tiguri 1572, fol.

Libri de institutis Coenobiorum et de octo vitiorum remediis prodiere Venetiis 1481, fol. et cum Collationibus Patrum Basileae 1485, fol. 1497, 4. Lugduni 1516, 8. Inde additis etiam libris adversus Nestorium *Marco Hoppero* curante Basileae 1559, fol. ad calcem operum Joannis Damasceni,

discipulum Cassianum notat Grotius ad Lucae XXIV, 28.

a) Massiliae monasterium in honorem S. Cassiani Abbatis etiamnum viget, ubi colitur ejus memoria 23. Jul. et ante ejus sepulchrum lucerna ardet die noctuque. Vide Pagium ad Annum Christi 432 num. 18. et de patria Cassiani Gallo-provincia ad Annum 404, num. 22, seq. An. 419, num. 58. seq. An. 426, num. 15. seq.

b) Orientalium et Ægyptiorum maxime et apud Thebaidem fundatorum, quorum rationes inprimis expertum Cassianum scripsit Castor in praefixa his libris ad Cassianum Epistola.

a) apud Photium: περὶ τῶν κατὰ τὴν Σκήτην ἁγίων. De Sceti eremo Ægypti a Monachis a tertio saeculo frequentata, rem notam memoro, unde error manifestus eorum, qui de Scythia cogitavere, et Scytham fecerunt Cassianum.

et 1575, fol. Hinc cum *Henrici Cuickii*, Theologi Lovan. et postea Ruremundensis Episcopi notis Cassianum a Pelagianismi nota absolventibus, Antwerpiae 1578 et ex *Petri Ciacconii*, Presbyteri Toletani, castigatione cum interpretatione obscurarum vocum et indice locorum sacrae Scripturae, quae explicantur vel aliter leguntur, Romae 1588, 1611, 8. et cum notis *Alardi Gazaei* Coenobitae Vedastini, Ordinis S. Benedicti, qui Cuickii etiam annotationes et Ciacconii, et flores sive sententias ex Cassiano collectas, et regulam S. Pachomii adjunxit, librumque S. PROSPERI de Gratia DEI, et DIONYSII *Carthusiani* Doctrinam Catholicam Collationi XIII. substitutam. Duaci 1616, 8. duobus Voluminibus, et ex iterata recognitione, notisque auctioribus Atrebati 1628, fol. Parisiis 1647. fol. et novissime Lipsiae 1722, fol. apud Thomam Fritsch. Opera Cassiani ex Gazaei recensione, sed sine notis obvia etiam in Bibliotheca Patrum Lugdunens. tomo VII. Versionem illorum *Hispanicam* ad praelum paratam habuit Jacobus Rebullosa, Ordinis Praedicatorum, teste Jacobo Echardo tomo II. pag. 422. Collationes Patrum *Belgice* MSS. A. 1419. fuere in Bibliotheca Gustavi Schroederi, τοῦ μακαρίτȣ, Pastoris Glückstadiensis in Holsatia. Paraphrastica enarratio librorum de institutis Coenobiorum et Collationum Patrum, auctore DIONYSIO Carthusiano lucem vidit, addita etiam Joannis Climaci scala Paradisi, Coloniae 1540, fol. *Joannis Baptistae Guessnay* Soc. Jes. Joannes Cassianus illustratus. Lugduni 1652, 4. quo in libro, Norisio judice, non qualis fuit, sed qualem voluit esse, Cassianum lectoribus exhibuit. De Cassiani doctrina additamentum *Didaci Alvarez* lib. 1. disputat. 2. de auxiliis Divinae Gratiae et liberi arbitrii, *Bruno Neusserus* in prodromo adversus Norisium pag. 49, 54, 84. seq. etc.

Alius S. CASSIANUS Episcopus et Martyr, Patronus Comachii, de quo jam secundum excusus liber Ferrariae 1716, 8. a) poësie di varii autori per la translazione dell' ossa del glorioso Vescovo e Martire S. Cassiano, protettore della Città di Comacchio.

a) Giornale de' letterati d' Italia Tom. XXVII. pag. 450.

Magnus Aurelius CASSIODORUS, sive, ut in antiquo MS. Veronensi ter scriptum illustris Maffejus reperit, CASSIODORIUS SENATOR, in aulis regum Gothorum Theodorici ejusque successorum gratiosus Praefectus Praetorio et Anno CHristi 513. Consul, deinde postremis annis ab A. 534. in Monasterio inter libros et sacras meditationes consenuit, producta ultra annum XCIII aetate. De eo non repetam, quae dixi in Bibliotheca Latina lib. III. cap. 16. sed tantum addam (praeter librum ultimum Epistolarum Plinii itemque Symmachi) primum esse Cassiodorum et antiquissimum inter eos quos habemus, qui Regias Epistolas Regiaque Diplomata collegerit et ad posteros transmiserit: quo ipso utilissimo instituto insignem lucem accendit historiae illorum temporum, Jurisque publici studiosis egregiam praestitit operam, atque exemplo praeclaro aliis praeivit. Dignum autem insigne hoc opus *Variarum*, novo adhuc idonei atque eruditi viri studio, cum in superioribus editionibus, ac postrema etiam Garetiana sint, quae adhuc merito desiderentur, ut patet vel ex iis quae monuit Richardus Simon in censura Bibliothecae Ecclesiasticae Dupinianae, Gallica lingua editae tom. I pag. 211. sq. Aliquot editionis Augustanae 1533. fol. exempla fuere apud Stephanum Baluzium, quorum uni adscriptae notae Petri Pithoei, alia collata cum MSS. fuit etiam, quod Goulartius cum MS. Cujacii contulerat. In Commentario ad Psalmum CXLV. Cassiodorus *librum animae*, sive de anima, testatur *tertium decimum in Variarum opere contineri*, quod ab editoribus hactenus, etiam a Garetio neglectum. In illo Commentario, insistentem vestigiis Psalmodiae Romanae, sive S. Hieronymi, Romae ad instantiam Papae Damasi publicatae Cassiodorum, notavit Jacobus Faber Stapulensis, praefatione ad Psalterium suum quintuplex, Gallicum, Romanum, Hebraicum, Vetus, Conciliatum. Parisiis 1509, fol. Ex praefatione Cassiodori

ad Psalmos multa ad verbum Anonymus a Stevartio editus de Benedictione Dei ad Bathericum Ratisbonensem Episcopum, in nova Basnagiana Lectionum Canisii editione tom. II. parte 2, pag. 23. seq. Quae praefationem in Historiam Ecclesiasticam tripartitam claudunt verba : *Cassiodori Senatoris, jam Domino praestante conversi explicit praefatio*, non satis confirmant Cassiodorum ex Ethnico factum Christianum, sed possunt, ac debent ni fallor, de vita Monastica intelligi, quam postremis vitae annis rerum aulicarum pertaesus Cassiodorus vitae mundiali praetulit.

Novissime ab sollertissimo laudati illustris Maffeji studio, a quo novam etiam Operum Cassiodori editionem a) Veronensibus describendam typis, jussi sumus exspectare, accepimus *Complexiones* ejus, sive explicationes breves *in Epistolas Apostolorum, in Acta et Apocalypsin*, ex MS. Canonicorum Veronensium primum in lucem data Florent. 1721, 8. ex qua editione cum eruditam Sam. Chandleri Episc. praefatione recusae sunt Londini 1722, 8. atque inde Roterodami 1723, 8. Specimen characterum Codicis antiquissimi Veronensis, aere descriptum, utile et jucundum est pone frontem libri intueri. Harum complexionum ipse mentionem facit Cassiodorus in praefatione libri de Orthographia.

CASTELLANUS *Bassianensis*, cujus carmen jam supra pag. 171. memoravi dicatum An. 1327. Francisco Dandulo, Venetiarum Duci, de pace Venetiana, sive Venetiis inita inter Fredericum Barbarossam Imperatorem et Alexandrum III. Pontificem Maximum, cum Venetiarum Princeps foret Sebastianus Zanus. Carmen *pro temporibus istis sane elegans, inter veras historias magis quam falsas fictasque poëtarum fabulas numerandum*, ut Bernhardo Scardeonio in secundo de rebus Patavinis suffragatus scribit Vossius pag. 798. de Historicis Latinis. De pace illa videndus Baronius ad Annum 1177. Sed carmen adhuc ineditum esse existimo.

Gualterius Philippus CASTELLIONIUS, infra, GUALTERIUS, scriptor Alexandreidos.

Amandus de CASTELLO, supra, pag. 77. AMANDUS.

CASTERTONUS, Baleo VI. 79. Pitseo pag. 547. et Lelando cap. 371. CASTRODUNUS, Norvicensis Monachus S. Benedicti circa Annum 1382. scriptor Commentariorum in aliquot Epistolas Pauli, atque in Apocalypsin.

Franciscus Dantis F. CASTILIONENSIS, sive CASTILIONEUS, Canonicus S. Laurentii et Professor Theol. atque An. 1471. Decanus Florentinus, clarus amicitia tum aliorum virorum illustrium, tum Jacobi Picolominei, Cardinalis Papiensis, et Marsilii Ficini, quae ex mutuis horum Epistolis cognoscitur: scripsit An. 1459. eo ipso anno, quo *S. Antoninus* obiit, Archiepiscopi hujus Florentini *vitam*, de qua jam supra pag. 111. mentionem facere me memini. De caeteris, maximam partem ineditis vide Vossium pag. 595. Oudinum tom. III. pag. 2262. et Julium Nigrum in Florentinorum scriptorum historia pag. 490. inprimis Diarium Eruditorum Italiae tom. XV. pag. 328. seqq Illa sunt: Vitae *Victorini Feltrensis*, sui Praeceptoris: *Orlandi Bonarli*, Archiepiscopi Florentini: *Christophori de Poggio*, Archipresbyteri Bononiensis et S. Antonii Vicarii Generalis: Confessoris *S. Dominici*, et ex Dominicanorum Ordine SS. *Vincentii Ferrerii, Petri Veronensis* Martyris, *Thomae Aquinatis*, *Antonii de Ripolis* a) (Rivoli) Pedemontani, discipuli S. Antonini et a Tudetanis, quod post transfugium, a Mahomedanis ad Christianos redierat, occisi. *Sermo* ad Canonicos S. Laurentii Florentiae *de vita S. Marci*, in quo de dignitate Ecclesiae patriae S. Laurentio sacrae, et sanctorum re-

a) Bibliothèque Italique tom. IV. pag. 294.
Giornale de' Letterati d' Italia tom. XXXIII. parte 2. pag. 585. tom. XXXVI. pag. 527. Journal des Sçavans An. 1722. Decembre pag. 665. Acta Eruditorum A. 1723. p. 21. *Historie der Gelehrsamkeit* p. 297.

b) Hanc Leander Albertus lib. 2 pag. 59. una cum S. Antonini vita lib. 3. pag. 94. inseruit operi suo de viris illustribus Ordinis Praedicatorum. Bonon. 1517. fol.

liquiis in ea asservatis. *Oratio* ad fratres Medices. *Carmina* ad magnificum virum Cosmum Medicem et ad ejus filios. Epigramma in obitu Cosmi Medices ad Alexandrum Gonzagam, et in obitu Lucretiae matris Laurentii Medices. *Epistolae* ad Alexandrum Gonzagam, ad Cosmum Medicem Patrem de morte Joannis: ad Laurentium et Julianum Medices in morte Petri Medices: et *Expositiones in Davidis Prophetae Mysteria.*

* Ex eius Epistola ad Hieronym. Aliotatum Abb. Ord. S. Benedicti scriptum ab ipso Francisco discimus libellum Theologicum *in quo multa etiam Physica et Mathematica etiam nonnulla permixta erant;* quem libellum ipse ad Aliottum hac ipsa epistola emendandum, et approbandum misit. Datae sunt literae illae Florentiae die 7 Julii 1452. vulgavitque ex illis frustum P. D. Marianus Armellini in Biblioth. Benedictino Cassinensi I. 207.

Martyrium Antonianum, sive Antonii De Ripolis ab eodem Francisco scriptum, et ad MSS. Codices recensitum typis Florentinis vulgavit P. Jos. Orsi Ord. Praed. qui et notas adiecit in 4. 1729.

CASTOR Aptensis, sive Aptae Juliae in Gallia Episcopus ab Anno 419. ad 431. Ejus Epistola ad Cassianum Abbatem Massiliensem inter MSta Bibliothecae Paulinae Lipsiensis pag. 155. eadem, quam Alardus Gazaeus ex Codice Elnonensis Monasterii S. Amandi praemisit libris Johannis Cassiani (de quo supra) de institutione Coenobiorum, quos ipsos ille Castori huic dedicavit.

Joannes CASTOR, sive CASTORIUS, vulgo a) *Bever*, sive *Fiber*, Monachus sub Benedicto Bursino Monasteriensis, scriptor *Chronici*, quod manu exaratum in Cottoniana et aliis Angliae Bibliothecis *ab Ænea ad Henricum III* sive ad Annum Christi 1216. Vossius, qui etiam *Commentarium* ejus *de rebus West-Monasteriensibus* commemorat, ait Chronica ejus produci a fabuloso Bruti in Angliam adventu usque ad Annum 1306.

a) Schol. Juvenal. XII. 32. *Castorem Bebrum dicit.* vide et ad II. 106. et Vossii etymologicum in *Castor.*

Guido de CASTRIS Abbas S. Dionysii, Ordinis Benedictini in Gallia ab Anno 1294. ad 1310. Composuit *Sanctilogium*, sive duo Volumina de Sanctis per anni circulum, quae Usuardi Martyrologium glossatum complectuntur. MS. in variis Bibliothecis Angliae Galliaeque. Vide Oudinum tom. III pag. 652. qui evolvit hoc opus MStum in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis.

Chronicon breve Coenobii S. Petri CATALAUNENSIS ad Matronam in Campania ab Anno Christi 1009. ad 1223. in Labbei tomo I Bibliothecae novae MSS. pag. 296. 297.

CATALDINUS *de Bonis Compagnis,* sive *Boncompagnius de Visso*, clarus circa Annum 1431. cujus scriptum *de translatione Concilii Basileensis* exstat in Oceano Juris, sive tractatu tractatuum, Venet. 1584. tomo XIII pag. 15. 24.

* In Biblioth. Felini extat repetitio *proficisci* in L. *Observare* ff. de officio proconsulis per Dom. Baldum de Perusio cum tractatu additionum D. Cataldini de Boncompagnis de Visso et cum aliis additionibus D. Angeli de Perusio. Est autem liber impressus Ferrariae per Sevecinum Anno 1476. Ad hunc librum annotat Felinus. *Nota quod apud Sozinum sunt additiones istae D. Cataldini et sunt 1570 unde puto has imperfectas, dum non sunt in hoc volumine nisi numero 281.*

Huius auctoris tractatus scriptus ad Joannem XXIII contra Pontifices eius adversarios et iuri eius defendendo prodiit ex MS. Cod. Lucēnsi in meo Concil. supplemento tom. III. 1193.

S. CATALDUS Episcopus secundus, ut ferunt *Tarentinus*, cujus aetas, quam ad Seculum secundum referunt, et acta incerta noscuntur, quanquam memoria ejus velut miraculis clari recolitur in Martyrologio Romano 10. Maji. Vide Petrum de Natalibus lib. IV. Catalogi Sanctorum c. 143. et Ughellum tom. IX Italiae sacrae p. 122. seq. editionis novae, et de *libro Prophetiarum* Cataldi per miraculum, ut ajunt Anno 1492. effosso apud Tarentinos et ad Regem Hispaniae Ferdinandum allato, Bzovium ad illum Annum, num. 51. seq. et Acta Sanctorum tomo II Maji pag. 576. Sed quo re-

ctius Lector possit de his, quid sentiendum sit, conjicere, duo adscribam de his contraria testimonia, unum Alexandri ab Alexandro plurimis stipatum suffragatoribus, alterum Johannis Joviani Pontani. Ita vero Alexander libro III genialium dierum capite 15. *Quum florente fortuna Ferdinandi primi Regis Arragonii, urbs Neapolitana et regnum, nullis adhuc belli calamitatibus premerentur, satis constat, Cataldum sanctum virum, qui abhinc annis mille Pontifex urbi Tarentinae praefuit, quemque patronum Tarentini cives venerantur et colunt, nocte intempesta, ministro sacrorum cuipiam tunc sacris initiato, et in casta religione educato, semel atque iterum in somniis apparuisse, ac monuisse, ut libellum a se conscriptum, quem in abdito loco vivens abdiderat, in quo Divina arcana scripta erant, effodere, et protinus ad Regem deferri curaret. Qui quum parum fidei somnio dedisset, eadem sibi per quietem saepius obversata specie, quum primo diluculo solus moraretur in templo, ipsum Cataldum, qualis erat olim dum in vita ageret, pontificia veste et infula amictum, eidem ministro plane vigilanti apparuisse, et praedixisse, ut postera luce quum primum posset, libellum a se conscriptum, in abdito loco quem in somniis praedixerat, conditum, effodere, et Regi deferre ne cunctaretur, poenam, nisi fieret, graviter comminatus. Postera luce solemni pompa ministrum cum populi comitatu ad latebram, in qua longissimo aevo libellus latuerat, processisse: eumque plumbeis tabellis obsignatum, et clavis obseratum invenisse, satis constat. In eo certum est, futurum regni excidium, miserias, calamitates, et luctuosa tempora, atque instantia mala, quae postea sequuta sunt, Regi praedixisse. Id quod experimento docti, magna mercede persolutum vidimus. Siquidem tanta vis Divinae praedictionis fuit, ut haud multo post, ipsum Ferdinandum, seu deûm ira, seu fato insuperabili, quod vitari non potuit, in primo belli apparatu e vita constet excessisse, Carolumque Gallorum Regem ingenti coacta manu, innumeris copiis Neapolitanum omne regnum invasisse: Alfonsumque Ferdinandi primogenitum, post patris obitum vix regno assumptum, regno orbatum, turpi fuga velut in exilio diem suum obiisse. Mox ipsius Filium Ferdinandum juniorem* etc. Haec Alexander, cui consentientes laudat Joannes Bernardinus Tafurus a) Joannem Juvenem libro de varia Tarenti fortuna, Hieronymum Marcianum in MSta descriptione Provinciae Hydruntinae, Petrum Galatinum de Ecclesia destituta lib. VIII. cap. 2. Joannem Paulum Morellum in descriptione Tarentinae Urbis, Thomam Arcudium, Ordinis Praedicatorum, in libro cui titulus: Galatina letterata, Ambrosius Merodius in MSta historia Tarentina, Franciscum Antonium Andradam in expositione prophetiarum S. Cataldi, et vitae ejus scriptores Cataldum Antonium Cassinellum, Bartholomaeum Moronum ejusquè fratrem Bonaventuram Moronum, Ordinis Minorum, cujus libri sex *Cataldiados* versibus scripti heroicis cum vita, quam frater prosario sermone tradidit, prodiere Romae 1614. Tot et pluribus, qui possint adduci, fabulae hyperaspistis ac affirmatoribus, age unum opponere datur Johannem Jovianum Pontanum, cujus haec sunt libro 2. de sermone capite 17. tom. II Operum pag. 1623. *Vix aliqua vitae species est, ad quam sese dissimulatio non insinuet: quod non ita multis post annis Frater Franciscus Hispanus docuit. Is quamvis rudis atque indoctus, tactus tamen audacia, atque ambitione, pulpitum ascendere est ausus, tantoque sive fastu, sive temeritate, palam ut assevararet, praedicare se de religione, Christianisque de rebus, docente ac dictante angelo, cujus admonitu et futura quaedam praediceret, et qui cum divis in coelo e mortuis agerent, qui rursus apud inferos cruciarentur, sciret ac proferret. Denique cum Ferdinando persuadere arte nulla aut ratione posset, ut* universam JUDÆORUM gentem omnino exterminaret e regni finibus, *exemplo Ferdinandi patruelis Hispaniarum regis, Tarenti cum ipse ageret commentum*

a) Notis ad Antonii de Ferrariis Galatei librum de situ Japygiae pag. 82. tom. VII. sylloges, cui titulus: raccolta d' opuscoli scientifici e filologici. Venet. 1752, 12.

hoc iniit. E plumbo tabulam divi Cataldi nomine clanculum a se inscriptam haud Tarento procul in sacello semidiruto sub parietem occuluit, quam triennio post eruendam curavit corrupto sacerdote, qui diceret, in somnis astitisse sibi Cataldum monstrantem quo in loco tabella esset abdita, commonentemque uti cum populo supplice, collegioque sacerdotum iret ad effodiendam illam, quam effossam curaret ad regem deferendam, communicandam ab eo uni tantum viro, quem e suis optimum nosceret, ac maxime fidum. DEUM enim iratum illi futurum, cladenque ac calamitatem immissurum, ni quod in tabula scriptum esset, et cautum, a rege praestaretur. Scriptum vero ipsum per ambages quasdam, ac latebricosa verba eo spectabant, uti JUDÆORUM EXTERMINATIO *indicaretur. Rex accepta tabula deprehendit fraudem, qua deprehensa minime Franciscum ad eam legendam secum adhibuit, arbitratus eum interpretaturum verba in eam sententiam, dissimulavitque rem ipsam summa cum taciturnitate ac prudentia. At Franciscus re cognita, furore percitus, quod tantum commentum falsum eum habuisset, non populo, non regi, vix ipsi Cataldo publicis pepercit in praedicationibus, intantumque incanduit, ut Italia ferme omnis, ipseque in primis Romanus Pontifex de tabulae hujus fuerit inventione solicitus, atque anxius.* Haec Pontanus.

* An vera sint, quae de scripto a S. Cataldo libro feruntur, ignoro; quia nec facile incertae huic famae assensum praebuerim. De inventione tamen libri utcumque ille fuerit magis certa traditurus sum ex auctore coaevo Stephano scilicet Infessura, qui tunc scribebat urbis Romae diarium vulgatum ab Eccardo Corpor. Historic. t. II, pag. 2004.

Eodem mense Aprili in Apulia apud Brundusium miraculose repertus fuit quidam liber sub terra clausus cum tabulis plumbeis, in quarum una erat formata crux Domini, cum literis; videlicet: C. R. A. T. et in alia erant literae videlicet Cataldus Rau Archiepiscopus Tarentinus. Et non aperiatur nisi per regem cum fideli suo. Qui liber fuit portatum ad Regem Ferdinandum, qui noluit illum aperire priusquam constaret per veras probationes quod talis liber esset antiquus, et quod miraculose repertus fuisset. Nam Cataldus qui inter Sanctos deputatus est, fuit tempore, quo fuit etiam Joachimus Abbas, qui scripsit de Pontificibus futuris usque ad nostra tempora. Nam dictus Joachimus fuit de anno 1175. Modus autem quo fuit repertus, fuit talis, videlicet, quod in quadam Ecclesia dicti loci erat quidam Presbyter bonae vitae, cui in somnis venit dictus S. Cataldus bis nuncians ei, ut ipse presbyter una cum Episcopo illum locum foderent in dicta Ecclesia, ubi erat quaedam imago Virginis M. cum Christo infante in brachio, qui Christus respiciebat et digito ostendebat locum faciendae fossionis, dixitque ei in somnis ut librum, quem invenirent portarent ad Regem aperiendum. Cumque dictus Presbyter esset negligens in hoc, fertur praefatum S. Cataldum visibiliter ei apparuisse, mandasseque ei aliqua inter signa quae habuit a dicto S. Cataldo. Et postea accedentes et fodientes invenerunt librum praedictum, quem in continenti portaverunt ad dictum Regem. Qui rex tamquam incredulus praemissorum ipsum Episcopum et presbyterum carceravit quos postea cognita veritate, quod hoc non fuisset fraus, dimisit. Nescitur tamen in dicto libro quid contineatur.

Joannes Maria CATANÆUS Novariensis, Gaudentii Merulae, Demetriique Chalcondylae discipulus famae nomen suum feliciter inseruit erudito *in Plinii Epistolas* et *Panegyricum* Commentario a) primum edito Venetiis 1500. ac Mediolani 1505. fol. Hasce editiones plures deinde insecutae sunt, quas in Bibliotheca Latina notatas Lector reperiet. Caetera Catanaei scripta, Jovio in elogiis pag. 174. et Lazaro Augustino Cottae in Musco Novariensi Italice edito Mediolani 1701. fol. pag. 174. seq. memorata sunt, Latina *Progymnasmatum Aphthonii* versio, nec non *Luciani amorum, Lapitharum et Legum scribendae Historiae*, et *Iso-*

a) *Accuratissimum interpretem* Plinii, scriptoris accuratissimi vocat Muretus XVI. 12. Var.

cratis Orationis, qua Evagoram Cypri Regem pro funere laudavit. Praeterea, quibus est immortuus, compositi ab eo *dialogi duo*, unus *de potestate et cursu Solis ac Lunae*, alter *de ludis Romanis*. Scripsit et senex poëma Latinum, *Genuam*, a) in gratiam heri sui, Bendinelli Sauli, Cardinalis, cui Romae operam Epistolis scribendis praestitit: et Italico carminis octonorhythmici genere, *Solymidem*, sive de bello sacro, quod pro Palaestina Saracenis eripienda A. 1096. seq. suscepit gessitque Godofredus Bullioneus. Vitam produxit usque ad A. 1530. cum prius An. 1527. occupata a Caesareanis Urbe, librorum b) rerumque suarum jacturam fecisset. Ut venae ejus specimen Lectori a me offeratur, en ejus *descriptionem bombardae* majoris, qua illi placuit commentarios suos in Plinii panegyricum concludere.

Quid non audebunt mortalia pectora? quando
Fulmina, terribiles tonitrus imitantur, et ignes?
Namque reperta fero muralis machina bello,
Seu Meroë solers, fortis seu Rheticus omnes
Ingenii vires effudit, cum tonat, ignem
Fulmineum montis speculatus vertice ab alto
Excussit trunco teretem, medioque cavatam
Magna parte sui, totamque ex aere coactam,
Sphaeraque de ferro penitus cava viscera complet.
Sive super curru vehitur, seu celsa tuetur
Castra loco, infuso nitrato pulvere rimam
Per tenuem focus exsurgit; mox impete vasto
Excutitur magno sonitu, magnoque tremore
Ferrea massa volans; non dura repagula contra,
Non solidae turres, nec maenia lata, nec agger
Ferre valet, quocunque ruit, concussa rescindit
Oppida, prosternitque solo tabulata, trabesque,
Cardinibusque fores firmis, pontesque resolvit.
Una etiam totas dejecit vulnere pugnas.
Multiplici consuta modo lorica, nec ensis,
Lancea, nec clypeus, nec thorax profuit aeneus.
Omnia convolvit, pedites, equitesque, ferosque
Membraque corporibus divulsa per aera jactat.
Desuetus bello est aries, ballista molares
Effundens, tremebundo extincta phalarica fumo.
Abstulit haec tormenta nova virtute Boarda,
Sive placet Bombarda magis, quae dicta boatu:
Seu bombo procul existens mortalia corda
Territat horrendo strepitu, longoque fragore.
Num satis illud erat, quod vibrat ab aethere telum
Jupiter? excindi simili nisi lampade terras?
Tanquam nulla forent nostrae compendia vitae.

a) Laudat Gyraldus l. de poëtis sui temporis pag. 42.

b) Clarmundus tomo VI vitarum pag. 145. Diarium Eruditorum Italiae tomo decimo pag. 244.

Adam CATHANESIUS, supra, p. 9.

CATHARINA *Bononiensis*, Ordinis S. Clarae Abbatissa, libellum *de Revelationibus An. 1438. sibi factis* scripsit, editum Bononiae 1511. 1556. et Venetiis 1583. Veronae natam se, et Ferrariae educatam, CHristoque desponsatam ipsa apud Waddingum pag. 88. Bibliothecae Ordinis Minorum diserte profitetur, solet tamen *Bononiensis*, non *Veronensis*, vel *Ferrariensis* appellari, quia majorem partem vitae transegit Bononiae, ibique defuncta est Anno 1463. 9 Martii, quo coli eam sacro officio indulsit Clemens VII. et Martyrologio Romano inscribi Clemens VIII. Scripsit et eodem Waddingo teste Catharina sua manu, idiomate Latino, quod egregie callebat, *Rosarium metricum de Mysteriis Passionis CHristi Domini*, et vernaculo sive Italico libellum *de septem armis necessariis subeunti certamen spirituale*.

CATHARINA *de Gewesweiler*, Priorissa Subtiliensis, sive Unterlindensis, Ordinis Dominicani, Colmariae in Alsatia diem obiit circa Annum 1330 propior septuagenariae, scripsitque librum *de vitis primarum sororum* illius Monasterii, in quo educatam se a pueritia fuisse profitetur. Primus edidit Bernardus Pez tomo VIII. Bibliothecae asceticae antiquo-novae pag. 35-399. Ratisbonae 1725, 8. ex recensione Matthiae Thanneri, Carthusiani Friburgensis, qui ad praelum destinato praefationem et appendicem quoque adjunxerat, quae et ipsa hic a laudato Pezio pag. 400-452 exhibetur. Idem monet librum hunc in Codice Baluziano et apud Jacobum Echardum tom. II, pag. 831 perperam tribui ELISABETHAE STAGLIN, natione Helvetiae.

S. CATHARINA *Senensis* etiam ipsa Ordinis Dominicani Virgo, magna cum viveret auctoritate, et post mortem quam Romae Anno 1380, 29 Aprilis obiit. Sanctis adscripta a) a Pio II. An. 1461. Vide Vitam Catharinae a RAYMUNDO de Vineis Capuano apud Surium 29 April. et in Actis Sanctorum 30 April. tom. III, pag. 853. Bzovium ad Annum 1370, num. 20. seqq.

a) Laërtius Cherubinus t. primo Bullarii pag. 386.

S. Antoninum summae historicae tit. XIII, cap. 14. seqq. tom. III, pag. 692. seqq. Processum contestationum super sanctitate et doctrina B. Catharinae de Senis per FRANCISCUM DE VIVIANO, Notarium, et STEPHANUM DE SENIS, Ordinis Carthusiensis, apud Edmundum Martene tom. VI monumentorum pag. 1238 et 1369-1386, ubi et Bulla Sixti IV qua Catharinam hanc cum sacris stigmatibus pingere aut pictam vel fictam habere, tanquam soli Francisco proprium, sub gravissimis poenis prohibetur. De scriptis S. Catharinae non est hujus loci plura referre, cum non Latine illa scripserit, sed Italice: quanquam exstant a RAYMUNDO Latinae versiones *Dialogorum* de Providentia DEI et *Orationum* quarundam, Ingolstad. 1583, 8. Coloniae 1601. Venetiis 1611, 8. et *Divinae doctrinae* a) *datae per Personam aeterni Patris, intellectui loquentis*, Coloniae 1553, fol. *Epistolae CCCLXIV* non modo Italice lucem viderunt Venet. 1500, fol. verum etiam Gallice Parisiis 1644, 4. Sed novissime opera omnia Catharinae non sine auctario junctim excusa sunt Italice Senis 1707, 1721, seqq. 4, tomis quinque, b) una cum Vocabulario Catháriniano. *Opere della serafica santa Caterina da Siena.* Curam editionis gessit Hieronymus Gigli, notas *Epistolis*, quibus ineditae antea XXIII accessere, addidit Fridericus Burlamachus, Soc. Jes. Praemittitur vita a Raymundo Capuano scripta ex interpretatione Italica Barduccii Canigiani, et *Dialogis* praeter tractatum quintum adjungitur Apologia Raphaëlis Mariae Filamondi, Episcopi Sessani, contra Catharinae obtrectatores.

* Qui S. Catharinae huius vitam scripserint non unus fuit Raymundus, de quo hic Fabricius, alii etiam plerunque ignoti commemorantur in processu contestationum S. Catharinae Senensis vulgato a P. Martene Vet. Mon. t. VI. ibi enim ad pag. 1290 haec leguntur: *Hunc actualiter Venetiis, scriptores ultra alios qui desunt qui ad petitionem diversorum habuerunt scribere opera virginis* (S. Catharinae) *et aliquando ut plurimum in Latino; quandoque vero vulgari sermone* etc. *Dictorum autem Scriptorum unus appellatur Guillelmus de Apulia magister scholarum; et moratur in contrata S. Severini* (alius est a Gulielmo Apuliensi, de quo Fabricius suo loco) *alius dicitur Henricus de Aprussia, magister scholarum in contrata S Joannis; alius Ludovicus in contrata S. Leonis; alius vocatur Augustinus in contrata S. Viti; alius dictus Andreas de civitate castellana in contrata S. Mariae novae.* Scripsit etiam de celebri hac muliere opusculum Jacobus de Militibus de Monte Politiano. Ibid. pag. 251.

(70 Vide et Praefationem, qua editio Hier. Gigli incipit.)

Si quis vero acta illa perlegerit, intelliget profecto nonnisi per summam impudentiam asseri ab hetherodoxis scriptoribus revelationes S. Catharinae confictas esse a F. Raymundo, cum Raymundus ille vir fuerit gravissimus, ut tantae imposturae creandae impar haberi debeat. De eius sanctimonia Stephanus de Maconibus Carthusianus olim totius ordinis Antistes ibidem pag. 1388 testimonium affert. Insuper eadem virgine dictante scriptas illas affirmat ibidem F. Bartholomadus de Ferraria inquisitor Ferrariensis vir doctus et pius. Id ipsum sensisse tunc cum haec acta excipiebantur a tabellione, affirmarunt illi omnes, qui Virginem illam superstitem viderant, et cum illa consuetudinem habuerant familiarem, quinque tunc vocati testimonium jurati tulerunt.

CATHARINA filia S. Birgittae Sveciae (de qua supra pag. 258. sq.) defuncta A. 1381. (al. 1390.) de qua Surius et Acta Sanctorum 22. Martii, et Bzovius ad Annum 1381. num. 23. seqq.

* Ut certo definit Diarium Vazstenense a Benzelio vulgatum. Vitae eius historiam rhithmico metro scripsit Joannes Benecchini de Calmarnia Oelandensis, qui anno 1461. obiit. Incipit: *Laetare Sion filia, jocunda fac tripudia.* Vide idem Diarium ad an. 1461. Idem pariter scriptor dedisse legitur ibidem historiam *de S. Simeone*, quae incipit: *As-*

a) Confer Oudinum tom. III, pag. 1150, seqq.
b) Diarium Eruditorum Italiae tom. XIX, pag. 455. tom. XXVI, p. 473 et tom. XXXIV, p. 581, seq.

sunt. Simeonis perfulgentis Dei donis. Historiam etiam S. Joachimi patris B. M. V. incipientem: *Gaude mater Ecclesia promens laeta memoria;* et historiam de sororibus B. M. V. incip. *Gaude coelesti jubilo, mentis excusso nubilo:* Joannes iste religioso ordini S. Salvatoris in coenobio Vazstenensis nomen dederat.

Ab his omnibus diversa CATHARINA, sive HECATERINA (ἡ Καθαρίνη, id enim verisimilius quam ab Hecate) aliis Αἰκατερίνη, quam Martyrium passam tradunt Alexandriae Maximinianis temporibus, a) cujusque memoria recolitur 25. Nov. De hac *Philosophorum Patrona* (praeter Surium ex Metaphraste) jucundum erit consulere Menagium in historia mulierum Philosopharum pag. 492. seq ad calcem notarum in Diogenem Laërtium: Martini Crusii Orationem XIII. Jacobi Thomasii Programma XXX. Augusti Buchneri Orationes festas pag. 1. seq. 138. seq. Johannem Rainoldum de idololatria Ecclesiae Romanae pag. 217. seq. et Johannis Davidis Koeleri amoenitates numarias vulgatas Germanice b) tomo IV pag. 393. Acta hujus Catharinae praeter Simeonem Metaphrasten Graece conscripsisse traditur Athanasius quidam illius servus, Μαρτύριον τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Αἰκαθερίνης τῆς βασιλείας καὶ ῥήτορος. Vide tom. IX Bibliothecae Graecae pag. 64. et Cangii glossarium Graecum pag. 1296. Caeterum totum illud traditionum syrma parum de vero trahere jampridem viri cordati animadverterunt. Vide Georgii Cassandri Opera pag. 278. seq. et 1093. Tillemontium tom. V. memor. Hist. Eccles. pag. 448. et 761. Itaque Catharinam hanc tanquam fabulosam ex breviario Parisiensi An. 1680. ejiciendam curavit Franciscus Harlaeus, Archiepiscopus Parisiensis.

CATINAS, de quo S. Hieronymus in cap. I. Ezechielis tom. III Operum edit. Marcianaei pag. 703. *Legi et cujusdam Catinae, quem Syri* c) λεπτὸν, *id est, acutum et ingeniosum vocant, brevem disputatiunculam, putantis in visione Ezechielis describi castrorum ordinem duodecim tribuum in solitudine ad orientem et occidentem, septentrionem et meridiem, quae sibi invicem et charitate et consanguinitate socientur: et hoc esse rotam in rota, quae ducantur in spiritu, et nube protegantur in eremo, et columna ignis illuminentur in nocte* etc.

a) Baron, ad Annum 307. num. 31. seqq.
b) Munz'-Belustigungen.
c) Hebraeis et Syris *Catin parvus, subtilis*, Atque est pagus *Catin* in Syria, cujus mentio apud Assemanum tom. II. Biblioth. Or. pag. 551.

De quatuor libris distichorum de moribus ad filium, qui exstant sub CATONIS nomine, sed longe posterioris aetatis sunt, licet non juniora Valentiniani Imperatoris temporibus, satis dixi in Bibliotheca Latina IV. 1. Laudantur etiam ab Alcuino lib. II. contra Elipandum pag. 949. Petro Abailardo lib. 1. Theologiae Christianae pag. 1183. tom. IV. Thesauri Anecdotorum Marteniani, et Ermoldo Nigello lib. 1. de rebus gestis Ludovici Pii, cujus versus affert Lambecius tom. II. pag. 361. Horum testimonia, sicut alibi laudata a me Hincmari Remensis et Gaufredi addi possunt illis, quae erudita diligentia Christianus Daumius Catoni suo praefixit. Speculum regiminis PHILIPPI de Pergamo ad Galeatum Vice-Comitem Mediolanensem circa Annum CHristi 1380. commentarius prolixus in Catonis Magni Ethica, prodiit Augustae 1475, fol.

CATO *Saccus*, JCtus Papiae primum, deinde Bononiae, ac denique iterum Papiae, sive Ticini docuit, ubi aemulum Paulum Castrensem: discipulum circa Annum 1465. habuit Jasonem de Mayno, nec diu post defuncti, Epitaphio inscriptum: RELIQUA CATONIS. Vide Pancirollum de Juris interpretibus lib. 2, cap. 90.

* In Cod. 160. Biblioth. Felini extat inter multa aliorum Doctorum etiam huius Doctoris *in juramenti materiam repetitio ad suppletionem accumulatorum* per Imolam in ca. *Cum contingat* super L. *si quis.*

Guilelmus CAXTONUS Anglus, Franciscanus a Pitseo pag. 708. traditur vixisse circa Annum 1530. et scripsisse super Magistrum sententiarum, et quaestionum Theologicarum. Hunc praeteriissem hoc loco, nisi vidissem a Vossio reprehendi eos, qui Gul. Caxtonum, de quo infra, referunt

ad Annum 1558. Est enim verisimile id ab eis factum, quia Cattonum hunc cum Caxtono confuderunt.

Petrus de CAVALLERIA, Caesaraugusta Hispanus, qui A. 1450. scripsit zelum Christi contra Judaeos, Saracenos et infideles, editum et scholiis illustratum a Martino Alphonso Vivaldo, Toletano, una cum R. Samuelis scripto ad R. Isaacum de miserrimo statu Judaeorum. Venet. 1592, 4.

CAVENSE Chronicon ab Anno Christi 569. ad 1318. ex MSto Monasterii Cavensis in tomo septimo Thesauri scriptorum Italiae Muratoriani pag. 913. 933.

Guilelmus CAXTONUS Anglus, qui primus Typographiam in Angliam traditur intulisse, clarus An. 1460. vixit adhuc An. 1483. Non quidem Latine scripsit, sed quamplurima Latinorum scripta in Anglicam linguam transtulit, *Ciceronem* de Senectute et Amicitia, *Virgilium*, Metamorphosin *Ovidii*, *Vegetium*: Historiam Hiberniae ex *Rainulphi Higdeni* Polychronico, et *S. Hieronymi* Vitas Patrum: Quibus apud Baleum VIII. 43. et Pitseum p. 671. adduntur *Bonaventura* de vita Christi, *Historia Lombardica*, *Capgravii* Catalogus Sanctorum, *Historia excidii Trojani et Joannita* de ludo scaccorum. Ipse vero Caxtonus auctor Operis, quod *fructum temporum* inscripsit, sive *Chronicorum Angliae* a) *et Hollandiae*, quae Anglice scripsit a Bruto usque ad Henricum V. libris septem, continuavitque deinde usque ad excessum Eduardi V. sive usque ad Annum 1483, nec non *Angliae, Scotiae, Walliae, Hiberniae descriptionem. Historiam Regis Arthuri* libris XXI. *Vitam Eduardi Confessoris. Imaginem Mundi. Appendices ad Joannem Trevisam*, de quibus vide sis Wilhelmum Nicolsonum in Bibliotheca Historicorum Angliae pag. 65.

Annibaldus Gaytanus de CECCANO, Campanus, ex Archiepiscopo Neapolitano Anno 1328. Cardinalis et Episcopus Tusculanus usque ad Annum 1350. de quo Baluzius ad Papas Avenionenses, et purpurae doctae scriptor G. Joseph Eggs tomo I. p. 324. seq. qui inter scripta ejus p. 328. celebrat *Vitas Apostolorum Petri et Pauli*, carmine heroico illustratas.

CEDMON, supra, CÆDMON p. 289.

Petrus de CEFFONA, infra, PETRUS.

Alexander CELESINUS, supra pag. 59. ALEXANDER.

CELESTINUS, CELESTIUS, supra, CÆLESTINUS, p. 291. CÆLESTIUS, p. 292.

Thomas de CELLANO, infra, THOMAS.

CELSUS, Armachanus Archiepiscopus et Primas Hiberniae, circa Annum 1128. defunctus, apud Baleum XIV. 84. traditur praeter *Testamentum et Constitutiones* quasdam scripsisse *Epistolas* plures *ad Malachiam*, qui ei deinde in Archiepiscopatu successit, et de cujus vaticiniis dicendi locus infra in MALACHIAS.

De *Julio* CELSO, aliisque antiquioribus hoc nomine non necesse, hic est repetere, quae dicta sunt in Bibliotheca Latina.

CELSUS *a Falcibus*, Veronensis, Monachus Benedictinus An. 1574. scripsit *Vitam S. Toscanae de Jebeto* viduae Seculo XIV. defunctae, editam a Raphaële Bagatta et Baptista Peretti in antiquis monumentis SS. Episcoporum Veronensium, Venet. 1576, 4. sed tributa CELSO MAPHEI, de quo mox, sicut Vossius p. 620. *vitam S. Tusculanae* appellat, quam *Toscanae* rectius dixisset, ut a V. C. Apostolo Zeno a) observatum, qui notat eundem Celsum Monachum consignasse etiam *Vitam Virginis Euphrosynae Vincentiae*, Venetae ad Petrum Dandulum, Episcopum Vicentinum A. 1505.

CELSUS Veronensis alter, gentilitio nomine MAPHÆUS, circa idem tempus Canonicus regularis Lateranensis, qui nonagenario propior decessit An. 1503. scripsit tum alia tum de interdicto Ecclesiastico, et dissuasoriam ne Christiani Principes, Ecclesiasticos usurpent census: ad inclytum Venetorum Senatum. Vide *Celsum Rosinum* in Lyceo Lateranensi tom. I. p. 196. seq. et Diarium Eruditorum Italiae tom. XXVIII. pag. 123. seq. Omitto dicere de Celsis junioribus, ut *Celso Hugone* et An-

a) Vide Vossium pag. 636. Oudinum tom. III. pag. 2627.

a) Tom. XXVIII. Diarii Eruditorum Italiae pag. 121. seq.

gelo Celso JCtis, et de *Mino Celso*, cujus librum de haereticis capitali supplicio non afficiendis habemus, de quo dixi in libro de Evangelicae lucis propagatione p. 505.

* Celsi huius habeo excusum opusculum hoc titulo *Monumentum compendiosum pro confessionibus Cardinalium reliquorumque Praelatorum*. Prodiit An. 1478 absque loci adscriptione in 4. item Romae 1491, 4.

CELSUS, qui se profitetur scriptorem libelli de Judaica incredulitate. Vide Roberti Coci censuram scriptorum veterum p. 152.

CENCIUS *de Sabellis*, Cardinalis et postea HONORIUS III. Papa ab Anno 1216. 18. Julii ad 1227. 18. Martii. Scripsit nondum Pontifex *Caerimoniale Romanum*, quod primum vulgavit Mabillonius tomo II Musei Italici pag. 167. 220. *Librum censuum* de omnibus Rom. Ecclesiae reditibus et vectigalibus habuit Baronius, qui praefationem edidit ad Annum 1192. num. 19. Habuit etiam Onufrius, ut ex magno ejus ritualium veterum opere, MS. in Bibliotheca Vaticana, notavit Pagius ad An. 1192. num. 12. ex quo constat singulis etiam a Cencio addita publica documenta.

* Liber ille Censuum S. R. E. quem Cencius iste digessit jam tandem prodiit, quamquam non sine interpolationibus seu additamentis a posterioribus inductis opera Cl. Muratorii in tom. V. dissert. Medii Aevi pag. 851. 908. Eiusdem etiam opusculi MStum Cod. Chartaceum Saec. XV servat. Bibliotheca Canonicor. Maior. Ecclesiae Lucensis, ex quo lacunas in edito Muratorii relictas implere licet.

Conradus CELTES, alio nomine *Protucius* et *Meissel*, Swinfurtensis, eadem qua Imperator Maximilianus die 22. Martii Anno 1459. natus, quem discipulum Joannis Dalburgi, Episcopi Wormatiensis, Rudolphi Agricolae, Marsilii Ficini, Johannis Calphurnii Brixiensis, Guarini, Beroaldi, Sabellici et Pomponii Laeti, ingenio et doctrina nobilem, Fridericus III. Imperator commendante Friderico Sapiente, Electore Sax. manu sua lauro poëtica a) ornavit Norimbergae, quod ipse his versibus memoriae hominum mandare non dubitavit:

Primus ego titulum gessi nomenque Poëtae,
Caesareis manibus laurea nexa, mihi.

Post Academias XV. a) quae tunc florebant in Germania, non incuriose lustratas, Ingolstadii bonas litteras docuit Anno 1495. inde ab An. 1501. Viennae, ubi Bibliothecae Caesareae praefectus diem obiit supremum An. 1508. 4. Febr. Memoriae suae praecones nactus est, ut meruit multos praeclarosque, inprimis virum doctum, qui *Societatis Litterariae Rhenanae* b) nomine vitam ejus praefixit Poëmatibus Celtis, excusis Argentorati 1513, 4. Henricum Pantaleonem Parte 2. de Viris illustribus Germaniae, Melchiorem Adamum in vitis Philosophorum, Petrum Lambecium tomo I Bibl. Vindob. pag. 31. seq. Vossium pag. 641. de Historicis Latinis, et qui prae caeteris diligenter in hoc argumento versatus est, D. Nicolaum Hieronymum Gundlingium, Observationum selectarum tom. I Observat. I. ejusque insistentem vestigiis B. Hübnerum nostrum Centuria VI. Bibliothecae Historicae Hamburgensis cap. 30. Conradi Celtis proseuticis Carminibus ad divum Fridericum tertium *pro laurea Apollinari*, quae habeo edita Norimbergae 1500. 4. subjicitur *figura Coeli An. 1487. 18. Aprile hora 5. 41'. 12". inaequatis (aequatis hora 6. 1'. 20".) post meridiem, quo tempore birraeatus et laureatus est a Caesare in arce Nurnbergensi Conradus Celtis, erecta per* Joannem Kanter *de Groningen Frisiae Astronomum pro tunc divi Imperatoris Friderici tertii semper Augusti.* Nescio an huic testimonio opponere fas sit, quae ab aliis pro Anno 1491. disputantur, ut a W. E. Tentzelio in dialogis litterariis An. 1693. pag. 963. sqq. Diploma Maximiliani, qua Celti

a) Confer Conradi Celtis Daphnen Apollinarem Gerhardi Meieri notis illustratam editamque Hamburgi 1615. 8. Ipse tamen de laurea illa sua Celtes.

Si me non pietas, virtus, doctrina coronant,
Ecquid proderit haec nexa corona mihi?

a) Basileam, Coloniam, Erfurtum, Friburgam, Gryphiswaldiam, Heidelbergam, Herbipolim, Ingolstadium, Lipsiam, Leodicum, Moguntiam, Pragam, Rostochium, Tubingam, Viennam.

b) De hac societate W. E. Tentzelius in dialogis litterariis A. 1693. p. 90.

facultas A. 1501. concessa est alios laurea Apollinea ornandi, exstat apud Goldastum tom. III Constitutionum Imperialium pag. 482.

Poëmata prodiere Norimbergae 1502. 4. Argentorati 1613. 4. *Odarum* libri IV. *Epigrammatum* libri V. *Parnassus biceps.* Libri IV. *Amorum*, decennali peregrinatione conscripti dicatique Maximiliano I. Ex his petita *Salinaria*, sive descriptio admirandarum Cryptarum salinariarum a) prope Cracoviam lib. I. elegia 6. quae exstat etiam in Pistorii tomo I scriptorum rerum Polonicarum, Basileae 1582. fol. et in Reusneri hodoeporicis pag. 579. Basileae 1580, 8. Utrobique etiam *Carmen ad Vistulam fluvium* ex lib. I. elegia 15. et *de vesontibus,* sive *bissontibus* eorumque venatione. Vide et delicias Poëtarum Germanicorum Gruterianas tom. II pag. 245 -- 270.

Carmen de diversis diversorum studiis et humoribus. Francofurti in 8. sine anno.

Opuscula *Rosswithae* e MS. Monasterii S. Emerani, Ratisbonensis. Norimbergae 1501. 4. de quibus infra in ROSWITHA.

Carmen *de situ et moribus Germaniae*, in Simonis Schardii tomo I et soluto sermone *de Hercyniae sylvae magnitudine*, cum superiore Carmine, et B. Rhenani III. libris rerum Germanicarum, Argentorati 1610. 8.

De origine, situ, moribus et institutis Norimbergae, liber curante Bilibaldo Pirckaymero prodiit Norimbergae 1501. 4. inde in Francisci Irenici exegesi Germaniae, Haganoae 1518. fol. et in repetita ejus editione, curante Joanne Adamo Bernhardo, Hanov. 1728. fol. et in laudati Pirckaymeri Operibus historicis pag. 116. Francofurti 1665. fol. Avtographum auctoris religiose servari in Bibliotheca Norimbergensi, notavit Georgius Remus in Epistola ad Johannem Kirchmannum, inter Gudianas pag. 219.

De vita S. Sebaldi, Carmen Sapphicum libro de Norimberga subjunctum.

a) De his praeter Celtem Georgius Dousa in itinere Constantinopolitano pag. 11. sq. Bernhardus Connor in descriptione Poloniae pa . 205. 751. editionis Germanicae: Philosophicae Transactiones Anglicanae tom. I p 1019. seq. Wagenseilius tom. II perae librorum juvenilium pag. 622. etc.

Eorum fere omnium, *quae Rhetores in Orationem venire adserunt, ex Cicerone index.* Ingolst. 1532. 8. Argent. 1534. 1568. 8.

De conscribendis Epistolis ibid. et Tiguri, nec non Coloniae 1537. 8. Basileae 1567, 8.

De arte versificandi in 4. sine anno et loco. *De laudibus eloquentiae. Panegyris Duci Bavariae.*

Orationes variae et *Epistolae* ad diversos, metro et prosa. Vide Trithemium cap. 922.

Theodericeïdem, sive poëma heroicum de rebus Theodorici Regis Gothorum, et quam prosario molitus sermone est *Germaniam illustratam* absolvere fato praeveniente Celtes est prohibitus.

De CENSORINO Grammatico, qui a CHristi sacris alienus librum notissimum *de die Natali* ad Q. Cerellium Patronum suum circa Annum CHristi 238. scripsit, satis dictum in Bibliotheca Latina lib. III. cap. 4. *Fragmentum* illi subjectum, licet ad argumentum libri de die Natali non faciat, tamen Censorini hujus esse ex alia illius lucubratione, non dubitabat Barthius notis ad Claudiauum Mamertum pag. 340. idque alibi ostensurum se est pollicitus. Censorinum inter scriptores de arte Grammatica, qui suis saeculis honoris decus habuerint, una cum *Palaemone, Phoca, Probo* laudat Alcuinus libro de septem artibus pag. 1247. Operum.

CENTULENSE *Chronicon,* infra, HARIULPHUS.

CEOLFRIDUS, aliis GEOLFRIDUS, Presbyter et post a) Benedictum Biscopium Abbas S. Petri et Pauli, Ordinis Benedictini, Wiremuthensis et Girovicensis in Anglia per annos XXXV. diem apud Lingonas in Gallia Narbonensi obiit A. 716. 7. Calend. Octobr. aetatis 74. dignis laudibus a Beda b) quem doctrina imbuit, celebratus, Consulenti Naitoni, Regi Pictorum, c) *de legitima observatione Paschae* et *de tonsura clericorum,* scripsit utilem *Epistolam*, per quam ipse Regi satisfecit, et Rex gentem suam ad concordiam Ecclesiae reduxit. Hanc

a) Vide Lelandum cap. 81.

b) Idem Lelandus cap. 82.

c) Sigebertus cap. 67. de scriptoribus Ecclesiast. Trithemius cap. 240. et II 20. illustr. Benedictin.

Epistolam servavit idem Beda lib. V. Hist. Eccles. cap. 22. unde accepit Speelmannus pag. 220. tom. I Conciliorum Britanniae, accepere caeteri Conciliorum editores ad Annum 714. cum circa Annum 709. scriptam colligat Norisius. a) Harduinus in sua Conciliorum editione secutus est Petrum Franciscum Chifletium, qui Historiam Bedae recensuit in Concordia Bedae et Fredegatii Scholastici, Parisiis 1681. 4. Alia Geolfridi, quae Balaeus centur. I. cap. 93. et ex Balaeo Pitseus p. 123. memorat, *homilias solennes*, ad Monachos suos *Epistolas*, *Testamentum ad Hunebertum*, et *de sua peregrinatione*, nescio an quisquam oculis usurpavit. Vita scripta a WICBERTO successore et A. 730. Martyre, ut idem Pitseus pag. 124. sed ubi *pro regnante in Northumbria Ceolfrido*, legendum *Ceolulpho*, de quo mox. Apud Cangium quoque emendandum est, quod Ceolfridum Abbatem S. Petri et Pauli diversum facit ab Abbate Wiremuthensi.

CEOLULPHUS, sive ut Lelando CEOLVULPHUS, Transabrinorum, sive Northumbriae Rex eruditus, cui Beda historiam suam elimandam obtulit, *eligens nimirum in illo auctoritatem bene dicta corroborandi propter imperium, et scientiam perperam dicta emendandi propter ingenium,* ut ex Guilelmo Meildunensi, sive Malmesburiensi Lelandus cap. 93. Baleus X. 25. et Pitseus pag. 830. Vide sis et Acta Sanctorum 15. Januarii.

Thomas CEPARANUS, sive *de* CEPERANO, Ordinis Minorum, post THOMAM CELLANUM circa Annum 1245. scribere coepit jussu Crescentii, Generalis sui, *Legendam auream S. Francisci*, eam ipsam scilicet quam sub titulo *Speculi vitae S. Francisci et Sociorum ejus* recognitam et notis marginalibus illustratam edidit Philippus Bosquierius, Coloniae 1623, 8. auctores laudans Antiquitatum harumce Franciscanarum FABIANUM, HUGOLINUM aliosque Minoritas. Vide Oudinum tomo II. pag. 197. S. Antoninus tit. 24. summae histor. cap. 9. num. 4. tom. III. pag. 776. *Sextus generalis* Minister Ordinis Minorum *Crescentius de Esio venerabilis senex, homo iustus et disciplinae zelo probatus, Anno Domini 1245. in Capitulo generali: in quo Capitulo mandavit fratribus, quod sibi in scriptis dirigerent, quicquid de vita et miraculis beati Francisci scire veraciter possent. Postea frater* Thomas de CEPARANO *de mandato Ministri ejusdem, et Capituli Generalis, ex relationibus factis a plurimis, primum tractatum* Legendae B. Francisci, *de vita et verbis et intentione ejus circa ea, quae pertinent ad regulam, declaravit, quae dicitur:* Legenda antiqua, *et incipit:* Placuit sanctae Universitati. *Quam Legendam frater* BERNARDUS a) DE BESSA *ad compendiosiorem formam reduxit: et incipit:* Plenam virtutibus. *Et postea* BONAVENTURA *stilo elegantiori et breviori compilavit.* Vide Acta Sanctorum 25 Maj. atque infra, FRANCISCUS.

Coriolanus CEPIO (*Cippico*) Traguriensis Dalmata, ductor exercitus Veneti sub Duce Veneto Petro Mocenigo, versatus Scodrae (*Scutari*) Albaniae regionis metropoli, An. 1473. scripsit *de rebus gestis Petri Mocenigi* Imperatoris sui, quibus ipse interfuit Cepio, libros III. Venetiis 1477, 4. et Basileae 1544. et 1556. pag. 341. cum Barletio, et praefixo titulo *librorum III. de bello Asiatico*, Venetiis 1594, 8. cum Joannis Cepionis, nepotis, Epistola ad Leonhardum Mocenigum Senatorem. Obiit Coriolanus A. 1493. aetatis 68. ut ex Epistola consolatoria Ludovici Cepionis, Famaugustani in Insula Cypro Episcopi, ad Petrum, Christophorum, Hieronymum, et Joannem Cepiones, fratres suos, Epistola notatur in Diario Eruditorum Italiae tom. XVII. pag. 285. 288. De eodem Bello Scodrensi scripsere Georgius Merula, Martinus Barletius etc.

CEPONIUS Episcopus Hispanus, b) ad quem et Idacium TURIBII Asturicensis Epi-

a) Dissertat. 3. de Cyclo Paschali Ravennate pag. 158. Oudinus tom. I pag. 1663.

a) Aliis BERNARDINUS.

b) Reines. Epist. ad Daumium pag. 212. 219. 226. seq et Daumius pag. 235. Koenigius in Biblioth. Nic. Antonius tom. I, Biblioth. vet. Hispanae pag. 200.

stola extat apud Ambrosium de Morales lib. II. cap. 26. Antiquitatum Hispaniae, et Baronium ad Annum Christi 447. num. 3. et Franciscum Bivarium notis ad Pseudo-Maximi Chronicon pag. 157. scripsit Ceponius *Genesin* carmine hexametro, atque in eo *fabulam Phaëtontis* ad Satanam de coelo detrusum relatam. Ætatem suam ipse his signavit versibus 136. seq.

. . . Vincit, ovat Ecclesia Christi,
Quae quadringentis toties luctata sub annis
Incipit in quinto late florescere saeclo.

Plures versus Ceponii protulit Barthius (teste Daumio) libro CIX. Adversar. Etiam viginti amplius tom. II. ad Statium p. 1225. qui editionem ejus in posterioribus Adversariorum libris meditabatur.

CEREALIS non Castulonensis in Hispania, sed *Castulensis*, sive *Castellensis* in Mauritania Caesariensi Africae Episcopus: Sane Africanum fuisse diserte hoc affirmanti Gennadio cap. 96. eumque secutis auctori appendicis ad Catalogum Ildefonsi cap. 10. et Honorio lib. 2. cap. 95. recte accredunt viri docti Trithemius cap. 183. Nicolaus Antonius tomo I. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 201. aliique, licet Castulonensem faciunt Pseudo-Luitprandus in Chronico ad Annum aerae Hispanicae 998. Ut autem *Castellensem*, sive *Castellanum* malim vocare. quam cum Labbeo aliisque *Castulensem*, facit quod in collatione Carthaginiensi Anno 484. habita memoratur Cerealis Castelloripensis Episcopus, et Cerealis hic ipse Castellanum se Episcopum profitetur. Confer Ruinartum ad Victorem Vitensem pag. 375. et Tillemontium tom. XVI. pag. 516. Scripsit circa Annum 478. libellum Concertationis Carthagine habitae *de Fide Sanctae Trinitatis* adversus MAXIMINUM Episcopum Arimanitarum a) sive Arianorum, quem primus in lucem protulit Joannes Richardus, antidoto contra haereses, Basileae 1528, fol. inde Joannes Heroldus in haeresiologia, Basileae 1556, fol. denique in omnibus Bibliothecis Patrum recudi contigit, ac in novissima Lugdunensi tom. VIII. pag. 671.

Daniel CERETUS Brixiensis Medicus circa Annum 1470 cujus carmen *de praecellentibus sua aetate viris Brixiensibus* laudat Vossius de Historicis Latinis pag. 810. Ejusdem Danielis carmen epicum de metamorphosi Virginis in Salicem exstat in Gruteri deliciis Poëtarum Italorum tom. I, pag. 741. et in Carminibus illustrium Poëtarum Italorum Joannis Matthaei Toscani, Parisiis 1577, 12. Sed *Guerini* CERETI Chronica, fabulosa magnam partem esse arguunt auctores dissertat. *de Martyrologio Brixiano aucto ex Catalogis Ecclesiae S. Afrae*, editae in Actis Sanctorum Aprilis, non valde repugnante Honorio Stella a) in responsione ad illam dissertationem.

Fabius CERILIANUS teste Flav. Vopisco in vita Cari cap. 4. *tempora Cari, Carini et Numeriani Imperatorum solertissime persecutus est*, sed nec illius, nec ONESIMI, quem Probi vitam diligentissime ait scripsisse, lucubratio ad nos pervenit. In Codice Palatino Gruterus testatur *Favium Ceryllianum* appellari, *forsan*, inquit, pro *Cyrilliano*. Neque adeo constat Latine ambo an Graece scripserint. Non tres simul Augusti Carus, Carinus et Numerianus, sed primum solus Carus An. 282 deinde cum Carino, denique cum Carino Numerianus, quibus successit Diocletianus An. 284. Vide Ezechielem Spanhemium praeclari Operis de numismatum usu tom. II, pag. 356. 377.

Joannes Boccacius de CERTALDO. Supra pag. 230. BOCCACIUS.

Jacobus de CESSOLIS, sive CESSULIS, Remensis Gallus, Ordinis Praedicatorum,

a) In Codice Fuldensi Maximinus hic *Arimanita* appellatur teste Viro Clarissimo Johanne Friderico Schannat in vindemiis litterariis pag. 225. Inde non dubito apud auctorem appendicis ad Catalogum Ildefonsi cap. 10. pro *Episcopo Ammonitarum* legendum *Arimanitarum* hoc est Arianorum. Tralatitium est apud Epiphanium, Damascenum aliosque haeresin Arianam venire nomine Ἀρειομανιτῶν. Atque apud Cerealem ipsum capite ultimo *Maximinus Ariomanita* appellatur. Diversus autem hic a MAXIMINO Ariano, contra quem circa Annum 4921 scripsit S. Augustinus.

a) Giornale de' Letterati in Parma An. 1687. pag. 84. 85.

circa Annum 1290 scripsit opus ea aetate nobile atque ex illis, ut ipse ait, *quae ad populum declamatorie prodidisset* contractum ac digestum partibus quatuor: *moralitates super ludum Scacchorum, de moribus hominum et officiis nobilium et popularium.* Quoniam vero Ludum Scacchorum dixere etiam *tessellarum*, hinc factum videtur, ut nomen auctori tributum fuerit *de tessellis*, unde alii fecerunt *de Thessalis*, vel *de Thessalonica*, ut Trithemius cap. 704. Prodiere hae moralitates, Mediolani 1479. fol. et servantur MStae in pluribus Bibliothecis Galliae, Angliae et Germaniae, quarum Codices designantur ab Oudino tomo III, pag. 627. seq. et a Jacobo Echardo tom. I. Bibliothecae Dominicanorum pag. 471 et tomo II, pag. 818. seq. qui etiam videri potest de versione *Gallica* duplici a Joanne Duvignay et Joanne Ferrono, nec non de *Italica*, (71. saec. XIV. edita Florentiae An. 1493, 4. fig. et Mediolani 1829, 8. fig.), sicut de *Germanica* duplici, prosaria altera, altera Conradi van Ammenhusen, Monachi et Presbyteri, rhythmica MS. in Bibliotheca Caesarea adire licebit Lambecium tom. II pag. 848. seq. ubi nomen expressum *de Casulis*, sed rectius *de Cessolis* iterum pag. 877.

CHALCIDII versionem Latinam partis *Timaei Platonici*, adjunctumque ab eodem commentarium emendatiorem et notis illustratum edidi ad calcem Voluminis secundi Operum S. Hippolyti, Hamburgi 1718. fol. De scriptore ipso et prioribus editionibus dixi lib. 3. Bibliothecae Latinae capite 7. ubi monui sub quarti eum saeculi vixisse initia, et licet videatur dubium relinquere, tamen satis claris indiciis deprehendi Christianum. Quae pro contraria sententia afferri video a viris celeberrimis, *Govieto*, a) atque inprimis ab eruditissimo Cudworthi interprete, b) ea expendere juvabit, cum novam atque ultimam Bibliothecae Latinae editionem praelis committere dabitur.

Joannes CHARLIER, infra, GERSON.

a) Continuation des memoires de Litterature et l'Histoire tom. I p. 138. seq.

b) pag. 732. seq. ad cap. IV. §. 36.

Alanus CHARTIER (Latino nomine AURIGA, sive AURIGARIUS) Regum Galliae Caroli VI et VII a secretis, diem obiit An. 1458, aetatis 72. Plura scripsit Gallice et Latine, quae junctim edita curante Andrea du Chesne, Parisiis 1617, 4., in quibus Descriptio Galliae, Quadrilogus invectivus in Eduardum III Angliae Regem: *Dialogus familiaris amici et sodalis super deploratione Gallicae calamitatis: Epistolae de detestatione belli Gallici et suasione Pacis:* Historia Caroli VI et VIII ab Anno 1402 ad 1455 (cujus tamen verum auctorem *Bouvierium* postea compertum notat Jacobus le Long, in Bibliotheca historicorum Galliae pag. 375). Genealogia Regum Galliae a Ludovico Sancto ad Carolum VII et de extinctione falso praetensi juris Anglorum in Galliam: Pompa ingressus Caroli VII in urbem Lutetiam facti Anno 1437. Spes seu consolatio trium virtutum: Curiale Gallicum, et Carmina varia. Scripsit quoque Statum Galliae quo fuit exilii sui tempore, quem librum MS. memorat laudatus Jac. le Long num. 11099. Omitto dicere de scriptore eorundem temporum Historico *Joanne* CHARTIER, sive QUADRIGARIO, quia nihil Latine ab eo vel compositum, vel editum reperi. De Gallicis vide eundem Longum num. 7402. 7344 et Oudinum tom. III, pag. 2554. seqq.

CHARTUITIUS, a) seu CHARTUITUS, Episcopus in Hungaria circa Annum 1100 scripsit jam decrepitus jussu Regi Hungarorum octavi, Colomanni, qui ab A. 1095 ad 1114. Hungariae praefuit, eidemque Regi dedicavit *vitam* Regis Christiani Hungarorum primi *S. Stephani*, quam sed mutato stylo, ut malo more solet facere, edidit Surius 20 Augusti. Ex Surio, ut ipse profitetur, Bongarsius inter scriptores rerum Hungaricarum pag. 268. 280.

THOMAS CHAUNDELER (*Candelarius*) Anglus, (Lelando, Baleo, Pitseo, Goodwino, aliisque, etiam Vossio male JOHANNES b) CHAUNDELER), Guarini discipu-

a) Vossius Hist. Lat. pag. 582. Dav. Czwittinger Hungar. litteratae pag. 100. Francof. 1711. 4.

b) Vide Antonii Wood Antiquitates Oxoniens. tom. II pag. 410. 411.

lus, Cancellarius Ecclesiae Fontanensis, seu Wellensis circa Annum 1454 calamum suum et prosa et carmine, teste eodem Lelando cap. 564 aliqua felicitate exercuit. Scripsit *de statu humanae naturae*, *Orationes* de laudibus Fontanensis et Baduensis urbis, et aliam, qua respondet Orationi primae Corn. Vitellii. Librum *de rebus a Guil. Perotto,* alias *Vichamo*, Episcopo Ventano, sive Wintoniensi, *gestis*. Libellum *Epistolarum*. Hisce a Lelando commemoratis Baleus VIII. 26 et Pitseus pag. 652 addunt librum *de laudibus Thomae Beckingtoni*, Bathoniensis et Wellensis Episcopi. De hoc scriptore accurate Henricus Warthonus in praefatione ad tomum II. Angliae sacrae pag. XVII. sq. ubi notat ex Cancellario Ecclesiae Wellensis factum Ecclesiae Oxoniensis Cancellarium ab Anno 1457 ad 1461 et Eboracensis An. 1467 resignasse autem munus An. 1486 et rebus valedixisse humanis An. 1489. Edidit igitur tom. II, pag. 355 ejus *Cronicam brevem de ortu, vita ac gestis Willelmi de Wykham*, Episcopi Wintoniensis, defuncti An. 1404 et pag. 357. *Vitam Thomae de Beckingtona*, Episcopi Bathensis et Wellensis, excerptam ex principio *Collocutionum* Chaundleri, prosa et versu, de hujus Beckingtoni laudibus, de quo prolixo et adhuc inedito opere, in Bibliotheca Cottoniana obvio idem Warthonus in praefatione p. XVIII. et ex eo Oudinus t. III. p. 2726. In eadem Cottoniana quoque servatur Testamento Wilhelmi de Wykham subjunctum Chaundleri *poëma de ortu, vita et obitu Willelmi Wykham, Episcopi Wintoniensis et fundatoris CC. Clericorum.*

Benedictus CHELIDONIUS, Monachus Benedictinus S. Ægidii Norimbergensis et Poëta, *Musophili* adscito nomine, labente saeculo XV. et decimi sexti sub initia scripsit *de fundatione et Abbatibus Monasterii sui,* ex quo versus quosdam producit Caspar Bruschius in Chronologia Monasteriorum Germaniae pag. 47. (editionis novae pag. 169.) Poëma *de Passione Domini nostri JESU CHRISTI*, et aliud *de vita Mariae Virginis*, Norib. 1511, fol. prodiit additis iconibus stilo scalptorio egregii Viri Alberti Dureri.

Fragmentum *Chronici* CHEMNICENSIS ab Anno Christi 1408. ad 1516. ex Codice MS. Petri Albini vulgavit Jo. Burchardus Menckenius ὁ μακαρίτης t. III. scriptorum rerum Germanicarum pag. 157. 159.

CHERUBINUS *de Spoleto*, Ordinis Minorum, defunctus Assisii 1484. De illo Waddingus tomo VI et VII Annalium suorum et pag. 89. Bibliothecae Ordinis Minorum, ubi praeter *Sermones XC. Quadragesimales* a Septuagesima ad octavas Paschae editos Venetiis 1502. et 1511, memorat ejus *librum de Vita Conjugali, Tractatum de Fide*, et *Regulam spiritualis vitae pro instructione animae devotae.* (72. Quae auautem Italice exaravit). Vide Bartholomaeum Cimarellum in parte quarta Chronicorum Ordinis Minorum, quam tribus prioribus Marci Ulyssiponensis addidit, vulgavitque Italice Venetiis 1621. libro IV. capite 2. Huic Cherubino Troilus Malvetius, JCtus, dedicavit librum de Canonizatione Sanctorum, obvium in Oceano Juris, sive Tractatuum tom. XIV pag. 97.

CHILDEBERTUS, infra HILDEBERTUS.

CHILDERICUS, vide, HILDERICUS.

CHILIANUS, infra, KILIANUS.

CHILIENUS Monachus Inis Keltrahensis, sive Kiltdariensis Coenobii in Hibernia, Ordinis Benedictini circa Annum 740. vel 750. aliis COELENUS, sive COELANUS scripsit carmine hexametro partem, partem elegiaco *vitam Brigittae Scoticae* (de qua supra) editam ex tribus Codicibus MStis licet non integram a Joanne Colgano in Actis triadis thaumaturgae, seu divorum Patricii, Columbae et Brigittae, Lovan. 1647. fol. atque inde a Bollando tom. I Act. S. Febr. p. 141.

CHILPERICUS Childeberti II F. Rex Francorum ab Anno 575. ad 584. cui poëticis Litteris exculto tribuitur *Epitaphium in S. Germanum*, Parisiensem Episcopum, qui An. 576. rebus humanis valedixit. In historia poëtarum medii aevi pag. 175. traditur hoc epitaphium exstare apud Aimoinum lib. 3. cap. 16. et in Actis Sanctorum 28. Maji tom. VI pag. 787. atque in Actis Ordinis Benedictini tom. I pag. 245. Sed apud Aimoinum frustra illud quaesivi, licet eundem Aimoini locum laudant quoque Sam-

marthani tomo I Galliae Christianae, pag. 404. ubi et ipsum epitaphium exstat, quod quoniam breve est, etiam hoc loco exstare volui:

Ecclesiae speculum, patriae vigor, ara reorum,
Et pater et Medicus, Pastor amorque gregis.
GERMANUS virtute, fide, corde, ore beatus
Carne tenet tumulum, mentis honore polum.
Vir cui dura nihil nocuerunt fata sepulchri,
Vivit enim, nam mors, quem tulit, ipsa timet.
Crevit adhuc potius justus post funera, nam qui
Fictile vas fuerat, gemma superba micat.
Hujus opem ac meritum mutis data verba loquuntur,
Redditus et coecis praedicat ore dies.
Hic vir Apostolicus rapiens de morte trophaeum
Jure triumphali considet arce poli.

Vita S. CHLODULPHI Episcopi circa Annum 666. Metensis, atque inde Treverensis Archiepiscopi, occurrit in iisdem Actis SS. Benedictin. Sec. 2. pag. 1043.

Robertus de CHORCEONE, sive CHORCON, aliis de CURSON, vel CURTONUS, Anglus, Theologus Parisiensis, adversarius Albigensium, et ab Anno 1211. Cardinalis, Innocentii III. atque Honorii III. per Galliam Legatus, obiit in Palaestina An. 1218. Scripsit *Summam Theologicam* quam MStam evolvit praeloque dignissimam vocat Oudinus tom. II. pag. 1715. Ex illius Summae *Tractatu de poenitentia* quaedam capita excerpsit ediditque Jacobus Petitus post poenitentiale Theodori Cantuar. pag. 367. 376. Parisiis 1679, 4. Baleus III. 79. ei praeterea tribuit *librum de salvatione Origenis, et lecturas solennes.* Quibus Pitseus pag. 293. et G. Josephus Eggs in purpura docta p. 135. adjungit *librum de septem septenis.*

CHRISTIANUS *ab Aquitania,* a) qui apud Cangium praeter rem a *Christiano* DRUTHMARO Grammatico distinguitur, Monachus Corbejensis, Ordinis Benedictini b), Congregat. Floriacensis. scripsit *expositionem* dignam lectu c) *in Evangelium Matthaei* divisam in capita LXI. ad Monachos Stabulenses d) et Malmandariensis Coenobiorum S. Petri sub uno Abbate consistentes in Dioecesi Leodiensi. Primus cum ejus *epitomatis in Lucam et Johannem* ex MStis Codicibus edidit Jacobus Wimphelingius, praefixo privilegio Imper. Maximiliani: et Leonis X insignibus, primae paginae appositis, Argentorati 1514. fol. addita etiam censura Jacobi Oessler J. U. D. per Imperium Romanum artis impressoriae Censoris et Superattendentis Generalis. Haec editio neutiquam conficta ad Edmundo Albertino a), sed obvia in Bibliothecis, ut Galliae apud Dallaeum b), Angliae c) apud Johannem Tenissonum, Germaniae apud Joannem Ludolphum Bünemannum. d) Deprehensum quoque est et testatum eadem legi in illa antiquiore editione, quae in editione Haganoënsi A. 1530. 8. a Menardo Molthero et Johanne Secerio: licet Sixtus Senensis lib. VI. Bibliothecae sacrae nota 112. quaedam profert e MS. Franciscanorum Lugdunensi aliter, quam in Haganoënsi leguntur, quam repetitam constat in Bibliothecis Patrum, Parisiensi, Coloniensi, et novissima Lugdunensi tomo XV pag. 165. Joanni Oecolampadio illam editionem tribuit Labbeus tomo I pag. 222. Sed ipse id retractat pag. 751. Idem Typographi vitio *Moltserum* vocat pro Molthero, et pro Secerio *Senerium.* Profitetur Druthmarus se studuisse *plus historicum sensum sequi quam spiritalem: irrationabile enim sibi videri, spiritalem intelligentiam in libro aliquo quaerere, et historicum penitus ignorare, cum historia fundamentum omnis intelligentiae sit, et ipsa primitus quaerenda et amplexanda, et sine ipsa perfecte ad aliam non possit transiri.* Idem brevitati studuit et perspicuitati, quoniam ipso judice *stultiloquium est in exposi-*

a) Sigebertus cap. 72.

b) Trithemius cap. 280. de Scriptoribus Ecclesiasticis, et II. 67. illustrium Benedictinorum.

c) Vide Richardum Simonem lib. 3. Historiae Criticae Novi Testamenti cap. 26. pag. 370. seqq.

d) *De Stavelo* dans les Ardennes au Diocese de Liége. Vide Labbeum tom. I de S. E. p. 755.

a) Vide Albertinum de S. Eucharistia pag. 935. et 861.

b) Johannes Rodolphus Westenius pag. 79. ad Origenem contra Marcionitas, testatur se Wimphelingianam a capite ad calcem cum Moltheriana contulisse, neque Moltherum quicquam corrupisse, sed alio usum Codice Varias Lectiones quasdam, in rebus ipsis tamen nihil alteratum Lectori obtulisse.

c) Caveus de scriptoribus Ecclesiasticis ad Annum 840.

d) Acta Eruditorum t. X. Supplementi p. 382.

tione alicujus libri ita loqui, ut necessarium sit expositorem ipsius expositionis quaerere. Ait in *Matthaeum* scripsisse se, quod videret *Hieronymum* multa verba quasi levia praeteriisse: qui labor, *si placeat vobis*, inquit, *ad Evangelium* Joannis, *manum mittam*, quod Augustinus aquilam sequens prope nubes incedendo multa intacta velut nota omnibus praetermiserit. *Nam in Marco non est necessarium manum mittere post beatum* Bedam. *In* Luca *quoque audio post.* S. Ambrosium, *eundem* Bedam, *manum misisse. Sed non potui invenire adhuc in ejus expositione nisi quasdam* homilias. *Si vero nec invenero, et vestrum omnium, cohortatio affuerit, et in hoc quoque laborare tentabo.* De aetate hujus Druthmari monere juvat, eam a viris doctis communiter referri post saeculum medium nonum, quod ipse cap. 56. mentionem facit Bulgarorum ad Christi sacra adductorum, ac quotidie solitorum baptizari a), quod Cedrenus ab An. 845. Leo Grammaticus pag. 462. An. 857. auctor vitae Basilii Macedonis cap. 65. p. 164. felicius circa Annum 870. ajunt contigisse. Notandus et locus hic Druthmari tomo XV Biblioth. Patrum pag. 169. ad Matth. XXVII. 7. *agrum figuli*] *Tunc fuit in sepulturam peregrinorum, et modo idem locus hospitale dicitur Francorum, ubi tempore CAROLI villas habuit, concedente illo rege pro amore Caroli. Modo solummodo de eleemosyna Christianorum vivunt, et ipsi Monachi et advenientes.* Sed omnino videtur reducendus ad saeculum labens undecimum, et ad Gregorii septimi tempora, siquidem non alius est, quam Christianus Druthmarus noster, qui Anonymo Mellicensi GVIDMUNDUS capite 102. de scriptoribus Ecclesiasticis: *GUIDMUNDUS qui et CHRISTIANUS, primo in Monasterio STABULENSI Monachus fuit, ubi dum Abbas constitui, atque ad alterum locum regendum mitti debuisset, aufugit, ignotamque provinciam appetens, ne posset agnosci, nomen mutavit in melius, assumens videlicet CHRISTIANITATIS vocabulum, cunctis commune fidelibus. Tandem vero requisitus et repertus sub* Gregorio VII. *Aversae est factus Episcopus* a), *scripsitque fratribus supradicti Monasterii* explanationem egregiam super Evangelium secundum MATTHÆUM, *in cujus explanationis prologo, super JOANNEM quoque se scripturum pollicetur. Sed utrum minime scripsit, an certe scripserit quidem, quod ad nos minime pervenerit, adhuc a nobis ignoratur. Scripsit tamen* explanationem super Evangelium secundum LUCAM. Hinc porro liquet eundem esse, qui eidem Anonymo Mellicensi cap. 90. CHRISTIANUS, *Pontifex Apulorum*, (hoc est Episcopus Aversanus in Apulia) *vir clarus scientia et sanctitate, contra eandem haeresin* (Berengarianorum) *disseruit invictissime.* Nam et GUIDMUNDUS iste, aliis CHRISTIANUS b), *contra Berengarium* libros tres scripsit *de veritate Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia* ad Rogerium Monachum, vulgatos primum ab Erasmo An. 1530. (cujus vide sis Epistolas XXVIII. 10. edit. Lond.) et saepius deinde recusos cum ALGERO, de cujus editionibus dictum supra pag. 183. In Bibliothecis Patrum, ut in recentissima Lugdunensi tom. XVIII ubi post illos tres libros exhibentur p. 465. etiam ejusdem *Confessio de SS. Trinitate et de humanitate Christi, Corporisque ac Sanguinis Domini veritate:* nec non pag. 468. *Oratio recusantis Episcopatum*, ad Guilelmum I. Angliae Regem. Denique Christiani Druthmari *aliquot homilias* exstare in Bibliotheca homiliarum, notat Arnoldus Wion, Ligni Vitae tom. I p. 410.

CHRISTIANUS *Cisterciensis* Abbas, ex S. Bernardi schola, circa Annum 1180. auctor

a) Cap. 56. ad Matthaeum tom. XV Biblioth. Patrum pag. 158. *Nescimus jam gentes sub coelo, in qua Christiani non habeantur.* Nam et in Gog et in Magog, quae sunt gentes Hunnorum, quae ab eis Gazari vocantur. Jam una gens, quae fortior erat, ex his, quas Alexander conduxerat, circumcisa est, et omnem Judaismum observat. Bulgarii quoque, *qui et ipsi ex gentibus sunt, cottidie baptizantur.*

a) Confer Ughellum tomo I Italiae Sacrae pag. 488.

b) Vide scriptores veteres de Fide Catholica a Petro Francisco Chiffletio editos pag. 565. Alius Guidmundus, qui Cardinalis creatus A. 1088. Vide Latini Latinii Bibl. sacro-profanam tom. I p. 81. b.

collectanei sermonum de variis argumentis: et Florum Scripturarum, sive *brevium expositionum diversorum sacrae Scripturae locorum*, in cujus prooemio negat se affectasse *Gallicanum dicendi eloquentiae cothurnum.* Hoc opus MS. in Bibliotheca Sangermanensi evolvit Cangius et tom. III Analectorum pag. 351. (editionis novae pag. 55.) Mabillonius, qui ambo docent fuisse Abbatem Monasterii S. Petri Carnotensis. Certe a Moguntinis Archiepiscopis illa aetate, qui Christiani nomine Abbatiam nunquam gessere, distinguendum esse, recte contendit Oudinus tomo II pag. 1595. seqq. Duos nomine et re ex Bernardi collegio cooptatos CHRISTIANOS in Hibernia Episcopos laudat Arnaldus sive Ernaldus in S. Bernardi vita lib 2. § 49.

* *Christianus* Abbas Monasterii S. Petri Carnotensis. Scripsit *Sermones* quosdam, quos in MS. Cod. se legisse asserit P. Mabillon Vet. Analect. pag. 55. novae edit. Vixisse credo saec. XII.

CHRISTIANUS e Comitibus de Buche Thuringus Germanus, Friderici I. Imperatoris Archi-Cancellarius et ab Anno 1164 primus hujus nominis Archi-Episcopus *Moguntinus*, qui teste Alberto Stadensi pag. 292 usus perinde ut materna, *lingua Latina, Romana, Gallica, Graeca, Apulica, Lombardica, Brabantica.* De eo videndus Nicolaus Serarius libro V rerum Moguntinarum, et quae ad eum notavit Georgius Chistianus Johannis tomo I, pag. 569. seq. Huic Christiano Trithemius cap. 499 et Albertus Krantzius in metropoli lib. 6, cap. ult. tribuunt *gesta et vitam Imperatoris Friderici I.* nec non *Epistolas* diversas et *Orationes* praestantes. De *Epistolis ad Hildegardim* vide Serarium pag. 572. seq. Satis autem certum esse debet, alium, quam hunc Christianum esse auctorem *historiae de expeditione Friderici I. Asiatica*, quam edidit Henricus Canisius tomo V antiquarum lectionum pag. 44 (editionis novae Basnagianae tom. III, parte 2, pag. 499) nam in illa exstat Friderici Barbarossae A. 1190 in gurgite demersi deploratio, quae ab Archiepiscopo, qui Anno 1183 jam obierat, proficisci non potuit.

* De pio obitu Antistitis huius extant literae enciclicae ad Praesules Germaniae datae a Lucio III. Pont. Max. legendae in Vindemiis literar. Schannat tom. II. 118.

CHRISTIANUS II. Archiepiscopus *Moguntinus* ab Anno 1249 ad 1251 quo depositus fuit ab Hugone Cardinali, legato Innocentii IV. vide Serarium pag. 650. seq. Habetur auctor *Chronici Moguntini* veteris, quod ad CONRADUM referunt alii incertae sedis Episcopum, in quo et *historia exauctorationis Henrici I.* Archiepiscopi Moguntini ad Anno 1142 ad 1153 (non Henrici V ut est apud Bruschium) et *Arnoldi* ab An. 1153 aliorumque Archiepiscoporum Moguntinorum. Nam cum auctor nomen suum sola litttera C. prodiderit, et argumenta plura militent pro hoc Christiano, illi potius quam nescio cui Conrado adscribendum judicarunt. Vide pag. 607. seq. et tom. II. laudati Johannis pa. 101-130 ubi hoc Chronicon post editionem Basileensem An. 1537 et Urstisianam Anno 1585, tom. I, pag. 567. Georgiique Helwichii, Francofurti 1630 integrum cum notis clarissimi editoris exhibetur. Persequitur autem historiam Ecclesiae Moguntinae ab Anno 1140 ad 1251. Dicavitque auctor hoc Chronicon *Venerabili Patri Theodorico Abbati et Fratribus C. Ludovico Priori, Johanni et Rudolpho Sacerdotibus, C. Presbyter Episcopali nomine indignus, gaudia electis DEI ante Mundi exordia praeparata.*

* Praeter Chronicon de quo hic Fabricius, scripsit alterum tractatum ad Abbatem *Eboracensem, de depositione Henrici IV Imperatoris;* verba sunt Jo. Latomi in Catal. Episcopor. Moguntin. Menssen. Rer. German tom. XII pag. 519.

CHRISTIANUS *de Opiter*, Trajectinus, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1451 scripsit *Summulam de eo, quod tempore Ecclesiastici interdicti prohibetur vel conceditur. Expositionem caerimoniarum missae spiritualem et mysticam.* Tractatum *de materia Eucharistiae.* Incipit: *Materia Eucharistiae est panis de puro tritico* etc. *Miraculum Guidonis de Corvo An. 1424. in Civitate Alestensi, quae Bajona jam dicitur et XXX leucis distat a curia Romana.*

Vide Jacobum Echardum tom. I, pag. 810.

CHRISTIANUS *Sylvae Majoris* Monachus, scripsit *vitam S. Geraldi* Abbatis circa Annum 1095 obviam in Actis Sanctor. tom. I. April. 4, pag. 423.

CHRISTOPHORUS *de Bondelmontibus*, pag. 238.

CHRISTOPHORUS *Castellioneus*, sive *de Castiliano*, Mediolanensis, Baldi ex discipulo antagonista, inter JCtos *subtilitatum Princeps* a) appellatus et *alter Scaevola* b), docuit initio Saeculi XV. Ticini, Parmae Senis atque iterum Ticini, scripsitque praeter multa *Consilia*, *Repetitiones* et *Tractatus* laudatam prae caeteris c) lucubrationem de *duello*, de quo argumento DIDACI, sive JACOBI DE CASTILLO et Joannis de Lignano dissertationes leguntur in Oceano Juris, sive Tractatu Tractatuum tom. XIII, pag. 284, 281. Castellionei non legitur.

* In Bibliotheca Felini extat *Christofori de Castilione repetitio I. ubi ita donatur de Donat.* edita Pisis an. 1494.

CHRISTOPHORUS *Marcellus* Canonicus Patavinus, Patricius Venetus, Protonotarius non Pii II qui An. 1464 obiit, sed Pontificis Leonis X et Archiepiscopus Corcyrensis, praeter editionem *librorum trium de sacris cerimoniis Ecclesiae Romanae*, de quibus supra in AUGUSTINO *Patricio* pag. 142 ipse composuit vulgavitque, quae in Diario Eruditorum Italiae tom. XVIII, pag. 402, seq. accurate signantur: *Orationem in funere Petri Barroccii*, Episcopi Patavini. Patav. 1507, 4. *Universalis de anima traditionis opus*, Venetiis 1508, fol. *Orationem ad Julium II.* Romae in 4. *Orationem habitam in quarta sessione Concilii Lateranensis.* Romae 1512, 4. *Epistolam* An. 1521 scriptam, in qua *Camaldulensis eremi* situs, vitaeque ibi degendae ratio, et *Alverniae mons* luculenter describuntur. Florentiae 1557, 4. *De auctoritate summi Pontificis et his, quae ad illam pertinent*, libri II contra Martinum Lutherum. Ibid. 1521, 4. *Exercitationes in septem primis Psalmis.* Romae 1523, 4. *In Psalmum XII.* ibid. 1525, 4. Denique *Quaestiones IV. Philosophicas* MSS.

CHRISTOPHORUS *Molhusensis* (Molesey) Anglus, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1530 traditur scripsisse *Postillam super IV Evangelistas*, *super Apostolum totum*, et *in omnes Canonicas*, nec non *in Apocalypsin*, et *sermones de tempore et de Sanctis*, et *Commentarium in Elenchos Aristotelis.* Vide Baleum V, 68 cujus vestigiis insistit Pitseus pag. 473.

CHRISTOPHORUS *Persona* a) Romanus, Prior Monasterii S. Salvatoris de S. Balbina b) de Urbe, Ordinis fratrum eremitarum S. Guilelmi c), Graece et Latine doctum, et ab Innocentio VIII praefectum An. 1484. Bibliothecae Vaticanae, pestilentia Romae corripuit sustulitque An. 1486, aetatis 70 biennio post Sixti IV obitum, qui ingenio ejus delectabatur, et cui Latinam versionem VIII librorum *Origenis* contra Celsum dedicavit. De illa versione et de aliis, quas Persona, non accuratissimus semper interpres composuit, *Procopii* IV librorum de bello Gothico d), (quorum tertium et quartum in unum contraxit) *Agathiae* Scholastici libror. V et Sermonum XXV moralium *S. Joannis Chrysostomi*, et Commentariorum *Theophylacti* in S. Pauli Epistolas, editorum sub S. Athanasii nomine, nec

a) Pancirollus II. 80. de claris Legum interpretibus. Colla pag. 527. Subtilitates ejus contra communem doctrinam, *licet ingenia excitaverint, confusionem tamen fecisse scholaribus hebetis ingenii*, notat Gazalupius pag. 508.

b) Marcus Mantua pag. 457.

c) Mantua ibid. *Scripsit multa Consilia, repetitiones et tractatus, et praecipue* de duello, *quem legisse te non poenitebit, si ipsum cum aliis contuleris.*

a) Aliis *Porsena*, minus recte.

b) Aliis perperam *S. Albinae.*

c) Thrithemius cap. 878. De hoc Guilelmo auctore Guilelmitarum, Acta Sanctorum tom. II, Februar. pag. 433 et Diarium Eruditorum Italiae tom. XIX, pag. 528, seq. Aliis Persona praeter rem habitus Frater Ordinis Eremitarum Augustinianorum, aliis Ordinis Servorum B. Mariae Virginis. Vide id. pag. 526, seq. Mandosii Bibliothecam Rom. pag. 59. Baelii Lexicon in *Persona.* Nisseron Memoires tom. XV, pag. 1 seqq.

d) Ad faciendam Leonhardo Aretino invidiam, qui Latinam Procopianae interpretati nem pro Gothica historia, cujus ipse auctor esset, ediderat. Vide Jovium pag. 201, elog.

non meletarum quarundam *Libanii*, jam dixi suis locis in Bibliotheca Graeca, et accurate de illis quoque et de aliis rebus ad hunc Personam spectantibus V. C. Apostolus Zenus tom. XIX. Diarii Eruditorum Italiae pag. 333, seq. *Librum Epistolarum* lectu dignum editum a Persona, post Trithemium affirmat Johannes Matthaeus Toscanus lib. I pepli Italiae num. 27.

CHRISTOPHORI *a Soldo*, Civis Brixiani, de rebus sui temporis *Annales Brixianos* ab Anno 1437. ad 1468. primus ex Codice Estensi vulgavit laudatissimus Muratorius in rerum Italicarum scriptoribus tom. XXI Mediolan. 1732, fol.

CHRODOBERTI Episcopi circa An. 670. Turonensis, *judicium de muliere adultera*, ex Codice Bibliothecae Thuanae editum a Paschasio Quesnello in notis ad Epistola S. Leonis Magni LXXXIII. Parisiis 1675, 4. et Lugduni 1700. fol. tom. II pag. 489, seq. *Crotbertus* hic vocatur in Epistola Adeodati Papae apud Sammarthanos tom. I Galliae Christianae pag. 741.

CHRODOGANGUS, aiiis *Chrotgangus*, *Grodegangus*, *Crodogandus*, *Crodogangus*, a) Trithemio cap. 255. de S. E. *Ruggandus*: in epitaphio apud Mabillonium tomo I pag. 425. (editionis novae pag. 377.) *Rotgangus nomen, gloria CHristus erat.* Pipini Regis ex sorore nepos et Episcopus ab Anno 743. ad 766. Metensis, (de quo praeter Sammarthanos tom. III Galliae Christianae pag. 711. Acta Sanctorum ad sextum diem Martii, et Acta Sanctorum Benedictin. Sec. III. Parte 2. pag. 204. et *Vita Chrodegangi* ex Codice Saeculi XIII Guelpherbytano edita a Johanne Georgio Eccardo tomo I scriptorum Würtzeburgensium pag. 912. Martinus Meurisse, Episcopus Madaurensis, in historia Episcoporum Metensium Gallice edita Metis 1634, fol.) Scripsit *Regulam* Clericis observandam Metensibus, et in multis vestigia legentem regulae S. Benedicti. Edidit *Lucas Dacherius* distinctam in capita LXXXVI. Parisiis 1654, 4. tom. I spicilegii pag. 205. (novae editionis tom. I pag. 565.) sed aliam minus interpolatam, constantemque Capitibus XXXIV. ex Sirmondi Codice *Labbeus* tom. VII Concil. pag. 1444. et ex Labbeo *Harduinus* tom. IV pag. 1181. et novissime *Coletus* in editione Conciliorum Veneta tomo IX post *Concilium Aquisgranense* An. 816. subjuncta etiam interpolata illa Canonicorum Regula, ex Chrodogango, Concilio illo Aquisgranensi atque aliunde consarcinata. Sinceram quoque dedit *Carolus le Cointe* tomo V Annalium Ecclesiae Francorum ad Annum CHristi 757. pag. 566–587. ex Codice MSto collato cum Dacheriana et Labbeana editione. Plura de hoc Chrodogango *Paulus Warnefridus* in fragmento de Episcopis Metensibus apud Andream du Chesne tomo II rerum Franc. pag. 204, seq. ubi *normae* etiam Clero institutae mentio, sicut et apud Sigebertum cap. 78. Excerpta ex illa regula capita quaedam ante Dacherium vulgaverat *Johannes Morinus* in sylloge poenitentialium libellorum, subjuncta operi de disciplina Veteris Ecclesiae in administratione poenitentiae, quod opus post editionem Paris. 1651. recusum est Bruxellis 1685. et Venetiis 1702, fol. Denique Chrodogangi *privilegium pro Gorziensi Abbatia*, praeter Conciliorum editores Labbeum, Harduinum et Coletum ad Annum 756. offert laudatus le Cointe tom. V pag. 562. De Romano Psalmorum Cantu in Metensem primum, deinde in alias Galliae Ecclesias per Chrodogangum illato vide Henrici Warthoni auctarium ad Usserium de sacris vernaculis pag. 358.

CHROMATIUS Aquilejae a) Episcopus inter Episcopos sui temporis sanctissimos b) doctissimosque: amicus Ambrosii c), Hieronymi, (qui saepe ejus cum laude meminit, Salomonisque libros ex LXX. versos ei et Heliodoro dedicavit), Chrysostomi d) et Rufini, cui cum Jovino et Eusebio Cremonensi, circa Annum 370. cum esset baptizatus, *pater et doctor symboli ac fidei* fuit, ut Rufinus testatur I. in Hieron. tom.

a) Vide Carolum le Cointe tom. V. Annal. Francorum pag. 74.

a) Vide Labbeum tom. I, pag. 222 seq.

b) Hieron. praefat. in Paralipom.

c) Ambrosius Epist. 57 ad Chromatium.

d) Chrysost. Epist. 155, tom. III, editionis novae pag. 689. Rufinus.

IV editionis Marcianaei pag. 352. Chromatio scripta etiam nonnulla Hieronymi et Rufini debemus: nam et Hieronymo interpretari Paralipomena a), Oseam, Amos, Malachiam et Zachariam b): Rufino historiam Ecclesiasticam Eusebii c) et Origenis homilias d) transferre persuasit: licet Epistola praefixa Usuardi martyrologio e) supposita videatur viris doctis, qua Chromatii et Heliodori nomine Hieronymus rogatur, ut de archivis S. Eusebii Caesareae Palaestinae *festa martyrum* ad eos dirigat: nec minus supposita est Epistola Chromatii et Heliodori altera ad Hieron. *de Nativitate B. Virginis.* f) Epistola vero, qua *Origenis* condemnatis erroribus g) rogaverat, ut litibus cum *Rufino* h) finem imponeret, hodie desideratur, neque Hieronymus passus est hoc se a Chromatio persuaderi. Desideratur quoque *Epistola ad Honorium* Imperatorem pro causa Chrysostomi, cujus Honorius apud Palladium in vita Chrysostomi cap. 3, pag. 30 meminit. Sixtus Senensis tradit Chromatium scripsisse *Commentarios in Matthaeum*, quae autem ejus hodie exstant, sunt *Homiliae de octo beatitudinibus*, et *Commentarius in quintum caput Matthaei et partem sexti* i), aliudque fragmentum *in Matth. III. 14. de baptismo CHristi.* Haec edita primum Basileae 1528, 8. cum Symmachi Episcopi Romani Apologetico adversus Anastasium Imperatorem, et praefatione Joannis Sichardi: deinde ex Martini Lipsii duobus melioribus Codicibus usi recognitione Lovan. 1546, 8. saepiusque inde recusa in Micropresbytico pag. 410. in orthodoxographis utrisque An. 1555 et 1569 et in Bibliothecis Patrum Parisiensibus A. 1575. tom. VIII An. 1589, 1644 et 1654, tom. II, et Coloniensi tom. IV, et Lugdunensi tom. V, pag. 976 nec non in Bibliotheca Concionatoria Francisci Combefisii. Diem obiisse traditur Chromatius An. 406. Vide Ughellum tom. V, Italiae sacrae pag. 24 editionis novae. De successore infra, NICEAS. In Martyrologio Romano 2 Decembris Chromatius sanctus appellatur et Confessor.

a) Hieron. praef. in Paralipom.

b) Chromatius et Heliodorus Epist. ad Hieronymum.

c) Vide Tillemont tom. XII, pag. 501 seq.

d) Idem pag. 507 seq.

e) Idem pag. 555. Baronii prolegom. ad Martyrolog. Rom. cap. 5 et 7 et ad An. CHristi 388, num. 101.

f) Vide Codicem Apocryphum Novi Testamenti pag. 7 seq.

g) Hieron. 2 in Rufin. Tom. IV, pag. 417.

h) Hieron. in Rufin. lib. 3, tom. IV, edit. Marcianaei pag. 457.

i) Ex hoc Commentario petita *expositio Orationis Dominicae*, quam exhibet Joh. Henichius Hist. Eccles. II, pag. 378.

CHRONICI veteris excerptum ab Anno CHristi 886 ad 1109 apud Andream du Chesne tom. IV, rerum Franc. pag. 69-96.

Petrus ob eloquentiae suavitatem CHRYSOLOGUS, et *Latinorum Chrysostomus* a) appellatus, Ecclesiae Ravennatis Episcopus ab Anno 433 usque ad 449 b) 2 Decembris. De illo praeter editores, Agnellus in libro Pontificali Ravennatensium Episcoporum pag. 321 Benedictus Bacchinus in Observationibus ad Agnellum pag. 335, seq. Hieronymus Rubeus in historia Ravennatensi, Tillemontius c) tom. XV, Memoriarum pag. 184, seq. 864, seq. et Jo. Pastritius d) in explicatione Patinae mysticae, vulgata Romae 1706, 4. Inter sermones Chrysologi *centesimus septimus*, qui inscribitur *in Divum Petrum Episcopum* non ab ipso compositus, sed ab alio ejus memoriae dicatus fuisse videtur e). *Sermones* Chrysologi, quos *super topazium et aurum obryzum pretiosos* vocat Anonymus Mellicensis cap. 28 collecti sunt et digesti primum a FELICE, qui An. 708. Episcopus Ravennas ordinatus est, cujus *prologum* sermonibus praemissum e MSS. vulgavit Oudinus tom. I pag. 1251 testatus eundem ordinem, quem Felix observavit, in editionibus etiam conspici. Prodiere Chrysologi *sermones CLXXVI.* (quanquam CXXII. tantum computant Sixtus Senensis et qui eum sequuntur.) Bononiae 1534, 4. Coloniae 1541, fol. Parisiis

a) D. Elias Veiel de prastantia studii Medici pag 48.

b) H. Noris Historia Pelagiana editionis primae pag. 260.

c) Memoires de Trevoux An. 1711, p. 1198 seq.

d) Acta Eruditorum An. 1707, pag. 501 seq.

e) Tillemont tom. XV, pag. 184 e 865.

1544, 8. (quae editio praeter rem pro prima venditatur in autographis Rudolphinis tom. I pag. 467) Parisiis 1574, 8. (in quam editionem emendationes *Latini Latinii* leguntur in ejus Bibliotheca sacro-profana tom. I, pag. 98, seqq.) Coloniae 1678, 4. Parisiis 1585, 1612, 8 et cum Leone M. et Maximo Taurinensi 1614, fol. et in *Francisci Combefisii* Bibliotheca Concionatoria et in Bibliotheca Patrum Coloniensi Anno 1618 tom. V, pag. 662 et Lugdunensi An. 1677 tom. VII, pag. 845 et ex recensione *Theophili Raynaudi*, cum Leone Magno, Maximo Taurinensi, Fulgentio etc. in heptade praesulum Christiana, Paris. 1623, 1628, Lugduni 1633. Parisiis 1661, 1671, fol. et cum scholis et Vita Crysologi per *Dominicum Mitam*, presbyterum Bononiensem, qui praeclaram operam in sermonibus hisce ad MStos Codices emendandis b) posuit, Bononiae 1643, 4. Coloniae 1678, 4. et cum commentariis *Martini del Castillo* c) Burgensis, Ordinis Minorum, Lugduni 1676, fol. Admirari se os tam disertum, ingenium foecundissimum, stylum supra aevum istud tersum atque elegantem professus est *Jo. Meursius* p. 2. Exercit. Critic. cap. XI ubi loca quaedam ejus emendat pag. 130 seq. *Zachariae Lundii* Commentarius in Chrysologum, Variae Lect et animadversiones copiosae MSS. fuere Hafniae apud illustrem Rostgaardum. Esse quosdam in hisce sermonibus, qui alium habeant auctorem, jam a multis annotatum est, licet conjecturis potius res agitur, quam argumentis certis. Vide infra in SEVERUS *Malacitanus*, et Tillemontium tom. XV memoriar. pag. 866 et Oudinum tom. I, pag. 1252 ubi etiam inscriptiones sermonibus in plerisque editionibus praefixas recte negat esse a Chrysologo.

Sermones V in Orationem Dominicam ad Catechumenos, primus edidit Dacherius tom. VII spicilegii pag. 120 (edit. novae tom. I, pag. 215) et ex fide Codicis Corbejensis retulerat ad PETRUM DAMIANUM quos ex D. Stephano de Marces postea comperit Chrysologi esse: cujus alii quidam sermones etiam, qui in Felicis collectione exstant, ad Damianum a viris doctis referuntur, cum Damianus multis saeculis Felice fuerit junior. Sed et idem Dacherius tom. XI, pag. 279 (edit. novae tom. I, pag. 41) vulgavit, quem tanquam ineditum Petrus Franciscus Chifletius ei suppeditaverat *Sermonem in Natali Domini*, Auctoris qui circa Annum 500 vixerit, et fortasse S. FULGENTII, qui tamen inter sermones Chrysologi auctior a principio atque emendatior etiam lucem saepius viderat, sermo CXLV. ut observatum Paulo Colomesio in paralipomenis de scriptoribus Ecclesiasticis pag. 263 et in Observationibus sacris pag. 133. Sermonis hujus clausula idem urget argumentum, quo utitur Chrysologus in Epistola, de qua mox ad Eutychem: *Triginta annis humanae leges* (Valentiniani An. 449) *humanas adimunt quaestiones: et Christi generatio, qaae Divina Lege scribitur inenarrabilis, post tot saecula disputatione temeraria ventilatur?*

Epistola ad Eutychetem Presbyterum scripta medio Anni 449 et laudata ab Agnello pag. 323, seq. Hujus Epistolae duplex editio exstat, *una* qualis ex Codice Estensi exhibetur a Bacchino notis ad Agnellum pag. 344 et ex Codice Thuano occurrit inter Leonis M. Epistolas in editionibus quibusdam, quae Quesnellianam antecessere: *altera* dimidio tanto auctior, quam ex MStis Vaticanis et Sirleti codice publicavit cum notis Gerardus Vossius ad calcem Gregorii Thaumaturgi, Mogunt. 1604, 4. pag. 405 addita Graeca versione ex parte 1. Actorum Concilii Chalcedonensis, tom. II. Harduin. pag. 21. Labbei tom. IV, pag. 35 quae editio Latine saepius deinde repetita ad calcem sermonum Chrysologi, et post Epistolam XXIII. Leonis M. in editione Paschasii Quesnelli, cujus notas consulere juvabit t. II, pag. 426, seq. edit. in fol.

Epistolas alias plures scripsisse Chrysologum notat Trithemius cap. 159. Harum fragmenta aliquot idem Colomesius testatur legisse se in *Lumine animae*, libro non

a) Bacchinus ad Agnellum tom. II, pag. 388.
b) Vide Oudinum tom. I, p. 1251.
c) Giornale de' Letterati di Roma An. 1676, pag. 257.

facile obvio MATTHIAE FARINATORIS Carmelitae Viennensis, edito 1477, 2 voll. et digesto per titulos LXXV.

Testamentum Chrysologi memorans Ughellus tom. II. Italiae sacrae, pag. 333, nullum aliud videtur signare, quam quae ab eo morti vicino dicta narrat Agnellus in ejus vita pag. 334.

Daniel CHURCHE, sive *Ecclesiensis,* Anglus de domo ac familia Regis Henrici II, circa An. C. 1180 scripsit *Urbanum,* de morum comitate, versibus hexametris. Incipit: *Cum nihil utilius.* MS. Dublini in Collegio S. Trinitatis. Etiam *carminum* ejus *rhythmicorum* librum Baleus III, 17 commemorat, et ex Baleo Pitseus p. 243. Polycarpus Leyserus in poëtarum medii aevi historia p. 438.

CICARDI Abbatis *Chronicon* MS. in Bibliotheca monasterii S. Galli in Helvetia, notavere Vossius Cangiusque ex Possevino.

Richardus CICESTRIUS, sive de CIRENCESTRIA Monachus Westmonasteriensis Ordini Benedictini medio saeculo XIV auctor *Speculi Historiae* et *Chronici Anglo-Saxonum* ab An. 448 ad 1348 quod bipartitum opus perinde ut *Chronicorum epitome* MS. apud Cantabrigienses. Vide Baleum V. 78. Pitseum pag. 462, seq. Vossium pag. 532, seq. Alius *Richardus* Episcopus *Cicestrensis* An. 1255 defunctus, cujus vita a Radulfo Bocking Ord. Praed. circa An. 1270 scripta exstat in Actis Sanctorum 3 April. ut supra dicere me memini: Epitome apud Surium.

CIMBERTUS, f. KINBERTUS, idem Lelando c. 79. CUNEBERTUS, Monachus Ord. Bened. et Episcopus Lindisfarorum, sive Lindensium Dorcestrensis, cujus litteris se circa A. 730. ad scribendam Ecclesiae Anglorum historiam adjutum profitetur Beda: *In Provincia*, inquit, *Lindissi, quae sint gesta erga CHristi fidem, quaeve successio sacerdotalis exstiterit, vel litteris reverendissimi Antistitis* Cimberti, *vel aliorum fidelium viva voce didicimus.* Ex his Bedae verbis Pitseus pag. 128. Cimberto non dubitavit tribuere *Compendium Annalium suae gentis*, et *Epistolarum, maxime ad Bedam librum unum.* Alii *librum de factis comprovincialium.*

CINUS Pistoriensis, praeceptor Bartoli JCti, Jus Civile docuit Bononiae, compositisque in Digesta et Codicis (72 *Venetiis ap. Torresanum* 1494. fol. gr.) Justinianei libros commentariis decessit An. 1336 de quo praeter Thrithemium c. 575. Pancirollum et alios Nic. Comnenus Papadopoli in historia Gymnasii Patavini tom. II, pag. 8 seq. et Janus Vincentius Gravina de originibus Juris Civilis.

(73 *Ciampi (Seb.) Memorie della vita di Cino ec. Pisa 1815 e Pistoja 1826. 8 con le di lui Poesie*).

Bernardus CIRCA ex Praeposito Papiensi Episcopus An. 1192. Faventinus, atque inde ab Anno 1198. Papiensis usque ad 1213 quo diem obiit supremum. Hunc *Bernardum Balbum* video appellari ab Ughello cum pag. 1097, tom. I, ubi de Papiensibus tum tom. II, pag. 500 ubi de Faventinis Episcopis disserit. Sed *Bernardus Circa* appellatur ab Antonio Augustino, qui ejus *collectionem Decretalium* cum notis edidit Ilerdae 1576, fol. recusam Paris. 1609, fol. Prima haec est ex quinque post Gratianum collectionibus, de quibus supra pag. 275 et tom. XI. Bibliothecae Graecae pag. 10.

Joannes de CIREYO a) Divionensis, Abbas Balernensis in Burgundia Ord. Cisterc. interfuit Synodo Aurelianensi An. 1477 et Turonensi An. 1478 obiitque senex An. 1503 de quo Lud. Jacobus de scriptoribus Cabilonensibus, et Carolus de Visch in Bibliotheca Cisterciensi pag. 200, seq. Exstat ejus *Compendium Sanctorum Ordinis Cisterciensis*, et *liber privilegiorum* ejusdem Ordinis, quorum ipse quaedam ab Innocentio VIII illi conciliaverat. Divione 1491. *Exhortationem ad Monachos Cistercienses* libro Privilegiorum subjunctam, exhibet etiam Chrysostomus Henriquez in sua Cisterciensium privilegiorum sylloge, Antwerp. 1630 et Carolus de Visch pag. 200 ubi etiam de Johannis hujus *dialogo* inter Priorem et Subpriorem, contra libellum quendam *Mat-*

a) Apud Carolum de Visch ita recte bis in indice, pro quo pag. 209 vitiose de CIRCIO, quod deinde alii sunt imitati. Sed recte de *Cirey* etiam Jacobus le Long in Bibliotheca Historicorum Galliae pag. 911.

thaei Pillard, de prospero et adverso Ordinis statu.

CIRINUS, *Cyrinus*, supra, ARIBO p. 127.

Joannes CIRITTA, Abbas Taurocanus, sive Monasterii Johannis de Tarauca Ord. Cisterc. An. 1132 fundati in Lusitania, defunctus An. 1164. Ad hunc Epistola S. Bernhardi 368. Ipse cum Guiscardo sodali suo scriptor *Regulae Equitibus militiae Ordinis de Avis*, sive *Avisii*, jussu Alfonsi Regis, quam vulgavit Chrysostomus Henriquez in ejus vita, lib. 1. fasciculi Sanctorum Ord. Cisterc. dist. 19 una cum *duabus Epistolis*, una ad Monachos Taurocanos, cum Abbatiae renuncians ipse in monasterium S. Christophori concessisset: et altera ad Boëmundum, Abbatem Taurocanum. Vide Vischii Bibl. Cisterc. pag. 203 et Nicolaum Antonium tom. II. Bibliothecae veteris Hispanae lib. VII, cap. 6, pag. 17.

Scriptores de CISTERCIENSI Ordine, Benedictini propagine, quae ex Abbatia Cisterciensi An. 1098 fundata longe lateque pullulavit.

Origines Cisterciensis Ordinis, incertis auctoribus scriptae, in Labbei Bibl. nova MSS. tom. I, pag. 640-647.

Anonymi *Exordium Ordinis Cisterciensis minus*, scriptum An. 1120 et cum notis editum ab Ignatio Firmino de Hibero, Fiterensis Coenobii in regno Navarrae Abbate, Fiteri 1610, fol. Coloniae 1614, 4. Vide Jacobi le Long Bibliothecam Historicorum Galliae pag. 259, seq.

Exordium Ordinis Cisterciensis majus, scriptum An. 1212. Vide Bertrandum Tissier tom. I. Bibliothecae veterum scriptorum Ordinis Cisterc. et infra CONRADUS Everbacensis.

Exordia sacri Ordinis Cisterciensis, alterum a S. ROBERTO, S. ALBERICO, S. STEPHANO ejus Ordinis fundatoribus ante quadringentos a Monacho Claraevallensi conscripta: et ab eodem de Hibero edita Pampilone 1631, fol. qui posterius hoc S. HELINANDO tribuit, quod refellitur ab Angelo Manriquez ad Annum 1100. Vide infra, HELINANDUS.

ANONYMI Cisterciensis, qui in Germania post Annum 1153 scripsit, *Dialogus* duorum Monachorum Cluniacensis et Cisterciensis, de variis utriusque Ordinis observatis, quem vulgavit Edmundus Martene tom. III Anecdotorum pag. 1561-1654.

Joannis d' Assignies Vitae Sanctorum et Sanctarum Ordinis Cisterciensis. Gallice 2 Voluminibus in 4. Duaci 1598. et Montibus 1606.

Franciscus Bivarius, sive *Vivarius*, (male apud Teissierium *Rivarius*) Madritensis de Viris et Foeminis illustribus Ordinis Cisterciensis. Vide Vischium pag. 114 et Nicolaum Antonium tom. I Bibliothecae novae Hispanae pag. 312.

Bernardus Brito in Historia Ordinis Cisterciensis, edita Lusitanice, Ulyssipone 1602, fol.

CÆSARIUS Heisterbacen. de quo supra.

Claudius Charlemot in serie Sanctorum et illustrium Virorum Ordinis Cisterciensis, Parisiis 1660, 4. Ejusdem Annales Cistercienses 2 Voluminibus: memorati Vischio pag. 78 nescio an editi.

Joannes de CIREYO, supra pag. 352.

Claudina Fevret, Abbatissa Bernhardinarum Divionensis, in Diario Sanctorum Ordinis Cisterciensis, edito Gallice Divione 1706, 8.

Chrysostomi Henriquez Calendarium Ordinis Cisterciensis. Bruxellis 1620. Fasciculus Sanctorum Ordinis Cisterciensis. Bruxellis 1624, fol. duobus Voluminibus. Menologium Cisterciense. Antwerpiae 1630, fol. 2 Volum. de quo Bollandus praefatione ad Acta Sanctorum Januarii cap. 4 § 9 et praefatione ad Acta Febr. cap. 6. Constitutiones, regulae et privilegia Ordinis Cisterciensis. ibid. Lilia Cistercii, sive vitae sanctarum Virginum etc. Ejusdem Chrysostomi Phoenix reviviscens, seu Scriptores Ordinis Cisterciensis Angliae et Hispaniae, Bruxellis 1626, 4. Omitto alia apud Vischium pag. 66, seq. et Nicolaum Antonium tom. I Bibliothecae novae Hispanae pag. 194.

Augustini INFANGATI, Florentini, Monachi S. Salvatoris de Septimio, defuncti An. 1499. Chronicon de gestis Monachorum Ordinis Cisterciensis, sex Voluminibus, MSS. in illo Monasterio. Vide Julium Nigrum Bi-

bl. Florentin. pag. 6 et Vischii Bibl. Cisterc. pag. 29 ubi perperam *Iafaugatus* excusum.

Gasparis Jongelini, Antwerpiensis Purpura Divi Bernhardi, elogia Pontificum, Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum ex Ordine Cisterciensi. Coloniae 1644, fol. Elogia S. Bernhardi et Cisterciensium Monachorum. ibidem 1644, 4.

Angelus Manriquez, Burgensis, in Annalibus Cisterciensibus. Lugduni 1642, seq. fol. quatuor tomis, quorum primus ab Anno 1098 secundus ab Anno 1145 tertius ab Anno 1174 quartus ab Anno 1213.

Ejusdem Sanctorale Cisterciense, duobus Voluminibus. Pontificale Hispano-Cisterciense, et Calendarium Sanctorum Ordinis Cisterciensis. Vide Nicolaum Antonium tom. I Bibliothecae novae Hispanae pag. 71, seq. et Carolum de Visch. pag. 22.

Sylvestri Maurolyci de Viris illustribus Ordinis Cisterciensis. Vide Mongitorem tom. II Biblioth. Siculae pag. 226.

Hugonis Menardi Catalogus Sanctorum Ordinis Cisterciensis.

Auberti Miraei Chronicon Cisterciense. Coloniae 1614, 8.

Barnabas de Monte Alvo in Chronico Ordinis, cujus prima pars lucem vidit Hispanice, Madrit. 1602, fol.

Petri le Nain Subprioris Abbatiae Trappensis, specimen historiae Ordinis Cisterciensium, Gallice, novem Voluminibus in 12. quorum ultimum circa An. 1250 desinit. Paris. 1696, 1697.

Augustini Sartorii Cistercium bis tertium, seu historia elogialis Ordinis Cisterciensis. Pragae 1700, fol. Vide Acta Eruditorum An. 1702, pag. 236.

Philippi Segvini, qui circa Annum 1590 floruit, lucubrationes de Sanctis, viris illustribus, Abbatibus et Monachis Ord. Cisterc. et Bibliotheca Cisterciana, de quibus Vischius pag. 280.

Bertrandi Tissier, Prioris Bonifontis in Thierascia Picardiae, Bibliotheca veterum scriptorum Ordinis Cisterciensis, qui saeculo S. Bernhardi vel non diu post obitum ejus floruere. Bono fonte 1660. 1662. 1669, fol. tribus Voluminibus.

Caroli de Visch, Dunensium Prioris, Bibliotheca scriptorum sacri Ordinis Cisterciensis, cum Chronologia Monasteriorum 874 ejusdem Ordinis ab An. 1113 ad 1628. Colon. 1656, 4. Confer Notitiam Abbatiarum Cisterciensium, quae prodiit Colon. 1640, fol.

Ferdinandi Ughelli de scriptoribus Ordinis Cisterciens. laudat Allatius in apibus urbanis, Thomasinus in Parnasso Euganeo et ex his in Biblioth. Bibliothecarum Labbeus, dubito an editum.

CIVITATENSIS in regno Neapol. Episcopi, cujus nomen non est adscriptum, *Chronica recollectio XXIV. Schismatum* in Ecclesia Romana factorum a tempore Felicis II. sive An. 354 ad Benedictum XIII. sive A. 1417. MS. in Bibliotheca Basileensi, teste Joanne Hallervordo in Spicilegio Historicorum Latinorum.

CIXILLA, sive CIXILANES, quem Pseudo-Luitprandus Archi-Episcopum Toletanum refert fuisse ab Anno 752 ad 775 ab eodem et aliis traditur scripsisse *Vitam S. Ildephonsi* defuncti A. 667. Breve scriptum incipit: *Ecce dapes mellifluae.* Vide Laurentium Ramiresium in animadversionibus ad Luitprandum, sed et Nicolaum Antonium in Bibliotheca veteri Hispana lib. VI. cap. 1. tom. I. pag. 320. qui notat editam esse a Basilio Melanio, Monacho Cassinensi, cum B. Ildephonso de laudibus B. Virginis, Basileae 1557. et a Constantino Cajetano in SS. trium Episcoporum, Isidori, Ildephonsi et Gregorii Cardinalis Ostiensis vita et actionibus, Romae 1616, 4. et a Laurentio Ramiresio de Prado ad calcem Chronici Pseudo-Juliani, Parisiis 1628, 4.

Anterius CLALIDIANUS. Supra, ANTERIUS.

S. CLARÆ Assisiatis, quae An. 1253. obiit, *Epistolae IV.* ad S. Agnetem scriptae exstant in Actis Sanctorum tom. I. Martii p. 506. seqq. Testamentum ejus et Epistolas plures memorat Waddingus in Bibliotheca Ordinis Minorum p. 91. Bulla Canonizationis, qua Clara haec S. Francisci discipula Sanctis adscripta est ab Alexandro IV. legitur apud Laërtium Cherubinum tom. I. bullarii pag. 133.

CLAREMBALDUS, de quo haec auctor

appendicis ad Henricus Gandavensem de scriptoribus Ecclesiasticis cap. 10. *Clarebaldus Atrebatensis Diaconus* super Boëthium de Trinitate *commentum fecit, ubi de quibusdam* Gilbertum Pictaviensem *arguere*, Petrum *vero* Abailardum *condemnare*, *et Abbatem* Bernhardum *comprobare videtur.*

Ossbertus CLARENTIUS, Lelando cap. 158. CLARANUS, Anglus, Monachus et Prior, sive Praeses secundarius S. Petri Londinensis, circa Annum CHristi 1136. scripsit *vitam Petri Eadveardi* Regis, Ethel redi F. ad Albericum, legatum Innocenti II. Papae: et *vitam Ethelberti,* sive *Athelberti,* Regis et Confessoris, ad Gisslibertum Episcopum Henoforthensem. *Vitam Eadmundi* Martyris, et *Eadburgae* Virginis. Vide Vossium pag. 409. Praeter haec, *Epistolarum* volumina duo memorantur a Baleo II. 75 et Pitseo pag. 205. MSta quaedam hujus Clarentii in Bibliothecis Angliae, ut notavit Oudinus tom. II, pag. 1121, seq. *De vita S. Elphegi* vide infra in OSBERNO.

CLAREVALLENSE Chronicon ab Anno CHristi 1147 ad 1192 vulgatum a Petro Francisco Chifletio in genere illustri S. Bernhardi asserto. Divione 1660, 4.

CLARICONIS Magistri Quaestiones Morales, Quaestiones super libros Aristotelis de Generatione et Corruptione, cum quibusdam aliis de Theologia MSS. memorat Antonius Sanderus in Bibliotheca Belgica MS. pag. 198.

Breve Chronicon CLARIMARISCENSE ab Anno 1098 ad 1286 in Thesauro Anecdotorum Edmundi Martene, tom. III pag. 1386.

CLARIUS Floriacensis primum, deinde Abbatiae S. Petri Vivi, Senonensis Monachus, Gaufridi a Colone judicio *valde bene litteratus* scripsit *Cronicon* ab Anno CHristi 446 ad 1184 editum a Dacherio tom. II, spicilegii pag. 705 (editionis novae tom. II, pag. 463–486) qui notat vestigiis ejus libenter insistere Robertum Autissiodorensem, ubi res Senonenses persequitur.

CLAUDIUS CLAUDIANUS Alexandrinus, tempore filiorum Theodosii M. circa Annum CHristi 395 clarus Poëta *summi studii et magni exercitatique ingenii* a), de quo satis dictum lib. III. Bibliothecae Latinae cap. 13 et in Polycarpi Leyseri historia poëtarum medii aevi pag. 14, seq.

Mamertus CLAUDIANUS, aliis *Claudianus Ecdicius Mamertus*, sub Mamerto b) fratre, Episcopo Viennensi, Presbyter c), sive *Antistes ordine in secundo*, ut est apud Sidonium Apollinarem lib. IV. Epist. XI ubi insigne elogium ejus, epitaphiumque ei positum legitur, defuncto circa Annum CHristi 470. Scripsit *de statu animae* libros III contra FAUSTUM Rejensem d), qui in libello de Creaturis animam corporeis et localibus substantiis adscripserat cum Tertulliano, Arnobio, Hilario, aliisque. Edidit primus *Petrus Mosellanus*, Basileae 1504, 4. e Bibliotheca Cellae Veteris Misnensis, qui Codex MS. jam servatur Lipsiae in Bibliotheca Paulina, teste Daumio in notis ad Paulinum Petrocorium pag. 330. Inde prodiit in Orthodoxographis Grynaei An. 1569, pag. 1247 et in Bibliothecis Patrum Parisiens. An. 1575, tom. V et An. 1589, 1144, 1654, tom. IV et ex *Andreae Schotti* recognitione, qui *Johannis Wowerii* collationes cum membranis Plantinianis, et Codicem antiquissimum Tornacensem e Bibliotheca Benedictinorum ad S. Martinum nactus, longe emendatiores hos libros vulgavit in Bibliotheca Patrum Coloniensi An. 1618, tom. IV, qui repetiti in Lugdunensi An. 1677, tom. VI, pag. 1050. *Caspar Barthius* eosdem libros cum suis et Schotti notis edidit Cygneae 1655, 8. illisque Latine adjunxit Gregorii Thaumaturgi libellum de anima celebres opiniones, Joanne Tarino interprete, Hermae Pastorem illustra-

a) Jo. Jovianus Pontanus in Actio Dialogo, t. I. Operum pag. 220.

b) De hoc Tillemontius tom. XVI. Memoriarum pag. 104, seqq. Sammarihani tom. I. Galliae Christianae pag. 792, seq. Acta Sanctorum tom. II. Maji XI, pag. 629.

c) Ado in Chronico ad Annum CHRISTI 468, *Claudianus Viennensis Ecclesiae Presbyter vir ad loquendum artifex, et ad disputandum subtilis floruit.* Honorius II. 82 de S. E. ex meliore Gennadii editione.

d) Tillemont. tom. XVI. Memoriar. pag. 121, seq. pag. 215. 244. seq.

tum notis, et PACIANI paraeneticum ad Poenitentiam.

Praeter *Epistolam ad Sidonium*, qua ei hos libros Claudianus dedicavit, alia etiam *ad eundem* legitur inter Sidonianas lib. IV. Epist. 2 blande expostulatoria quod cessaverit rescribere. Eamque Epist. 3. Sidonii excipit responsio, in qua Claudianum ejusque opus mirificis extollit laudibus, atque ut omni eum abundare doceat doctrina, ait illum *non abnuere cum* Orpheo *plectrum*, *cum* Æsculapio *baculum, cum* Archimede *radium, cum* Euphrate *horoscopium*, *cum* PERDICE *circinum, cum* Vitruvio *perpendiculum; neque unquam investigare desistere cum* Thalete *tempora*, *cum* Chrysippo *numeros, cum* Euclide *mensuras. Ad extremum, nemo saeculo meo quae voluit affirmare sic valuit. Siquidem dum sese adversus eum, quem contra loquitur, exercitat, morum ac studiorum linguae utriusque symbolam jure sibi vindicat. Sentit ut* Pythagoras, *dividit ut* Socrates, *explicat ut* Plato, *implicat ut* Aristoteles, *ut* Æschines *blanditur, ut* Demosthenes *irascitur*, *vernat ut* Hortensius, *aestuat ut* Gethegus, *incitat ut* Curio, *moratur ut* Fabius, *simulat ut* Crassus, *dissimulat ut* Caesar, *suadet ut* Cato, *dissuadet ut* Appius, *persuadet ut* Tullius. *Jam si ad sacrosanctos Patres pro comparatione veniatur*, *instruit ut* Hieronymus, *destruit ut* Lactantius, *adstruit ut* Augustinus, *attollitur ut* Hilarius, *summittitur ut* Johannes, *ut* Basilius *corripit, ut* Gregorius *consolatur*, *ut* Orosius *affluit, ut* Rufinus *stringitur*, *ut* Eusebius *narrat, ut* Eucherius *sollicitat*, *ut* Paulinus *provocat*, *ut* Ambrosius *perseverat.* Laudatur idem Claudiani opus a Sidonio lib. V, Epist. 2. Sed non possum non in Lectoris gratiam priori illi Sidoniano elogio adjungere haec Alani a), qui*bus* chorum septem artium celebraturus, Sidonium non obscure expressit:

Ut Zeuxis pingit choros hic, ut Milo figurat,
Ut Fabius loquitur, ut Tullius ipse perorat,
Ut Samius sentit, sapit ut Plato, quaerit ut Hermes,
Dividit ut Socrates, ut Zeno colligit, instat
Ut Brisso, studet ut Crisias, speculatur ut Argus,
Temporis excursus ut Caesar cogit, ut Atlas
Sidera perquirit, ut Zetus pondera librat,
Tanquam Chrysippus numerat, metitur ut alter
Euclides, canit ut Phoebus, citharizat ut Orpheus,
Circinat ut PERDIX, ut Daedalus erigit arces,
Fabricat ut Cyclops, ut Lemnius arma monetat,
Instruit ut Seneca, blanditur ut Appius, urget
Ut Cato, succendit ut Curio, velat ut alter
Persius, ut Crassus simulans, ut Julius alter
Dissimulans, ut a) Soldius implicat, explicat idem
Ut Naso, vernat ut Statius, ut Maro dictat.
Concipit, exponit, imitatur, gestat, adimplet
Mercurii sensus, nostri Demosthenis iras,
Ovidii flumen, Lucani fulmen, abyssum
Virgilii, morsus Satyrae, Solonis asylum.

Epistola Claudiani ad SAPAUDUM Rhetorem Viennensem vulgata a Baluzio tom. VI. Misc. pag. 535. in qua *declamationes* ejus laudat, et ad veteres potissimum legendos imitandosque hortatur. *Illud perquam familiariter quaeso, ut spretis novitiarum ratiuncularum puerilibus nugis, nullum lectitandis his tempus insumas, quae dum resonantium sermunculorum taureas rotant, oratoriam fortitudinem plaudentibus concinnentiis evirant. Naevius et Plautus tibi ad elegantiam, Cato ad gravitatem, Varro ad peritiam, Gracchus ad acrimoniam, Chrysippus ad disciplinam, Fronto ad pompam, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint. Quisquis enim recentiorum aliquid dignum memoria scriptitavit, non et ipse novitios legit.* Hic est Sapaudus, quem Sidonius lib. V. Epist. 10 laudat his verbis: *Tua vero tam clara tam spectabilis dictio est, ut illi divisio Palaemonis, gravitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agroecii disciplina; fortitudo Alcimi, Adelphii teneritudo, rigor Magni, dulcedo Victorii non modo non superiora, sed vix aequiparabilia scribantur --- solam tibi acrimoniam Quintiliani, pompamque Palladii comparari non ambigo, sed potius acquiesco.*

Hymnus de Passione Domini, Venantio Fortunato tributus ab aliis, cujus initium: *Pange lingua gloriosi praelium certaminis.*

a) Alanus Insulensis in Enciclopaedia pag. 341. Operum.

a) Suspicior legendum *Sollius*, et Sidonium ab Alano intelligi, cujus integrum nomen *C. Sollius Apollinaris Sidonius.* Implicare autem dicitur, cujus sensibus dives oratio plura cogitanda relinquit Lectori.

Exstat in breviariis et antiphonis Ecclesiae Romanae Dominica quinta Quadragesimae sive Dominica Passionis, et Dominica in palmis. De illo videndus Savaro et Sirmondus ad Sidonii lib. IV. Epist. 3 qui amplissimo encomio illum persequitur. Laudat et Gennadius cap. 83.

Carmen contra Poëtas vanos, ad Collegam. Ita apud Georgium Fabricium poët Christian. pag. 775, pro quo alii *ad Colleam*, vel *ad Jovium.* Incipit: *Jam mihi polliceor sacris tua carmina libris* ec. Saepius etiam libris de anima subjectum prodiit in Bibliothecis Patrum, ut in novissima Lugdunensi tom. VI, pag. 1074.

Carmen Paschale, *Laus CHristi*, et *Miracula CHristi*, quae inter Claudiani Poëtae scripta prodierunt plus vice simplici, et Mamerto Claudiano a quibusdam viris doctis adscribuntur, fortasse neutrius sunt, sed DAMASI, cujus nomen in MStis quibusdam praeferre notat Colomesius ad Gyraldum de poëtis pag. 259.

Non omittendum, quod Psalmorum concinendorum Lectionumque annuarum in Ecclesia Viennensi cursum signasse praedicat Sidonius in ejus epitaphio lib. IV. Epist. XI. his verbis:

Psalmorum hic modulator et phonascus
Ante altaria, Fratre gratulante,
Instructas docuit sonare classes.
Hic solennibus annuis paravit
Quae quo tempore lectu convenirent.

Huic Claudiano SALVIANUS dedicavit expositionem extremae partis Ecclesiastis, a) ut recte Erasmica editio Gennadii cap. 67 et Trithemius cap. 175. pro quo librarii perperam fecerunt Ecclesiasticum, sicut Claudium pro Claudiano etiam apud Trithemium cap. 178 et pro presbytero b) Episcopum Viennensem.

Osbernus CLAUDIANUS sive Glocestriensis Monachus circa Annum 1140. Vide infra, OSBERNUS.

CLAUDIUS *de Aquis*, infra, *Seysselius.*

CLAUDIUS Autisiodorensis Episcopus, cui *enarratio Epistolae ad Galatas* tribuitur in editione Parisiensi 1542, 8. Sed Claudio Taurinensi potius adscribendam viri docti judicant. Autisiodorensem cum Claudio Clemente Scoto Bedae discipulo eundem putabat Arnoldus Wion tom. II, ligni Vitae pag. 870.

CLAUDIUS Auctor *Chronici* secundum Hebraicorum Codicum veritatem, quod edidit Labbeus Bibliothecae novae MSS. tom. I, pag. 309-315. Etiam hoc Labbeus Claudio Taurinensi adscribere non dubitat: quisquis vero fuit, sub initia Ludovici Pii testatur se scripsisse, qui Carolo M. in Imperio successit Anno Mundi 4766. CHristi 814.

CLAUDIUS *Classitanae* Urbis in Æmilia sive Romandiola, Abbas Ordinis Benedictini, *multa de Proverbiis, de Cantico Canticorum, de Heptateucho, de Prophetis, de libris Regum, quos loquente GREGORIO* (ab Anno 590. Episcopo Romano) *audierat exponi, nec tamen ea Gregorius prae infirmitate et occupatione scripserat, ipse suo sensu dictavit, ne perirent, ut apto tempore emendatius dictarentur. Quae cum Gregorius comperisset valde inutilibus permutata esse, ea studiosius recollegit, et opportune correxit.* Haec Sigebertus Gemblacens. cap 44 de S. E. Trithemius de illustribus Benedictinis II. 11.

CLAUDIUS *Clemens* Scotus, cum Adelberto S. Bonifacii adversarius, condemnatus in Synodo Romana a Zacharia Papa Anno CHristi 745. Errores ipsi impactos refert ex Bonifacii Epistola ad Zachariam Baronius ad Annum 745 num. 28.

CLAUDIUS *Clemens* Scotus, Monachus Benedictinus, jussu Caroli M. in instituendis adolescentibus impiger et gnavus in juvandis reviviscentibus litteris, etiam scholis Parisiensi, ut ajunt et Ticinensi condendis ornandisque, una cum Alcuino, quos ambos *in saecularibus et in sacris Scripturis incomparabiliter eruditos* vocat Monachus Sangallensis lib. 1. quem vide in Canisii tom. II, editionis novae parte 3. pag. 57, 58. Huic Claudio multa scripta tribuit Trithemius cap. 258. de S. E. et de illustribus Benedictinis II. 28. Trithemium plerique sequuntur, quos verisimile est Scotum

a) Tillemont tom. XV, pag. 193.
b) Vide Labbeum tom. II, de S. E. pag. 322.

hunc confundere cum *Claudio Taurinensi*, de quo infra mox sum dicturus. Scotum hunc *carmine exercitatum et prosa* idem Trithemius celebrat.

CLAUDIUS *Eusthenius*, qui Diocletiano ab Epistolis fuit, Vopisco teste in vita Carini cap. 18 scripsit singulis libris, sed pridem deperditis vitas quatuor Imperatorum: *Diocletiani, Maximiani, Galerii,* atque *Constantii.*

Fabius CLAUDIUS *Gordianus Fulgentius*, infra. FULGENTIUS.

CLAUDIUS *Hispanus*, infra, *Taurinensis.*

CLAUDIUS *Mamertinus* senior (non diversus fortasse a *Claudio Eusthenio*, de quo jam dixi; ut totum nomen fuerit *Claudius Eusthenius Mamertinus*:) auctor *Panegyrici* Maximiano Herculeo Augusto dicti Parilibus sive die Urbis Romae natali XI. Cal. Martii in Gallia (Treveris fortasse) Anno Christi 292 sive potius 289. Vide Anselmi Bandurii numismata Imperatorum tom. II, pag. 71 et Antonii Pagi dissertationem Hypaticam pag. 135. Idem Claudius auctor *Genethliaci* in Maximianum et Diocletianum Augustos, quem idem Pagi dictum putat coram Maximiano Herculio Anno 291. Ait Mamertinus se Panegyricam Orationem *quinquennalibus* ejusdem destinatam servare velle in decennalia, post aliud rursus exactum quinquennium celebranda.

CLAUDIUS *Mamertinus* junior, cujus aetate jam provecti a) *gratiarum actio pro Consulatu* ad Julianum Imperatorem dicta Romae Kalendis Januarii An. 362 saepius excusa et a variis illustrata una cum superioris Mamertini Orationibus inter veteres Panegyricos est, ut dixi libro II. Bibliothecae Latinae cap. 22. Collega in Consulatu *adoreis militaribus gloriosus* cap. 15 intelligitur Nevita Gothus, quem cum Mamertino hocce plus simplici vice Ammianus Marcellinus celebrat. Vide Petri Relandi fastos Consulares pag. 398.

CLAUDIUM in Gennadii Codicibus quibusdam et a Trithemio appellari, qui rectius est *Mamertus Claudianus*, supra in CLAUDIANO notare me memini.

CLAUDIUS *Marius Victor*, sive *Victorinus*, Rhetor Massiliensis et Poëta, ante Annum 350 defunctus, de quo sicut de aliis hoc nomine infra, VICTOR.

CLAUDIUS Hispanus, a) discipulus Felicis Urgellensis, sive Orgelitani Episcopi et ab An. 821 ad 839. Episcopus *Taurinensis* a Claudio Clemente Scoto utroque diligenter distinguendus. Male passim audit apud Iconolatras, propter repressum ab eo et oppugnatum, praeter religiosas peregrinationes, immoderatum imaginum cultum, quem eodem Seculo Carolus M. b) et Ludovicus Pius, et Concilium Francofordiense non minus graviter, indignum Christianis ac deserendum esse sanciverunt. **De legitimo tamen sensu Concilii Francfordiensis vide Dissertationem P. Natal. Alex. Hist. Eccles. Saec. VIII. diss.** Primus Claudium oppugnandum sibi sumsit Abbas THEODOMIRUS, Episcopus deinde Caligurritanus c), cui Claudius respondit in *Apologetico et rescripto ad Theodomirum de cultu imaginum et Sanctorum*, ex quo pridem deperdito fragmenta extant apud JONAM Aurelianensem, et DUNGALUM d), reclusum, quorum utriusque libri de imaginibus, Claudii Apologetico oppositi aetatem tulerunt, de quibus suo loco. Calumnia de Arianismo ei objecto post obitum, quem vivus non docuit, sed oppugnavit, refellitur a Richardo Simone in Censura Bibliothecae Ecclesiasticae Dupinianae tom. I, pag. 286. seq. et 289. et tom. III. Bibliothecae Criticae Novi Testamenti pag. 360. seq.

Ex Commentariis ejus in libros sacros dolendum est nihil hactenus vidisse lucem praeter illum, quem circa Annum 816. scripsit *in Epistolam ad Galatas* dicavitque Dructeranno Abbati Sollemniacensi. Prodiit

a) *Meliorem aevi partem transactam* scribit cap. 18. *Claudi Mamertine non frustra vixisti.* idem cap. 17 ubi *canitiei* suae meminit.

a) Labbe tom. II, de S. E. pag. 755, seq. Nicolaus Antonius Bibl. Hisp. vet. lib. VI. cap 5. tom. I, pag. 356. seqq.

b) Supra pag. 315.

c) Carolus le Cointe ad Annum 823 tom. VIII, Annal. pag. 55.

d) Biblioth. Patrum tom. XIV, edit. Lugdunens. pag. 197, seq.

Parisiis 1542, 8. sub falso titulo CLAUDII *Autissiodorensis* recusus in Bibliothecis Patrum et novissima Lugdun. t. XIV, p. 141.

Fragmentum praefationis Commentarii *in Matthaeum* ad Justum Abbatem Carrofensem, quem Graeco nomine etiam Eusebium appellat, An. 815. scriptae edidit Jacobus Usserius in Epistolis Hibernicis pag. 53 una cum dedicatione pridem edita ad Galatas, auctorem vocans CLAUDIUM *Scotum* Presbyterum. Commentarius ipse libri tribus digestus extat in variis Galliae Biblioth. ut Collegii Jesuitarum Parisiens. et in Bibliotheca Ecclesiae Laudunensis. Vide Labbei t. I. de S. E. p. 228. et Bibl. MSS. p. 24.

Duo Volumina in fol. Commentariorum *in Paulum Apostolum* (exceptis Epistolis ad Thessalonicenses et Timotheum), MSS. in Floriacensi (hodie Vaticana Bibliotheca) Colbertinaque et Benedictorum S. Germani de Pratis. Etiam in Bibliotheca Regia Paris. in Epistolam *ad Romanos*, ubi Augustinum, et *in utramque ad Corinthios*, ubi Hilarium Diaconum maxime sequitur. Ex illo ad Romanos hoc S. Augustini elogium affert Richardus Simonius pag. 288. et lib. 3. historiae Criticae Novi Testamenti cap. 25, pag. 354. *Amantissimus Domini sanctissimus Augustinus, calamus Trinitatis, lingua Spiritus Sancti, terrenus homo, sed coelestis angelus, in expositione fidei nostrae Catholicus, in quaestionibus solvendis acutus, in revincendis haereticis circumspectus, in explicandis scripturis canonicis cautus, etc. Ex ipsius sancti Viri sententiis, quas pro diversis ejus libris invenire quivimus, hanc exposuimus Epistolam, aliqua etiam ex* Origenis *expositione ibidem adjunximus, nonnulla etiam, ut nobis visum est, pertractavimus. Nullam ammonitionem meliorem potui invenire, quam Epistolae primae Pauli Apostoli, quam misi, quia tota inde agitur, ut merita hominum tollat, unde maxime nunc Monachi gloriantur, et Gratiam DEI commendet.*

In Epistolam *ad Ephesios* MS. in Bibliotheca S. Germani de Pratis. Praefationem qua illam dicavit Ludovico Pio Imperatori publicavit Mabillonius t. I. Analect. p. 40. (edit. novae p. 91.)

In Epistolam *ad Philippenses, ad Titum et ad Hebraeos* loca adducit Richardus Simon tom. III historiae Criticae Novi Testamenti pag. 361 et 363 et pag. 364 testatur in Codice Colbertino 600 annorum exstare sub Claudii nomine ad calcem genuini ejus in Epist. ad Romanos Commentarii, alium in Epist. *ad Hebraeos* diversum a priore et eundem cum illo, qui editus est sub Ambrosii nomine, cum hac *retractatione* Claudi Episcopi de auctoribus explanationum super Epist. ad Hebraeos. *Illud quoque in praefatione commoneo, mi charissime, ut scias* Origenem *tria volumina in hanc Epistolam conscripsisse, quem et nos ex parte secuti sumus:* Apollinarem *etiam et* Didymum *quosdam Commentarios edidisse, e quibus licet pauca decerpsimus, plura etiam ex sancti Viri* Augustini *sententiis, quas per diversos ejus libros invenire quivimus, hanc exposuimus Epistolam, et nonnulla quae nobis videbantur adjunximus, sive subtraximus, ut studiosus statim in principio lectorum agnoscat, hoc opus vel alienum esse vel nostrum.*

Pentateuchum auditoribus suis exposuisse et jussu Ludovici Imperatoris etiam expositionem suam calamo scriptitasse Claudius ipse testatur in praefatione ad Epistolam ad Corinthios, apud Richardum Simonem tom. III. historiae Criticae Novi Testamenti pag. 356. In *Genesin* libros III. An. 814. In *Exodum* libros IV. An. 821. Commentaria, sive *informationes litterae et spiritus super Leviticum* scriptae An. 823. et divisae in libros quatuor, Theodomiroque Abbati, (suo postea adversario) dicata habuit Mabillonius, praefationemque et clausulam edidit tom. I. Analect. pag. 30. (editionis novae pag. 90.) Habuit etiam Labbeus loco laudato. Huic Theodomiro quoque dicatum Claudii commentarium in Epist. ad Corinthios, notavit Richardus Simon tom. III. historiae Criticae Novi Testamenti p. 355.

In Bibliothecis Parisiensibus reperiri etiam *Epistolas Canonicas*, testatur Richardus Simon pag. 289 censurae Bibliothecae Eccles. Dupin. notatque Claudium, ubique sequi versionem S. Hieronymi, quam *novellam* appellat, et non modo ex scriptis Patrum

vetustiorum sapuisse, sed etiam defloratorum institisse vestigiis, ut *Bedae* ac *Primasii.*

In Josue, et *Judicum* MS. Colbertin. 5429. teste Jacobo le Long pag. 677. Bibliothecae Exegeticae.

In Ruth, MS. Biblioth. Belgic. apud Sanderum pag. 308. In Ruth et *libros Regum,* Mutinae MS. teste celeberrimo Montfaucono Diarii Italici pag. 36. *In Psalmos* quoque et *Concordiam Evangelistarum* Joannes Jacobus Frisius commemorat.

Denique *Chronicon* etiam huic Claudio tribuit Labbeus, quod ab eo editum dixi supra ut emendandum sit, quod de Labbeo legas ap. laudatum Longum pag. 667. Bibliothecae Exegeticae, *qui hujus non esse merito suspicatur.* Ejus esse enim non temere suspicari se profitetur Labbeus, idque repetit tom. II de S. E. p. 288.

CLAUDIUS Episcopus Massiliensis primum, deinde ad An. 1517 ad 1520. *Taurinensis* Archiepiscopus, cognomine SEYSSELIUS, idem, qui a patria *Claudius de Aquis* a) dictus, Ludovici XII Galliae Regis ad varios Principes Legatus, Juris scientia celebris et variis scriptis Latine et Gallice editis, vel in Gallicam linguam translatis famam assecutus. Latina sunt: *In tria priora Lucae capita, de triplici statu Viatoris,* poenitentium, proficientium et perfectorum ad Leonem X. Taurini 1518, fol. cujus commentarii pars lucem viderat Parisiis 1514, 4. sub titulo: *Moralis explicatio Evangelii Lucae:* Missus est Angelus. *Disputationes adversus errores et sectam Waldensium* b). Parisiis 1520, 4. *De Divina Providentia.* Parisiis 1518, 4 et 1637, 4. *Speculum Feudorum.* Basileae 1566, 8. *Additiones ad Bartholum* et *aliquot repetitiones in Jure Civili* inter varios repetitionum Juris scriptores, junctim editos Lugduni 1553, fol.

Gallice scripsit historiam, sive panegyricum lectu dignum Ludovici XII. editum Parisiis 1508. c) 8. (de quo Jacobus le Long in Bibliotheca scriptorum Galliae num. 7543 seqq.) De Republica Gallorum libros duos. Parisiis 1519. 1540. 1548, 8. quos Latine vertit Johannes Sleidanus, Argentorati 1548. Francofurti 1608, 8. (idem. num. 1101.) Legem Salicam Gallorum, Parisiis 1540. 1557, 8. (idem num. 11762.) Victoriam Ludovici XII contra Venetos et praelium Agnadellense An. 1508 commissum in Lombardia, Parisiis 1510, 4.

In Gallicam linguam transtulit (praeter proprias lucubrationes de Providentia et contra errores Waldensium) Thucydidem, Parisiis 1527. 1559, fol. Xenophontis libros VII de expeditione Cyri, ex Latina versione Joannis Lascaris, Parisiis 1529, fol. Historiam successorum Alexandri Magni ex Diodoro Siculo et Plutarcho. Parisiis 1530, fol. Appianum Alexandrinum. Lugduni 1544, fol. Justinum. Parisiis 1559 in fol. Aurea dicta Senecae et librum de quatuor virtutibus Cardinalibus. Lugduni 1530, 8. Historiam Ecclesiasticam Eusebii. Parisiis 1554, 8. 1579, 8. et duorum librorum, quos Eusebio Rufinus addidit. Ibid. 1553, 8. et cum Eusebio 1560, fol.

Claudius primum Massiliensis dein Taurinensis Episcopus an. 1520. defunctus. Eius repetitio in . .. (*deest in Cod.*) Taurini prodiit an. 1493 ap. Nicolaum de Benedictis et Jacobum Guygs de S. Germano for.

CLEDONIUS Romanus Senator, Constantinopolitanus Grammaticus, cujus *Commentarius in artem utramque Donati* ex Francisci Pithoei Codice editus inter Grammaticos Eliae Putschii pag. 1856, 1939. Hanov. 1605, 4. Grammaticum nec ineruditum nec malae frugis laudat Barthius pag. 1555. Adversar.

Nicolaus de CLEMANGIS a) patria Catalunensi pago, Clamenge) Magister Parisiensis et ex curia Avenionensi Benedicti XIII. cui ab Epistolis fuerat, Cantor a) Bajocensis, vir doctus et cordatus, diem obiit circa Annum 1440 cujus vitam post Lau-

a) Guido Pancirollus lib. II. de interpretibus Juris cap. 137. Nisseron Memoires tom. XXIV. p. 322.

b) Possevinus nescio quem CLAUDIUM *Cussordium* ait scripsisse *contra Waldenses*, eumque librum exstare.

c) Emendandus Morlierius, qui hanc laudans historiam ait, ab Anno 1498 procedere ad Annum 1515, *Essais de Litterature* tom. I, pag. 74.

a) Non Archidiaconus, ut Trithemium c. 750. secuti tradidere.

nojum parte II. Historiae Gymnasii Navarrei pag. 558, seqq. (recusae nuper tom. IV, Launoji Operum) diligenter exposuit V. C. Hermannus ab Hardt tom. I, Concilii Constantiensis parte 2 pag. 71, sqq. Elogia ejus offert idem Launojus in dissertatione de auctore librorum de imitatione CHristi pag. 7, seq. 19, seq. et Remarques sommaires pag. 10, seq. 19, et pag. 56. ubi de eo, quod Nicolaus Clemangis in Romano Indice prohibitus est, ita ut ejus opera illa tantummodo permitti possint, quae juxta censuras Patrum deputatorum emendata excudentur. Si quis Gracchos de seditione querentes ferre didicerit, ei lepidus etiam videbitur Theophilus Raynaudus Nicolao acerbitatem in scribendo objiciens insectansque pag. 114 de bonis et malis libris. Scripta Clemangis, etiam post Launoji, Henrici Warthoni ad Caveum et Oudini a) industriam, distincte recensere operae pretium duxi.

1. Liber *de corrupto Ecclesiae statu*, Anno circiter 1400 scriptus, qui in editione Operum Clemangii *Lydiana* ducit familiam, prodierat seorsim cura viri egregii, qui sub *Eubuli Cordati* nomine voluit latere, Romae 1519, 4. sine loci nota. Haec vetus editio fuit in Bibl. Baluziana et Telleriana. Praelis iterum datus est liber iste a *D. Leonhardo Huttero*, Witteb. 1601, 4, et ab *Eduardo Bulklei*, inscriptus *Speculum Ecclesiae Pontificiae*, Lond. 1606, 8. inde Helmstadii 1620, 8. cum praefatione *Johannis Fuchtenii*, et novissime emendatior ex duobus MStis Wolffenbüttelensibus, sub titulo *de ruina Ecclesiae*, in laudati *Hermanni ab Hardt* tom. I, Concilii Constantiensis parte tertia. Adde Jacobi Lenfant historiam ejusdem Concilii pag. 632, seq.

* *Nic. de Clemangis* liber *De corrupto Ecclesiae Statu* prodiit absque adscriptione anni et loci in Germania, non vero Romae, ut hic Fabricius asseruit; id enim vel solo libri aspectu persuadere animadvertit vir mihi dudum amicitiis coniunctus Philippus Jacobus Lambacher in Bibliotheca antiqua Vindobonensi Civica pag. 168. qui et monet ex coniectura tamen, Eubolum illum Cordatum qui editionem hanc curavit eundem esse Uldricum Hutthenum libris editis satis celebrem in Germania, sed Lutheranum.

2. *Deploratio calamitatis Ecclesiasticae per Schisma nefandissimum, cum exhortatione Pontificum ad ejus exstirpationem* p. 32 carmine epico, quod incipit:

CHriste, graves sponsae semper miserate labores
Aversos refer huc oculos ...

Praemittuntur pag. 29 alterius auctoris rhythmi in Curiam Romanam, quorum initium: *Propter Sion non tacebo.*

3. *Liber de lapsu et reparatione Justitiae* pag. 37 ad Philippum, Burgundionum Ducem, scripta circa Annum 1421. Prodierat Viennae 1481, 4. et Parisiis 1512. 1519, 4.

4. *Disputatio cum quodam Parisiensi Scholastico de Concilio generali* pag. 61. scripta An. 1409. editaque pridem Viennae 1482, 4. Parisiis 1512, 4. cum scripto superiore, atque 1617, 8. cum Guil. Durandi de eodem argumento et Petri de Alliaco, et Gentiani Herveti de reparanda disciplina Ecclesiastica.

5. *Collatio duplex ad eundem Scholasticum, de eodem argumento* pag. 65, 78. et cum superiore scripto ex MS. Wolffenbüttelensi Epistolarum Nicolai Clemangii, in Clarissimi Hardtii tom. I. Concilii Constantiensis parte 2, pag. 45, 50.

6. Responsio Apostolorum Gallicanae nationis, Cardinalibus appellantibus ab ejusd. suffragio, conclusione et deliberatione Constantiae An. 1417. factis, *quod vacantiae ac minuta servitia nullo jure sint debita, et de Annatis amplius non solvendis* pag. 82. Prodierat Viennae 1482, 4. Parisiis 1519, 4. et in fasciculo rerum expetendarum *Ortuini Gratii*, Coloniae 1535, fol. pag. 189. qui fasciculus cum insigni auctario recusus curante *Eduardo Brown* Londini 1690, fol. Denique post editiones *Edmundi Richerii* lib. 2. hist. Conciliorum generalium p. 197. seq. et *Petri Puteani* in historia schismatis. Parisiis 1652, 4. hoc scriptum ex veteri editione Anni 1519. exhibetur in *Hermanni ab Hardt* Concilio Constantiensi tom. I, parte XIII.

a) Tom. III, pag. 2522. seqq.

7. *In parabolam de filio prodigo* Luc. XV. pag. 109. Hoc cum quatuor quae proxime recensebo scriptis prodierat Parisiis 1521, 4. e Bibliotheca S. Victoris, et una cum iisdem exstat etiam in prima editione Bibliothecae Patrum Bigneanae Paris. 1575, tom. VIII, pag. 557.

8. *De fructu eremi*, ad Petrum de Alliaco pag. 121 liber compositus circa Annum 1413 et de fuga saeculi curiaeque Papalis in Clemangio luculentum testimonium.

9. *De fructu seu prosperitate rerum* a) *adversarum* pag. 132.

10. *De novis festivitatibus non instituendis.* pag. 143. Etiam hunc libellum circa idem tempus scriptum, recudi curavit et separatim edidit *Hermannus ab Hardt*, Helmstad. 1703, 4.

11. *De Praesulibus Simoniacis* p. 160 ad Joan. Gersonium Parisiens. circa An. 1411.

12. *Oratio ad Galliae Principes*, qua eos a bello Civili dehortatur. pag. 169.

14. *Epistola* ad Gerhardum Maketum, quod tam corpore e Babylone sit fugiendum, quam mente, pag. 174.

15. *Epistolae III* ad Gregorium XII. scriptae nomine Benedicti XIII pro extirpatione Schismatis et unione Ecclesiae pag. 179. una cum *quarta Epistola* ad Paulum Lucanensem * hic est Paulus Guinisius tunc temporis Lucae dominus p. 186. una cum interrogationibus ad Gregorium XII.

16. *Scripta quaedam nomine Universitatis Parisiensis*, adversus Schisma pag. 187.

17. *Epistolae CXXXVII.* editae a Lydio e Bibliotheca *Theodori Canteri*, et ad historiam Ecclesiae illis temporibus non inutiles. Argumenta singularum videri possunt etiam apud Launojum in historia Gymnasii Navarrei tom. II, pag. 572. seqq. Harum integrior Codex An. 1480. exaratus ab *Euchario Troster*, Praebendario Ecclesiae majoris Argentinensis, exstat in Bibliotheca Wolffenbüttelensi, ex quo Epistolas I. II. CII. et CXII. recensitas edidit Hermannus ad Hardt tomo I. Concilii Constantiensis parte 2, pag. 4, 20, 31, 38. Alios Codices tres in Bibliotheca Regis Christianissimi exstantes, Oudino indicavit Placidus Porcheron. Versu etiam valuisse Clemangem docet *elegia in obitum Jacobi de Burrey* Epistola LXX. et *ad Gerhardum Maketum invitatio* Epistola CXVI.

18. Fragmentum *descriptionis Vitae tyrannicae* cum ejus detestatione, pag. 355. carmine epico, ad Güntherum Colli.

19. *Liber de Antichristo, de ortu ejus, vita, moribus et operibus.* p. 357-359. Haec sunt, quae junctim a se collecta Clamangis opera edidit JOHANNES MARTINUS LYDIUS, Ecclesiae Veteraquinae in Belgio Pastor, additisque in librum de corrupto Ecclesiae statu Analectis, et Glossario in totum opus Latino-barbaro illustravit, Lugduni Batavorum 1613, 4. Nec dubito laudandum ejus esse studium, quo de Ecclesiasticis litteris praeclare meruit, licet editionem hanc mendosissimam esse querantur Paulus Colomesius in paralipomenis de S. E. et laudatus Hardtius t. I. Concilii Constantiensis parte 2, pag. 82. Si nova adornanda sit editio, haec illi Clemangis scripta adjungentur:

20. *Liber de studio Theologiae*, a) lectu dignissimus ad Joannem de Pedemontio, Baccalarium scriptus circa Annum 1409 vulgatusque primum a Luca Dacherio tom. VII, spicilegii pag. 138 (tom. I, editionis novae pag. 473). Fragmentum ejus adduxerat Launojus libro de varia Aristotelis fortuna.

21. *Epistolae aliquot* antea ineditae, quae

a) Utile hoc argumentum praeter Clemangem tractarunt *Ovidius* III. 1. Thrissium: *Plutarchus* libro, quo dictum Xenophontis illustrandum sibi sumsit, quod sapiens ex inimicis debeat utilitatem capere: *Maximus Tyrius* dissertatione XXXV. *Isidorus* Pelusiota III. 280. Epist. *Augustinus* lib. 1. contra Academicos cap. 1. *Boëthius* de Consolatione Philosophiae lib. 2. prosa 8. *Petrus Blasensis* de utilitate tribulationum tom. XXIV. Bibliothecae Patrum edit. Lugdunens. pag. 1242. et recentioribus *Hieronymus Cardanus* libris IV. de utilitate ex adversis, tom. II. Operum. *Rogerus de Bussy Rabutin* in libro cui titulus: *l'Usage des adversitez*, Paris 1694. Amst. 1697, 12. *Johannis Christophori Becmanni* Exercitatio, Francoforti ad Viadrum edita: *felices injuriae* etc.

a) Confer quae de illo argumento, Clemangis Epistola CXXII. ad Joannem de Templis, Baccalarium in Theologia.

sub Benedicti III nomine scriptae, occurrunt apud eundem Dacherium tom. VI, (editionis novae tom. I, pag. 787, sqq.) *Epistolae aliae III.* in Baluzii Miscellaneis tom. VI, pag. 539, seqq.

22. *Carmen de Vitae rusticae felicitate et de miseriis tyrannorum*, quod incipit: *Fronde super viridi locus est in gramine amoeno,* expressum ex Gallico *Philippi de Vitry*, Meldensis Episcopi, qui An. 1351 obiit: *Sous feuille verd, sur herbe delectable.* Exstat Gallice et Latine in Philippi Camerarii Operis subcisivis sive meditationibus historicis tom. III, cap. 93, et Latine in Casparis Dornavii amphitheatro sapientiae Socraticae tom. 1, pag. 788.

Inedita apud Lydium in vita Clemangis pag. 191 et (qui Bibliothecas etiam Galliae memorant, ubi illa MSS. exstant), Launojum tom. II, Gymnasii Navarrei pag. 578, seq. et Oudinum tom. III, pag. 2323.

23. *Commentarius in Esaiam Prophetam,* usque ad caput sexagesimum.

24. *Epistolae IX.* nomine Universitatis Parisiensis pro Ecclesiastica unitate. Et *Epistolae* aliae XII. quarum nonnullae etiam in Bibliotheca Lambethana et apud V. C. Joannem Batteley, et in aliis Angliae Bibliothecis.

25. *Descriptio et laus urbis Genuae,* carmen CXVIII. versuum, incipit: *Janua quam perhibent.*

26. *Exhortatio ad resistendum contra Mahometicos.*

27. *Sermo de Sanctis innocentibus.*

28. *Descriptio rei cujusdam mirabilis, quae in Gallia accidisse dicebatur.*

29. *Orationes decem devotae ad DEUM* horis Canonicis praemittendae.

Aurelius Prudentius CLEMENS, vide, PRUDENTIUS.

CLEMENS Romanus, Vir Apostolicus, cui circa Annum CHristi 83 in Romano Episcopatu Evaristus traditur successisse, Graece scripsit, non Latine, itaque esset hoc loco a me praetereundus, qui de Graecis ejus etiam genuinis atque illi suppositis monumentis dixi libro IV. Bibliothecae Graecae cap. 5. §. 14. et libro V. cap. 1. §. 12. Sed debuit ejus mentio a me fieri propter *Epistolas quinque* decretales, quae Latine ex veteri versione venditantur a Ludovico Jacobo in Bibliotheca Pontificia, aliisque, at in Blondelli Pseudo-Isidoro appositisque notis, ubi ducunt familiam, falsitatis arguuntur, assentientibus doctissimis quibusque viris ex Romana etiam Ecclesia.

CLEMENS II. alio nomine *Suidgerus*, Saxo a), depositis ab Henrico III. tribus Anti Papis Benedicto IX. Sylvestro III. et Gregorio VI. ex Episcopo Bambergensi Papa, *renovavit Ecclesiae Bremensi et Hamburgensi omnia privilegia, quae dudum a Romana sede concessa fuerant* b). Ejus *Epistola ad Joannem*, Archiepiscopum *Salernitanum*, apud Baronium ad Annum 1047 *Humfredo* sive *Arnulfo* Henrici Imperatoris fratre, Archiepiscopo Ravennate, apud Ughellum tom. II, Italiae sacrae pag. 361 et in Conciliis Labbei tom. IX, pag. 1251. De Concilio contra Simoniacos Romae habito vide Pagium ad Annum 1047 num. 1 et de Wiborada a Clemente II. inter Sanctos adscripto n. 4. De aliis privilegiis per eum datis coenobio Michaëlis Archangeli, et Tharissiensi in dioecesi Bambergensi, vide Johannis Petri Ludewig Scriptores Bambergenses pag. 69.

CLEMENS III. Anti-Papa, antea *Guibertus*, sive *Wibertus* Parmensis, ex Archiepiscopo Ravennatensi electus in Concilio Brixinensi Pontifex, fuit ab Anno 1088 usque ad 1101 contra Gregorium VII. Victorem III. Urbanum II. favente ei Henrico IV. Imperatore. Vide Acta Sanctorum tom. VI, Junii pag. 190 et Pagium ad Annum CHristi 1083 num. 2, seq. In exilium Urbani II. ita lusit, ut refert Anonymus Mellicensis, *facundi eloquio et acuti ingenio* elogium ei perhibens cap. 98. de S. E.

Diceris Urbanus, cum sis projectus ab Urbe,
Vel muta nomen, vel regrediaris in Urbem.

Scripserat quaedam in sui defensionem, ad quae respondit pro Gregorio VII. ANSELMUS Lucensis, de quo supra pag. 109.

CLEMENS III. Romanus, antea *Paulus* di-

a) Vide Joannem Andream Schmidium de triumviris Halberstadensibus, Helmst. 1715, 4. capite 1.

b) Vide Lindenbrogii scriptores septentrionales pag. 79, seq.

ctus, Papa ab Anno 1188. Jan. 6 ad 1191. April. 10 sive Martii mensis, ut est in Chronico Cassinensi tom. V. Thesauri Muratoriani pag. 143. *Epistolarum VII.* in Conciliorum tomis, ultima est de Ottonis, Bambergensis Episcopi et Pomeranorum Apostoli, Canonizatione. Sed longe plura ejus *Decreta* in pervetusto Codice *tribus libris* distincto evolvisse se testatur Ludovicus Jacobus a Sancto Carolo in Bibliotheca Pontificia pag. 48.

CLEMENS IV. antea *Guido Grossus*, sive *Falcodius*, ex opido S. Ægidii Narbonensis Archiepiscopus, atque inde Papa ab Anno 1265. Februar. 6 ad Annum 1268, 19. Novembr. Vitam ejus scripsit Claudius Clemens, Soc. Jes. Lugduni 1623, 12. Hujus *tres Epistolae* in tomis Conciliorum, et paucae *aliae* apud Bzovium, Raynaldum, Waddingum, aliosque, ut Ludovicus Jacobus a S. Carolo pag. 49 et Caveus jam annotarunt. Sed *Epistolas DCCXI.* primi vulgaverunt Edmundus Martene et Ursinus Durand in Thesauro Anecdotorum tom. secundo, Parisiis 1717, fol. ex Codice Oratorii Trecensis. Fortasse non aliae nec plures exstant in Codice Bibliothecae S. Victoris Parisiensis, quem ex dono Petri de Marca, Archiepiscopi Parisiensis, in eam illatum refert Oudinus tom. III, pag. 463 ubi etiam ex Ludovici Castanei, de la Rochepozay Nomenclatura Scriptorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium narrat integrum Epistolarum Clementis IV. regestum exstare V. voluminibus in Bibliotheca Vaticana. Inter XIV. Constitutiones Clementis IV. obvias in bullario magno Laurentii Cherubini habetur etiam tom. I, pag. 166. Decretum An. 1267 de *Hedwige,* Duce Polonica, Sanctis adscribenda et festo ejus memoriae die XV. Octobr. Idem qui postea Clemens IV. GUIDO, Archiepiscopus Narbonensis, cujus *statuta* leguntur in tomis Conciliorum Labbei, Harduini, Coleti ad Annum 1260. De GUILELMI DE S. AMORE Collectionibus Catholicis et Canonicis An. 1266. Clementi IV. oblatis vide Bulaeum in historia Academiae Parisiensis tom. III, pag. 382. De scriptis ad Jus Civile spectantibus, quae Clementi IV. praeter rem a multis tributa sunt, dicam infra, GUIDO cognomento *Papa.* Sermo in Ludovicum Bavarum non Clementis IV. est, sed Clementis VI. ut notavit Labbeus tom. I, de S. E. pag. 233.

CLEMENS V. antea *Bertrandus Gotto*, Gallus, ex Burdegalensi Archiepiscopo Papa ab Anno 1305, 5. Junii ad 1314. April. 20. De hoc accurate Baluzius in Papis Avenionensibus, primus enim hic Clemens, qui Roma sedem Avenionem transtulit. Idem Baluzius vitam Clementis hujus exhibet scriptam a JOHANNE, Canonico S. Victoris, PTOLEMÆO Lucensi, Ordinis Praedicatorum, BERNHARDO GUIDONIS, de quo supra pag. 204. ANONYMO Veneto, coaevo scriptore, et ab AMALARIO AUGERIO de Biterris, de quo supra pag. 76. Huic Clementi dicata NICOLAI Botrontinensis in Albania Episcopi relatio de itinere Henrici VII. Imperatoris, quam edidit idem Baluzius tom. II, Paparum Avenionensium pag. 1143 seqq. Ab hoc Clemente dictae CLEMENTINÆ, sive *liber septimus decretalium* divisus in libros V. et a successore Clementis Joanne XXII. promulgatus An. 1317 editusque Basileae 1476, fol. cum apparatu *Johannis Andreae* JCti, quae editio exstat in Bibliotheca templi S. Petri hujus urbis, et describitur a B. Nicolao Staphorst tom. III, historiae Ecclesiasticae Hamburgensis pag. 138, sq. De aliis editionibus nihil opus referre, toties repetitis in Juris Canonici corpore, neque opus laudare, qui Clementinas commentariis illustrarunt notatos ab iis, qui Bibliothecas Juridicas reales et Bibliothecas Juris Canonici tradidere. (75 Hanc tamen noscere juvabit. *Clementis V. Constitutiones etc. notis locupletatae etc. a Hier. Baldassinio P. Aesino J. V. D. Romae ap. Junchi 1769, 4.*) In Actis Concilii Viennensis Anno 1311 a) maximae fuere hujus Clementis partes, et inde plura in Clementinas derivata. Inter *quatuor Con-*

a) Stephani Baluzii historia Pontificum Romanorum, qui in Gallia sederunt ab Anno 1305. ad 1394 lucem vidit Parisiis 1693, 4. duobus Voluminibus. Clemens V. electus 5. Junii An. 1305. Perusii, e' coronatus (hoc enim verbo scriptores illorum temporum utuntur) Lugduni, praesente Rege Philippo 18. Cal. Decembr.

stitutiones, quas Laurentius Cherubinus in bullario suo exhibet, tom. I, pag. 212 occurrit etiam *Damnatio Templariorum*, a) quorum ordo post annos CLXXXIV. quibus floruerat extinctus est agente hoc Clemente V. et Philippo, Rege Francorum, Praeter Clementis Quinti *Epistolas* in Conciliorum tomis, et apud Waddingum, Raynaldum, Bzovium etc. obvias, longe plures nempe LIX. numero una cum Philippi Regis et aliorum ad Clementem ex archivo Regio Parisiensi publicavit laudatus Baluzius tom. II, Paparum Avenionensium, Clementis quidem pag. 55. 57. 58. 60. 62. 63. 65. 67. 69. 71. 73. 76. 78. 90. 91. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 100. 101. 102. 103. 106. 107. 110. 112. 115. 123. 124. 126 129. 132. 136. 139. 141. 142. 143. 144. 146. 149. 151. 152. 153. 154. 156. 158. 165. 169. 171. 175. 275. 276. 283. Ludovicus vero Jacobus in Bibliotheca Pontificia pag. 54 testatur ejus regesti Epistolarum et Decretorum Volumina IX. servari in Bibliotheca Vaticana, quanquam trium priorum annorum regesta fere deleta incendio notavit Baluzius tom. I, pag. 687. Idem Ludovicus *sermones* ejus ad populum memorat. Tria privilegia Ordini *Praemonstratensi* concessa leguntur in Johannis le Paige Bibliotheca Praemonstratensi lib. 3. pag. 694, seq. *Epistola* ad Jacobum Regem Aragonum apud Aguirrium tom. III, Concil. Hispan. pag. 548.

CLEMENS VI. antea *Petrus Rogerius* Lemovicensis, Ordinis Benedict. ex Archiepiscopo Rothomagensi Papa ab Anno 1342. 7 Maji ad 1352. 6 Decembr. de quo itidem, ut solet diligenter et accurate Baluzius in Papis Avenionensibus, ne dicam de Francisci Bosqueti historia Pontificum Romanorum, qui e Gallia oriundi Avenione sederunt ab Anno 1315 ad 1394. Parisiis 1632. 8. Declarationem Clementis VI *de Monachis nigris* exhibet Baluzius tom. V. Miscellan. pag. 152. Aliam *de Episcopatu Ostiensi* et *Velletrensi* tom. IV, pag. 508. Epistolam ad Archi-Episcopum Tarraconensem *de Jubileis anno quovis quinquagesimo celebrandis* Agvirre tom. III. Conciliorum Hispaniae pag. 612. *Encyclicam adversus flagellantes* Labbeus tom. XI. Conciliorum pag. 1876. Harduinus VII, pag. 1641. *Bullam contra adulteratores monetarum* a) Dacherius tom. XI spicilegii pag. 392 (editionis novae tom. III, pag. 730.) Eodem tom. III novae editionis aliae exstant hujus Clementis VI. *Epistolae XXXII*, pag. 722. seq. quas prior spicilegii editio offert t. IV p. 271. seq. et tom. VII, p. 242. Epistolae XLV apud Baluzium t. II. Paparum Avenionensium p. 615. 625. 656 ad 662. 665 ad 678. 681 ad 695. 697 et 701 ad 731. De aliis longe pluribus ex ejus regesto apud Waddingum, Bzovium, Raynaldum: et de ejus *Sermonibus* aliisque lucubrationibus non habeo, quae addam notatis a Baluzio tom. I, pag. 909. Roberto Gerio ad Caveum ad An. 1342. et Oudino tom. III, pag. 931. seq. Inter *quinque Constitutiones* apud Laërtium Cherubinum tom. I. bullarii pag. 278 exstat publicata An. 1347. *de Ivone* sanctis adscribendo, de quo plura Surius et Acta Sanctorum 19 Maji.

CLEMENS VII. *Anti-Papa* contra Urbanum VI ab An. 1378. Septembr. 16 antea *Robertus* Gebennensis, sive Genevensis, de quo praeter Annalium scriptores, Jacobus Lenfant in historia Concilii Pisani pag. 8 etc. Hujus non modo vitam illustrat Baluzius in tomo priore laudati operis de Papis Avenionensibus pag. 482. seq. 1236. seq. sed etiam *Epistolas* ejus *quatuor* publicavit tom. II, pag. 848. 853. 873. 876 aliaque ad ejus res spectantia monumenta pag. 920. 941. 943. 988. 1052. 1058. *Epistolae XX.* apud Waddingum in Annalibus Minorum tom. IV. Vide iterum Oudinum t. III. pag. 1217.

CLEMENS VIII. *Anti-Papa* ad An. 1424 ad 1429 quo sponte dignitati Papali iterum renunciavit, antea dictus *Ægidius Sancius Munio*, Decretorum Doctor ex Serrania Aragoniae, ut refert Bzovius tom. XV ad An. 1429. n. 32.

CLEMENS VII. inter legitimos Papas so-

b) Vide notata in Bibliotheca Graeca tom. XI, pag. 650, seq.

a) Eadem quam sub Clementis V. nomime vulgavit Baluzius tom. II, Paparum Avenionensium pag. 156.

litus computari, antea *Julius Medices*, Florentinus, ab An. 1525. 19 Novembr. ad 1534. 25 Septembris. CLEMENS VIII antea *Hippolytus Aldobrandinus*, itidem Florentinus, ab An. 1592. 30 Januarii ad 1605. 3 Martii. CLEMENS IX alio nomine *Julius Hieronymus Rospigliosus*, Pistoriensis, ab An. 1667. Jun. 20 ad 1669. Decembr. 9. CLEMENS X ab An. 1670. April. 29 ad 1676. Jul. 22 antea *Æmilius Laurentius de Altieriis*. CLEMENS XI avito nomine Johannes Franciscus Albani, et virtutum atque ingenii laude celebratissimus, ab An. 1700. 23 Novembr. ad 1721. Martii 19 et qui hodie praeest CLEMENS XII. alio nomine *Laurentius Corsini*, Florentinus, ab 13 Jul. An. 1730. Hi omnes quoniam aetas eorum nostris temporibus propior est, quam ut de illorum Decretis, Epistolis, aliisque scriptis dicere ingrediar, tantum hoc loco nominandi a me fuere, ut a prioribus tanto facilius distinguerentur.

CLEMENTE Historico *de Vita Caroli Magni* et HERIMBERTO de rebus a Carolo M. gestis usum se testatur Wolfgangus Luzius in calce duodecim Commentariorum de Republica Romana, Basileae 1550. fol. HERIMBERTI, sive ERCHEMPERTI Historiam Longobardorum Beneventi, vulgavere Caracciolus, Muratorius, Eccardus, in qua Caroli vix tribus verbis fit mentio: itaque aliud opus a Lazio notabatur, quod perinde ut Clementis istud aliis incognitum, nec a quoquam hactenus in dias luminis auras prolatum est, nisi ex Anonymis, quae habemus monumentis Lazius sub Herimberti vel Clementis proscripta nomine aliqua evolverit.

CLEMENS *Claudiocestriensis*, Anglus, Presbyter Canonicus Regularis *Lanthoniensis*, Lelando cap. 199. Lanhondenensis, defunctus An. 1170 de quo Pitseus pag. 232. Ejus *duodecim libros Concordiae Evangelistarum* Anglice vertit Johannes Wiclefus teste Joh. Baleo VI. 1. pag. 456. Et hanc versionem MS. Londini et prolixum *in septem Epistolas Canonicas* Commentarium, MS. in Bibliotheca Lambethana memorat Warthonus ad Caveum, ubi de Wiclefo. Praeterea a Pitseo memorantur Lelando etiam laudata *Commentaria in IV Evangelia, et alis Cherubim*: quibus addit ex Possevino: *Commentarium in Epistolas Canonicas Jacobi, Petri, Johannis Judae*. *Sermones*, librum *de arte Fidei Catholicae*, *Epistolas, Lecturas Scholasticas, et librum de orbibus astrologicis*.

CLEMENS *Florentinus*, Ordinis Servitarum, sive Servorum Mariae, Parisiensis Theologus, circa An. 1370. scripsit *in Psalterium*, et Catenam auream *in Pauli Epistolas* MStam in Biblioth. Medicea: et *Concordantias* ad Anibaldum Cardinalem Ordinis sui Protectorem MS. Florentiae in Bibliotheca Servitarum: Vide Possevinum tom. I apparatus pag. 363. et Julium Nigrum in Historia Scriptorum Florentinorum pag. 127.

Claudius CLEMENS *Scotus*, supra in CLAUDIO.

CLEMENTIANUS, ad quem S. Ambrosii Epistola. Alius junior *Venantius Honorius* CLEMENTIANUS *Fortunatus*, de quo infra, FORTUNATUS.

CLEMENTINUS Poëta, cuius mentio apud Ausonium Epistola IV.

Jacobus CLERICUS Artesiensis, Abbas Vedastinus, diem obiit An. 1462. aetatis 86. Huic tribuenda videtur *Historia rerum gestarum Philippi Boni*, Burgundiae Ducis, ad Pium II Pontificem, quae MSta in Bibliotheca Caesarea sine nomine auctoris. Vide Lambecium tom. II, pag. 956. Oudinum tom. III, pag. 2624. Diversa ab hoc opere videntur *Commentaria*, sive *Diarium earum rerum, quae Atrebati et locis finitimis contigerunt*, MSS. in Bibliotheca Vedastina teste Sweertio pag. 359. Athen. Belg. et Valerio Andrea pag. 406.

Johannes de CERMENATE, Notarius Mediolanensis, scriptor *Historiae de situ, origine et cultoribus Ambrosianae Urbis, ac de Mediolanensium gestis sub Imperio Henrici VII ab An. 1307 ad 1313* editae a laudatissimo Muratorio a) tom. II. Anecdotorum Latinorum Mediolan. 1698, 4. pag. 31-111. Aliquot foliorum lacuna capite 50, pag. 81.

a) Acta Eruditorum An. 1699, pag. 305.

* *Jo. de Cermenate* Historiam in Anecdotor. Muratori t. II. ab ea pag. qua designat Fabricius legendam mancam esse optime Fabricius monet. Sed et monendi pariter erant lectores plerasque huius luxationes sanatas esse ab eodem Muratorio ex altero Codice; eaque supplementa legi Anecdot. t. III, pag. 212. 228. Sed nec itam integra haec historia prodivit, cum hiatus pag. 81. nullibi expleatur. (76 Monendi etiam Historiam hanc inter Rer. Italicarum S. vol. IX, pag. 1227 sqq. et in Graevii. Thes. t. IV. integriorem legi.

CLETUS, sive ANACLETUS a), Episcopus Romanus labente primo seculo, in suis Epistolis traditur primus usus esse verbis illis, vix usurpatis ante Joannem V. et Sergium I. *Salutem et Apostolicam Benedictionem.* Sed Epistolas ipsas Cleti nec Ludovicus Jacobus, qui hoc ex Martino Polono narrat pag. 58. Bibliothecae Pontificiae, nec alius quisquam proferre potuit. *Epistolas tres*, quae sub Anacleti nomine jactantur, Blondellus pag. 101. seq. Pseudo-Isidori exhibet et supposititias esse demonstrat, viris doctis etiam Romanae Ecclesiae suffragatoribus, quanquam aliud placet Ludovico Jacobo pag. 14.

CLIMITONUS *Langlejus*, Anglus, Theologus, Philosophus et Astronomus clarus circa An. 1350. a Pitseo p. 469. perhibetur scripsisse *Replicationes Scholasticas*, librum *de orbibus astrologicis* b) *et problemata Sophistica.*

Fridericus CLOSNERUS res Civitatis Argentinensis a Rudolpho Habspurgico exorsus perduxit usque ad An. CHristi 1362. Haec ex Vossio Koenigius, Struvius et Hertzius.

Ludovicus COELIUS *Richerius*, patria *Rhodiginus*, humaniores litteras Vicentiae primum, deinde Ferrariae, tum Mediolani ac denique Patavii docuit, obiitque An. 1520. septuagesimo aetatis anno. Ejus vitam scripsit Comes *Camillus de Sylvestris*, Rhodiginus, editam in tomo quarto sylloges Venetae: *Raccolta degli opuscoli scientifichi e filologici*, 1731, 12. Hic Coelius, quem praeceptorem suum doctissimum laudat Julius Caesar Scaliger in extremo libri 3. poetices pag. 398. in *libris triginta Antiquarum Lectionum,* quos ad Verrii, Vindicisque Ceselli, Gellio laudati exemplum scripsit, et Jo. Grolierio dedicatos edidit Venetiis 1516, fol. non modo vocabula multa utriusque linguae abstrusa explicavit et innumeris Graecorum Latinorumque scriptorum locis egregiam lucem affudit, sed et quamplurimas antiquitates feliciter illustravit. Adeo ut illius opus auro contra carum, non frequentius juvenum manibus teri miretur et indignetur Vossius lib. 3. de Historicis Latinis pag. 814. seq. Prodiit deinde recognitum ab auctore et tertia parte auctius recusum variis in locis, ut Basilaeae 1542, 1551, 1566. apud Frobenium atque apud Andreae Wechelii haeredes An. 1559. ac deinde Genevae 1620, fol. Solet in Rhodigino (ut in Alexandro ab Alex. de quo supra) reprehendi, quod passim dissimulat fontes unde veteres narrationes repetiit, vel laudat Scriptorum deperditorum monumenta, auctoribus, in quibus illa nominari reperit, haud nominatis, qua de re videndus Jacobus, Thomasius ὁ μακαρίτης lib. de plagio §. 332. Erasmus a) in Adagio *Choenici ne insideas*, Vossius III. 84. de idololatria, et Gothofredus Jungermannus ad Pollucem pag. 1347. Casp. Barthio judice tom. III. ad Statium p. 440. *Coelius Rhodiginus vir longe eruditissimus, sed amoenitati scriptionis parum consulens omissis verbis auctorum quibus observationes suas debet.* Jano Rutgersio IV. 18. variarum Lectionum: *Vir diligens quidem et eruditus, sed qui temere in molem illam lectionum congerebat quicquid sese*

a) Idem alterutro nomine signatur, licet a decimi saeculi Scriptoribus, ac deinceps multi Cletum ab Anacleto distinxere. Vide Tillemontium tom. II. Memoriarum pag. 555. seq. edit. Paris. el Petrum Halloix tomo II. Scriptorum Oriental. pag. 642. seq. Qui distinguunt, Cletum ajunt ab Anno CHristi 77. Anacletum ab Anno 85. sedem Romanam ornasse. Vide Franciscum Pagium breviar. Pontificum tom. I, pag. 14. seq.

b) Ut Clemens Claudiocestr. supra.

a) Coelii Rhodigini Epistola Apologetica ad Erasmum legitur post Epistolas Gudianas pag. 117. Vide et Baelii Lexicon, *Erasme*, nota ee.

obtulisset. Optandum etiam erat ut inter tot lectiones antiquas nullos novos errores proseminaret Coeli incuria, ut ait Josua Barnes in vita Euripidis pag. 33. Valet tamen hic illud Varronis, *eum qui tam multa dixerit commode, potius laudandum, quam si quaedam ignoraverit peccaveritque, acriter reprehendendum et exagitandum.* Sive ut Horatius:

> Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
> Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
> Aut humana parum cavit natura . . .

Coeli Rhodigini *adagia*, quae in sylloge magna adagiorum in locos communes digestorum leguntur Hanov. 1617, 1643, fol. ex ejus antiquis lectionibus depromta sunt. Idem dicendum de *notis in Horatium, Epistolas Ciceronis, Ovidii Metamorphosin* etc.

De Rhodigino videndi Jovius et Thomasinus in elogiis, Nicolaus Comnenus Papadopoli Hist. Gymnasii Patavini pag. 296. seq. Jacobus Gaddius de scriptoribus non Ecclesiasticis, Balthafar Bonifacins XV. 4 Histor. ludicrae (qui plura etiam dixisse se testatur in elogiis illustrium Rhodiginorum, dubito an editis): Adolphus Clarmundus sive Rudigerus in vitis Doctorum Virorum editis Germanice tom. VII, pag. 61. Paulus Freherus in Theatro, G. Matthias Koenigius in Bibl. Thomas Popeblount in censura doctorum, Adr. Bailletus in judiciis Gallice editis, Lexicon eruditorum Lipsiense, et ad Tobiae Magiri Eponymologium pag. 706, seq. illustris Christianus Wilhelmus Eybenius.

Radulphus de COGGESHALE Anglus, Abbas Cisterciensiss, scriptor *additionum ad Chronicon* RADULPHI NIGRI *de Regibus Angliae et Franciae*, sive Continuationis ab An. 1114 ad 1228 quam obviam et hodie in Angliae Bibliothecis, et cum Nigro edere voluit Baleus Centur. XIII, pag. 170. Alia ejus, sed itidem inedita praeter *Sermones* Pitseo pag. 302. memoratos sunt *Chronicon terrae sanctae et Speculum Curatorum.* Vide Oudinum tom. III, pag. 95 seq. *Expositio* quam *super aenigmatibus* Oudinus vocat, eadem videtur esse quae Pitseo *liber super quibusdam visionibus.*

* Anglicanam eius Historiam vulgavit P. Martene Vet. Mon. t. VI, pag. 801. Incipit ab an. 1066 desinit in an. 1200 cui statim adiunctus erat in MS. Codice et in edito pariter exhibetur eiusdem, ut creditur, authoris *libellus de motibus anglicanis,* qui cum an. 1216 absolvitur. Denique eius *Chronicon Terrae Sanctae* prodiit ibidem pag. 548. Additiones vero ad Chronicon Radulphi Nigri, plane diversas esse ab Historia Anglicana facile credo; cum additionem hanc coepisse ab A. 1114 et desiisse A. 1228 Anglici Scriptores affirment. Nondum prodierunt.

COGITOSUS scriptor *Vitae S. Brigittae* a) alio indicio, quis fuerit, nullo lectores suos docuit, nisi quod valedicens illis ait: *Orate pro me Cogitoso, nepote culpabili.* Brigittae nepotem inde quidam suspicati sunt, adeoque non longe disjunctum ab ejus aetate, quae circa Annum 523 obiit. Rem sibi gloriosam non siluisset Cogitosus, sed disertius professus fuisset, quod facile accredo V. C. Jacobo Basnagio, illum scriptorem multo recentiorem existimanti tom. I, Canis. lect. pag. 415. *Fortasse*, inquit pag. 699. Vossius, *ob adolescentiam luxuriose transactam* culpabilem *se* nepotem *vocat, uti Horatius dixit* discinctum nepotem *IV. 52 epod. unde apud Senecam L. ult. de benefic. et Tertullianum cap. 46. apologet.* nepotari *dicuntur, qui sua inutiliter profundunt.* Vita Brigittae edita primum a Canisio, ut dixi supra pag. 260. deinde a Surio, et in Thomae Messinghami florilegio Insulae Sanctorum Hiberniae pag. 192 et in Joannis Colgani triade thavmaturga, et Actis Sanctorum Hiberniae, denique in Johannis Bollandi Actis Sanctorum ad 1. Febr. pag. 625.

Petrus Apollonius COLLATIUS, sive COLLATINUS, supra, pag. 124.

Pandulphus COLLENUCIUS Pisaurensis, JCtus et Orator ingenio peracri atque eru-

a) Hiberniam tunc signari solitam Scotiae nomine, pervulgatum est. Isidorus Hispanus, qui non diu post Brigittam scripsit, lib. XIV. Originum cap. 6. *Scotia eadem et Hibernia, proxima Bitanniae insula spatio terrarum angustior, sed situ foecundior.*

ditione, apud Joannem Sfortiam Pisaurensium Tyrannum a), qui deprehensis litteris offensus, ignovisse se ei fidem fecerat, strangulatus in carcere An. 1500 de quo Jovius in elogiis, Vossius pag. 673, seq. Joannes Matthaeus Toscanus in peplo Italiae pag. 413 et Isaacus Bullartius tom. II, Academiae scientiarum pag. 142. Ejus *Plinianae defensioni* saepius recusae (ut Ferrariae 1511, 4. et in tom. secundo herbarii Brunfelsiani) *de interpretatione simplicium, quae sunt apud Plinium*, contra Nicolai Leoniceni Vicentini librum de *Plinii* et aliorum Medicorum erroribus An. 1491 editum respondit Pontius Virunius, Bellunensis. Facetum Collenucii apologum, cui titulus: *Agenoria*, sive dialogus Capitis et Pilei, de pigris et industriosis hominibus, recudit Jacobus de Breda, Daventriae 1497. Idem familiam ducit inter quatuor eius dialogos junctim vulgatos Argentorati 1511. 4. Romae 1526. 4 et Basileae 1547 cum colloquiis Johannis Artopoei, ex quibus caeteri tres sunt 2), *Misopenes*, de auri ac sapientiae usu ad utramque felicitatem, 3) *Alethia*, et 4) *Bombarda*. Libellus *de vipera* prodiit Venetiis 1506, 4. *Etiam Latine*, inquit Vossius, *constrinxit compendio Historiam Neapolitanam*, eam puto innuens, quae cum Joannis Joviani Pontani VI libris de bello Neapolitano recusa Dordraci 1618, 8. in anno 1492 desinit, unde incipit Guicciardinus. *Idem* Collenucius *libris VI historiam Neapolitanam prosecutus est, sed Italice in gratiam Herculis Atestini*, sive *Estensis*, *Ferrariensium Ducis, Latine autem transtulit Joannes Nicolaus Stupanus Rhaetus, Bas. 1572*, 4. Italice autem, Compendio dell'historie di Napoli, Venet. 1552, 8. ex Hieronymi Ruscelli recensione, et Venet. 1558, 1591, et 1613, 4. additis Mambrini Rosei de Fabriano et Thomae Costi Neapolitani lucubrationibus et continuatione usque ad Annum 1610. *Vita Frederici II Imperatoris* ex Italica historia Neapolitana Collenucii prodiit cum Petri de Vineis sex libris Epistolarum, Basileae 1556, 8. Latine versa a Simone Schardio. *Orationem ad Imperatorem Maximilianum* ex editione Basileae 1520 aliis junctam panegyricis, exhibet Freherus tom. II. scriptorum de rebus Germanicis pag. 476 habitam An. 1494 Oeniponti, cum Herculis Estensis, Ferrariae Ducis Orator esset Collenucius. In Bibliotheca Barberina Romae, exstat *Ptauti Amphitruo* ex Italica ejus metaphrasi (77 ed. *in Venet. Zoppino* 1530. in 8. De nece Collenucii. Vide *Perticari* (Giulio) *Opuscoli Bologna* 1819, 8.)

a) Nescio quo auctore Collenucius jussu Alexandri VI. interfectus esse traditur in Lexico Eruditorum, tertium jam Lipsiae edito.

COLLUTIUS *Pierius*, cujus quaedam MSta in Codice Pergameno Bibliothecae Menarsianae pag. 159 est L. *Collutius Pierius Salutatus* de Stignano, inter instauratores litterarum celebrandus cum Petrarcha, Gasparino Bergomensi, Leonhardo Aretino, Poggio: patria Florentinus, Urbani V. et Gregorii XI. ab Epistolis, et Cancellarius Reipublicae Florentinae, defunctus Florentiae An. 1406 de quo Jacobus Lenfant, auctor Poggianorum, in Epistola inserta Bibliothecae Germanicae lingua Gallica ab An. 1720 edi solitae tom. I, pag. 112, sqq. et Julius Niger in historia scriptorum Florentinorum pag. 128. Hunc Collucium Possevinus ait *de vera Religione* scripsisse: Sed Mabillonius disertius, qui in itinere Italico pag. 183 testatur se in Bibliotheca Monasterii Vallumbrosani vidisse hujus Collutii Codicem haud vulgatum librorum duorum *de saeculo et religione* ad Hieronymum de Uzano, Camaldulensis Ordinis Monachum, Florentiae apud S. Mariam de Angelis, quem Hieronymum, in *saeculo*, hoc est antequam Monachi *religionem* indueret, Nicolai nomen tulisse idem auctor tradit. (78 cum Nicolao de Uzano autem, benemerentissimo cive de quo Machiavellus in Historia, minime confundendus) *Epistolam* nomine multitudinis fidelium ad Cardinales Ultramontanos servavit Raynaldus tom. XVII, ad Annum 1378 num. 52-58. *Aliam* ad Jodocum Marchionem Brandenburg. Marchionem Moraviae Caroli IV. Imperatoris propinquum An. 1398. Edmundus Martene tom. II, Anecdotorum pag. 1155 quae una est ex illis quatuor, quas descripsisse se ait Mabillonius in itinere Italico pag. 170.

Ad Innocentium VII. Papam dedi supra pag. 798 ubi *Linus Collucius Salutatus* scripsi ex MSto Codice, pro quo alii *Lucium Collucium* appellant. *Epistolas tres* unam ad Nicolaum de Ausino Protonotarium Papae An. 1368 alteram ad Franciscum Brunum de obitu Urbani V. An. 1371 tertiam ad Regem Francorum Carolum VI. An. 1404 scriptam edidit Baluzius tom. IV, Misc. pag. 510 511 516. Plures ejus Epistolas cum ineditis Petrarchae, Aretini et aliorum virorum illustrium illa aetate Epistolis edere voluit V. C. Anselmus Bandurius pluribus in quarta forma Voluminibus, sed ab A. 1703 quo spes hujus rei nobis facta est a), nihil quod sciam ejus lucem vidit. Liber *de nobilitate Legum et Medicinae*, in quo palmam tribuit Jurisprudentiae, prodiit Venetiis 1542, 8. *Epistola* ad Ubaldinum, una cum *Epitaphio in Lapum de Castellione, Florentinum,* scriptum versibus, quod edidit Lambecius tom. II, pag. 940. *Epitaphium Nicolao Capucchio* Cardinali positum exstat apud Ciacconium tom. II, pag. 510 et in Bibliotheca Germanica tom. I, pag. 136. Caetera ejus sunt *liber de fortuna et fato* in quinque Tractatus distinctus, ad Felicem Abbatem Cisterc. (cui libro Joannes de Dominico, Ordinis Praedicatorum, qui An. 1419 obiit, Cardinalis, luculam noctis opposuit, in quo Christianos b) accusat de studio immodico Gentilium litterarum.) *Historia de casu hominis*, quam auctor ipse vertit Italice sub nomine *Guidonis de Messina.* Liber *de Tyranno* ad Antonium Aquilam. *Carmina* exhortatoria ad Jacobum Allegretum Foroliviensem, ne prophetare vellet: *Phyllis et Daphne* aliaque *Carmina* scripta Italice. *Liber Declamationum.* Liber *de arte dictandi* etc.

* Viri huius doctissimi Epistolae duobus in 8. tomis recusae sunt Florentiae an. 1741 et 1742. Operum eius Catalogus exhibetur in priori tomo, in quo tamen desideratur eius versio, seu potius reformatio versionis libelli Plutarchi de remediis irae. Hanc versionem dederat Simon Costantinopolitanus Hieromonachus. Libellum hunc sic reformatum servat MS. Codex meus chartaceus. Liber eius de saeculo et religione exhibetur in MS. Cod. Bibliothecae Riccardianae, ex quo Cl. Lamius in Catalogo eiusdem Bibliothecae profert prooemium operis ad F. Hieronymum de Vezzanò. In eodem etiam Codice sunt Epistolae quaedam. Ex his alteram F. Raphaelis ad Ser Collucium: aliam vero Collucii ad eundem idem Lamius ibidem vulgavit.

(78 Editio Epistolarum a Mansio memorata prodiit typ. J. Rigacci curante Lamio. Alia prius prodierat typ. P. A. Viviani cur. L. Mehus: istius vero volumen II non paruit. Decem Epistolae Italice exaratae in Lamiana leguntur.)

COLMANNUS Anglus, cognomento *Sapiens,* vixit circa Annum 1200 et licet inter Historicos Latinos a Vossio refertur, non Latine scripsit, sed Saxonica dialecto illorum temporum *descriptionem Angliae*, eamq; fidelius quam elegantius ab eo compositam Lelandus cap. 204 refert evolvisse se in Bibliotheca Paulina Londinensi. Idem dicendum de ejus *Chronico*, quo usum se profitetur amicus ejus Johannes Hardingus et de *Catalogo Regum Angliae* et *Dialogo de Bellis Danicis,* quae memorat Johannes Baleus III. 43 atque ex illo Johannes Pitseus pag. 266. Dubitat Guilelmus Nicolsonus Bibliotheca Historicorum Angliae pag. 2 idem ne hic sit cum COLEMANNO Monacho Vigorniensi, qui scripsit *Vitam S. Wolstani,* Episcopi Worcestriae, sive Vigorniensis, defuncti An. 1095. a) De Wolstani vita a BRAVONIO scripta dixi supra pag. 253 diversa ab illa a GUILELMO Malmesburiensi, quam digestam in libros tres vulgavit e Codice Cottoniano Henricus Warthonus tom. II, Angliae Sacrae pag. 241.

Chronicon Dominicanorum Columbariensium, sive COLMARIENSIUM in Alsatia, quo rerum ALSATICARUM Annales succincte primum perstringuntur, deinde uberius enarrantur ab Anno 1211 ad 1303 tom. II, Urstisii pag. 5-62.

a) Memoires de Trevoux An. 1705. Septembr. pag. 258.

b) Jacobus Quetif Bibliothecae Dominicanorum tom. I, pag. 770.

a) Henricus Warthonus t. II. Angliae Sacrae p. 267.

Anonymi *Chronicon* COLONIENSE, desinens in An. 1496 non adeo magnae auctoritatis, prodiit An. 1499 vide Martini Zeileri Historicos celebres Parte II. pag. 40.

COLUMBA Hibernus, Presbyter et Abbas Conditorque Monasterii Dermagh primum in Hibernia a), deinde aliorum et in Jova insula (Hu sive Hay), ubi diem obiit An. 597 aetatis 77 laudatus Bedae III. 4. V. 18. Hist. Angl. et apud Surium 5. Augusti, in vita S. Oswaldi Regis, et Notkero in Martyrolog. V. Idus Junii, et CUMMENEO atque ADAMNANO, qui Columbae vitam scripsere, de quibus suo loco. Praeter *Regulam S. Columbae Monasticam* (qualem scripsere Columbanus quoque et in Hibernia Brendanus, Congallus etc.) Waraeus b) memorat ejus *hymnum in laudem S. Kiarani Abbatis*, et alios *hymnos tres*, quorum primus incipit: *Altus Prosator.*

COLUMBA alter c), sive COLUMBANUS itidem Hibernus, multorum Conditor Monasteriorum, Abbas in Gallia Luxoviensis, et denique in Italia Bobiensis, Ordinis Benedictini d), diem obiit An. 615. de quo praeter scriptorem Vitae, JONAM *Scotum*, apud Surium 21. Novembr. et Vincentium Barralim parte 2. Chronologiae Lerinensis: Chronicon S. Benigni Divionensis tom. I, spicilegii Dacheriani pag. 377, seq. Bernardus in vita S. Malachiae cap. 6, pag. 670 et e recentioribus praeter editores et Jacobum Waraeum pag. 18 de scriptoribus Hibern. Jacobum Basnagium tom. I, Canisii pag. 772, seq. Mabillonium Sec. 2. Benedictin. scriptoresque de Sanctis Hiberniae Thomam Messinganum, Johannem Colganum etc. Carolus le Cointe tom. II, Annalium Francorum pag. 98, seqq. Scripta Columbani junctim edita Lovanii 1667 a *Patricio Flemingo* a), Ordinis Minorum, atque inde recusa in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom. XII, sub init. distincte referre placet.

1. *Regula Monastica*, capita X. b) et liber *poenitentialis*, de quotidianis poenitentiis Monachorum, capita XV. pag. 3 et 6 et in Lucae Holstenii Codice Regularum parte 2. pag. 88, 98. Memoria fefellit clarissimum Caveum, cum Regulam Columbani scripsit editam fuisse a Canisio. Sed a Carolo Stengelio edita est, *praefatione* Columbani auctior, in Corona lucida Ordinis Benedictini, Aug. Vindel. 1622, 8. p. 128. Apud Goldastum quoque et Messinghamum liber poenitentialis desideratur. Regulam Columbani ab Agrestini calumniis defensitavit *Eustasius* Abbas in Synodo *Matisconensi*, ut narrat JONAS Scotus in vita Eustasii apud Surium et Henschenium 29. Mart. et Sirmondum tom. I, Concil. Galliae pag. 477. Synodum Matisconensem ad An. 627 alii referunt, Mabillonius Sec. 2. Benedictin. pag. 119 ad Annum 624. Cointius t. II, Annal. p. 730, seq. ad Annum 623.

2. De fide et officiis Christiani hominis *Instructiones XVI.* pag. 9. In MS. addita etiam decima septima, sed quae post libros duos de libero arbitrio sub FAUSTI Regiensis nomine legitur tom. XVIII. Bibliothecae Patrum Lugdunens. pag. 545. Quinta est etiam apud Messinghamum pag. 407 et sub Epistolae nomine vulgata ab Usserio in Epistolis Hibernicis pag. 7. Dublin. 1632, 4. Paris. 1665, 4.

3. *De Poenitentiarum mensura taxanda*, capita XLII. pag. 21.

4. *De octo vitiis principalibus* pag. 23.

a) Vide Jacobi Waraei Antiquitates Hibernicas pag. 186. 193. 199. seq. 214.

b) De Scriptoribus Hiberniae pag. 15. Cave ad Annum 560.

c) In Epistolis ad Bonifacium IV aliosque, et Anonymo Mellicensi cap. 25. etiam hic *Columba* dicitur, ut vicissim senior Columba vocatur aliis *Columbanum.* Nimirum idem nomen est utrumque, ut Beda, Bedanus: Offa, Offanus: Thega, Theganus etc. Vide Daumium pag. 257 ad Catonis Disticha.

d) Benedictinum facit Johannes Trithemius cap. 223 de S. E. et illustrium Benedictinor. lib. 2, cap. 5 et magna contentione Constantinus Cajetanus libro edito An. 1617 quanquam aliud visum Antonio Gallonio in libro inedito, de quo operae pretium est consulere Epistolas selectas Richardi Simonis, tom. III. Epistola XI, pag. 67. seq.

a) Vide Waddingum Biblioth. Ordinis Minorum pag. 272.

b) Haec etiam in Thomae Messinghami florilegio Santorum Hiberniae pag. 404. sed in Goldasti paraenetici pag. 166, seq. deest caput ultimum, licet Regula ibi divisa sit in capita XIV.

5. *Epistolae quinque* pag. 24. I. et IV. ad Bonifacium quartum Papam, II. ad Patres Synodi Gallicanae super quaestione de Pascha congregatae, III. ad Discipulos suos et Monachos, et V. ad Gregorium primum Papam, itidem de Paschate. Merito hasce Epistolas magni facit Mabillonius in itinere Italico pag. 216, seq.

6. a) *Carmina.* α'. Acrostichum *Columbanus Hunaldo* pag. 33. Incipit: *Casibus innumeris decurrunt tempora vitae.* β'. *Carmen ad Sethum*. in quo detestatur avaritiam. Incipit: *Suscipe Sethe libens.* Apud Georgium Fabricium in poëtis Christianis pag 779. Canisium tom. I, pa. 779. Messinghamum pag. 411. Vinc. Barralim tom. II, pag. 113 et Usserium pag. 11 legitur: *Suscipe Hunalde libens.* At apud Sirmondum ad calcem Eugenii Toletani, Paris, 1619, 8, et tom. II, Operum pag. 908. *Suscipe quaeso libens.* γ'. *Ad Fedolium*, carmen Adonium pag. 34. Incipit: *Accipe quaeso nunc bipedali condita versu*, ad cujus calcem annos LXXII. aetatis suae indicat: *Nunc ad Olympiadis ter senos venimus annos.* δ'. *Epigramma de muliere.* ε'. *Monosticha* pag. 35 incipit: *Haec praecepta legat devote et impleat actu.* Haec carmina junctim edidit notisq; illustravit Goldastus in paraeneticis veteribus pag. 47, seq. Insulae 1604, 4. Notis suis illustrata exhibet etiam vir doctus Christianus Daumius ad calcem Distichorum Catonis. Cygneae 1672, 8. Ediderat Usserius, etiam in Epistolis Hibernicis pag. 10, seq. sed exceptis Monostichis et Epigrammate. Monosticha exstant quoque apud Canisium tom. I, editionis novae pag. 775 et inde in Bibliothecis Patrum Coloniensi et Parisiensi, et apud Messinghamum pag. 408 inque iis plura similia distichis Catonis, quae OCTAVIANO cuipiam Romano Goldastus tribuit. Monosticha autem eadem sub ALCUINI nomine leguntur in ejus Operibus pag. 1715. et sub ALDHELMI edita a Delrione, ut dixi supra

7. *Rhythmus de vanitate et miseria vitae mortalis* pag. 36, seq. Incipit: *Mundus iste transit et quotidie decrescit*, editus primum ab Usserio in Epistolis Hibernicis p. 9, seq.

Constantinum Cajetanum voluisse S. Columbani scripta notis et argumentis illustrata edere, notavit Allatius in apibus Urbanis pag. 74.

Desiderantur Columbani *Liber Psalmorum* sive Hymnorum, quem elimato sermone ab adolescente adhuc scriptum testatur Sigebertus Gemblacensis capite 60 unde Trithemius posset videri fecisse *Commentariorum librum in totum Psalterium*, quem a Columbano eleganti stylo scriptum ait cap. 223 sed expositionis Columbani super omnes Psalmos meminit etiam apud Goldastum in paraeneticis pag. 72. Hartmotus, qui Abbas S. Galli fuit circa Annum 880 inter libros in Bibliotheca S. Galli suo tempore asservatos. *Liber contra Arianos*, de quo Jonas in vita cap. 29 et Columbanus ipse Epistola 4. Confer Mabillonii iter Italicum pag. 216, seq. *Adversus Regem adulterum*, quod memorat Baleus XIV. 12 ad Theodoricum Regem Austrasiae respicit, quem ob consuetudinem cum Brunehilde a Columbano et coram et per litteras fortiter reprehensum refert Jonas in ejus vita capite 18.

Christophori COLUMBI Genuensis, ab An. 1492 suscepta navigatio, qua duabus primum a Rege Hispaniar. Ferdinando deinde XVII. liburnicis acceptis rem ab hominum memoria maxima est orditus, viamque ad novum Orbem Europaeis aperuit, Latine descripta legitur in Simonis Grynaei novo Orbe, Basileae 1532, fol. pag. 90. Latine vertit ex Hispanico Archangelus Madrignanus. Hujus Columbi nomen in Abrahami Perissoli Judaei itineribus Mundi, A. 1536 expositis, ita scribitur pag. 117. *Christoaal Columbi Genuensi.* Vitam Columbi prodidit Antonius Gallus: digno elogio prosecutus est Ubertus Folieta in libro, quo claros Ligures a) celebravit. Iconem aere pulchre expressam dedit Isaacus Bullartus tom. II, Academiae Scientiarum pag. 265.

(79. De Columbo vidend. *Vita di Cr. Co-*

a) Polycarpus Leyserus hist. poetarum medii aevi pag 177, seq.

a) T. I. Thesauri Italiae Graeviani p. 770, seq.

lombo scritta da Luigi Bossi. Milano 1818, 8. fig. *Spotorno Cod. Colombo-Americano ec.*)

Franciscus COLUMNA, ab amoribus Poliae, virginis nobilis Tarvisinae, POLIPHILI nomine adscito, post juveniles amores Milesia fabula Italice descriptos, paullo provectior aetate An. 1467 Tarvisii scripsit *Hypnerotomachiam* editam ibid. 1499 in qua propositum ei est ostendere, cuncta quorum amore depereunt homines, nihil aliud quam somnium videri, ut jam notatum Vossio pag. 803 qui propter hoc scriptum ei locum inter Historicos Latinos dare non dubitavit. Vide Johannis Hallervordi Bibliothecam curiosam pag. 344 et Diarium Eruditorum Italiae, tom. tertio supplementi pag. 461, seq.

* *Franciscus Columna.* Monachus sive Ord. S. Dominici sive Canonicus Regularis nullam Milesiacam fabellam de juvenilibus amoribus suis sub ementito Poliphili nomini scripsit Italice: vel saltem opus istud idem plane est ac eius Hypnerotomachia edita primum non quidem Tarvisii, sed Venetiis an. 1499. (80. *Typis Aldi* fig. fol. et iterum An. 1545.) Immerito vero a Vossio inter Latinos historicos accenseutur; nam sub Graeco, Latinove hoc titulo fabellam plane Italicam dedit. Nec satis constat an suos in sapientiam amores sub Poliae et Poliphili nomine, seu potius juvenilia sua depinxerit. Vide Fontanini Eloquenza Ital. pag. 562. ed. Ven. 1737.

Guido de COLUMNA, Judex Messanensis, Siculus circa Annum 1287 in gratiam Matthaei de Porta, Archiepiscopi Salernitani ex Darete et Dictye composuit *Historiam Trojanam* in variis MStam Bibliothecis, ut notavit Oudinus tom. III, pag. 581 Sed typis exscripta etiam prodiit Argentinae 1486 et 1489, fol. Utramque editionem inspexi. Germanicam versionem prosariam veterem in Bibliotheca Caesarea MS. memorat Lambecius tom. II, pag. 948 una cum altera quam versibus Germanicis circa Annum 1210 composuit Henricus de Veldeck, Thuringus. De Hispanica versione Petri Nunnez Delgado, Nicolaus Antonius tom. II, Bibliothecae Hispanae pag. 179. De Italica Antoninus Mongitor, qui diligentius de Columna nostro et de aliis ejus scriptis Italice editis disserit tom. I, Bibliothecae Siculae pag. 267. (81. Prodiit Italica *in Venetia* 1481. fol. et iterum juxta Codic. MS. Med. Laurent. *in Napoli* 1665. 4.)

Johannes COLUMNA, Ordinis Praedicatorum, et ex Messanensi Archiepiscopus An. 1262. Nicosiensis in Cypro Insula, auctor *Maris Historiarum* ab Orbe condito usque ad Annum 1250. MS. in variis Bibliothecis, sicut ejus *Pontificum Romanorum Historia*, nec non liber *de infelicitate curialium*, et alter *de gloria Paradisi:* et ad diversos *Epistolae.* Vide Oudinum tom. III pag. 185, seq. sed inprimis Jacobum Quetif tom. I, Bibliothecae Dominicanorum pag. 419, seq. qui etiam notat longe aliud opus esse, quod Gallice lucem vidit Parisiis 1488 fol. *la mer des histoires* versum ex Latino, quod BROCHARTUS quidam Theologus Latine An. 1475 ediderat sub titulo: *Rudimenti Novitiorum.* Idem Quetifus tom. II, pag. 829, et 996 notat Johannis hujus Columnae librum *de Viris illustribus Ethnicis et Christianis* éditione dignum judicatum pag. 50. Diarii Italici a Celeberrimo Montfaucono, etiam An. 1720 ad praela paratum et notis illustratum fuisse a V. C. Benedicto Zannelli, Romanae Casanatensis Bibliothecae praefecto. Illum necdum vidimus, licet praelo commissum referunt Nova Litteraria Lips. An. 1721, pag. 49.

Landulphus de COLUMNA, quem Cangius perperam distinguit a Landulpho Sagace auctore librorum postremorum *Historiae Miscellae.* Vide infra, LANDULPHUS *Sagax.*

Petrus cognomine COMESTOR, sive *Manducator,* (Mangeur, Gallis) inde dictus si Trithemio a) credimus, quod *Scripturarum auctoritates in suis sermonibus et opusculis crebrius allegando quasi in ventrem memoriae manducarit.* Trecensis ex Presbytero ac Decano Ecclesiae Patriae Cancellarius Parisiensis, denique in secessu ad Canonicos S. Victoris Parisiensis, diem obiit An. 1178, 12. Kal. Novembr ubi hoc ei

a) Cap. 380 de S. E. Ridiculum id videtur Labbeo t. II, pag. 199. Sed verissima interdum etiam videmus esse quae sunt ridicula.

positum Epitaphium, apud Germanum Briceum in descriptione Lutetiae tom. II, pag. 188 et alios multos relatum :

Petrus eram quem petra tegit, dictusque *Comestor*
Nunc comedor. Vivus docui, nec cesso docere
Mortuus, ut dicat, qui me videt incineratum,
Quod sumus, iste fuit, erimus quandoque quod hic est.

Scripsit *Historiam Scholasticam* ad Guilelmum Archiepiscopum ab Anno 1169 ad 1175. Senonensem: sive librorum Veteris et Novi Testamenti Historicorum breviarium quoddam, Scholae usu probatum, adjectis subinde praeter expositionem variis non tantum ex Josepho et probatae fidei, sed etiam ex apocryphis atque ethnicis scriptoribus. Vide Joannis Rainoldi censuram apocryphorum librorum tom. I, pag. 477 et 1239 seq. Prodiit Reutlingae 1473 magni folii forma, et Argent. 1483, 1502. Basileae 1486, fol. Parisiis 1513, 4. Haganoae 1519, fol. Lugduni 1526, 4. 1543, 8. In antiquis editionibus nullum librorum sive XVI. ut Labbeus et Caveus. sive XX. ut Trithemus et Simlerus, vestigium, sed tantum librorum Historicorum historiae distinguuntur, ut Historia Geneseos per capita 115. Historia Exodi per capita 78 etc. Sic in Novo Testamento Historia Evangelica per capita 198 et Historia Actuum Apostolorum per capita 127. Novissime hoc opus recusum Venetiis 1728 dicatumque Reverendissimis et Sanctissimis Patribus Concilii, quod tunc celebrabatur Beneventani. Exstat et *Gallica* versio a) ante ducentos excusa annos sine temporis nota et loci, cum iconibus ligno descriptis in fol. duobus Voluminibus, dicata Carolo VIII ab interprete, Guiars de Moulins. Vide Richardi Simonis Historiam Criticam Novi Testamenti lib. 2, pag. 19 et 320. ubi notat eandem versionem ex recentiore recognitione et interpolatione prodisse Parisiis An. 1545. *Rhythmis Saxonicis* jussu Henrici Landgravii Thuringiae seculo XIII. expressa usque ad Samuelis tempora: exstat MS. et memoratur in Catalogo Bibliothecae Paulinae Lipsiensi p. 163. Memorat et Sanderus in Bibliotheca Belgica MS. pag. 285. Historiam Scholasticam versibus *Rhythmicis Teutonicis* descriptam per Jacobum van Mierlandt, circa An. 1271. Denique in compendium eam redegit GUALTHERUS *Hunte* Anglus Carmelita. Vide Vossium pag. 434 et 635

a) Rich. Simon tom. II. Hist. Crit. du Nouveau Testament pag. 320. *Il n'y avoit rien en ce têms-là de plus grand ni de plus estimé pour l'Ecriture Sainte que le Pierre Comestar, qui a été traduit dans plusieurs langues de l'Europe. On ne lisoit la Bible que de la maniere qu'elle étois dans ce Compilateur, et avec ses gloses. Cet usage a duré long têms en France.*

Commentarium *in Epistolas Pauli* MS. in Bibliotheca Sorbonica exstare Parisiis testatur Jacobus le Long in Bibliotheca Exegetica pag. 683.

Ex Tractatu brevi *de poenitentia*, MS. in Bibliotheca Angliae Lambethana, et ex *Sermonum* Volumine in eadem Bibliotheca, quod vocat pulcherrimo, loca quaedam affert Henricus Warthonus in auctario ad Usseri historiam dogmaticam p. 407 et 353.

De *Sermonibus* Comestoris sive illis, qui sub PETRI *Blaesensis* a) leguntur nomine, sive aliis et de CXIV. illis, qui servantur in Bibliotheca Longipontis Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Svessionensi, et in Bibliothecis aliis Galliae Angliaeque, vide Oudinum tom. II, pag. 1527. seq. Bulaeum hist. Accademiae Parisiensis tom. IV, pag. 374. seqq. Nova Litteraria maris Balthici An. 1698, pag. 246.

Sermones LXVIII. nuper venierunt Hafniae in Bibliotheca Rostgaardiana pag. 461.

Sermonem de immaculata B. Virginis conceptione editum esse Antwerpiae 1536 ex MSto Codice Bibliothaecae Anglicanae, notat Labbeus tom. II. de S. E. pag. 200.

Ut venae etiam Comestoris specimen a me Lectori offeratur, en *Decastichon in laudem B. Mariae Virginis*, quod servarunt Vincentius Bellov. XXIX, 1. speculi hist. et Antoninus Florentinus summae hist. tit. 18, cap. 8, tom. III, pag. 77.

Si fieri posset quod arenae pulvis et undae
Undarum guttae, rosa, gemmae, Ilia flammae,
Æthere coelico'ae, nix, grando, sexus uterque,
Ventorum pennae, volucrum, pecudum genus omne,
Sylvarum rami, frondes, avium quoque pennae,

a) Biblioth. Patrum tom. XXIV. edit. Lugdun. pag. 1595.

Gramina, ros, stellae, pisces, angues, et aristae,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones
Linguae cuncta forent, minime depromere possent
Quae sit vel quanta Virgo Regina Maria,
Quae tua sit pietas nec littera, nec dabit aetas.

Philippus COMINÆUS nobilis Historicus rerum in Gallia gestarum temporibus Ludovici XI. Regis, libris X. ab An. 1464 ad 1483 et de bello Neapolitano per Carolum VIII. suscepto libris V. Ipse Cominaeus qui Angelo Cattho, Viennensi Episcopo, invitante animum ad scribendum appulit, defunctus est An. 1509. Gallice quidem scripsit et post obitum ejus demum lucem vidit postuma proles An. 1523, fol. sed in opere de Historicis Latinis a Vossio p. 642 seq. celebratur, quia Latine bene loquentem habemus interprete Johanne Sleidano, cujus versioni utpote liberiori etiam praefertur a quibusdam altera Casparis Barthii vulgata Francofurti 1619, 8. Exstat quoque versus Italice, Anglice, Hispanice, Germanice, Belgice et in Bibliotheca Rostgaardiana pag. 502. Danice MS. De editionibus praeter Jacobum le Long in Bibliotheca Historicorum Galliae num. 7444 et praecipue 7494 consulendus B. Hubnerus noster in Bibliotheca Historica Hamburgensi Centur. 3, pag. 273. seq.

De COMMODIANO ita Gennadius de Scritoribus Ecclesiasticis cap. 15. *Commodianus* a) *dum inter saeculares litteras etiam nostras legit, occasionem accepit fidei. Factus itaque Christianus, et volens aliquid studiorum suorum muneris offerre CHristo, suae salutis auctori, scripsit mediocri sermone, quasi versu* librum adversum Paganos. *Et quia parum nostrarum attigerat litterarum, magis illorum destruere potuit dogmata, quam nostra firmare.* Quod ait *quasi versu* scripsisse, inspecto Commodiani libro facile intelligitur. Est quippe in LXXX capita sive *instructiones*, ut appellat divisus, quarum singulae per *acrostichidem* sive litteras versuum primas b) vocabulum aliquod referunt: versus autem ita sunt comparati, ut numerus hexametri carminis utcunque servetur, neglecta syllabarum quantitate, sicut in Psalmo trochaico S. Augustini contra partem Donati, qui ejus scriptis contra Donatum tom. IX. Operum praemittitur: vel sicut in aliis apud illustrem Scipionem Maffejum diss. (subjecta ejus historiae diplomaticae) *sopra i versi ritmici* pag. 186 seqq. et in hexametris Codici Latino-Biblico praemissis circa Annum CHristi 750 a Gregorio Cardinali apud Justum Fontaninum in appendice ad discum argenteum votivum pag. 86 vel ut in carminibus politicis recentis Graeciae solet fieri, vel quale carmen hexametron Graecum ex Psalterio MS. Murbacensi edidit celeberrimus Montfauconus in Palaeographia Graeca pag. 220.

Floruit hic scriptor, si Gennadium audimus, post Lactantium, ait enim *Tertullianum et Lactantium et Papiam auctores secutum.* Ac sane Papiam sequitur, probans dogma de mille annis, c. ult. Tertullianum vero in multis, quae de Gentium Diis disputat. De Lactantio quidem dubito, licet Gennadio hac in parte suffragatus primum est etiam Rigaltius (nam in curis secundis ad instruct. 33. huic sententiae ipse non multum tribuit), qui Sylvestri Pontificis mentionem fieri Instruct. 33. v. 5 non dubitavit, ita enim illum versum legit: *Intrate stabulis Sylvestri ad* a) *praesepe Pastoris.* Confer Barthii Adversar. LIII. 5. Verum H. Dodwellus V. C. in dissertatione de Commodiani aetate, quam Annalibus Vellejanis, Quintilianeis et Statianis Oxon. 1698, 8. subjecit, cum ex toto opusculo observasset illud saeculo tertio et flagrantibus adhuc Ecclesiae persecutionibus scriptum esse, praecipue cum auctor ipse Instruct. VI, versu 6 annos tantum ducentos a CHristo numeret: *Et si parvulitas sic sensit, cur annis ducentis fuistis infantes, numquid et semper eritis?* Deinceps

a) Commodianus ipse in praef.
Ego similiter erravi tempore multo
Fana prosequendo: parentibus insciis ipsis
Abstuli me tandem inde, legendo de Lege.

b) In ultimo capite, acrostichis non ut in aliis a primo ad ultimum, sed a postremo ad primum versum legenda refert verba: *Commodianus mendicus CHristi.*

a) Sylvester Episcopus Romanus fuit ab Anno CHristi 314 ad 335.

versum ex instructione 33 ad vestigia MSti Codicis contendit a) legendum esse sic: *Intrate stabula sylvestres ad praesepia tauri.* Ad tempora saeculi secundi vergentis sive desinentis hunc scriptorem refert *Sebastianus Pauli*, Clericus Regularis, in dissertatione Italice edita Neapoli 1714, 8. de poësi SS. Patrum Gaecorum Latinorumque in primis Ecclesiae Christi saeculi pag. 180. Primus Commodianum e Jacobi Sirmondi apographo b) admodum mendoso edidit Nicolaus Rigaltius, Tulli Leucorum apud S. Belgrand et J. Laurentium Typographos Regios 1650, 4. additis notis eruditis. Deinde subjectus est ad calcem Cypriani, Minucii, Arnobii et Julii Firmici, ejusdem Rigaltii et Phil. Priori cura illustrati prodierunt Parisiis 1666, fol. Deinde omissis Rigaltii notis tom. XXVII. Bibliothecae Patrum Lugd. Ab eo tempore cum Rigaltii animadversionibus, Dodwelliique dissertatione. et praefatione D. Henrici Leonhardi Schurtzfleischii recusus est Witteberge 1705, 4. Supplementum notarum in illum scriptorem ex Ezech. Spanhemii Bibl. cum laudati Schurtzfleischii glossario et indice separatim excusum est Wittebergae 1709, 4. Posteriori suae Minutii Felicis editioni Commodianum quoque novis suis et Rigaltii notis illustratum subjunxit vir clarissimus *Joannes Davies*, Cantabrig. 1711, 8. Ex MSto Codice S. Albini Andegavensis loca quaedam emendat Baluzius ad Cyprianum pag. 454. 455. 458.

Dignus est pius hic et Zelo Christi plenus scriptor, licet arte rudis, qui etiam post Rigaltii et Davisii praeclaram operam a viro quodam docto penitius excutiatur atque illustretur.

De COMPUTO Ecclesiastico scriptores medii aevi sunt praeter ANONYMOS quosdam, BEDA, de quo supra DIONYSIUS, Abbas Romanus, GARLANDUS, sive GERLANDUS Lotharingus, HELPERICUS, Abbas Anglicus, quem dedit Bernhardus Pezius tomo II, parte 2. Anecdotorum: LAMBERTUS, MATTHÆUS, Magister NIGRELLUS, RABANUS Maurus vulgatus a Baluzio tom. I. Miscellan. *Petrus de* ROSENHEIM, WICPERTUS et WIERAMMUS, de quibus laudatus Pezius in dissertatione Isagogica ad tomum secundum Anecdotorum pag. XXV, seq.

* Libellum ignoti cuiusdam scriptoris vetustissimi, atque arbitror Afri vetusto saeculi VIII. MS. Cod. membranaceo exceptum habeo apud me editioni paratum. Memini huius in meo commentariolo de vetustissimo Lucensi Codice tempore Caroli Magni scripto legendo in t.XLV.collectionis opuscolorum P. Calogerà. Scribebat author an. XIV. Genserici Regis, Christi 445.

Est etiam de eodem computo libellus Alter anonymus Venetiis editus An. 1519 h. tituli *Computus novus et Ecclesiasticus* etc. Regulas carminis legibus adscriptas exhibet, quibus commentarium prosa oratione adiciit.

CONANTIUS, de quo haec Ildephonsus de S. E. cap. XI. *Conantius post Murilam* (qui Concilio Toletano a) III. An. 589 subscripsit) *Ecclesiae Palentinae* b) *sedem adeptus est*, (An. 609) *vir tam pondere mentis quam habitudine speciei gravis, communi eloquio facundus et gravis, Ecclesiasticorum Officiorum ordinibus intentus et providus. Nam melodias sonis multa noviter edidit*, sive ut Nicolaus Antonius tom. I. Bibliothecae veteris Hispanae p. 238 haec verba exponit, ad Ecclesiastica officia formavit hymnos sive alia metra aut prosa, eaque musicis adoptavit modulis, ut in Ecclesia canerentur. *Orationum quoque libellum de omnium decenter conscripsit proprietate Psalmorum*, sive preces aptatas psalmis singulis et hymnis, qui in Ecclesia decantarentur. *Vixit in Pontificatu amplius triginta annos* c), *dignusque ha-*

a) Sirmondus legit: *Intrate stabiles vestru praesepia tauri.* In Apographo erat: *Intrate stabilis silvestri ad praesepia tauri.*

b) Meminit ejus adhuc inediti et loca duo emendat Gilbertus Gaulminus ad Eustathium de Ismeniae et Ismenes amoribus pag. 17, seq.

a) Agvirre t. II. Conciliorum Hispaniae p. 338.

b) Non *Valentinae*, ut perperam in prioribus Concil. Hisp. editionibus.

c) Ab Anno 609 ad 639. Subscripsit hic Conantius Toletanis Conciliis An. 610, 633, 638. Vide Nicolaum Antonium loco laudato, apud quem t.

bitus fuit ab ultimo tempore Witterici, per tempora Gundemari, Sisebuthi, Svinthliani, Sisenandi et Cinthilae Regum.

Guilelmus de CONCHIS Waddingo p. 151. Bibliothecae Ord. Minorum male *de* COMBIS, Ebroicensis Normannus, quem per triennium Parisiis audivit Joannes Sarisberiensis, ut ipse refert lib. 2. Metalogici cap. 10. Idem lib. 1. cap. 5. Guilelmum hunc, *Grammaticum* post Bernardum Carnotensem *opulentissimum* appellat. Fuit autem Philosophus quoque et Theologus, ut patet ex ejus Philosophia minore et majore, ex qua multa Vincentius Bellovacensis in speculo naturali lib. II et lib. XXIV. 57. seq. et XXV. 12. 29. 31 etc. *Philosophia minor* Guilelmi sub titulo διδάξεων sive *quatuor librorum de elementis Philosophiae* prodiit inter Bedae opera tom. II, pag. 206 ut jam notavi supra. Prodiit etiam sub tempus nascentis Typographiae *Philosophia ejus major* de naturis Creaturarum superiorum et inferiorum, sive super opere sex dierum libri XXXIII duobus majoribus in folio voluminibus rarissime obviis, excusisque sine anni nota locive. In hoc opere, quod ipse *Philosophiam quodammodo Theologicam* appellavit, nonnulla scripserat quae ipse deinde recantavit in *Dragmatico* a) *Philosophiae*, sive dialogo cum Henrico II. Normanniae Duce et Comite Andegavensium, quod scriptum adhuc in variis Bibliothecis Angliae servatur. GUILELMI *de S. Theodorico* opusculum de erroribus Guilelmi de Conchis ad S. Bernhardum exstat in Bertrandi Tissierii Bibliotheca Patrum Cisterciensium tom. IV. Obiit Guilelmus de Conchis circa Annum 1150. de quo Bulaeus in historia Academiae Parisiensis tom. IV, pag. 143 seq. pag. 742 et Oudinus tom. II pag. 1228. seq. qui monet notatum etiam a GUALTERO *de S. Victore* in opere adversus quatuor Galliae Labyrinthos, quod ex minutissimorum corporum concretione fieri omnia docuerit. Majora sunt quae ipse retractat, atque inter alia quod scripserat, *Patrem esse Potentiam, Filium Sapientiam, Spiritum Sanctum voluntatem.* Glossam Guilelmi de Conchis *in quatuor Evangelia* MStam memorat Jacobus le Long pag. 758. Bibliothecae Exegeticae.

CONCHUBRANUS, qui scripsisse traditur *Vitam S. Darercae* sive *Monuinae* Virginis Britannicae Seculo VI. Exstat in Actis Sanctorum tom. II. Julii VI. pag. 297-312.

CONCORDANTIAS Latinas, sive opus utilissimum indicis omnium vocabulorum Biblicorum in universo volumine sacro utriusque Testamenti, varii scriptores sibi vindicant, ut dixi in CLEMENTE *Floro* et ARLOTO pag. 127 et 366. Nec male Antoninus Florentinus summae historicae tit. XXIII, cap. XI, §. 2, tom. III, pag. 682. *Librum Concordantiarum valde necessarium ad inveniendum subito quotationes capitulorum circa authoritates Scripturae sanctae, non autem ad generandum scientiam, a fratribus Ordinis* (Dominicani) *compilatum fuisse non dubitatur, sed a quo, non clare invenitur. Dicitur a quibusdam fuisse commissum opus pluribus patribus in diversis Provinciis, ut unus faceret unam litteram, alius aliam, quia per alphabetum est liber ille ordinatus ad citius inveniendum.* Vide infra, CONRADUS *Halberstadiensis*, HUGO *de S. Caro*, JOHANNES de Derlingtonia, JOHANNES, Abbas Nivicellensis, JOHANNES *de Segovia*, RICHARDUS Stavenesby. A Sixto quidem Senensi lib. IV. Bibliothecae Sanctae pag. 312 traditur ab Hugone Carensi *injunctum fuisse quingentis studiosis patribus diversorum Coenobiorum, ut singuli singulas dictiones in Alphabeticas classes redigerent: sicque brevi tempore multorum sedulitate perfectum fuisse opus.* Sed cum plures longe quingentis dictiones digerendae fuerint, quingentos dixit (ut sexcentos solemus ponere) pro plurimis, et singulas dictiones pro pluribus. Latinas Concordantias imitati sunt Graeci, de quibus dictum IV. 35. Bi-

II, pag. 285 alterius *Conantii* mentio, qui in sede Toletana eodem tempore successit Adelphio An. 638.

a) Ac si *Manipulum Philosophiae* dixeris, *Dragma* enim manipulus, ut ex Mario Mercatore Cangius jam notavit. Hesychius: δράγμα ὅσον περιλαμβάνει τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ ὁ θερίζων. Vereor autem ne Guilelmus de Conchis titulum huic scripto suo fecerit *Dramaticon*: illud enim est, in quo duo vel plures colloquentes inducuntur.

bliothecae Graecae pag. 553 imitati Judaei, tum Germani, Belgae, Angli etc.

CONDOMENSIS Abbatiae et ab An. 1317. Episcopatus in Gallia, *Chronicon* usque ad Annum 1371 editum a Dacherio tom. XIII spicilegii pag. 432, tom. II editionis novae pag. 580-602.

CONGANUS Abbas Hibernus Cisterciensis. S. Bernhardi amicus, eique auctor scribendae vitae S. Malachiae, Episcopi Hiberni, An. 1148 defuncti, quae in operibus Bernhardi legitur, ut supra p. 208 notare me memini, et in Thomae Messinghami florilegio Sanctorum Hiberniae pag. 350. Idem Conganus etiam ipse vitam illius Malachiae scripsisse traditur a Baleo XIV. 86 atque inde a Simlero et Possevino, quod merito miratus Vossius pag. 418 de Historicis Latinis, neque dubito Baleum et hanc vitam Malachiae et Epistolarum ad Bernhardum librum Congani, ex verbis Bernhardi confixisse. Obiit Bernhardus A. 1153.

CONGELLUS Britannus, Abbas Bannochorensis circa Annum Christi 53 scriptor *Regulae Monachorum*, quae a Baleo Centur. I, cap. 53. Pitseo pag. 95. Waraeo aliisque memoratur sub titulo *de regularis vitae methodo*, et *Epistolarum ad Coenobitarum Patres.*

* *Congellus non Britannus,* ut hic Fabricius, sed Hibernus, et in Benchorensi Ultoniae Monasterio Abbas, ut evincit Muratorius in praefatione ad Antiphonarium vetustum monasterii Benchorensis a se vulgatum Anecdot. t. 4. In eo vero antiphonario Vetustissimo, et saeculi saltem, ut ipse Muratorius arbitratur, VIII. legitur *hymnus S. Congillo Abbati nostro* (sic) *dicatus* pag. 139 incipit

Recordemur justitiae
Nostri patroni fulgidae

In eo carmine designari haud obscure censeo scriptam ab eo regulam, cuius hic Fabricius meminit, ita enim ibi lego

Rexit S. Ecclesiam
Catholicam per regulam.

Jacobus CONGELSHOVIUS, sive *Twinger de* KONINGSHOFEN a), nobilis Argentoratensis et Presbyter, ex cujus Chronico Urstisius tom. II scriptorum rerum Germanicarum pag. 180 edidit Latine translatam *sententiam exauctorationis et privationis Wenceslai Imperatoris* latam ab Electoribus Imperii An. 1400. 20 August. Koningshofenii *Chronicon* integrum scriptum Germanice et res ab orbe condito, Alsaticas praesertim et Argentoratenses usque ad Annum 1386 persequens edidit vir praeclarus Johannes Schilterus a) Argentorati 1698, 4. additis praeclaris observationibus historicis et Diplomatum veterum auctario. Cum Chronicon istud in An. 1386 desinat, necesse est Urstisium sententiam exauctorationis Wenceslai accepisse ex Codice, in quo illa ab alia manu Chronico Konigshofenii subjuncta fuerat.

CONNOVITIUS Sacerdos, scriptor coaevus *Vitae S. Hildegundis*, quae An. 1188 obiit, editae in Actis Sanctorum tom. II. April. 20, pag 782.

Rogerus CONOWAY, sive CONOWAEUS (apud Goldastum CHONOE) ex Conovio Cambrensis, Anglus, Ordinis Minorum, defunctus Londini An. 1360. *Ejus defensio religionis mendicantium* de Confessionibus per Regulares audiendis contra Richardi Philoradulphi b), Archiepiscopi Armachani, scriptum An. 1357. Avenione propositum, exstat in Goldasti Monarchia Imperii tom. III, pag. 1410-1434 cui pag. 1392. Armachani scriptum praemittitur. Utraque prius excusa Parisiis 1496 et 1511 teste Waddingo pag. 312. Bibliothecae Ordinis Minorum, qui praeterea testatus est se habere MSS. Connovii quaestiones tres satis diffusas et in plures distinctas articulos *de Christi paupertate et dominio temporali.* Jo. Baleus VI. 7 et Pitseus pag. 484 praeterea cum Waddingo memorant ejus *Sermones*, *Lecturas*, *Quaestiones Theologiae*, *Determinationes Scholasticas*, et *de extravagantis* Pontificiae *intellectione.*

CONRADINI Sermone de tempore MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi pag. 153 fortasse *Conradini Bornati*, Brixiensis, Or-

a) Francisco Guillimanno hic *Regio villanus.*

a) Acta Erud. An. 1698, pag. 562.
b) Lelandus cap. 415 et 425.

dinis Praedicatorum, quem ex concionandi munere uberrimos fructus tulisse notat Bzovius, qui plura de hoc Conradino ad Annum 1429, num. 97.

CONRADUS *Abbas*, ex quo fragmentum scriptoris de rebus Francorum (tempore Caroli III et Roberti An. CHristi 922. Henrici Aucupis tertio) edidit Petrus Pithoeus inter scriptores coaetaneos XII. Parisiis 1588 et Francofurti 1594, 8. pag. 216–218.

CONRADUS *Alpendorp* a Simlero traditur Germanus Carmelita et Episcopus Arotensis circa Annum 1390 scripsisse *Historiam Cyrilli* Doctoris. Sed nec cujus Cyrilli, nec ubi terrarum exstet, vigueritve Episcopatus Arotensis, docent, qui haec ex Simlero referunt, Possevinus, Alegrius, Vossius et Cangius. Sane tres Cyrilli a Carmelitis singulari cultu honorantur, Hierosolymitanus, Alexandrinus et Constantinopolitanus. Hunc tertium Generalem Carmelitani ajunt An. 1225 obiisse, de quo disserens Alegre in paradiso Carmelitici decoris pag. 255. *Late*, inquit, *vitam illius scripsit Conradus Aldendorpus Carmelita, sub Anno 1590.* Nomen *Aldendorpii* (ac si *ex veteri pago* dicas) rectum est, sed Annus 1390 reponendus, qui est etiam apud Alegrium pag. 318. In Catalogo scriptorum Ordinis Carmelitici, qui Trithemii II libris de Carmelitis illustribus subjungitur, hic Conradus recte vocatur *Episcopus, Azotensis, suffraganeus Archiep. Treverensis.* Atque ita scribendum utique apud Possevinum pro *Arotensi.* Vide librum editum Bruxellis 1724, 8. Histoire Ecclesiastique d'Allemagne tom. I, pag. 222. Ut Miraeum de Ordine Carmel. p. 214 aliosque praeteream.

CONRADUS *de Altzeya*, sive *Altsheimensis* in dioecesi Moguntina circa Annum 1370 laudatus Trithemio cap. 660 de S. E. qui praeter *Epistolarum* librum et *Carminum* celebrat ejus volumen versibus et rhythmis pulchra varietate depictum de S. Virgine Maria et redemptione generis humani, quod *figurarum opus* inscripsit. Apud Possevinum hic male scribitur *Conradus ex Altreya.*

CONRADUS *de Asculo*, (*Ascoli* in Piceno) Ordinis Praedicatorum (licet Franciscanis eum adscribat Waddingus) circa Annum 1330 dicitur composuisse commentarium *in Epistolam Jacobi,* nec non in Philosophi Physica, Meteora, et libros Ethicorum. Vide Jacobum Echardum tom. I, pag. 569 qui tom. II, pag. 819 notat etiam Bononiae asservari ejusdem Commentaria de impressionibus aëris et de meteoris.

CONRADUS *Astensis* Insuber, Ordinis Praedicatorum, defunctus An. 1470 cujus scripta: opus quo dicta Thomae Aquinatis per materias digessit, liber decisionum casuum Conscientiae, Commentaria in jus Canonicum, et Epistola encyclica ad universum suum Ordinem. idem t. I, p. 821.

CONRADUS *Bavariae* Dux. infra, *Moguntinus.*

CONRADUS Monachus *Brunwilerensis*, Ordinis S. Benedicti in dioecesi Coloniensi, scripsit *vitam* Magistri sui *S. Wolphelmi*, Abbatis Brunwilerensis, defuncti A. 1091 ad Everhardum Abbatem ejusdem Coenobii, et Herimannum, Abbatem S. Pantaleonis Coloniensis. Exstat apud Surium 22. April. et in Actis Sanctorum tom. III, Aprilis pag. 77 et in Actis Mabillonii Benedictinis Sec. VI. parte 2. pag. 684. *Sermones* ejusdem Conradi *de Sanctis* Possevinus commemorat. De sorore hujus Wolphelmi dictum supra pag. 650. seq. BERTHA.

CONRADUS *Celtes*, supra, CELTES p. 339.

CONRADUS Baro *de Cimbern*, Ordinis Benedictini, eximius circa Annum 1430. versificator, cujus carmen, in quo statum Augiae divitis, in insula Constantiae vicina, Abbatiae deplorat, exhibetur a Caspare Bruschio in Chronologia Monasteriorum Germaniae pag. 47. Incipit: *Augia regalis dives quandoque fuisti.*

CONRADUS, *Dalmatiae* Dux, Comes *Dachuni*, in expeditione Italica Friderici Barbarossae apud Mediolanum mortem oppetiit An. 1156 teste Aventino in annalibus Schirensibus pag. 214. De eodem Guil. Eysengreinius in Catalogo pag. 103. *Hic salutiferae crucis, sacro-sanctique ligni magnam partem ab Heraclito*, a) *Patriarcha*

a) Lege *Heraclio.* Sed is Patriarcha Hierosolymitanus fuisse perhibetur ab Anno 1180 ad 1191. Vide tomum X. Bibliothecae Graecae pag. 505.

Hierosolymitano, impetravit: quod sacrosanctum munus Coenobio Schirensi (in dioecesi Frisingensi) *tradidit: et quidem eo omine, uti quicunque pressus inopia, valetudineve adversa Solymos proficisci nequiverit, non minorem veniam, quam si illuc ivisset, consequeretur, si quidem donaria, pro sua pietate elargitus fuerit. Conveniunt in Coenobio Schirensi,* b) *religionis ergo certatim singularum septimanarum sexto die* c) *populus ac Sacerdotes complures. Fama denique constantissima manet, sicuti graves viri testantur, quicunque hanc sacro-sanctae crucis partem, dum ei monstratur, conspicatus non fuerit, aut crimini flagitioso obnoxium esse, aut eodem anno procul dubio moriturum, id quod probatum non semel esse, sunt qui dicant. Extant adhuc istae reliquiae, atque diligenter servantur. Conradus princeps ingeniosus, gravis et ornatus moribus, Numinis reverentissimus, liberalibus studiis sacrisque disciplinis deditus, priscae sanctitatis aemulus, scripsit* de laudibus sanctae Crucis *doctissimos Commentarios.*

CONRADUS Teuto *Dominicani* Ordinis in Germania Provincialis, a Leandro Alberto et aliis traditur scripsisse *vitam S. Dominici*, quod non sine ratione in dubium vocat Jacobus Quetif, quem vide tom. I, Bibliothecae Ordinis Praedicatorum pag. 421 Scriptor autem libelli *de Rosario B. Virginis*, qui eidem tribuitur, longe junioris est aetatis Conradus Zittardus, utut ipse quoque seculo XVII. Provinciae Germaniae Provinciae Provincialis, cujus lucubratio de origine et utilitate confraternitatis S. Rosarii lucem vidit Constantiae et Coloniae 1603, 12. idem tom. II, pag. 360. De alio Conrado Teutone Provinciali Anno 1230 idem tom. I, pag. 21.

a) Confer Jacobi Gretseri hortum de Cruce Schirensi; et G. Christianum Johannis ad Conradi Chronicon Schirense pag. 25 qui Heraclii diplomata duo pag. 91-44 exhibet, et iconem duplicem aere descriptam donarii Crucis, argento splendide vestiti.

b) Praeterea semel quotannis in festo inventionis ejus accurrit ad hanc Crucem colendam multitudo 4000 et amplius hominum ad promerendas indulgentias, quae jam ab An. 1617 plenariae ea die conceduntur.

CONRADUS *Engelhusius* inter Chronicorum scriptores refertur a Basilio Johanne Heroldo, qui cum edere promisit praef. ad Mariani Scoti Chronicon vulgatum ab eo Basileae 1559. Christophori Sandii suspicio est eundem esse hunc Engelhusium ab Heroldo memoratum, cum Magistro THEODORICO *Engelhusio* Eimbeccensi, cujus Chronicon ab orbe condito usque ad Annum CHristi 1420 in lucem diu post Heroldum protulit, MSS. quatuor Codicibus usus Joachimus Johannes Maderus Helmstadii 1671, 4.

CONRADUS *Episcopus*, vide infra, *Moguntinus.*

CONRADUS ex Monacho Claraevallensi Abbas *Everbacensis* in Dioecesi Moguntina, Ordinis Cisterciensis, circa Annum 1230 scripsit *Exordium magnum Ordinis Cisterciensis*, sex libris sive distinctionibus, editum a Tissierio tom. I, Bibliothecae veterum scriptorum hujus Ordinis, Bonofonte 1660 fol. Vide supra pag. 353 et Carolum de Visch pag. 79. Bibliothecae Ordinis Cisterciensis, cui nomen auctoris tunc adhuc inediti, ignotum fuit, opus ipsum bene cognitum tritumque.

CONRADUS *de Fabaria*, Presbyter S. Othmari circa Annum 1442 scripsit librum *de Casibus Monasterii S. Galli*, et *Catalogum Abbatum S. Galli* ab Othmaro, qui A. 614. B. Gallo successit usque ad Eglolfum, qui obiit An. 1442. Utrumque edidit Goldastus tom. I, Alemannicorum pag. 76 et 91 editionis novae.

CONRADUS *Fabularius*, infra, *Conradus de Mure.*

CONRADI *Fratris*, cognomento *Gratia Dei*, Ordinis Praedicatorum, et Prioris Monasterii S. Catharinae Panormitani in Sicilia, *Epistola* ad Angelum Boccamazzam, Episcopum Catanensem, seu *breve Chronicon* ab An. 1027 ad 1283 scriptum circa Annum 1305 a) editumque primum a Johanne Baptista de Grossis in Catana sacra 1654 fol. pag. 143 deinde a Johanne Francisco Abela in Melita illustrata pag. 262 A. 1647, fol. et parte XV. Thesauri Siciliae,

a) Jac. Echardus tom. I, pag. 498. 499.

et nuper in tom. primo Bibliothecae Historicae Regni Siciliae Johannis Baptistae Carusii, Panormi 1723 fol.

CONRADUS *de Gerlenhusen* nominatus ad Episcopatum Wormatiensem, quem tamen nunquam obtinuit, scripsit circa Annum 1388. *Epistolam ad Carolum VI.* Galliae Regem, de concordantia, sive de tollendo schismate etiam per Concilium generale convocandum. Exstat MS. Basileae, ex quo vide quae notavit V. C. Jacobus Lenfant in Historia Concilii Pisani tom. I, pag. 53.

CONRADUS *Germanus,* de quo Vossius pag. 497. Vide supra, *Dominicanus.*

CONRADUS *Gratia Dei,* supra, *Fratris.*

CONRADOS de Media Civitate, sive *Halberstadienses* Ordinis Praedicatorum duos a) vel tres faciunt nonnulli, quia in unius hominis aetatem cadere non visum, quod de eo Jobannes Trithemius in Annalibus Hirsaugiensibus ad Annum 1295 et quod idem Conradus Conventui generali diffinitor Saxoniae interfuit Florentiae Anno 1321 b) idemque glossemata sua in Josuam dicavit Carolo IV. Imperatori, non ante An. 1350. Si vero ponamus Trithemium paullo laxius locutum, cum ad An. 1295 scripsit *haec tempora* etiam Conradi ingenio illustrata; nihil impedit caetera de uno Conrado accipere, et ad illum referre scripta, quae tum dicto annalium Hirsaugiensium loco, tum cap. 502. Trithemii de S. E. tum alibi Conrado Halberstadiensi tribuuntur. Sunt autem haec: *Tripartita per Abecedarium,* c) sive Loci communes Theologico-morales, per tria alphabeta: *Lectura,* sive *Scholastica Postilla in Jobum,* d) et plures Sacrae Scripturae libros. e) *Glossemata in libram Josuae,* ad Carolum Imperatorem. f) *De numero duodenario,* ad eundem. *In quatuor Libros Sententiarum. De trivio,* sive Grammatica, Rhetorica et Logica. *Summa Studentium,* libris III. *Quadripartitum morale. Sermones de tempore et de Sanctis. De origine regnorum, et de regno Romanorum. De muliere bona et mala. De viduitate. De virginitate. De paupertate. De senectute. De bono mortis. De vera beatitudine. De visione beatifica. De consolatione moestorum,* MS. Helmstadii apud D. Johannem Andream Schmidium τ'' μακαρίτην qui in diss. de triumviris Halberstadiensibus An. 1715 edita pag. 39 argumentum ejus exponit his verbis: *Imprimis statum vitae humanae mutabilem et miseriarum sarcinam ob oculos ponit et sex ostendit argumentis:* 1) quia praesens vita habeat vilitatem inchoationis, 2) brevitatem durationis, 3) multiplicitatem vexationis, 4) fragilitatem continuationis, 5) celeritatem oblivionis, et 6) instabilem mutabilitatem variationis. *Singula argumenta confirmat Conradus:* 1) poëticis integumentis, 2) ex sacris pandectis, et 3) historicis, documentis: *et tandem docet qua ratione homo constans inter summos infortuniorum insultus possit fortis perseverare, salvusque et incolumis permanere.* Apud eundem Schmidium fuit MS. Conradi hujus liber *de prosperitate malorum,* sive *quomodo mali prosperentur, et innocentes premantur et affligantur,* in quo per capita sex demonstrare ingreditur, 1) *quod impii in hoc mundo prae caeteris prosperantur.* 2) *quot et quanta tristia admisceantur.* 3) *ad quem finem per istam prosperitatem deducantur.* 4) *quomodo pii hic in mundo consolentur, et in futuro exaltentur et honorentur.* 5) *quomodo semper in veritate sint felices.* In hoc libro Conradus quoque narrat initum a Sylvestro II. pactum cum malo daemone, quod Benno, a) quod Nicolaus Lyranus, quod Æneas Sylvius et Platina non intactum reliquere. Memorat praeterea laudatus Schmidius ejusdem Conradi MS. in Bibliotheca Gvelpherbytana *Responsorium,* sive *Tractatum mensae Philosophicae,* cujus argumentum auctor ipse hunc in modum exponit: *Quia multi homi-*

a) Vide Jacobum Echardum tom. I, pag. 466. 610. 652.

b) Idem pag. 610.

c) Idem tom. I, pag. 466. sq. tom. II, p. 820. Oudinus tom. III, pag. 1025.

d) Sixtus Senensis lib. IV. Bibl. S.

e) Trithemius.

f) Leander Albertus de Viris illustribus Ordinis Praedicatorum lib. 4, pag. 147.

a) Vide Usserium de successione Ecclesiar. pag. 4. seq.

nes libenter de raris et curiosis quaerunt, et de talibus delectabiliter audiunt et loquuntur: ideo ut fratres nostri praedicatores, quos frequenter apud homines diversorum statuum et conditionum esse videmus, etiam inter eos gratius conversentur, quo ad talia valent aptius respondere, et de talibus sciant etiam convenientius conferre: praesens opusculum, quod de raris et curiosis quaestionibus ex diversis breviter compilavi, responsorium curiosorum nominavi, quia breves in eo responsiones ad hujusmodi quaestiones ordinavi, sicut ex auctoritatibus authenticis melius et aptius potui invenire. Et istum librum in quatuor libros partiales distinxi. Primus est de corporibus supercoelestibus sive elementis simplicibus, et aliquibus mixtis, scilicet mineralibus et vegetabilibus. II. est de animalibus in generali et eorum membris et partibus. III. de homine in speciali. IV. de animalibus in speciali. Ponam autem in singulis quaestiones breves sine rationibus pro et contra, quia non ad disputandum, sed ad breviter respondendum et familiariter conferendum illud opusculum ordinavi.

Sed maxime omnium nomen Conradi celebratum est, quod ipse auctor fuisse perhibetur *Concordantiarum*, sive repertorii Biblici in utrumque Testamentum Vulgatae editionis. Probe autem notandum est, ne de ANTONII *Patavini* Concordantiis Moralibus dicam, (de quibus supra pag. 122.) *triplex Concordantiarum verbalium genus* exstare, quae a Jacobo Quetif tom. I, pag. 203, seq. et 611 probe distinguuntur: unum brevius, cujus auctor habetur HUGO *de S. Caro*, Cardinalis, defunctus An. 1263 in quibus litterarum ordine vocabulum unumquodque quaesitum simplex, ut *tempus*, vel cum adjuncto, ut *tempus partus* semel ponitur, voces etiam indeclinabiles alicujus momenti, ut *olim, quasi*, deinde loca modo indicantur, in quibus idem vocabulum obvium est, Liber, caput, et una ex septem litteris primoribus alphabeti, in quas caput unumquodque dividere placuit: commata autem ipsa non describuntur. Hae CONCORDANTIÆ S. JACOBI, sive *de S. Jacobo* dictae sunt, quia Hugo Cardinalis pridem Parisiis domus San Jacobeae Prior Dominicanorum ab An. 1227 praefectus dici consuevit *Hugo de S. Jacobo*.

Secundum genus fuit Concordantiarum, in quibus non indicata tantum loca, sed descripta leguntur commata integra, longiora etiam quandoque. Hoc post Hugonem adornatum est circa Annum 1250 a fratribus Dominicanis de Anglia, studentibus in eodem Gymnasio San Jacobeo, venitque inde et ipsum *S. Jacobi* nomine, vel CONCORDANTIARUM ANGLICANARUM: auctoribus JOHANNE *de Derlingtona*, RICHARDO *de Stavensby*, HUGONE *de Croyndonio*, aliisque.

Tertium genus paullo concinnius est, quod a Conrado nostro circa Annum 1310, ita adornatum, ut longioribus sententiis resectis, capitibusque brevioribus non per septem, sed per quatuor tantum litteras divisis, volumen brevius usum eunden praestaret. Hoc deinde communiter receptum, et primo post repertam Typographiam tempore excusum sine anni et loci nota in charta regia in fol. inde Norimbergae 1485, per Antonium Coburgerum a), Basileae 1496, typis Petri de Langendorf et Johannis Frobenii de Hamelburg, et 1525, 1543. apud Joannem Frobenium, Lugduni 1526, apud Joannem Mareschallum per Johannem Schottum, Argentorati 1526, 1530. Joannem Herwagium Ingolst. 1537, et Lugduni 1551, apud Sebastianum Gryphium.

Quanquam in his non omnino, ut dixi, nulla ratio *particularum, vocumque indeclinabilium* habita fuerat, tamen plerasque negligi contigit: itaque tempore Concilii Basileensis cum magna esset cum Graecis de particulis *ex* et *per* concertatio, Procuratori Ordinis Praedicaiorum generali JOHANNI DE RAGUSIO, qui An. 1433, in Concilio illo contra Bohemos strenue depugnavit b) in mentem venit per GUALTERUM JONAM SCOTUM Capellanum suum curare componendas etiam particu-

a) Chevillier de origine Typographiae Parisiens. pag. 129. Mich. Maittaire Annal. Typogr. tom. I, pag. 257. tom. II, pag. 28.

b) Bzovius ad Annum 1433, pag. 99.

larum Concordantias, quod ille annorum quinque spatio perfecit. Narrat haec JOHANNES SEGOBIENSIS, Canonicus Toletanus, in Actis Concilii Basileensis, c) cui ipse interfuit: unde factum ut huic Joanni Concordantiae vocum indeclinabilium tribuantur apud Nicolaum Antonium tom. II. Bibliothecae veteris Hispanae p. 149, seq. et ab Hottingero d) praeter rem tradatur editionem Frobenianam Concordantiarum Anni 1469, curatam opera Johannis de Secubia, quo tempore ille jampridem diem obierat.

A quo tempore capita librorum Biblicorum etiam in minutos versiculos distingui, versusque numeris notari utilissimo instituto coeperunt, non perfectiores modo plenioresque, sed ad usum quoque longe commodiores Concordantias Latinas nominum appellativorum propriorumque, verborum et, particularum debemus *Roberto Stephano*, editas Parisiis 1555, fol. quas ipse novas et majores non falso titulo vocat. Repetitae deinde apud Johannem Herwagium Basileae 1561, et curante *Georgio Bulloco* Antwerp. 1567, 1572, 1599 et typis Wechelianis 1600. et Hanov. 1618. Francofurti 1620. Coloniae 1663, fol. ne dicam de *Joannis Benedicti* cura Paris. 1562, et ex emendatione *Francisci Lucae Brugensis* Antwerpiae 1612. Venetiis 1616, Paris. 1635, 1646. *Petri de Besse* ibidem 1611. *Huberti Platesini* Antwerpiae 1641, fol. et *Gasparis de Zamora*, qui particulas, ut vocat invariabiles, a nominibus verbisque variabilibus sejunctim edidit Romae 1627. in folio.

CONRADUS *Hassus* Casselensis, cognomento *Haensel*, Rector Francofordiensis Ecclesiae circa Annum 1495 a Trithemio de scriptoribus Germanicis et a Possevino traditur scripsisse *in Psalterium*, secundum quadruplicem expositionem: *in Cantica Canticorum*, et *Epistolas Canonicas*: Lecturam inchoatam *in Apocalypsin: in Evangelia et Epistolas per Anni Circulum*: Praeterea *in IV libros sententiarum, in Ethica et Oeconomica Aristotelis: De libertate Ecclesiatica: De interdicto: De praeceptis Ecclesiae ac veritate Evangelica: In officium Missae* ad Archiepiscopum Coloniensem: *Contra haereticos et maleficos, Contra Hussitas Boëmos: De paenitentia, jejunio et oratione: De fide, spe et charitate: De quatuor virtutibus cardinalibus: De sabbato, et sermones* ad populum.

CONRADUS II. Episcopus *Hildesiensis* ab Anno 1221 ad 1248 cujus *Sermones* Eysengrenius pag. 110, et Possevinus commemorant.

* Alter ab isto fuit Conradus de Hildeshaym, de quo Andreas Ratisbonensis in chronico ad an. 1409 his verbis: *Albertus* (Ratisbonensis Episcopus) *perpendens quod Magister Conradus de Hildeshaym licentiatus Decretorum presbyter et Cappellanus S. Georgii secus pontem Ratisponae jurista civium pecunia, quam a Domino acceperat in Sudario, hoc est per certa dona sub otia lenti corporis abscondere nollet, ordinavit ut legeret in jure canononico in aula sua Episcopali quod et factum est.*

CONRADUS *Hirsaugiensis*, Monachus Ordinis Benedictini, Spirensis dioecesis circa Annum 1190, scripsit Trithemio teste cap. 384, de S. E. carmen *de S. Benedicti laudibus*, quod incipit: *Luce velut laudem. Speculum Virginum* libris octo dialogorum inter Peregrinum Presbyterum et Theodoram Deo sacratam Virginem. *Matricularium, Didascalum, In Evangelia per annum, De vita spiritus et fructu mortis. De Musica et tonis.*

CONRADUS *Koellin* Ulmensis, Ordinis Praedicatorum Coloniae, B. Lutheri adversarius, defunctus An. 1536 de quo appendix ad Trithemium, Johannes Cochleus in Actis Lutheri ad Annum 1523, Labbeus tom. II. de S. E. pag. 234, et Centifolium meum Lutheranum p. 698. Scripsit in *Summam S. Thomae, Quodlibeta* XXVII. per modum Dialogi, Eversionem epithalamii Lutherani etc. Vide Jacobum Echardum tomo II. pag. 100.

CONRADUS *Lauterbergensis*, sive *Montis sereni* prope Halam Saxoniae, S. Petri Monachus et Presbyter, auctor *Chronici*

c) Jacobus Qvetif tom. I, pag. 206. seq.
d) Bibliothecar. quadripartit. pag. 171.

(Georgio Fabricio et Petro Albino saepius laudati) ab Anno CHristi 1124 ab 1225. quo non solum coenobii illius, sed et Marchionum Misniae gesta et aliae Germanicae illorum temporum res exponuntur. Promissum illud a Marquardo Frehero et Henrico Meibomio primus edidit Joachimus Johannes Maderus, Helmstadii 1665, 4. illisque adjunxit (praeter Genealogicas varias observationes) veteris scriptoris *Chronicon Monasterii Gozecensis* a) cum primis Veterum Saxoniae et Sommersenburgi Comitum Palatinorum, Thuringiaeque Landgraviorum facta enarrans ab Anno 1041, ad 1135, *Chronicon item Monasterii Pegaviensis* b) ab Anno 1040 ad 1212 in quo historia Wiperti, Lusatiae quondam Marchionis, ejusque filiorum. Et *Variorum Germaniae Manasteriorum fundationes* a temporibus Henrici III. ad Annum CHRISTI 1212, collectas olim per Monachum quendam Benedictinum pag. 241-294.

CONRADUS *de Leonberg*, sive *Leontorius*, Monachus Mulbronensis in Svevia Ordinis Cisterc. aequalis Joannis Trithemii, a quo celebratus cap. 921 de S. E. et de scriptoribus Germanicis cap. 281, memorante ejus *Carmina* multa, *Orationes* et *Volumen Epistolarum*.

CONRADUS *a Lichtenau*, Presbyter et ab Anno 1215 ad 1240. Abbas in diocesi Augustana *Urspergensis*, sive *Averspergensis*, Ordinis Praemonstratensis, scriptor nobilis *Chronici* a Belo primo, Assyriorum Rege, usque ad nonum Annum Friderici II. Imperatoris: CHristi 1229. de quo prae caeteris consulendus Oudinus tom. III, pag. 81. sq. et Observationes selectae Hallenses tom. I. Observatione XX. Jacobus le Long Bibliotheca Historicorum Galliae num. 7097. Caeterum fallitur Oudinus cum ait primum vidisse lucem Basileae Anno 1540, fol. nam ante illam editionem Melanchthonis praefatione ornatam, vulgatum est a Conrado Peutingero Argentorati An. 1515, fol et cum paralipomenis *Casparis Hedionis* usque ad Annum 1537, ibid. 1538 fol. sed emendatior est Basileensis editio, et eadem continuatione Hedionis usque ad Annum 1537. locupletata, recusaque deinde An. 1560, fol. et cum Reginone ac Lamberto Schafnaburgensi An. 1609. Argentorati, fol. Hallenses non totius Chronici Auctorem hunc Conradum, sed tantum ab Anno 1126 continuatorem fuisse disputant pag. 311, sq. auctorem vero sibi persuadent esse eundem, quem sub *Chronici* SCHWARZHAMENSIS titulo laudant Freherus et Goldastus. ibid. pag. 318, seq. *De Historia Germanica,* judice Melanchthone, *optime meritus Conradus est, quippe qui de Imperatoribus nostris multa studiose collegit. Praeterea notationem temporis, alterum Historiae oculum, reliquis diligentius adhibuit.* Vide tamen, quae contra Urspergensem disserit Meibomius in apologia pro Ottone IV. tom. III. rerum Germanicarnm pag. 114. seq. Fuit et alius *Conradus Abbas Praemonstratensis* Vallis secretae in Episcopatu Suessionensi, quem tempore mortis Henrici, filii Friderici I. Barbarossae in Camera Imperatoris exstitisse familiarissimum, et a se auditum scribit Urspergensis ad Annum 1198. Vide Oudinum tom. III. p. 83.

CONRADUS *de Martburg*, sive *Marpurgicus*, Germanus, S. Elisabethae a sacris Confessionibus, quae Andreae Hungariae Regis filia, relicta a Ludovico Landgravio Thuringiae vidua obiit Anno 1231, adscriptaque. a) Sanctis est a Gregorio IX. A. 1235. Hic Conradus ab aliis Ordini Minorum, ab aliis rectius Praedicatorum Ordini adscribitur, b) quem Magistrum tradunt in Teutonia contra haereticos praedicasse et ab illis *feliciter martyrizatum*. Vide Ja-

a) Partem vulgaverat Heineccius An. 1577.

b) Epitome haec est Chronici Pegaviens. a Reinero Reineccio An. 1580 et Christiano Gottfrid Hofmanno An. 1719 editi et Continuationis ejus vulgatae a Johanne Burchardo Menckenio tom. III scriptorum rerum Germanicarum.

a) Laërtius Cherubinus tom. I. bullarii pag. 104 vide et Surium 19 Novembris, ubi Vita S. Elisabethae scripta a JACOBO MONTANO Spirensi, et Johannis Georgii Liebknechti bigam sanctarum Elisabetharum Sec. XII. Elisabethae a Schoenaugia et Sec. XII. Elisabethae viduae Landgraviae, testium veritatis in Hassia memoriam. Giessae 1729, 4. Johannem Balthasarem Happelium in diva Elisa-

cobum Quetif tom. I, pag. 487, seq. *Epistolam de vita et miraculis hujus Elisabethae* ad Gregorium IX. scriptam An. 1232, edidit Leo Allatius in συμμίκτοις, Coloniae 1653, 8. pag. 269-293. Laudat hanc Conradi Epistolam THEODORICUS de Apoldia Thuringus, qui A. 1289, scripsit, prologo ad libros VIII. de vita ejusdem Elisabethae apud Canisium tom. V, parte 2, (tom. IV. editionis novae pag. 116.) Nonnulla Theodorici illius supplevit V. C. Burchard Gotthelf Struvius in Actorum Litterariorum ex Manuscriptis erutorum tom. II. Fasciculo I, ex duobus Codicibus MS. Bibliothecae Jenensis.

CONRADUS I. Abbas *Mellicensis*, cujus *Chronicon breve veterum Austriae Marchionum et Ducum* a Leopoldo I. sive A. 1098 ad Leopoldum VI. sive Virtuosum A. 1194, editum ab Hieronymo Pez, tom. I. scriptorum Austriacorum, de quibus supra.

CONRADUS *Mildeviensis*, abbas Ordinis S. Augustini, cujus tres tomos Sermonum MStos vidisse se Patavii Possevinus testatur, Quadragesimalium, Dominicalium et Sanctorum.

CONRADUS scriptor *Chronici rerum Moguntinarum* ab Anno 1140 ad 1251. ab Eysengrenio pag. 105, b. Dux Bavariae et ex Salisburgensi Moguntinus Archiepiscopus fuisse traditur: Verum is jam defunctus An. 1205, teste ipso Eysengreinio, vel A. 1200, potius, ut est apud Serarium pag. 581, editionis novae. Ab aliis CONRADUS *Coloniensis* Archiepiscopus, Comes de Hoesteden, ut in ipso narratur Chronico, ad Moguntinam sedem postulatus, sed intercedente Pontifice Innocentio IV. non admissus An. 1249, Verum quare Chronicon istud potius tribuendum sit CHRISTIANO II. Moguntino ab Anno 1249, ad 1251, Archiepiscopo, dictum est supra pag. 347, seq. ubi editiones ejus quatuor retuli, quibus addes hasce alias quatuor: Basileenses tres. unam quam memorat Jacobus le Long. in Bibliotheca Historicorum Galliae num. 3572, antiquiorem omnibus 1525, fol. alteram Hervagianam 1555, 8. tertiam in Petri Pithoei collectione in qua familiam ducit Otho Frisingensis, Basileae 1569, fol. et quartam in Reuberi scriptoribus pag. 450-458. sub titulo: *Chronici veteris rerum Moguntinarum, per Conradum Episcopum.*

CONRADUS *Molitor*, Notarius circa Annum 1489. a quo collecta e confuse dispersorum acervo acta MSta [evolvisse se profitetur Caspar Hedio, auctor paralipomenon ad Conradum Abbatem Urspergensem pag. 485 infra, MOLITOR.

CONRADUS *de Monte puellarum*, Aventino *Conradus de Maydenburg*, a) rectius *Maydenberg*, (Madgen-Berg) ne de Magdeburgo quis cogitet: Canonicus Ratisbonensis circa Annum 1350, citatur in Chronico Andreae Presbyteri Ratisbonensis tom. IV. Anecdotorum Clarissimi Pezii parte 3, pag. 444. Praeter *Politicam*, et tribus libris distinctam *Oeconomicam* ad Laupoldum, Episcopum Bambergensem, *Monasticamque* ad Ducem Austriae, et *Quaestiones varias* memoratas Trithemio de S. E. cap. 670, scripsit *vitam S. Erhardi*, Episcopi Ratisbonnensis, editam in Actis Sanctorum 8, Januarii tom. I, pag. 541. Deinde librum *contra Begehardos et Beginas*, ex quo fragmentum vulgatum a Jacobo Gretsero cum Reinerio adversus Waldenses, Ingolstad. 1613, 4. et recusum tom. XXV. Bibliothecae Patrum edit. Lugd. p. 310, et in Operibus Gretseri tom. XII. Denique teste Labbeo pag. 235, Bibliothecae MStorum, in Bibliotheca Gabrielis Naudaei ineditus fuit *Planctus Ecclesiae in Germania*: auctore Conrado de Magdenberg, id est, de Monte puellarum Anno Domini JESU CHristi 1337, aetatis suae 28, Praemittitur gemina praefatio: Prior, *gloriosissimo vice CHristi in Alemanniam Legato Domno Arnaldo de Virdello*, etc. Altera ad Capellanum Domini

betha, Marpurgi 1645. Eundem Liebknechtium in diss. I de Evangelicae Veritatis testibus in Hassia ante reformationem et I. de Confessoribus in Hassia etc Accuratum de hoc Conrado Marpurgensi commentarium nuper exspectare jussi sumus a V. C. Joanne Henrico Schminckio.

a) Vide Jo. Georgium Estor in Analectis Hassiacis fascsculo I, pag. 154. seq.

a) Urbanus Godfrid Siberus de illustribus Alemannis pag 112.

Papae (Benedicti XI.) *Joannem de Piscibus*, Legum Professorem: Sequitur deinde opus metricum, in cujus primo capite Auctor Papam alloquitur:

Flos et apex mundi qui totius esse rotundi,
Nectare dulcorum conditus aromate morum
Orbis Papa stupor, clausor caeli et reserator,
Tu sidus clarum, thesaurus deliciarum,
Sedes sancta, polus, tu mundo sol modo solus, etc.

Continet opus illud duas partes: Prima est de planctu Ecclesiae in Germania ob discordiam inter Papam et Ludovicum Bavarum Imperatorem: altera vero Clericos ac maxime Mendicantes exagitat, quod sub habitu simplici fundant venenum in Ecclesiam DEI, et praenotatam illam nutriant inter fideles discordiam. Haec vero pars postrema his versibus clauditur:

– – – Tu Virginis ipse Mariae
Fili, sicque DEI, meretrices et Pharisaei,
Non dedignati sunt a te; sed venerati,
Cum sua flevere peccata. Mei miserere. Amen!

CONRADUS *Montis sereni* Presbyter, supra, *Lauterberg*.

CONRADUS *a Mure*, Tigurinae Canonicus ac Praecentor Ecclesiae, Germanus, Eysengrenio pag. 118, b. ad Annum 1273, judice *vir disertissimus, non minus vita quam eloquentia clarus, veterum lectione dives, ingenio subtilis, Theologus profundus, Orator eloquens, Poëta gravis et ingeniosus*, scripsit *Passionem* SS. Martyrum *Felicis, Regulae et Exuperantii: Laudes B. Mariae Virginis. Catalogum Romanorum Pontificum et Imperatorum. Commentarium de Sacramentis.* Idem non ignotus condito *Fabularii* carmine, quod in Codice Thuano 470, servatum notavit Labbeus Biblioth. MSS. pag. 44, illo ipso nimirum, qui in Catalogo Bibliothecae Thuanae pag. 415, memoratur *Fabularius M. Conradi*, ubi vero dicitur *Cantor Ecclesiae Turicensis Constantien.* Conradum *Thuricensem*, id est, *Tigurinum* allegat Johannes Baptista Pigna in opere de Principibus Atestinis. Parum abest Joannes Mabillonius a conjectura, quin Conrado a Mure tribuat *Carmen Apologeticum adversus obtrectatores Curiae Romanae*, quod primus edidit tom. IV, Analectorum pag. 535, (editionis novae p. 369-376.) Elegia est versuum 1026, interlocutoribus Gaufrido et Aprile, incipit: *Pastor Apostolicus de cardine Solis ad undas.* Quid vero libri sit, *Cathedrale Romanum*, quod sicut Catalogum Pontificum Vossius huic Conrado tribuit pag. 489, de Histor. Latin. alius dicet non ego. Verum huic Conrado Jacobus le Long in Bibliotheca Historicorum Galliae n. 6724, etiam tribuit auctori *Historiam Caroli Magni*, de qua supra.

CONRADUS *Mutianus Rufus*, de quo D. Georgius Spalatinus in Diario MSto: a) *An. 1526. in mense Aprili die 30 quae fuit hoc anno dies passionis Dominicae, obiit D. Chuonradus Mutianus Rufus, Decretorum Doctor, Canonicus Gothensis, Praeceptor meus, vir doctissimus et omnium saeculorum memoria dignissimus... Utinam haec lux adhuc luceret ... sed placeat nobis, quod placuit CHristo, cujus se voluntati vir ille, tranquiltitatis ac pacis amator totus subjecerat. Argumento est, quod priori die sedens, et nescio quid secum gerens certaminis, arrepto calamo ita scripsit:* Multa scit rusticus, quae Philosophus ignorat: CHristus vero pro nobis mortuus est, qui est vita nostra, quod certissime credo. *Et ante mortem toto pectore se dedit ad perlegendum mysteria Novi Testamenti.* O JESU, respice famulum tuum! *Haec ultima hominis vox fuit.* Epistolas ejus longe plures quam Joachimus Camerarius vulgaverat, et plus quam quingentas b), carmina et elogia edidit Wilhelmus Ernestus Tentzelius in supplimento Historiae Gothanae, Jenae 1701, 4. praemissa vita Conradi, scripta a Melchiore Adamo et Tentzelii notis illustrata. Vide Acta Eruditorum An. 1701, pag. 162. seq. et Diarium Hannoveranum ejus anni c) auctore Johanne Georgio Eccardo, mense Aprili pag. 42. seq. Laudant ex merito Mutianum Eobanus Hessus, poëmatum pag. 290, 445. et Johannes Stigelius tom. III, poëmatum pag. 99, b. Hic fuit qui *beatae tranquilli-*

a) Tom. IV. Amoenitat. Litterar. V. C. Johannis Georgii Schelhornii pag. 429.

b) DXXII.

c) *Monatliche Auszüge etc.*

tatis usque amantissimus, adeo non perdite amavit sua, ut *quoniam ista sibi nusquam satis placerent, ideo malle se frui aliorum stultitia*, arroganter vel commode magis, quam humani nihil a se alienum putans, judicaverit.

CONRADI *de Nyzza* Congregatio multarum aquarum, sive sermones varii de Sanctis, inter MStos Codices Bibliothecae Paulinae Lipsiensis pag. 149.

CONRADUS *Peregrinus*, Tolosanus, Ordinis Praedicatorum, circa Annum 1290, cujus *Sermones* a quibusdam memorantur.

CONRADUS *Peutingerus* Patricius Augustanus natus An. 1465, saeculi XV. magnam partem adhuc vivendo attigit, licet anno aetatis LXXXIII. An. 1547. demum rebus humanis valedixit 28. Decembris. Quoniam et ipsum inter instauratores nascentium litterarum jure computare mihi videor, igitur de ejus in litteras meritis dicendi occasionem hanc nolui praetermittere. Potero autem brevibus defungi, quoniam vita ejus et elogia scripta sunt a multis, Henrico Pantaleone, Melchiore Adamo, Antonio Teisserio in elogiis Thuaneis, Vossio, Seckendorfio, Christiano Junckero (im Ehren Gedachtnis Lutheri p. 183) et a Nisserone tom. XIII, Memoriarum pag. 328, et novissime a V. C. Johanne Georgio Lottero in Epistola ad Virum egregium Johannem Georgium Schelhornium de junctim edendis Peutingeri lucubrationibus, Lipsiae 1731, 4. Acta Eruditorum A 1731, pag. 196. Acta Eruditorum Germanica Sect. 161, tom. XIV, p. 377. De Tabula veteri Geographica Peutingeriana in Bibliotheca Latina dicere me memini.

CONRADUS *Philosophus*, infra, *Conradus Schirensis.*

CONRADUS *Pragensis*, cujus *Postilla studentium* MS. in Bibliotheca S. Petri hujus Urbis Hamburgensis. Vide B. nostri Nicolai Staphorstii Historiam Ecclesiae Hamburgensis tom III, p. 272, 284, 380.

CONRADUS *Presbyter*, supra et *Conradus a Mure.*

CONRADUS *de Rondenberg*, Abbas Joannis Baptistae Rinaugiensis, Moguntinae dioecesis defunctus An. 1486, de quo Trithemius cap. 860, de S. E. et illustrium Benedictin. II, 142, scripsit *de praeparatione Sacerdotis ante Missam*, varias *Orationes collectas*, quas in capitulis ad fratres habuit, et Orationem *de ruina cordis*, aliamque de *causis ruinae*, et aliam *de cura Pastorali. Exercitiorum*, et *de vinea Domini Sabaoth.*

CONRADUS *Rufi* Esterlingensis Scotus, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1319, cujus memoratur abbreviatio expositionis Thomae Aquinatis in Evangelia.

CONRADUS *de Saxonia*, Ordinis Praedicatorum, cujus *Chronicon* ab origine rerum ad Innocentium VI. A. 1360, MS. memorat Jac. Quetif tom. I, Biblioth. Dominicanorum pag. 640.

CONRADUS *de Saxonia*, Ordinis Minorum, cujus commentarios in libros Biblicos, in libros IV. Magistri Sententiarum, Sermones de Tempore. Quadragesimales et de Sanctis, super Orationem Dominicam, et de Salutatione Angelica laudat Waddingus pag. 93. Bibl. Franciscan.

CONRADUS Philosophus, Monachus Custos, Prior Coenobii *Schirensis*, dioecesis Frisingensis, (Aventino a) *Scheurnensis.*) Ordinis Benedicti, defunctus Anno 1241, scripsit *Chronicon Schirense* ab Anno 1196, ad 1226. editum a P. F. Stephano, Abbate Schirensi, cum additionibus et notis Anno 1624, in fol. et novissime Argentorati 1716, 4. cura Georgii Christiani Johannis, qui praeter continuationem et privilegia Schirensia adjunxit *Johannis Aventini* Annales Schirenses, de quibus dictum supra, desinentes in An. 1505, et continuatos deinde ad Annum 1708. Hic Conradus manu sua, rogatu Abbatum suorum plus quam quadraginta ingentia volumina in membranis scripsit, quorum pleraque ab Aventino pag. 222. seq. enumerantur. Inter caeteros libros descripsit quoque Historiam Ecclesiasticam, ad quam depinxit septem artes liberales, et Astronomiam quidem Ptolemaeum, contemplantem astra et stellas per tubum opticum quatuor ductus habentem. Vide Johannis Mabillonii

a) Vide Vossium pag. 456 et 458.

iter Germanicum pag. 54, editionis a me curatae Hamburgi 1718, 8. et de simili imagine in Codice Petri Comestoris seculo XIII. exarati memorias Trevoltinas Anni 1723, pag. 402. Illud unum restat inquirendum, constetne idoneo aliquo argumento vel testimonio, num tubi vitris lenticularibus instructi, an dioptrae vitris vacuae in imaginibus illis signentur, ut jam notare me memini IV. 14. Bibliothecae Graecae pag. 466.

CONRADUS *Soltau*, infra, *Conradus Verdensis.*

CONRADUS *Summenhart*, Theologus Tubingensis, et An. 1483, 1497 Rector, et Academiae illius An. 1477 condendae auctor optimo Principi Eberhardo Barbato cognomine Probo: in Schutterano Coenobio defunctus An. 1501. Ejus scripta a Gesnero et aliis laudata haec sunt: *De XII. abusibus Monasticis* Oratio ad Patres Benedictinos in Capitulo Hirsaugiensi, Tubingae 1498, 4. Tractatus bipartitus *quod DEUS homo fieri voluerit, quodque Messias in Lege et Prophetis promissus non solum homo, sed et DEUS esse debuerit*, quinquaginta amplius Sacrae Scripturae Hebraeorumque testimoniis et rationibus confirmatus. ibid. 1494, 4. *De contractibus* licitis atque illicitis pro foro Conscientiae et Theologico, septipartitum opus. Haganoae 1515. Venetiis 1580, fol. *In sententias Petri Lombardi Conclusiones. In universam Aristotelis Physicam*, de Physico auditu, de Coelo, de generatione et corruptione, de meteoris et de anima, occasione sumta ex summa Alberti Magni. Basileae 1517, fol.

*Scripsit praeterea *tractatum bipartitum de Decimis defensivum* (male Simlerus scribit *defensivis) opinionis Theologorum adversus communiter canonistas de quota decimarum, si debita sit jure divino vel humano in Universitate Tubingensi lectus solemniterque an. 1497. disputatus.* fol. Haganoae 1497.

CONRADUS, *Teuto*. supra, *Dominicanus.*

CONRADUS *Thuricensis*, sive *Tigurinus*. supra. *a Mure*

CONRADUS *Tremonius*, Carmelita circa Annum 1419 scriptor Catalogi de Viris illustribus sui Ordinis, laudatus Trithemio. Sixto Senensi, aliisque.

CONRADUS *S. Udalrici*, a quo universalem Historiam Vossius ait deductam usque ad Annum 1334 est, de quo infra, *Conradus Welling.*

CONRADUS *Vercerius* Lucemburgensis, Maximiliani I. Imperatoris a secretis, cujus libellus *de rebus gestis Henrici VII.* Imperatoris, extincti a) An. 1313, 14. August. Post editionem Haganoënsem et Hervagianam An. 1532 exstat in tom. secundo Historiae Orientalis vulgatae a Reinero Reineccio, Helmstadii 1585, 4. et in Urstisii scriptoribus, Basileae 1584, et Francof. 1670 fol. tom. II, pag. 63-73. una cum Henrici VII. Epistola ad Johannem de Elnbogen Coenobii Waldsassensis in Nariscis Abbatem Cisterciensem. Ejusdem Conradi Historia *de duabus seditionibus Siciliae* sub Imperio Caroli V. Imperatoris et Regis Hispaniae An. 1517. Haganoae 1531, 4. Basileae 1532 et in thesauro scriptorum et antiquitatum Siciliae Burmanniano parte V. Lugd. Bat. 1722: fol.

CONRADUS Soltow Luneburgensis Episcopus *Verdensis* defunctus An. 1407 apud Albertum Crantzium XI. 3 metropoleos, ut homo ventri et gulae deditus infamatur, *quam infamiam*, inquit, *illatam professioni, merito ingemiscunt boni Theologi, quibus aliud studium esse solet et debet, quam ut ventri serviunt.* Hujus Conradi *Postilla super Evangelia per totum annum*, MS. in Bibliotheca S. Petri hujus Urbis. Vide B.

a) Mortem Henrici, Vecerius narrat his verbis: *Varia de genere mortis opinio. Nonnulli venenum malum niveo libello inditum asserunt, quod per ineffabilia mysteria commutatum quotannis morituri que libamus. Monachos Praedicatoris Ordinis, quibus ille ministris utebatur in sacrificiis, horrendi facinoris extitisse auctores, eamque rem* Benevenutus Imolensis, *seculi ejus, in litteras retulit. Fuisse tamen postea ex ea familia*, Carthusiensis in Fasciculo *tradit, qui re delata ad Pontificem Maximum, decretum causa cognita impetrarint, quo innoxius ejus veneficii Ordo universus pronunciatus fuerit.* De Benevenuti hujus libro Augustali supra pag. 195. Per *Carthusiensem* intellige Wernerum Rolesinkium, notum fasciculi temporum scriptorem.

Staphorstii Historiam Ecclesiae Hamburg. tom. III. pag. 380.

CONRADUS Episcopus *Ultrajectinus* b) ab Anno 1075 ad 1098, et Comes Ost-Frisiae apud Henricum IV. Imperatorem gratiosus, habuit Anno 1085. *Orationem ad Principes Imperii* in Conventu Gerstungensi pro Henrico IV. quam ex Aventino exhibet Goldastus in Apologiis pro Henrico IV. pag. 48. Eidem a nonnullis tribuuntur *libri tres de unitate Ecclesiae conservanda*, sive *Apologia pro Henrico IV. contra Hildebrandi*, sive *Gregorii VII* Epistolam ad Hermannum, Metensem Episcopum, quam *Bruno*, (de quo supra pag. 268.) historiae suae inseruit, ët adversus Epistolas Stephani *Herrandi* et *Monachi* cujusdam *Hirsaugiensis*. Ab aliis autem VENERICO Vercellensi adscribitur, ab aliis rectius, ut videtur WALTRAMO Episcopo Numbergensi, de quibus suo loco. Hanc apologiam primus ex Bibliotheca Fuldensi vulgavit Ulricus Huttenus, in aedibus Johannis Schaeferi, Moguntiae 1520, 4. inde Simon Schardius Basileae 1566, fol. Goldastus in Apologiis pro Henrico IV. pag. 53. Hanov. 1611, 4. et Freherus tom. I. scriptorum rerum Germanicarum psg. 153. (editionis novae pag. 244.) Vide sis etiam Matthiam Flacium in Catalogo testium veritatis, Burchardum Gotthelf Struvium in Bibliotheca antiqua An. 1705 pag. 59. et ad Freherum tom. I. pag. 234, seq. Jacobum Buckardum in vita Hutteni tom. II. pag. 28, seq. ubi Epistolam ejus ad Eobanum Hessum de hac apologia, dignam lectu exhibet.

CONRADUS Abbas *Urspergensis*, supra, *de Lichtenau*.

CONRADUS *Welling*, Monachus Augustanus S. Afrae Ordinis Benedictini, qui cum fratre *Ulrico Welingio*, Monacho S. Udalrici, composuit *Continuationem Annalium Henrici Steronis* ab Anno 1301, ad 1334. Edidit Freherus tom. I. scriptorum rerum Germanicarum pag. 581-596 editionis novae. Plura infra in HENRICO *Sterone*. De Wellingiano hoc labore tribus locis agit Vossius, pag. 512. ubi *Conradum S. Udalrici* vocat et p. 502, 571.

CONRADI *Wengeri*, Canonici Brixinensis, Commentarium *de bello inter Venetos et Sigismundum*, Archiducem Austriae, Anno 1487, seq. gesto exhibet Freherus tom. II. Germ. pag. 449-458 editionis novae Struvianae, secutus editionem Basileensem 1544, 8, cum Coriolani Cepionis Dalmatae libris III. de gestis Ducis Veneti, Petri Mocenici.

CONRADUS Cocus *de Wimpina*, sive ex Fagis (Buchonia, sive Buchovia) Wimpinensis, opido Odenwaldensi, dioecesis Herbipolensis, Canonicus Ecclesiarum Cathedralium Brandenburgensis et Havelbergensis, Professor Accademiae Lipsiensis, unde ad erigendam novam Accademiam Francofurti ad Oderam, et ad Theologiam ibi docendam accitus An. 1506. Rector ejus primus exstitit, obiitque An. 1531. Fuit inter praecipuos D. Lutheri adversarios, et fortasse etiam architectus Thesium Tetzelianarum: etiam inter eos, qui contra Articulos Torgenses et Augustanam Confessionem in Comitiis Augustanis scripserunt. Vitam ejus praeter auctorem Centuriae scriptorum a Madero editae num. 75. Seckendorfium, Loescherum, Baelium. et in memorandis Francofurtanis pag. 70, et in elogiis Professorum Francofurtensium Johannem Christophorum Becmannum, singulari libello tradidit V. C. Christianus Gotthold Wilisch, eamque praemisit Carmini Wimpinae versuum 1881 ex edit. Lipsiens. 1497. *de Alberti Animosi, Saxonum Ducis, expeditionibus bellicis*, quod in tres libellos digestum legit auctor Centuriae, atque incipit: *Saxonicos revocare duces conabor avitos* a). Altenburgi 1725, 8. ex eodem catalogum scriptorum Wimpinae hoc loco excerpere, operae pretium duxi, sed paullo alio digestum ordine.

1. *Farrago Miscellaneorum*, collecta a *Johanne Rombech a Kyrspe*, Dominicano Coloniensi, Coloniae 1531, fol. in quibus liber de ortu, b) progressu et fructu S. Theologiae. Palillogia de fastigio Theologico li-

a) Sammarthani tom. I. Galliae Chistianae pag. 828. seq.

a) Pavillon der Musen pag. 241. seq.

b) Sammlung von Alten und Neuen An. 1752. pag. 18.

bri III. De nobilitate Christi, libri totidem. De laudibus Christi, Panegyricus quintuplex de sublimitate ejus, de admirabilitate, bonitate, clementia, et amabilitate. De signis et insomniis, eorumque interpretationibus libri III. De sex sophorum erramentis eorumque confutationibus libri III. Oratio in primitiis Alberti, Archiepiscopi Magdeburgensis, Marchionis Brandeb. habita Berlinii in aede D. Mariae An. 1513. Alia in electione Rectoris Academiae Lipsiensis. In statutorum lectione, Orationes II. Alia in commendationem S. Theologiae: et An. 1503. Lipsiae in aede S. Thomae habita in gratiam Cardinalis Melchioris. Universitatis studii Francofurtani ad Oderam invulgatio An. 1506, 26 Febr. Ad Francofurdianam Academiam die Pentecostes An. 1514. Ad eandem, Cotbusiam translatam ob inclementiorem aërem et pestiferum. Ad clerum in Studio Francofurdiano An. 1529. Ad Academiam Francofurdianam in assumtione B. Virginis: In Carthusianos Francof. Ad Academiam Francofurdianam in Paschate. Pro auspiciis Disputationis Quodlibeticae A. 1510.

2. *Errologium*, sive Tractatus de erroribus Philosophorum in Fide Christiana, Aristotelis, Commentatoris Avicennae et Alkindi, cum confutationibus eorundem. Lipsiae 1493, 4.

3. *Sectarum*, *errorum*, *hallucinationum* et schismatum ab origine ferme Christianae Ecclesiae ad Wimpinae tempora concisioris anacephaleoseos, una cum aliquantis Pigardicarum, Wigleficarum et Lutheranarum haeresium confutationibus, librorum partes tres. Francofurti ad Oderam 1528, fol. Apologiae quinque pro Theologia *contra Martinum Pollichium Mellerstadium* a). Cribratio contra ejusdem tergiversationes et adversus Mellerstadianas offensiones responsio Apologetica.

4. *Super IV libros Sententiarum* epitome variarum opinionum, cujus liber primus excusus Lipsiae.

5. *Explanatio initii Evangelii secundum Joannem, et Symboli Athanasiani.*

a) Vide D. Val. Ernesti Loescheri Acta Reformat. Tom. I, pag 87, seq.

6. *De Fato, de Providentia, de Praedestinatione, et de bona fortuna* libri XII. De singularibus argumentis libri tres.

7. *Eucharistiae memorabilia. Glaubens-Spiegel* 1666, 12.

8. De *S. Annae* trinubio et trium filiarum ejus asservatione libri III.

9. Opus *Quodlibeticae disputationis.*

10. *De hypocrisi, superstitione et divinatione*, in quo opere deprehensus est Joannis Pici vestigiis insistere.

11 De eo *an animati Coeli possint dici, et de animarum Coeli nobilitate.*

12. *Editio proprietatum Logicalium* lib. IV.

13. *Praecepta coagmentandi Rhetorice Orationes.*

14. *Orationes* duae An. 1503 in exceptionem Legati Cardinalis Gurzensis: alia habita in aula Doctorali Studii Lipzensis pro receptis insignibus a Legato. Congratulatoria pro Cardinale Brixiensi. Invocatoria in missa Quodlibeti Lipsensis, An. 1497.

15. *De Universitate et Civitate Lipsensi*, Carminum libri duo.

CONSENTIUS *Grammaticus* Constantinopolitanus, de cujus libello *de duabus Orationis partibus* Nomine et Verbo dixi in Bibliotheca Latina IV. 7. Alius ut videtur CONSENTIUS, ad quem Sidonii lib. VIII. Epistola 4. Certe alius Q. CONSENTIUS, quem laudat Svetonius in Terentii vita.

CONSTANTIS Sacerdotis Sermonem *de passione et gloria B. Emmerammi* Martyris edidit Bernhardus Pez tom. IV. Anecdotorum parte 2, pag. 24-26. De B. Emmerammo hoc dictum supra in ARIBONE p. 126 et 132 in ARNOLDO.

CONSTANTINUS Papa ab Anno Christi 708. Mar. 4 ad 715. Mart. 18. Ejus brevis *Epistola ad Brithwaldum*, Archiepiscopum Cantuariensem, de visione Eguini Episcopi Wigorniensis pro suadendo imaginum cultu, et de Concilio habendo, instituendoque Coenobio exstat apud Speelmannum tom. I. Conciliorum Britanniae pag. 213. Labbeum tom. VI. Conciliorum pag. 1397. Harduinum tom. III, pag. 1827. Alia *ad Edaldum*, Archiepiscopum Viennensem, quam Ludovicus Jacobus pag. 58. Bibliothecae Pontificiae jam notavit legi in Bibliotheca Floriacensi,

et in Antiquitatibus Viennensibus Johannis Lievraei. De eo num *Canones Trullanos* confirmaverit hic Constantinus, vide sis Pagium ad Annum CHristi 710. num. 2. Ad hunc, Johannis Constantinopolitani Epistola Apologetica apud Labbeum tom. VI, pag. 1410. Harduinum tom. III, pag. 1838.

CONSTANTINUS Anti-Papa ab Anno 767, 5 Julii, cujus *duae Epistolae* ad Pipinum, in Codice Carolino 98 et 99 de quo supra pag. 317. Vide eundem Pagium ad Annum 747, num. 3 seq.

CONSTANTINUS *Afer*, vide mox, *Cassinensis.*

CONSTANTINUS *Caesareensis*, cujus historiam Romanam ex Latino Graece vertit Georgius Zegabenus. Vide Allatium de Georgiis pag. 350. (tom. X. Bibliothecae Graecae pag. 479.)

CONSTANTINUS *Carthusianus*, infra *Peregrinus.*

CONSTANTINUS Afer ex Carthagine, Monachus ab Anno 1086. *Cassinesis*, Antonino Florentino tom. III. summae histor. pag. 583. *Constantinus Philosophus*, Petro Diacono cap. 23, de viris illustribus Cassinensibus, *Philosophicis studiis plenissime eruditus Orientis et Occidentis Magister, novusque effulgens Hippocrates.* Vide et Leonem Ostiensem III. 34. Plura Medici et Philosophi argumenti ipse scripsit, alia ex Graeco, Hebraico, Arabico Latine vertit, quae retuli in Bibliotheca Graeca VI, 9. Tom. XIII, pag. 123, seq. Opera junctim edita Basileae 1536, fol. 2. voll. recenset Gesnerus.

CONSTANTINUS, sive potius CONSTANTIUS a), Presbyter *Lugdunensis*, circa Annum 480, cui Sidonius Apollinaris Epistolas suas defaecandas limandasque commisit, scriptor *Vitae S. Germani*, Autissiodorensis Episcopi An. 448, defuncti, ad Patientem b) Lugdunensem et Censorium Autissiodorensem Episcopos, libris II. qui exstant apud Surium et in Actis Sanctorum 31 Julii. Vide Tillemontii memorias Eccles. tom. XV, pag. 6, seq. et Dominicum de Colonia in historia litteraria Lugdunensi tom. I, parte 2, pag. 184, seq. De eodem S. Germano infra, ERICUS.

CONSTANTINUS *Peregrinus* Carthusiensis, auctor *speculi* aurei *animae* peccatricis de cognitione sui, post vetustam editionem excusi Antwerp. 1635, 8. Fratris Peregrini regionem Divinae paginae peregre proficiscentis sermones de tempore et Sanctis per circulum anni, A. 1493, 4. Vide Tobiae Eckart Catalogum MSS. Bibliothecae Quedlimburgensis pag. 43.

CONSTANTINUS ex eremitis Hieronymianis Petri de Pisis, Ordinis Praedicator. An. 1460, in Monasterio S. Raphaëlis Venetiis, scripsit de martyrio *Antonii de Ripolis.*

* Qui sane Religiosorum ordo plane diversus est ab ord. Praedicatorum; quare emendandus est hic Fabricius; qui hunc scriptorem Dominicanis accenset. Porro Constans iste ex insula sive Cypro, sive Capri (variant enim MSS. Codd.) natus est. Historiam eius de martyrio Antonii Ripolani produxerunt Bollandiani socii ad diem 29 Augusti. Erat Antonius Tripolanus Ripoli in Pedemontio natus ex ord. Praedicatorum sacerdos, qui a piratis captum Tunetum translatus fuit, ubi martyr occubuit.

CONSTANTIUS *de Fabriano* Picenus Ord. Praed. defunctus Asculi An. 1481, scriptor *Vitae* Magistri sui *Conradi Brixinensis* aliorumque ejusdem Ordinis, et *sermonum* de tempore et de Sanctis. Diversus ab hoc CONSTANTINUS *de Asculo*, Dominicanus et ipse circa Annum 1348, cujus *questiones* memorant Philosophicas, Theologicas, Canonicas.

CONSTANTII liber *de naturis liquidorum*, cuncta includens accidentia et effectus aquae, vini, olei, nivis, roris, pluviae, pruinae, fontium, maris, fluvii, stagni et cujuslibet liquoris. Hunc suo tempore Cadurci repertum testatur actor Luminis animae in praefatione. *Haec Gesnerus in Appendice ad suam Bibliothecam, edita Tiguri 1555, fol.* Lumen animae editum An. 1477, vide supra p. 351.

a) Constantium Episcopum vocant Isidori Codices cap. 4. de S. E. ubi fortasse legendum *Constantius Episcopi Germani vitam contexuit*, non *Constantius Episcopus.*

b) Vide Sandium ad Vossium pag. 12, seq. et de Censorio, sive Censurio Jacobum Basnage ad Canisium tom. I, pag. 404.

CONSTANTIUS *Lugdunensis* Presbyter, de quo paullo ante in CONSTANTINO. Idem fortasse scriptor Vitae *S. Justi*, Episcopi Lugdunensis, a) qui interfuit Concilio Valentino A. C. 374. Vita illa obvia apud Surium 2 Sept.

CONSTANTIUS *Sophista*, Monachus Luxoviensis, in cujus obitum exstat planctus rhythmicus GUDINI cujusdam, tempore Roberti Regis Francorum circa An. 1000, vulgatus est a Mabillonio tom. III. Analect. pag. 537. (novae edit. in fol. pag. 217.) In hoc inter alia:

Nunquam vidi, nec videbo tam pium Philosophum,
Qui cibus discipulorum existens post Dominum.

et versibus quibusdam interjectis:

Lacrymentur ergo mecum Codices eximii,
Quos descripsit pulchra manus inclyti Constantii,
Se plangentes negligendos doctore non simili.

et post alia:

Quis est homo et non homo disserit jucundius,
Clarior quis erit rhetor caris sub sermonibus?
Matheseos in doctrina quis valebit melius? etc.

CONSTANTINUS Medices, *Urbevetanus* in Thuscia ab An. 1204. Episcopus, Ordinis Praedicatorum ante Annum 1247, post JORDANUM scripsit *Legendam*, sive *Vitam S. Dominici*, cujus partem Vincentius Bellovacensis libro XXX. speculi Hist. cap. 110, seqq. inseruit, secutusque est HUMBERTUS, sed integram notisque illustratam edidit Jacobus Quetif tom. I. Bibliothecae Dominicanorum pag. 25-37. Idem Quetifus pag. 154, notat ab eodem Constantino etiam compositum *Officium Ecclesiasticum, dicendum die festo B. Dominici*, nec non *acta legationis in Graeciam* ad Theodorum Imperatorem pro concilianda utraque Ecclesia, de qua legatione videndus Odoricus Raynaldus ad An. 1256, num. 48.

Ignetus CONTARDUS Mercator Januensis, cujus *Disputatio in Majorica Insula An. 1186, habita cum Judaeis*, MSta Venetiis, Patavii et Lugduni Batavorum, ut jam notavit Oudinus tom. II, pag. 1594. In Vaticana Bibliotheca quoque teste Carolo Josepho Imbonato pag. 81. Bibliothecae Latino-Hebraicae. Sed lucem etiam vidit in Francisci Carbonis Veneti flagello Hebraeorum, Venetiis 1672, 12.

Ambrosius CONTARENUS, Venetus, de cujus itinere Persico supra pag. 79, et quae ad Vossium notata in Diario Eruditorum Italiae tom. XIII, pag. 412, sq. Idem iter Gallice quoque nuper prodiit in sylloge Petri van der Aa, a) Lugduni Batavorum 1729, 4. alii Contareni, scriptis celebres mihi innotuere *Aloysius, Camillus, Carolus, Caspar, Franciscus, Hieronymus, Johannes Baptista, Johnnes Petrus, Julius, Ludovicus* idem cum Aloysio, *Nicolaus, Paulus, Simon, Thomas, et Vincentius*. De singulis licet sint plerique juniores, ut invicem distinguantur, dicere tribus verbis hoc loco mihi liceat.

ALOYSIUS, sive LUDOVICUS patrui sui Casparis opera junctim edidit et Alexandro Farnesio dedicavit An. 1571. De Aloysii ipsius scriptis Hieronymus Ghilinus tom. I. Theatri pag. 157, et Nicolaus Comnenus Papadopoli tom. II. Gymnasii Patavini pag. 303, seq. In his rerum variarum amoenus hortus, et de antiquitate Romae et de origine ac nobilitate Neapoleos.

De CAMILLO, qui An. 1722. Venetiis est defunctus, ejusque Annalibus et aliis scriptis historicis et carminibus Italice editis, idem Diarium t. XXXV, p. 386, seq.

CAROLI Contareni, Ducis Veneti, vita prodiit Venetiis 1662, 4. Italice.

De CASPARE *Contareno* Cardinali, qui An. 1542. Bononiae diem obiit supremum, Johannes Casa in ejus vita, praemissa operibus Contareni junctimeditis Parisiis 1571. Venetiis 1589, fol. illustris Seckendorfius libro tertio historiae Lutheranismi, Andreas du Saussay continuatione Bellarmini de S. E. pag. 13, seq. Nicolaus Comnenus Papadopoli tom. II. Gymnasii Patavini pag. 47, et Nisseronus tom. XXII. memoriarum pag. 331. In operibus a fratris filio Aloysio Contareno editis continentur: *De Elementis libri V. Primae Philosophiae* ad Paulum Justinianum eremitam Camaldulensem

a) Vide Tillemontium tom. VIII. Memoriarium pag. 546 et Dominicum de Colonia pag. 126.

a) *Recueil de divers voyages curieux.* Journal lit. tom. XIV, pag. 85.

libri VII. p. 93. *De immortalitate animae* adversus Pomponatium, cujus auditor per aliquod tempus fuerat, *libri II.* pag. 179. *Non dari quartam figuram syllogismorum secundum opinionem Galeni*, ad Oddum de Oddis p. 233. *De Homocentricis* ad Hieronymum Fracastorium pag. 238. *De ratione anni* ad Joannem Genesium Sepulvedam p. 253. *De Magistratibus et Republica Venetorum* a) *libri V.* pag. 261. *De Sacramentis Christianae Legis et Catholicae Ecclesiae libri IV.* pag. 329. *De Officio Episcopi libri II.* pag. 401. *Scholia in Epistolas Pauli* ad Romanos pag. 435, in I et II ad Corinthios pag. 448, 464, ad Galatas pag. 475, ad Ephesios pag. 482, ad Philippenses p. 492, ad Colossenses pag. 497, in utramque ad Thessalonicenses p. 503, 505, et utramque ad Timotheum pag. 507, 511 ad Titum pag. 513, et ad Hebraeos pag. 515. *Catechesis*, sive Christiana instructio pag. 533. *Conciliorum magis illustrium summa* ad Paulum III. Pontificem Maximum p. 546. *Contra Articulos, sive Quaestiones Lutheri* pag. 564. *De potestate Pontificis* quod Divinitus sit tradita, ad Nicolaum Teupolum pag. 581. *De Justificatione* pag. 588. *De libero arbitrio* pag. 597. *De Praedestinatione* pag. 604. *In Psalmum CXXII. Ad Te levavi oculos meos* pag. 623-627.

De FRANCISCO *Contareno, Nicolai* filio, Balthasar Bonifacius in elogiis Contarenis ad Dominicum Molinum 1623, 8. et Diarium Eruditorum Italiae tom. XII, pag. 332. Hujus praecipuum opus *de rebus* quibus ipse interfuit fortiter gestis *in Hetruria* An. 1453, a Rege Neapolitano Alphonso, a Venetis et Senensibus *libri III.* adversus Florentinos et Ildibrandinum Ursinum Comitem Petilianensem, inde ubi desiit Barthol. Facius in commentariis de rebus gestis ejusdem Alphonsi. *Eademque est caussa*, inquit Vossius pag. 582, *cur Johannes Michaël Brutus, cum prius Facii illud Volumen edidisset, postea etiam egregium hoc Contareni opus publici juris fecerit*, editum Lugduni 1562, 4. Venet. 1623, 4. et novissime in Thesauro Italiae Burmanniano tom. VIII, parte 2.

a) Vide Conspectum Thesauri Eruditorum Italiae pag. 93, seq.

GEORGIUM *Contarenum* praeclaris ingenii monumentis, aeternitatis laudem consecutum esse scribit Tomasinus in elogiis posterioribus pag. 278. Quoniam autem purpuratis cum principibus adscribit, puto eum loqui de Casparo.

HIERONYMUS *Contarenus* praeter totius Orbis descriptionem Venetiis 1605, 4 publici juris fecit Opus quod vocatur aureum in Thomam Aquinatem de Ente et Essentia ibid. 1606, 8.

JOANNEM BAPTISTAM *Contarenum*, Patricium Venetum, laudat Physicorum addictum perscrutationi Johannes Imperialis in Museo pag. 205. Ejus de DEO et quae ex DEO effluxere libri III. prodierunt Venetiis 1594, 4. quaestiones Peripateticae de rebus naturalibus ad mentem Aristotelis examinatae. ibid. 1617.

JOHANNES PETRUS *Contarenus* de Bello Turcico Selini contra Venetos scripsit Italice, qui liber Latine versus a Nicolao Stupano prodiit Basileae 1573, 4.

JULIUS *Contarenus*, Episcopus Bellunensis Concilio Tridentino sub Pio IV. interfuit, et cuncta fidei et JESU CHRISTI meritis, nihil operibus nostris adscribens, indignationem multorum subiit, memoriamque recentavit veterum accusationum quas patruus ejus Caspar Contarenus subierat, quod eadem sentire se non dissimulasset. Vide Seckendorfii historiam Lutheranismi tom. III, pag. 602.

LUDOVICUS (Luigi) idem cum ALOYSIO *Contareno*, de quo supra.

NICOLAUS *Contarenus*, postea Dux Venetus, florenti aetate sex libros *de rerum perfectione* composuit, qui excusi sunt Venetiis 1576. Lugduni 1588, 8. De historia ejus Veneta ab Anno 1598 ad 1628 quam Italice scripsit, nec edidit, vide Nicolaum Comnenum Papadopoli de Gymnasio Patavino tom. II, pag. 126. Libellus de modo electionis Ducis Veneti prodiit Italice Romae 1630, 4. Obiit Nicolaus An. 1631, aetatis 75.

PAULUS *Contarenus* in eloquentia Paulo

Manutio usus est praeceptore, quem vide sis lib. I. Epist. VI.

PETRUS MARIA *Contarenus* scriptor Compendii Politici, et artis militaris, quae utraqûe prodiere Italice Venetiis 1601 et 1602 utraque obvia in Bibliotheca Bodleiana.

SIMON *Contarenus,* Procurator S. Marci, defunctus Anno 1633 cujus aliquot volumina commentariorum de legationibus ab ipso cum laude obitis apud Venetos servari notat Jacobus Philippus Thomasinus in elogiis posterioribus An. 1644, editis pag. 282.

THOMAS *Contarenus,* quem de humana tranquillitate scripsisse, libro Venetiis An. 1572, edito, ex Koenigio didici.

VINCENTIUS *Contarenus* Mureto in eloquentia Magistro usus, humaniores litteras docuit Patavii, et rebus humanis valedixit An. 1617. de quo Thomasinus in elogiis posterioribus pag. 179. Martinus Hanckius libro 2 de Romanarum rerum scriptoribus cap. 42, pag. 171, seq. et Nicolaus Comnenus Papadopoli in Historia Gymnasii Patavini pag. 348. Hic est, qui praeter *variarum lectionum librum,* Venetiis 1606, 4. editum vulgavit eruditos *de re frumentaria* et *de militari Romanorum stipendio,* commentarios, in quibus Lipsium non raro supplet et emendat. Ibidem 1609, 4. et in Thesauri Graeviani tom. VIII et X. *Virgilii laudatio* An. 1593 MS. Patavii teste Thomasino pag. 77.

Robertus CONTON, infra, COUTON.

COPERIUS Magister, scriptor *rerum Vicentinarum* non ex alio notus mihi quam ex Cangio.

* Muratorio teste in praefatione ad fragmenta Historiae Vicentinae Conforti Pulicis Rer. Ital. Script. tom. XIII. pag. 1235 illi omnes quibus Coperii huius nomen innotuit, debent id Joanni Baptistae Pajarino qui Historiam Vicentinam scribebat vernacule Saeculo XV. Ille enim profecisse se fatetur *ex Magistro Coperio antiquissimo rerum Vicentinarum scriptore.*

COPINGERUS, infra, GUILELMUS *Copingerus.*

Annales CORBEJÆ Saxonicae antiqui ab An. 815 usque ad 1471 post primos auctores interpolati et ad illud tempus continuati ab ANTONIO *Snakenburgio* Monacho Corbejensi et deinde Hersfeldensi defuncto An. 1476. Vide illustris Leibnitzii prolegomena ad tomum secundum scriptorum Brunsvincensium num. XXV. Primus Annales illos vulgavit Christianus Franciscus Paulini in rerum et antiquitatum Germanicarum syntagmate, Francof. 1698, 4. et post eum laudatus Leibnitius tom. II, pag. 296–319.

Aliud *Chronicon breve Corbejense* ab A. 822 sive enumerationem Abbatum fratrumque usque ad Wickboldum Abbatem, qui An. 1147 expeditioni contra Slavos, Obotritos et Luticios interfuit, editum cum notis ab Henrico Meibomio tom. I, p. 753-755 subjunctis notis pag. 758, seq. et Litania veteri Corbejensi pag. 762.

Petrus de CORBOLIO, ex Canonico Parisiensi Cameracensis Episcopus et deinde ab Anno 1200 ad 1222. Archiepiscopus Senonensis. Praeter *Summam Quaestionum Theologicarum,* quam MS. evolvit Launojus, scripsit *Commentarium in Psalmos,* Vide quae Oudinus tom. III, pag. 33. seq. ex Sammarthanis tom. I. Galliae Christianae pag. 635 et Bulaeo tom. IV et V. hist. Academiae Parisiensis pag. 106. Ex Henrici Gandavensis cap. 33 de Scriptoribus Eccles. adde eundem Corboliensem etiam *totum Apostolum exposuisse subiliter et copiose, appositis SS. Patrum sententiis, locis singulis convenientibus.*

Ælius Junius a) CORDUS, qui Maximinorum et Gordianorum temporibus, singulari homo ingenio non nisi obscuriorum Imperatorom vitas tradere et in his minuta ac frivola ad fabellam usque persequi et voluptates domesticas infimasque res duxit operae praetium. Vide quae pag. 179. Vossius ex Julii Capitolini Maximinis cap. 4, 6, 12. Maximino juniore cap. 1, 2, 3, 5, Gordianis cap. 2, 12, 14. 17, 19, 21, 22, 26, 31, 33. Maximino et Balbino cap. 4, 12. Recentiore memoria celebratur *Euricius*

a) De *Cremutio* CORDO Annalium scriptore dictum ad Dionis pag. 619. et in Bibliotheca Latina. De CORDO Poëta vitioso, ad Juvenal. Sat 1, vers. 2.

CORDUS Simesusius, Hessus, Poëta et Medicus excellens, defunctus Bremae 1526. Vita ejus ab Henrico Meibomio praemissa ejus *poëmatibus* editis Helmst. 1614, 8. in quibus *Nicandri* theriaca et alexipharmaca latino reddita carmine. Videndi etiam de eodem Melchior Adamus in Medicorum vitis, Joachimus Camerarius in vita Eobani Hessi, Henricus Pantaleon tom. II, prosopographiae pag. 163. Jacobus Gaddius tom. I, de scriptoribus non Ecclesiasticis, Petrus Lotichius in Bibliotheca poëtica parte 3, pag. 41 et Philippus Julius Rehtmayerus hist. Ecclesiast. Brunsvic. tom. III, p. 34, seq. ubi etiam de ejus *Anti Lutheromastige* et *paraenetico pro agnoscenda Vera Religione* ad Carolum V. Imperatorem. De *Botanologico* ejus, *judicio de herbis, de sudore Anglico*, et conclusionibus *de abusu uroscopiae* adeundi Bibliothecae Medicae scriptores, et Josephus Pitton Tournefort isagoge in rem herbariam, praemissa institutionibus rei herbariae praeclari ejus viri. Filius Eurycii *Valerius* CORDUS praecocibus annumerandus eruditis, qui herbarum vires adolescens senibus traditur exposuisse, defunctus Romae An. 1544 aetatis 28. Ejus effigies et elogium in iconibus Joannis Sambuci num. 51. Vita apud Melchiorem Adamum in Medicis pag. 19. De *notis* ejus *in Dioscoridem, Dispensatorio*, scriptisque aliis, videndus Joannes Jacobus Mangetus in Bibliotheca Medica tom. I, p. 116.

Ambrosius CORIOLANUS, Vide supra pag. 80.

CORIOLANUS *Cepio*, sive *Cippicus*, de quo supra, CEPIO pag. 341. Vide sis etiam Hallervordi spicilegium de Historicis Latinis pag. 699.

CORIPPUS, infra, CRESCENTIUS.

Petrus CORISINUS, infra, de CORSINIS

Bernardinus CORIUS Marci Filius, Patricius Mediolanensis, a Vossio Latinis Historicis accensetur, licet noverat Italice ab eo scriptam *Historiam Mediolanensem*, quae in An. 1499 desinit, et absoluta ab auctore propriisque sumtibus edita est Mediolani An. 1503 quadragesimo aetatis: recusa deinde Johanne Maria Bonello curante Venetiis 1554. et nimium libertatis sibi permittente in alterandis truncandisque variis locis Porcacchio 1565. atque inde Patavii 1646. Vide iterum Diarium Eruditorum Italiae tom. XXIII, pag. 385, sqq. Historiae sive Annalibus Mediolanens. subjiciuntur *Vitae Imperatorum* a Julio Caesare usque ad Fridericum Barbarossam Henrici VI. Parentem. Vitas autem quas idem Corius promisit Poëtarum, foeminarum illustrium, Philosophorumque Graecorum et Latinorum nunquam in lucem datas ab eo accepimus. Corio Mediolanum non minus debere quam Livio Romam, scripsit in peplo Italiae lib. 1, cap. 49. Joannes Matthaeus Toscanus. Atque ut recte Jovius in elogiis monuit, non debet stylus impolitior auctoritati historiae ejus detrahere, quam fides et rerum alibi non obviarum a) copia commendat. De Johannis Pauli Mazzuchelli dissertatione apologetica pro Mediolanensi hoc Historico contra Hieronymum Vidam, quam sub nomine Justi Vicecomitis edidit Bergomi 1712, 8. vide Diarium Eruditorum Italiae tom. IX, pag. 294 et Acta Eruditorum An. 1712, pag. 502.

* Optime haec omnia Fabricius, sed extra suum locum. Nam Mediolanensis historia Bernardini Corii Latini nihil habet praeter titulum. Ita pariter vitae Imperatorum nonnisi Italice scriptae sunt a Corio. Quare scriptor iste a Latinis scriptoribus plane alienum est.

(83 Nova Historiae huius editio juxta primam fit Mediolani hoc ipso anno 1857.)

Adamus de CORLADON Canonicus B. Mariae Laudunensis et Decanus circa A. 1200 scripsit *Ordinarium Ecclesiae*, sive *Ordinem Divini Officii in Ecclesia Laudunensi*: editum ab Antonio Belloto, Laudunensi Decano cum ampla additionum farragine Parisiis 1662, fol. 2 Voluminibus. Ejusdem Corladonis *variae quaestionum in sacram Scripturam solutiones* tribus in folio Volu-

a) Jovius pag. 115. elog. *in enerrandis rebus, quibus ipse interfuit, fide et diligentia mirus agnoscitur, quando eum in aula splendide versantem et ex secretioris archivi copia opportune adjutum, nusquam arcana fallerent.*

minibus, MStae in Galliae Bibliothecis. Vide Oudinum t. II, p. 1702. seq. et supra p. 9.

Antonius CORNAZANUS, de quo supra pag. 116, sq. et Vossius pag. 627.

CORNELIUS *Capitolinus* citatur a Trebellio Pollione in XXX. tyrannis cap. 15 ubi de Odenato, ejusque conjuge Zenobia. De aliis Corneliis scriptoribus dictum in Bibliotheca Latina.

CORNELIUS An. 251. Fabiano datus in Episcopatu Romano successor, deinde in Decii persecutione post paullo plus quam anni spatium, pro Christo obiit martyrium, cujus memoria recolitur in Martyrologio Romano 14 Septembris. Diligentissime Epistolas hujus Cornelii genuinas et ab aliis ad eum scriptas collegit recensitasque, et notis illustratas edidit Petrus Coustant in Epistolis Romanorum Pontificum, ubi post quatuor S. Cypriani ad eum Epistolas exhibet 1) Cornelii *duas* a) *ad S. Cyprianum* pag. 134. 135 et post alias Cypriani duas, 2) Cornelii *ad Fabium Filium Antiochenum* pag. 146 Graece et Latine ex Eusebii VI. 43. hist. Hinc post alias quatuor Cypriani, notitiam Epistolarum plurium sive ipsius Cornelii b) aut ad eum vel de ejus rebus apud veteres scriptores memoratarum, quae interciderunt. pag. 195-206 Supposita autem esse arguitur, quae a Johanne a Bosco edita in Bibliotheca Floriacensi, a Baronio ad Annum 255 num. 47. et in tomis Conciliorum, in Blondelli Pseudo-Isidoro pag. 320 atque inde in laudati Coustanti appendice pag. 26 exhibetur *Epistola* brevis *ad Lupicinum*, Viennensem Archiepiscopum: Epistolam vero Cypriani quae incipit: *Dilectionis tuae non delectabilia,* quamque primus ex MSto Bohieriano et Remigiano vulgavit iu nova Cypriani editione Steph. Baluzius, non ad Cornelium, sed ad Stephanum Episcopum Rom. a Cypriano videtur scripta fuisse.

Omitto alias Cornelio huic subjectas et communiter rejectas ab eruditis Epistolas duas in Blondelli Pseudo-Isidoro pag. 308 *ad Ecclesiae filios*, et pag. 313 *ad Rufum,* nec non decreta, de quibus Ludovicus Jacobus in Bibliotheca Pontificia pag. 59 et Coustantus pag. 206.

CORNELIUS *Loplenus Aurelius* Gaudanus Batavus, cui Maximilianus I. laurum Poëticam circa Annum 1500 ultro misit per Stephanum Cracoviensem, virum eruditum Oratorem suum. Ejus scripta varia ad Historiam Belgicam facientia et de aliis argumentis nescio an edita laudant Franciscus Sweertius in Athenis Batavis pag. 180 et Valerius Andreas pag. 143.

CORNELII *Hiberni* Chronicon circa Annum 1230 scriptum laudat Hector Boëthius et ex eo Baleus XIV. 88. Vossiusque.

Joannes CORNELII, Diestensis Brabantus Canonicus regularis S. Augustini, defunctus An. 1472 aetatis 69 in Monasterio Bethleëmitico prope Lovanium praeter *Orationes, Meditationesque* varias, scripsit metro et rhythmo *Omne scibile pauperis*, cum sodalis ejus Eimericus de Campo auditoribus suis artem Raymundi tradens, *Omne scibile* eos docere professus fuisset. Vide Valerium Andream pag. 485 et Oudinum tom. III, pag. 2567, sq.

CORNELIUS *Santfliet* Monachus Benedictinus Leodiensis, scriptor *Chronici* ab Orbe condito ad Annum 1461. et libri *de gestis Episcoporum Leodiensium*, ex quo profecit Johannes Chapeavillius in opere de eodem argumento. Vide Andream iterum pag. 163.

* Scriptor chronici ab orbe condito usque ad an 1461. Huius chronici pars nobilior nempe ab an. 1230 vulgata est a P. Martene Vet. Mon. V. 67. 504. In fine legitur *Hucusque scripsit P. Cornelius Decanus Habulensis noster quondam Monachus* (D. Laurentii Leodiensis).

Magister *Hermannus* CORNERUS, sive KORNERUS Lubecensis, Ordinis Praedicatorum, auctor *Chronicae* quam ipse ita inscripsit: *Novellae* ab Orbe condito ad Annum 1435 concinnatae ex *Vincentio Bellovacensi, Henrico de Hervordia*, a) *Egghardo*,

a) Saepius prodiere inter Cyprianicas edit. Panel. et Baluz. 46, 48 et Oxon. 49. 50.

b) De his vide quae notavi ad Hieron. cap. 66. de S. E.

a) Vide Johannis Friderici Felleri Monumenta varia inedita pag. 39 et 141 seq. ad 178 ubi excerpta ex MSto Luneburgensi recensita exhibentur, quae ex Eggehardo Cornerus delibavit.

Martino Polono, *Helmoldo* b) *Arnoldo*, aliisque, c) quibus ipse de suis praecipue temporibus plura nova et singularia addidit. Hoc cum clarissimo collega meo Michaële Richeyo MStum lustrare me memini Lubecae, atque exstare novi etiam Luneburgi, Helmstadii, aliisque in locis. Sed bene est, quod praeclarum opus bonis avibus in lucem ex Codice Luneburgensi produxit Johannes Georgius Eccardus, in tomo secundo Corporis Historicorum medii aevi, Lipsiae 1723 fol. pag. 432-1343 ita tamen ut res ab exordio Mundi usque ad Caroli Magni tempora, utpote ab aliis melius exactiusque traditas omiserit. Specimen collationis cum Codice Lubecensi, ex quo possunt nonnulla in Eccardiana editione emendari, dedit V. C. Johannes Henricus van Seelen, qui de Cornero ejusque opere erudite est commentatus in selectis litterariis p. 102-131. Idem pollicitus est alio tempore collationem integram se editurum, etsi alioqui fatetur Luneburgensem Codicem, quem Eccardus est secutus, Lubecensi in pluribus etiam praestare.

Disticha Magistri CORNUTI, et ad ea glossa MS. citatur a Cangio in glossario, voce: *Hippocoërcium*, quod locum denotat in quo ferrantur equi.

* Ad Cornutum hunc respicere arbitror cod. MStum apud amicum meum singularem D. Martium Micheli Maioris Ecclesiae Lucensis Canonicum, cuius usum mihi permisit. In eius fronte sic lego: *Lectura super satyras Juvenalis Aquinatis ex Commentariis Cornuti copiosissime edita, et primo ipsius vitam nosce.* Codex est chartaceus in fol scriptus an. 1442. et in Satyras tantum octo versatur. Est autem commentarius sapiens indolem scriptoris non sane docti et ad genium scriptoris saec. XIII. vel XIV. in fine est commentarius alius in prooemium Oeconomicor. Aristotelis. Est etiam ibi commentarius alius in primam et secundam Satyram Juvenalis, sed scriptoris ignoti nec plane docti.

Gualterus CORNUTUS. Archiepiscopus ab An. 1223 ad 1241. Senonensis, de quo praeter Guilelmum Britonem XII. 680 sqq. Sammarthani tom. I. Galliae Christianae pag. 637. seq. Bulaeus tom. III. hist. Academiae Parisiensis pag. 170. seq. 182. Ejus *Historia Coronae spineae JESU CHRISTI* Constantinopoli, ubi Venetis oppignorata et a Ludovico sancto redemta, An. 1239. in Galliam advectae, apud Andream du Chesne tom. V. scriptorum rerum Francicarum pag. 407.

CORONATUS Notarius, scriptor *vitae S. Zenonis*, (de quo infra) Veronensis Episcopi, editae primnm ab Ughello tom. V. Italiae sacrae pag. 680. seq. ex pervetusto Codice haedino Abbatiae S. Salvatoris Montis Amiati, deinde ab Heschenio in Actis Sanctorum 12 Aprilis t. II, pag. 69. seq.

Guilelmus CORTUSIUS Patavinus coepit condere *Historiam de Novitatibus Paduae et Lombardiae* ab An. 1256 quod affectum ejus opus continuavit et ad Annum 1364. perduxit consanguineus Guilelmi *Albrigetus* CORTUSIUS. Primus illud XI. constans libris edidit ex IV. MSS. Felix Osius notasque addidit Venetiis 1636, fol. Repetitae editioni in Thesauro Italiae Burmanniano tom. VI, parte 1, accessit *supplementum* ex MSto Codice Comitis Pii de Comitibus, Patricii Veneti: Sed in tertia

a) Excerpta ex Cornero loca quae ille ex Helmoldo vel Arnoldo affert, atque in editionibus utriusque illius scriptoris vel desunt vel aliter leguntur, exstant apud Leibnitium tom. II, scriptorum Brunsvicensium pag. 745-751. Idem Germanice dialecto inferioris Saxoniae ex Cornero versa quaedam edidit tom. III. pag. 199-201 ab An. 1371 ad 1435 et continuationem ab An. 1435 ad 1438 pag. 203-216 aliamque ab An. 1438 ad 1466 pag. 201 202. De Germanica versione Chronici Corneriani, auctore Dominico Drewero Goslariensi, vide Jacobum Quetif tom. primo de scriptoribus Dominicanis pag. 783.

b) Laudat praeterea Cornerus *Josephum, Solinum, Orosium, Chronicon et gesta Romanorum, Eusebium, Bedam, Sigebertum, Chronicon Saxonicum, Hugonem Floriacensem, Gesta Longobardorum, Chronicon Francorum, Gratianum, Petrum Damianum, Chronicon Lubecense, Wilhelmum, Chronicon Danorum, Obotritorum, Bohemorum, Anglorum, Gothorum, summorum Pontificum, et Pontificum Hamburgensium: Usuardum, Turpinum, Luitprandum, Schoneveldum, M. Eylardum, Historiam Scholasticam, Vitam S. Bernwardi, Baldrici Historiam Hierosolymitanam, Viaticum narrationum, Jacobum de Voragine* etc. Vide Joh. Henrici van Seelen meletemata litteraria pag. 85-87.

editione Muratoriana tom. XII. Thesauri Mediolanensis non modo adhibitis aliis Codicibus MSS. et Chronico inedito Andreae Redusii de Quero, qui ex Cortusiis profecit, opus ipsum exhibetur castigatius et capitibus XXIV. libri secundi auctius: sed etiam ex Estensi Codice adjuncta additamenta, non ut opus ipsum scripta Latine, sed Italice dialecto Patavina, alterum per ipsos Cortusios fortasse ab Anno 1359 ad 1365. alterum scriptore Anonymo ab An. 1354 ad 1391. Vide Conspectum Thesauri Eruditorum Italiae pag. 99 et 167 et Acta Eruditorum An. 1733, pag. 355.

Petrus de CORSINIS Florentinus Episcopus et Cardinalis Portuensis et S. Rufinae: partes secutus Clementis VII Anti-Papae contra Urbanum VI et defunctus An. 1405. De eo consulendus Baluzius notis ad Papas Avenionenses tom. I, pag. 1040, seq. Diarium Eruditorum Italiae tom. IX, pag. 147. seqq. et Julius Niger in Historia scriptorum Florentinorum pag. 461. seq. Scripsit *vitas Pontificum quorundam et Cardinalium*; sed needum editas. *Relationem de electione Urbani VI. et Responsionem ad quaestiones Archiepiscopi Toletani. Ad Principes Christianos de componendo Schismate.* Plura eius loca affert laudatus Baluzius variis locis notarum, quibus Paparum Avenionensium historiam illustravit. Brevem *Epistolam ad Gubernatores Civitatis Senarum*, edidit Ughellus tom. III. editionis novae, ubi plura de hoc Corsinio pag. 153.

CORVINUS *Celer Clemens*, Apuleji amicus, qui *eruditissimum et suavissimum Poëtarum* appellat, in floridis pag. 770 edit. in usum Delphini, ubi omnia *Alexandri Magni sublimia facinora, vel belli ausa vel domi provisa* ait eum *pulcherrimo carmine illustrasse.* Non alium igitur auctorem a Cuspiniano quam Apuleium debebat Vossius pag. 739 vel expetere vel exspectare, quem de Corvino hoc eadem memorans laudare potuisset. Ejusdem Corvini Celeris quaestoris meminit Apulejus in Apologia p. 540.

COSMAS *Laurus* Brixiensis circa An. 1470. scriptor rerum Brixiensium de originibus familiarum nobilium et de praesulibus Brixiensibus. Vide Vossium p. 809.

COSMAS Japygus Materiensis circa Annum 950 traditur carmen quoddam composuisse in honorem *Theopompi* Episcopi, *Theonae et Synesii*, quorum Martyrium in Diocletianea persecutione passorum celebrant 21 Maj. Incipit: *Contulit agminibus fratrum pia munera CHristus.* Praemisso exordio ad Gregorium Ligum, Monachum Nonantulanum: *Cosmas Gregorio Monacho dedit ista benigno.* Subjicitur hymnus, cujus initium: *Celsum triumphum Martyrum.* Edidit ex Nonantulano Codice Ughellus t. II. Italiae sacrae, ubi de Mutinensibus Episcopis p. 111, 112 *edit.* novae (veteris p. 139. seq.)

COSMAS *Pragensis* Decanus a Cosma, Pragensis Ecclesiae ad An. 1091 ad 1098. Episcopo diligenter distinguendus a) eoque junior et An. 1099. demum sacerdotio inauguratus, scripsit *Chronicam Bohemorum* libris III. ad Severum Praepositum Mellicensem et Gervasium Magistrum, quem archigerontem appellat, ab Primislai sive Brzetislai I. temporibus An. 1038. usque ad Sobeslaum Ducem A. C. 1125. b) quo ipso annno etiam Cosmas chronici auctor tumulatus esse perhibetur in Codice veteri Pragensis Ecclesiae, quem Bohuslaus Balbinus inspexit. Hos libros primus edidit Freherus in limine scriptorum rerum Bohemicarum, Hanoviae 1602, fol. deinde integriorem ibid. 1607, fol. ex qua editione rariore recudendos Jo. Burchardus Menckenius ὁ μακαρίτης dedit tom. I. scriptorum rerum Germanicarum p. 1968-2132. additis quoque eruditis notis C. V. Christian. Gottlieb Schwartzii. Lips. 1728, fol. Addidit in posteriore editione sua Freherus etiam *S. Adalberti vitam*, Episcopi Pragensis, Bohemorum, Polonorum et Prussorum Apostoli, praefixis Martini Crutheni et Casparis Cropaxii elogiis Ducum Regumque Bohemicorum, carmine; sed eam vitam Menckenius laudatus omisit, quod alterius po-

a) Vide Menckenii praefationem ad tomum I, et pag. 1968 et 2.65 ex Bohuslai Balbini epitome rerum Bohem. pag. 211.

b) Praeter rem apud Cangium traditur desinere in An. 1086 et apud Oudinum tom. II, pag. 766 refertur ad Annum 1080.

tius auctoris quam Cosmae esse a) videatur, atque edita eadem vita est a Canisio t. V. antiquarum lectionum parte 2, p. 332 et t. III. edit. novae p. 45 et emendatior in Actis Sanctor. 23 April. tom. III, pag. 178, et sub falso b) Sylvestri II. nomine e Bibl. Cassinensi ab Abrah. Bzovio, Rom. 1629, fol. et in appendice ad tom. XX. Annalium Rom. 1640. Colon. 1641, fol. pag. 598.

* De anno emortuali scriptoris huius in vetustis codicibus dissidium reperitur, nam Balbinus in suo codice legit obiisse illum XII. Kal. Nov. an. 1125. Menkenius vero Rer. Germanicar. t. III. pag. 800 in Cod. ut ipse ait, fere coaevo legit XII Kal. Novembris an. 1126. Idem vero Menkenius ibidem dedit ex eodem Codice variantes plane multas nec contemnendas, quas ibidem legas. Subiunxit ex eod. cod. additamentum usque ad an. 1162. quod auctorem habuit anonymum Abbatiae Zazoviensis Monachum; qui sane auctor in ipsam pariter Cosmae historiam multa ea praesertim quae erant Monasterii suo invexit.

COSMODROMII Auctor, infra, GOBELINUS Persona.

Guilelmus COVENTRIUS Anglus Carmelita circa Annum 1360. infra, GUILELMUS *Coventriensis.*

Robertus COUTON, Gesnero in appendice, Simlero, Baleo V. 63. Possevino, Oudino t. III, p. 934. idem CONTON, sive CONTONUS dicitur Pitseo p. 434. Waddingo, Koenigio, Cangio, alia appellatione COTHO, vel ut apud Possevinum, OTHO. Monachus Anglus Ord. Minor. circa Annum 1240. ut est apud Gesnerum, Simlerumque, vel ut rectius alii, An. 1340. Inter Scholasticos *Doctoris amoeni* titulo notus, in Oxoniensi et Parisiensi clarus Academia, ac denique, si Baleo credimus, Archiepiscopus Armachanus. *Hunc*, inquit idem Baleus, *solent in testem vocare quod maculam in conceptione Maria contraxerit.* At, si Pitseo fides, *Acriter hic defendere solebat beatissimae Mariae Virginis conceptum fuisse ab omni originalis peccati labe alienum, quod illi gravissimarum disceptationum frequentes praebuit occasiones cum iis, qui vel certam vel magis probabilem existimabant contrariam sententiam.* Sed magis Pitseum hac in parte quam Baleum audiendum esse existimo. Scripta ejus praeter *Sermones* ad crucem in aede Pauli Londin. et *disceptationes Magistrales,* ac *Quodlibeta Scholastica*, memorantur *quatuor libri Quaestionum in libros Sententiarum*, *Inceptorium* super primum Sententiarum librum, et in Sententiarum libros *abbreviationes.*

Elias COXIDIUS, sive de COXIDA Flandriae pago, Monachus Cisterciensis et Abbas Dunensis, defunctus An. 1203. Ex cuius *sermonibus,* qui plures olim in Dunensi Bibliotheca asservabantur, unum edidit Carolus de Visch in prima editione Bibliothecae suae Cisterciensis An. 1649. in Sirach. XXXII. 1. *Rectorem te constituerunt, noli extolli:* et in editione secunda An. 1656, pag. 90–95. ubi alter etiam sermo subiungitur pag. 96–101. in Joh. XIV. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum.*

Matthaeus de CRACOVIA, infra, MATTHÆUS.

Pro CRASINI scriptis, quibus usum se profitetur Martinus Polonus in MS. Codice Navarreo, alii legunt *Titii Livii.*

Quirinus CRASIUS Picardus, Caroli loci Sub-Prior Ord. Cisterc. Philosophus et Poeta, obiit An. 1151. et teste Vischio p. 282. praeter Conciones multas aliaque opuscula scripsit elegias aliaque carmina.

CRASTONIUS Corippus, cuius libros Joanneïdos in Bibl. Cassinensi lustrasse se testatus est Joannes Cuspinianus. Infra, CRESCONIUS.

CRATERIUS, de quo S. Hieronymus adversus Helvidium: *Non quaero eloquentiam quam ipse non habens in fratre* Craterio *requisisti. Non, inquam, flagito linguae nitorem, animae quaero pietatem. Apud Christianos enim soloecismus est magnus vitium, et turpe quid vel narrare vel facere.*

CRATO Thoruniensis, Borussus, defun-

c) Balbinus lib. III. epitome rerum Bohemicar. c. 8. p. 212.

d) Fortasse Sylvestri II. jussu edita. Vide Acta Sanctorum loc. cit. et Jacobum Echardum tom. II. de scriptis Dominicanorum p. 489.

ctus An. 1457. Scriptor Practicae de curatione morborum corporis humani MS. Lipsia Alius *Joannes Crato* (a Kraftheim) Vratislaviensis, Medicus Imperatorum Ferdinandi I. Maximiliani II. cui a facie similis fuisse traditur, et Rudolphi II. Obiit in patria An. 1585. plurimorum insignium auctor scriptorum, quae in Bibliothecis Medicis a Lindenio, Mercklino, Mangeto relata, enumerari loco alieno a me nihil est necesse.

Simon de CREMONA, infra, SIMON.

CREMONENSE Chronicon ab A. C. 1096. ad 1232. post SICARDI, Episcopi Cremonensis, Chronicon editum a celeberrimo Muratorio tom. VII. Thesauri scriptorum Italiae pag. 629. cum laterculo Magistratuum Cremonensium ab An. 1138 ad 1336.

CRESCENTIUS Æsinus, Ordinis Minorum, Minister Generalis, Episcopus Assisias circa Annum 1250 ex cujus scriptis Waddingus pag. 98. Bibliothecae Franciscanorum *Juris Summam*, et *dubiorum quorundam circa regulam* S. Francisci, *declarationem* memorat. Omitto de aliis Crescentiis dicere, ut de illo qui contra Alexandrum Alexandrinum Episcopum defendit, Pascha die semper Dominico esse celebrandum. Vide Epiphanium LXX. 9, tom. I, pag. 821. Graece enim hunc, non Latine scripsisse mihi persuadeo.

Petrus de CRESCENTIIS, sive CRESCENTIENSIS, qui circa An. 1280 floruit Bononiae, scriptor operis pro illa aetate eximii in XII distributi libros *de omnibus Agriculturae partibus et de plantarum animaliumque natura et utilitate*, Lovanii 1473. fol. Basileae 1548. fol. et Germanice *von dem Nutzen der Dinge*, Argent. 1518. fol. Hujus Crescentii effigies et elogium in iconibus Jo. Sambuci num. 65.

(82 Praeclarum *P. Crescentii* opus praeclare Saeculo XIV. ab anonymo Italice versum *Florentiae* an. 1478, fol. primum, deinde *Vicentiae* 1490. f. pluries in Saec. XVI. iterum *Florentiae* an. 1605 cur. B. De Rossi, postea *in Napoli* 1724. *in Bologna* 1784. *in Milano* 1805. et *in Verona* 1851-52 III. vol. 8. emendatius, curante cl. v. B. Sorio Presb. Orat. novissime paruit. Vide et *Elogio di P. Crescenzi di Filippo Re. Bologna* 1812, 8.)

Hubertini, Clerici CRESCENTINATIS notae in Epistolas Ciceronis ad diversos editae. Venet. 1480. In Valerium Maximum quoque et Ovidii Heroides, ut in Bibliotheca Latina notare me memini. Ipse testatur Mediolani se et Papiae bonas litteras publice docuisse, sed ipsum, post sublatum An. 1466 cruenta caede in templo Galeatium Sfortiam, Mediolanensem Ducem, sponte sua id munus omisisse et in Montem ferratum Casaleque se contulisse.

CRESCONIUS Grammaticus parti Donati, prolixiore *Epistolâ* S. Augustinum oppugnandum sibi sumsit, refellendaque ea quae libris tribus ille scripserat adversus Epistolam *Petiliani*, Cirtensis Donatistarum Episcopi. Respondit Augustinus circa Annum CHristi 406 et fragmenta nonnulla ejusdem nobis servavit in libris quatuor adversus Cresconium, qui perinde ut priores adversus Petilianum tres, exstant superiorum editionum tomo septimo et in tomo nono Operum S. Augustini, quae ex Benedictinorum recensione post iteratos Parisienses typos, jam Amstelodamensibus et Venetis recusa habemus. Vide si placet Tillemontium tom. XIII. Memoriar. Eccles. pag. 435.

CRESCONIUS Villaregiensis, de quo Codex Ecclesiae Africanae can. LXXVII.

CRESCONIUS sive CRISCONIUS, Episcopus Africanus circa An. 570 scripsit *breviarium Canonum* ad Episcopum Liberinum per titulos CCC (in Codice Helmstadiensi a) CCCIII) digestum ex Canonibus Apostolorum, et Nicaenis, Ancyranis, Neocaesariensibus, Gangrensibus, Antiochenis, Laodicensibus, Chalcedonensibus, Sardicensibus, Carthaginiensibus, nec non ex decretis praesulum Romanorum, quae primus Canonibus sociavit Ecclesiasticis primique ex illis Siricii, tum Innocentii, Zosimi, Caelestini, Leonis et Gelasii. Editum primum est hoc breviarium a Petro Pithoeo ex Codice MS. Ecclesiae Trecensis, sive Tricassinae una cum *Fulgentii Ferrandi*, laudati Cresconio, concinnata circa Annum 540 breviatione Canonum, Parisiis

1588, 8. deinde ad calcem Codicis Canonum Ecclesiae Romanae, ibid. 1609, 8. Inde cum *Dionysii Exigui* (circa An. 500.) Codice Canonum Ecclesiasticorum Christophorus Justellus, Paris. 1628, 8. Hinc post Antonii Dandini Alteserrae (Flavii Francisci de Hauteserre a Salvaizon) editionem, cum notis et FULGENTII FERRANDI breviatione, Augustoriti Pictonum 1630, 4. In qua *indiculus* breviationi antiquus cum notis annectitur: et post editionem Petri Francisci Chifletii J. S. Divione 1649, 4. emendatius recusum est b) hoc Cresconii breviarium in tomo priore Bibliothecae Canonicae Guil. Voelli et Henrici Justelli pag. 458. Paris. 1661. fol. ubi etiam duplices indices harmonici in Ferrandum et Cresconium exstant, et in appendice praeterea pag. 33–112 ejusdem Cresconii *Concordia Canonum*, Canones ipsos et decreta eodem ordine per titulos trecentos descripta exhibens ex Codice MS. Bibl. Claromontanae S. J. Recusum deinde Breviarium quoque in Bibliotheca Patrum edit. Lugd. tom. IX ex Chifletii editione: et ex Pithoei editione cum Codice Canonum Ecclesiae Romanae et Petri Pithoei Miscellaneis Ecclesiasticis pag. 316. Paris. 1687. fol. In Codice MSto Patrum Oratorii Romani Bibl. Valliscellanae Mabillonius pag. 69. Itineris Italici testatur hanc se reperisse notam: *Iste Cresconius bella et victorias quas Johannes Des. Patricius apud Africam* (circa An. 698) *de Saracenis gessit, hexametris versibus descripsit sub libris* ... Ii libri nusquam hodie exstant. Vide Pagium ad Annum 696, num. 5 et ad Annum 527, num. 14. Gesnerus appendice Biblioth. *Cresconius Afer Poëta, quem alii CRESCENTIUM nominant, Justiniani Imperatoris bella in Africa gesta carmine descripsit, item Concordiam Canonum.* Certe haec Concordia non est carmine descripta a Cresconio. At Cresconium hunc vix dubitem eundem esse cum *Flavio CRESCONIO Corippo*, de quo vide si lubet quae mox dicturus sum.

a) Vide B. Gebhardi Theodori Meieri historicam relationem de Collectionibus Canonum §. XVII.
b) Vide Oudinum tom. I. pag. 1668.

CRESCONIUS, Episcopus Compostellanus, qui An. 1056 in Concilio Compostellano auctor fuit *VI Canonum* ad disciplinam Ecclesiasticam in Hispania instaurandam conditorum, qui in tomis Conciliorum et apud Agvirrium tom. III. Concil Hispan. pag. 218, leguntur.

FL. CRESCONIUS, Africanus Poëta, notior CORIPPI nomine, et a Cresconio Afro propterea breviatore Canonum (de quo jam dixi) longe diversus communiter existimatus. Sed eundem esse libenter mihi persuadeo, nam et tempus pulchre convenit, et argumentum operis, et patria, et nomen. Cresconium Episcopum Afrum Concordiae Canonum scriptorem eundem esse, qui bella Joannis Ducis in Africa gesta carmine hexametro descripsit, in veteri illo Codice ante Mabillonium legerat etiam Baronius ad Annum 527, num. 76. Hic est Joannes de cujus victoria Africana a) Procopius II. 17 et in extremo libri II. Vandal. et IV. 17. Gothic. et de cujus victoria Africana idem opus, quod *Joanneïdem* Corippus inscripsit, et quam MS. fuisse in Bibliotheca Budensi notavit post Gesnerum in appendice, Simlerum et alios Christianus Daumius Epistola ad Nicolaum Heinsium tom. V. sylloges Burmannianas pag. 217. Eandem in Monasterio Italiae Cassinensi usurpasse se oculis monuit et exinde versus quosdam produxit Jo. Cuspinianus in Caesaribus, unde eam MS. servari Viennae suspicatus est Barthius LV. 2. Adversariorum pag. 2581. Idem auctor Joanneïdos sub falso CRASTONII Corippi nomine laudatur a Jo. Cuspiniano. Quis jam dubitet idem hoc esse opus Cresconii in Codice Valliscellanae memoratum; et Corippi poëma de bellis Libycis, quod laudat Leo Marsicanus III. 62, pag. 339. et quod memorat Corippus ipso in fragmento panegyrici in Justinum minorem v. 35.

Quid Libycas gentes, quid Syrtica praelia dicam
Jam libris completa meis . . . . . .

Quae vero sub Corippi nomine typis ex-

a) Longe alia igitur haec victoria et alius Johannes, de quo Cedrenus apud Cangium, Labbeum tom. VI. Concil. pag. 1381. et Baronium ad An. 696. n. XIII.

stant descripta versibus hexametris, et ab aetate provecto jam a) sed nondum fortasse Episcopo composita haec sunt:

1. *Fragmentum Panegyrici in Justinum* minorem, qui imperitavit ab An. 565 ab 578.

2. *Panegyricum breve in laudem Anastasii* Quaestoris et Magistri, in aula Justini II.

Summe Magistrorum, Procerum decus, arbiter Orbis,
Principis auspicio leges et jura gubernans,
Justitiae vindex, inopum Pater etc.

3. *De laudibus Justini minoris*. (qui ex Curopalata b) Imperator fuit, ab An. 565 ejusque in Justinianum I avunculum pietate, libri IV.

Prodiere haec addito recentioris scriptoris Petri Apollonii Collatii (de quo supra p. 124.) carmine de excidio Hierosolymitano: cum notis *Mich.* c) *Ruizii* Assagrii, sive de Azagra, Celtiberi, Antw. 1581, 8. et cum *Thomae Dempsteri* d) animadversionibus, Paris. 1610, 8. quanquam ejus curas ad emendationem Poëtae parum fecisse judicat *Barthius* (ad Statii Thebaid. XII, 418.) a quo ipso Corippi plura in Adversariis illustrantur, sicut et in Joannis Meursii Critico Arnobiano pag. 149. Ruizii editionem secutus *Andreas Rivinus*, qui Corippum recudi curavit sine notis Lipsiae 1653, 8. Denique emendatiora curante *Nicolao Rittershusio,* notas subjunxit, Altdorf. 1664, 4. *Cornelii Arckelii* commentarium ineditum in Corippum memorat Adrianus a Cattenburg in Bibliotheca Remonstrantium pag. 6. *Ornatissimum* hunc *ultra seculum* quo vixit, et *ultimum Poëtarum* vocat Barthius ad Claudian. pag. 6, et 459, *satisque suavem in descriptionibus* p. 1258, *adeo vero pressum et jucundum ob aequabilitatem styli, et acuminum quendam opportunum contemtum, ut demtis quibusdam quae plane barbariem redolent, vix illo quisquam Christianus sit superior.*

a) Paneg. Anastasii v. 48 *fessae miserere senectae* et paneg. Justini v. 37 *senio dextram pie porrige fesso.*

a) Lib. I. v. 136. *Ordine pro rerum vocitatus Cura palati.* et lib. 2. v. 286. *Successor soceri factus mox Cura palati est.*

b) Perperam *Johannes Ruizius* in Nicolai Antonii Bibliotheca Hispana tom. primo pag. 592.

c) In Erythraei pinacotheca I. pag. 25 (ubi de Dempstero) typorum vitio *Crispus* poëta Africanus nominatur pro Corippo.

Leodorix sive *Leodrisius* (Ludovicus) CRIBELLUS Mediolanensis, defunctus An. 1463. ad quem exstant Francisci Philelfi Epistolae et Jacobi Piccolominei Cardinalis, nec non Æneae Sylvii, postea Pii II. Vertit e Graeco Latine *Orphei Argonautica*, quae etiam lucem vidit versio ad calcem editionis Orphei Aldinae 1523, 8. Et *Epistolam S. Chrysostomi ad Cyriacum Episcopum.* Scripsit praeterea editum nuper a Clarissimo Mnratorio tom. XIX, rerum Italicarum, *De vita et rebus gestis Sfortiae ejusque filii Francisci Sfortiae*, Vice-Comitum ac Ducum Mediolanensium, ab An. 1369 ad 1424, tum Librum *de expeditione Pii II. Pontificis adversus Turcas*, An. 1464 qui juniori Leodrisio Cribello a Clarissimo Saxio tribuitur: Explanationes *in Decretalium primum ac secundum Librum. Elegias* unam ad Jacobum Cardinalem Piccolomineum et alteram ad Lazarum Scarampam, An. 1461 electum Comensem Episcopum: *Orationes duas*, unam habitam ad Franciscum Sfortiam, Modoëtiae An. 1450 et alteram de ejusdem Francisci triumphali ingressu in Urbem Mediolanensem. Vide Diarium Eruditorum Italiae tom. XV, pag. 303, seqq. et Josephi Antonii Saxii Epistolam ad Muratorium: Acta Erudítor. An. 1733, pag. 353.

* Alter ab isto, de quo hic Fabricius, est Laudrisius Cribellus Praetor Brixiani populi, cuius extant Epistolae quaedam *de negotiis politicis* suorum temporum vulgatae a Muratorio. De antiq. Medii Aevi tom. 4, pag. 497 quae omnes epistolae res politicas An. 1251. et proxime sequentes tangunt.

Petrus CRINITUS a) Florentinus, Laurentii Laurentiani, Politiani et Ugolini Verini discipulus, florens ingenio obiit anno undequadragesimo aetatis sub initia sae-

a) Hetrusco nomine *Riccius*, teste Jovio: perinde ut alter Petrus Crinitus (de quo mox) Germanice appellabatur Haarer.

culi XVI. Notus est Miscellaneorum *libellis XXV*, quos Gellium aemulatus amoena varietate composuit, inscripsitque *de honesta disciplina,* ad Bernardinum Caraffam Naepolitanum, Pontificem Antiochensem An. 1500.

(83 Post primam edit. Florentiae De Giunta 1504, fol. Vide et *M. Lastri Elogio* di P. Crinito in vol. III. *Illustri Toscani*).

Hi saepissime typis exscripti sunt, ut Paris. 1510, fol. apud Ascensium, Basileae 1532, 4. Lugduni 1543, 1555, 4. 1561, 12. Genevae 1598, 12. quanquam Mureto judice XIII, 8. variarum lectionum: *negari non possit multa in eis, vulgaria pro reconditis, falsa pro veris, nova pro veteribus legi.* Subjiciuntur his libellis *Vitae Poëtarum Latinorum* XCVI, a Livio Andronico ad Sidonium Apollinarem *libri V,* et *Carminum libri II,* collecti editique a Lucejo Veronensi. Similiter etiam libros de *Grammaticorum* atque *Oratorum vitis* condere voluit, et libros *Epistolicarum responsionum, quaestionumque promiscuarum, Vitam S. Fulgentii, Parthenica, de Diis, de Urbibus, de numero Sibyllarum, de Romanis familiis, de sortitione Judicum et sortilegiis, de sacris theorematis, de origine ac significatu verborum, de Censorum potestate aliisque Magistratibus Romanae Civitatis, de Hieroglyphicis Ægyptiorum.* Sed nihil ex his exstat editum, nisi quod Epistolae ejus quaedam in secundo Epistolarum Johannis Francisci Pici libro et in duodecimo Politiani, ut jam Gesnerus annotavit. Plura de Crinito praeter Jovium, Vossium, Gaddium, Koenigium, et libro quinto Anecdotorum Florentinorum Varillasium, dabunt Julius Niger historia scriptorum Florentinorum p. 462. Burchard Gotthelf Struvius Bibliotheca antiqua An. 1705, p. 411, seq. Adolphus Clarmundus tom. VII, vitarum pag. 29, sq.

* Quamquam viri huius docti nonnisi libri duo carminum prodierunt, quos ad se missos a Cotta vulgasse scribit Luceius Veronensis in epistola ad Bembum praefixa editioni eiusdem Luceii in 4. absque loco et tempore; tamen multo plura ex illis carminibus extare scribit (ut ex relatione aliorum didicerat) tum in aliis Bibliothecis, cum Ferrariae apud Estenses.

Petrus CRINITUS Germanus, Electoris Palatini a secretis, scriptor *historiae rusticorum tumultuum* in Germaniae diversis partibus An. 1525 exortorum et a Magistratibus feliciter sedatorum, quam Germanice primum scripsit ac Latine ipse vertit. Prodiit Latine in Freheri tomo tertio scriptorum rerum Germanicarum, editionis novae Clarissimi Struvii pag. 935-278, qui illam in capita XCV, distinxit, et locis quibusdam supplevit ex editione locupletiore scripti huius Germanica, Francofurti 1627. 4.

CRISOLANUS Trithemio cap. 397 de S. E. (Baronio, Cangioque CHRYSOLANUS) Ughello tom. III, pag. 126 et Allatio *Petrus Grosolanus*, aliis *Arisolanus, Grysolanus*, vel *Proculanus* etiam: ex Savonensi Episcopo Archiepiscopus Mediolanensis ab An. 1102. sed ob simoniae objectum crimen depositus An. 1112. Exulem Paschalis II. Papa misit CPolin ad Alexium Comnenum, ut Graecos ad Romana sacra amplectenda reduceret, ubi scripsit *de Spiritus Sancti processione* ad Alexium Imperatorem et cum respondissent illi e Graecis Johannes Phurnus, montis Gani primarius, Nicolaus Methonensis et Eustratius Metropolita Nicaenus, idem Johanni Phurno opposuit *disputationem de eodem argumento.* Incertum est Graece ipse scripserit an Latine potius, sed Graece exstant e Latinis ut videtur versa MSS. in Bibliotheca Regis Christianissimi. Vide Allatium de consensu utriusque Ecclesiae II, 10. pag. 626, seqq. et Baronium ad Annum 1116, num. 7, seq. ubi Disputationem ad Alexium Imperatorem, sive compendium illius atque argumentum refert ex Latina versione Federici Metii, Episcopi Thermularum. Trithemius hunc Chrysolanum quoque *librum de S. Trinitate*, et *Epistolas* ac *Sermones* et alios diversos Tractatus, sed non visos a se scripsisse annotat. Diem obiit Chrysolanus Romae An. 1117.

Milo CRISPINUS, infra, MILO.

Benedictus CRISPUS Archiepiscopus per 47 annos Mediolanensis, defunctus circa Annum CHristi 725 cujus memoria a Me-

diolanensibus, nulla Sanctorum festa intra Quadragesimam recipientibus colitur 6. Septembr. quanquam diem obiisse traditur V. id. Martii. Vitam ejus vulgavit Benedictus Lentinus, Neapoli 1674, 12. qui eum Patronum et Advocatum litigantium celebrat. Nonnulla commentaria laude digna scripsisse testatur Johannes de Deis in successoribus S. Barnabae Apostoli, Romae 1589, 8. numero XLIII, cum quo conferendus Ughellus tom. III. Italiae sacrae pag. 69 editionis novae: sed nullum eorum reperi aut vidi nominari praeter *epitaphium* Regis Anglo-Saxonum *Cadoaldi*, sive *Ceadual*, qui ejurata idololatria CHristo nomen dedit et a Sergio I. Papa a) baptizatus Romae rebus humanis valedixit et in basilica S. Petri fuit sepultus. Illud ne quis desideret, ita se habet:

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
 Exuvias, proceres, moenia, castra, lares.
Quaeque Patrum virtus et quae congesserat ipse
 Armipotens *Cedual* liquit amore DEI.
Ut Petrum, Petrique sedem Rex cerneret hospes,
 Cujus fonte sacras sumeret albus aquas.
Splendificumque jubar radianti carperet hasta,
 Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Perspiciensque alacer redivivae praemia vitae,
 Barbaricam rabiem, nomen et inde suum
Conversus convertit ovans, Petrumque vocari
 Sergius antistes jussit et ipse pater.
Fonte renascentis quem CHRISTI gratia purgans
 Protinus ablutum vexit in arce poli.
Mira fides Regis, clementia maxima CHristi,
 Cujus consilium nullus adire potest.
Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni
 Per varias gentes, per freta perque vias,
Urbem Romulaem vidit templumque verendum
 Adspexit Petri, mystica dona ferens.
Candidus inter oves CHRISTI sociabilis ibit,
 Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
 Quem regnum CHRISTI promeruisse vides.

CROYLANDENSES, sive Abbatiae in Anglia Croylandensis Annales, auctoribus INGULPHO An. 1109 defuncto, ejusque continuatoribus usque ad Henrici sexti et Eduardi quarti An. 1483 defuncti tempora: vulgati collectione scriptorum rerum Anglicarum An. 1684 de qua supra p. 98, sq. Vide INGULPHUS.

CRUINDMELI nescio cujus excerpta ex multis Grammaticorum libris cum praefatione ejus metrica Cangius evolvit in Codice 540 Bibliothecae Sancti Germani de Pratis.

Albertus CRUMMENDYK, supra pag. 39. ALBERTUS.

Henricus CRUMPA, Hibernus, scriptor *Determinationum Scholasticarum* circa Annum 1382 in quibus suffragari visus Berengario est, siquidem docuit corpus CHristi in altaris sacramento esse speculum ad corpus ejus in coelo. Vide Jac. Waraeum de scriptoribus Hibernicis pag. 73.

Petrus CUNERIUS sive *de* CUGNERIIS, Regis Galliae Philippi VI. Valesii Consiliarius. Hujus cum *Petro* BERTRANDO Cardinale et Episcopo Æduensi, Pontificis causam propugnante, Actio *de Jurisdictione Ecclesiastica* An. 1329. Lutetiae praesente Rege habita, exstat in Goldasti Monarchia Imperii tom. III. a) pag. 1361, ex editione Paris. 1495, 4. Occurrit etiam apud Rocabertum, et in Bibliothecis Patrum, ut tom. XXVI, editionis Lugdunensis pag. 109-127. Vide et Raynaldum ad Annum 1329 num. 75, seq. Bzovium ad Annum 1327, num. 8.

CUIGO, infra, GUIGO

Engelbertus CULTIFICIS, sive CULTRIFICIS, (*Messmaaker* Belgice) Ordinis Praedicatorum Prior Zwollensis, defunctus An. 1491. *Defensorium et Epistola declaratoria Jurium et Privilegiorum Fratrum mendicantium* contra quosdam articulos erroneos quorundam magistrorum et curatorum Ecclesiarum parochialium condemnatos. MS. Lipsiae in Paulina, et saepius editum, Neomagi 1479, 4. et eodem anno, sine loco, 8. Coloniae 1497. Pariis 1507. et Delphis 1508, 8. Epistola *de Simonia vitanda in receptione Novitiorum et Novitiarum.* ibidem. Carmen *de moribus mensae* et aliud *de pane*, in modum Dialogi interlocutoribus pistore et uxore, una cum elegia Petri de Rivo, Theologi Lovaniensis, quod omnia in meliorem partem sint interpretanda. Lugduni Batavor. 4. Vide Jacobum Quetif

a) Sergius I. Papa Romanus ab Anno 688 ad 702.

a) Ita in meo reperio: in aliis tom. II, Vide D. Thomam Ittigium de Bibliothecis Patrum pag. 795.

tom. I, de scriptoribus Dominicanis pag. 873 ubi et alia ejus commemorat, *in Johannem, in Regulam Augustini, Idioma Juris, De tribus votis, De audientia Confessionum, ad Canonicos Clivenses.*

CUMBERTUS, supra pag. 352. CIMBERTUS.

CUMMENEUS, sive CUMMEANUS, *Albus*, Hibernus, ante Adamnanum a) (de quo supra pag. 7.) scriptor *Vitae Columbae*, Abbatis Iluensis, sive in Insula Hu vicina Hiberniae, defuncti An. Christi 598. Edidit Mabillonius tom. I. Sanctorum Benedictin. Pag. 361.

CUMMIANUS, sive CUMMINUS, *Longus*, nescio an diversus a priore, itidem Hibernus Abbas sive Episcopus, quem ajut diem obiisse circa Annum 661. Ejus *Epistola de Controversia* b) *Paschali* ad Segienum, c) Abbatem Iluensem, edita ab Usserio in Epistolis Hibernicis pag. 25-35. Dublin, 1632, 4. Parisiis 1665, 4. Ejusdem *Poenitentiale*, sive liber *de Poenitentiarum mensura* exstat cum S. Columbani poenitentiali aliisque opusculis, d) Lovan. 1667, pag. 197 et in Bibliotheca Patrum tom. XII, edit. Lugd. p. 41-48. Hunc librum Cummeano Albo tribuere non dubitat Mabillonius, ubi fragmentum ejus ex Codice *Paenitentialis* Rabani Mauri Biblioth. S. Galli affert in Analectis pag. 17, 18 editionis in folio.

* In Ughellis de Episcopis Bobiens. legitur epitaphium S. Cummiano Episcopo positum et a Joanne Magistro scriptum, quod hodie pariter servat tabula marmorea in Bobiensi templo adhuc visenda. In ea vero non Hibernus Abbas, sed e Scotia missus legitur, additurque ad An. nonaginta aetatis pervenisse, in Monasterio annos 21 agisse, ac demum eius sepulchrum marmoribus decorasse Luitprandus Rex. Denique depositionis eius dies signatur XIV. Kal. Septembris. Epitaphium istud longe accuratius, quam Ughellius legit Muratorius, vulgavitque antiq. Med. Aevi III, 680.

a) Vide Jacobum Basnagium ad Canisii tom. I, pag. 675.

b) De illa Beda III. 25 hist. Eccles. Bucherius ad Victorini Canonem Paschalem pag. 188 seq.

c) Male excusum *Legienum* apud Bucherium in testimoniis de Victorio pag. XXX.

d) De illis supra pag. 1126.

CURIUS *Fortunatianus*, Rhetor, de cujus *libris III. Scholae Rhetoricae* dixi in Bibliotheca Latina IV, 8. num. 4. Idem, ut videtur, qui *vitam Maximi* Pupieni Imperatoris scripsit laudatam a Julio Capitolino in Maximo et Balbino c. 4. et 18. Vide Vossium de Hist. Lat. pag. 181.

Nicolaus CUSANUS a patria *Cusa*, vico Mosellae vicino, Trevirensis Dioecesis, in quo An. 1401 obscuris natus initiis, insigni ingenii acie et doctrinae dotibus, animique virtute magnis Viris accenseri meruit, Theologiae et Decretorum Doctor, Episcopus in Tirolensi Comitatu Brixinensis, et ab An. 1448. Cardinalis, defunctus Tuderti in Umbria An. 1464. (non 1451 ut est in Ephemeridibus Parisiens. an. 1684, p. 38 nec demum 1500 ut viro docto a) nuper visum) XI. Augusti. De eo consulendi Trithemius cap. 805. Hundii metropolis Salisburg. p. 304. Henricus Warthonus ad Caveum, et de Cusani dissidiis cum Sigismundo, Austriae Archi-Duce, Gundlingiana XIII, pag. 265, seqq. Possevinus memorat eum prope Cusam vicum, ubi natus fuit, domum hospitalem exstruxisse, amplisque reditibus et divite librorumGraecorum, Latinorum et aliorum suppellectile ornasse. Scripta ejus prodiere Parisiis 1513. Norimbergae 1514 et Basileae 1565, fol. quam postremam editionem locupletiorem et in tres distributam partes ordine referre placet:

I. *De docta ignorantia* praecisionis veritatis inattingibilis, ad Julianum Cardinalem, libri III, inter parum solidas quasdam, quibus sacris vult mysteriis lumen affundere, referti profundis et ingeniosis meditationibus. pag. 1.

Apologia doctae ignoratiae contra Magistri in Theologia *Joannis Vencchi* scriptum, cui titulus *ignota litteratura*. pag. 63.

De conjecturis sive omnem humanam veri positivam assertionem esse conjecturam, libri II, pag. 75 ad eundem Julianum

a) Acta Eruditorum An. 1730 pag. 250.

Cardinalem, quem Praeceptorem suum metuendum appellat.

De filiatione DEI ad Conradum Wartobergensem, Canonicum Monasterii Memphelti. pag. 119.

Dialogus cum eodem Conrado *de Genesi Mosaica*, scriptus An. 1447, pag. 127.

Dialogorum libri IV. An. 1450 conditi, quorum duobus prioribus *de Sapientia* Auctor cum Oratore Romano et *Idiota*, tertio *de mentis natura* cum Phlosopho, Oratore et Idiota colloquitur: quarto cum Idiota et Oratore *de staticis experimentis*, pag. 147 qui postremus quartus prodiit etiam Argentorati 1550, 4. ad calcem Vitruvii.

De visione DEI, sive *de Icona* et facilitate mysticae Theologiae p. 181 ad Abbatem et fratres Tegernenses.

De ludo globi vitae humanae per semitas spirales centrum ferire gestientis, libri duo pag. 208. dialogorum more prior cum Johanne Duce Bavariae, alter cum Alberto Bavariae Duce, adolescente.

Compendium sive directio speculandae veritatis, ad eundem Albertum. pag. 239.

De Possest pag. 249. Dialogus trilocutorius cum Bernardo et Johanne, de possibilitate sive materia Universi. Confer librum secundum de docta ignorantia capite 8. pag. 32, sq. librum de venatione sapientiae cap. 13 pag. 307, et de apice theoriae pag. 335. Excitationum lib. I, pag. 350, seqq.

De beryllo sive speculo intellectuali per quod res cognoscimus. pag. 267.

De dato Patris luminum Jacob. I, 17 pag. 284 ad Gerhardum Episcopum Solonensem a).

De quaerendo DEUM p. 291 liber scriptus Moguntiae An. 1445.

De venatione Sapientiae p. 298 liber lectu dignus imprimis.

De apice theoriae dialogus cum Petro Canonico et Decano B. Mariae Aquensis, Leodiensis dioecesis. pag. 332.

De DEO abscondito dialogus Gentilis et Christiani. Pag. 337.

II. *De annunciatione B. Virginis Mariae* devotus Dialogus. pag. 343.

a) Fortasse Salonensem.

Excitationum ex sermonibus sacris Nicolai de Cusa libri X, pag. 349. In libro sexto pag. 550 dialogus quo singula Orationis Dominicae verba explicantur. In his decem libris non invenio vestigium sermonis *in Psalm. XXX*, 11. in quo Nicolaus Cusanus teste Sixto Senensi lib. V, annotat. 165 docuit CHristum Dominum sustinuisse in anima sua dolorem inferni.

De Catholica Concordantia libri III, p. 683 scripti a Cusano, cum esset Decanus S. Florini Constantiensis, tempore Concilii Basileensis ante Annum 1438 superstite adhuc Sigismundo Imperatore. Multa in his libris praeclara de juribus et auctoritate Conciliorum Cusanus disserit, testatus documenta quae affert originalia se multa longo usu perdita per veterum Coenobiorum armaria, non sine magna diligentia collegisse. Hi tres libri saepius recusi in Simonis Schardii syntagmate de Imperiali Jurisdictione et potestate Ecclesiastica. Basileae 1559. Argentorati 1609 et 1618, fol. Tractatus vero quo *donatio Constantini Magni* rejicitur, obvius in Orthuini Gratii fasciculo rerum expetendarum et fugiendarum pag. 79 et cum veteri editione Donationis et Vallae in eandem declamatione excusus, excerptus est ex libri II, capite 1, pag. 780, seq.

Epistolae VII, pag. 825 quarum prima An. 1442 in diaeta Francofordiensi scripta de potestate Romanae Ecclesiae ad Rodericum de Trevino, Archidiaconum, Regis Castellae Oratorem. Caeterae sex *ad Bohemos*, de usu Communionis, et amplectenda unione Ecclesiae. pag. 825.

Dialogus Petri cum Graeco, Arabe, Indo, Chaldaeo, Judaeo, Scytha, Gallo, Persa, Syro, Hispano, Turco, Alemanno, Tartaro, Armeno, Bohemo, et Anglico, *de Pace* seu *Concordantia Fidei*, pag. 862.

Cribratio Alcorani ad Pium secundum scripta An. 1460 libris III, pag. 869. Haec legitur etiam in Theodori Bibliandri sylloge scriptorum adversus Muhamedanos Basil. 1543, fol.

Conjectura de novissimis diebus p. 932 in qua inter alia: *Et videbitur ipsa Ecclesia extingui, quia sancti Apostoli satores*

verbi DEI eam deserent et fugient. Nec stabit Petri aut cujusque Apostoli successor, omnes scandalum patientur. Et quando sic oculis insipientium CHristi corpus tradetur ignominiose, quasi per crucis mortem de mundo sublatum, resument sancti vires etc. De hac conjectura Cusani quae separatim cum Gallica versione prodiit Amstelod. 1700, 12. praeter editorem videri possunt Janus Nicius Erythraeus lib. 4. Epist. ad diversos 10. Petrus Baelius Epistolis ad amicum in Provincia tom. II, cap. 117. Morlierius Essais de Litterature tom. II, pag. 98 Monatlicher Auszug An. 1700 p. 364, sq. et Memoriae litterariae Trevoltinae An. 1715 pag. 420, 2153.

III. *De Geometricis trasmutationibus* ad Paulum Magistri Dominici, Physicum Florentinum p. 939 cum annotationibus Omnisancti.

De Arihmeticis complementis, ad eundem Paulum. pag. 991.

De Mathematicis complementis, ad Nicolaum V. An. 1450 p. 1004 cum Omnisncti annotationibus.

Quadratura Circuli auctore Nicolao de Cusa, Cardinali, Legato Pontificis et Episcopo Brixinensi. pag. 1091. Confer Joannis Wallisii Opera tom. III, pag. 677, seq.

De finibus et chordis, pag. 1095.

Dialogus de Circuli quadratura, cum Paulo Physico Florentino. ibid.

De una recta curvique mensura. p. 1001. Hoc scriptum cum tribus superioribus lucem vidit Norimberg. 1533, f. adjunctum Joanni Regiomontano de triangulis omnimodis.

Complementum Theologicum, figuratum in complementis Mathematicis. pag. 1107.

De Mathemathica perfectione pag. 1110 ad Antonium Cardinalem S. Chrysogoni, additis Omnisancti Annotationibus.

Reparatio Calendarii, p. 1155. Haec cum superiore opusculo et libris duobus de ludo globi prodiere etiam separatim in folio.

Correctio tabularum Alphonsi, p. 1168–1187. Vide supra pag. 68.

Hactenus Nic. Cusani opera junctim excusa.

Video praeterea exstare *Statuta* Cusani Legati de latere per Alemanniam Nicolai V. Papae *in Concilio Coloniensi* recepta An. 1452 in Conciliis Labbei, Harduini, Coleti, nec non in clarissimi Lunigii continuatione Spicilegii Ecclesiastici Parte I, peg. 590.

Seb. Munsteri Germaniae et aliarum regionum, quae ad Imperium usque Constantinopolitanum protenduntur, descriptio ex Historicis et Cosmographis pro *tabula* Nicolai Cusani intelligenda, in Sim. Schardii scriptoribus rerum Germanicarum tom. I, pag. 467.

Video etiam memorari à Warthono scriptum Cusani *de fortuna* et aliud *de aequalitate,* quae in operibus ejus non reperio.

InBibl. Leodensi inter Codices Is. Vossii habetur Varietas Lectionum editi *itinerarii Antonini* Aug. ab MSto exemplari Nic. Cusani. Vide Catalogum illius Bibl. pag. 387.

CUSENTINUS Archiepiscopus, hoc est *Consentinus* in regno Neapol. apud Ptolemaeum Lucensem recte et saepius à Martino Polono distinguitur: et Cusentinum Archiepiscopum, *Chronici* scriptorem, quando cum Ptolemaei Chronico memorat Jo. Gerson de statu Vet. et Novi Testamenti t. II. Opp. p. 154 non necesse est Martinum Polonum ab eo intelligi. Vide Jacobum Quetif de scriptoribus Ord. Praed. t. I, p. 362.

Ignoti auctoris Opusculum, quo *Consulum Romanorum* nomina quadrienniis digesta traduntur, toties laudatum a *Joanne* CUSPINIANO in commentariis ad Cassiodori Consules pag. 314 ac passim alibi, et de quo Josephus Scaliger V de emendat. temporum p. 404. idem est quod *Henricus Norisius* ex Codice MS. *Bibl. Caesareae* vulgavit ad calcem operis praeclari de annis et epochis Syromacedonum, post editionem Florentinam An. 1689 recusum Lips. 1696, 4. et tom. secundo Operum Norisii, junctim editorum Veronae 1729, fol. Idem opusculum à Graevio etiam, Norisianam editionem secuto insertum est, fastisque Capitolinis (quos illustravere Sigonius, Onufrius, Pighius) Idatianis et Tironis Prosperi Labbeanis subjunctum, tom. undecimo thesauri Antiquitatum Romanorum p. 335-360. Aliud *laterculm Consulare* a)

a) Vide illustriss. Scipionis Maffeji Antiquitates Galliae selectas pag. 97.

Colbertinum ab A. C. 381 ad 551. quod ex Codice Francisci Pithoei ad calcem Chronici Eusebiani edidit Arnoldus Pontacus p. 801-804, una cum aliis fastis Consularibus ex Codice Fuxensi p. 791-80. Burdigalae 1604, fol. Alios Consulum Catalogos, unum in An. C. 493. alterum in An. 534 desinentem dedit Jo. Georgius Eccardus tom. I, corporis historicorum medii aevi pag. 33 et 41.

Joannes CUSPINIANUS, Germanico nomine *Spiesshammer*, Swinfurtensis, post Conradum Celtem An. 1508, 4. Febr. extinctum praefectus a) a Maximiliano I, Imp. Caesareae Bibliothecae, et majoribus deinde rebus admotus. Hujus effigies in iconibus Joannis Sambuci p. 50. addito hexasticho quod ita se habet:

Carmine Virgilius, Medicina Phaebus et arte,
Historia immensa Livius alter eràs.
Tu nisi fastorum rationes, abdita primus
Tractasses, quid nunc marmora sacra forent?
Praesidis c) officio rexisti Jure Viennam,
Te Phaebum et Vatem, Jus quoque nemo negat.

Epitaphium ejus apud Lambecium tom., II, pag. 1011.

Joannes Cuspinianus, Doctor, quondam Civitatis Viennensis Praefectus.

Excolui primum Musas et Apollinis artes,
Nempe fui Medicus, tumque Poëta simul.
Postea me rebus natum majoribus, auxit
Caesar et ornavit Praesidis officio.
Illa igitur nostro sint verba inscripta sepulchro
Unica: vixi olim, Cuspinianus eram.
Historiae immensae monumenta aeterna reliqui:
Vivus in his semper Cuspinianus erit.

Vixit an. LVI, obiit an. MDXXIX. Mens. April. die XIX.

Praeter Jovium, Melchiorem Adamum, Vossium aliosque diligentius de Cuspiniano dixere Nicolaus Gerbelius ad ejus Caesares praefatus, et Martinus Hanckius libro secundo de Rom. rerum scriptoribus cap. 16 pag. 126, seqq. Mihi scripta ejus breviter referre placet.

Liber *de Caesaribus et Imperatoribus Romanorum,* a C. Julio ad Maximiiianum I. Augustum, in quo post Constantinum VIII. Palaeologum p. 528-579, *de Turcorum origine* disserens, illorum Reges sive Amyras Caesaresque describit a Mahomethe Seracenorum Phylarcho et Pseudopropheta usque ad Zelymum Othomannum: nec non tractat *de Turcorum re militari* p. 579-585. Religione p. 585-692 et *de caeteris eorum moribus domesticis* p. 592-595 ac denique *Maximiliani I.* An. 1519 defuncti subjungit res atque elogium (post adiunctum Felicis Petancii, Cancellarii Segniae, scriptum, quibus itineribus Turci aggrediendi sint, pag. 595-601.) pag. 601-615. Prodiit Argentorati 1540 in fol. Basileae apud Joannem Oporinum 1561, fol. et Francof. 1601, fol.

Diarium de congressu Caesaris Maximiliani Augusti et trium Regum, Hungariae, Bohemiae et Poloniae, Uladislai, Ludovici et Sigismundi in urbe Viennensi, An. 1515. XVII. Jul. ibid. pag. 616-635. Subiunctae et *Wolfgangi Hungeri,* Bajoarii Aquiburgensis in Cuspiniani Caesares et Diarium annotationes.

Austria, sive commentarius de rebus Austriae Marchionum, Ducum, Archi-Ducum a Leopoldo An. 933 ad Ferdinandum I. Caroli V, fratrem: Descriptio Austriae, Urbis Viennensis, Danubiique et LX, in eam labentium fluminum: De Austriae Ordinibus, Praelatis, (Episcopis, Praepositis, Abbatibus, Prioribus), Baronibus, Nobilibus, Militibus ac Civibus. De Sanctis Austriae Patronis, Basil. 1553, fol. ad calcem commentarii in Cassiodori Consules p. 591- 667 et Francof. 1601, fol.

Oratio de bello Turcis inferendo, ad Imperii Romani Proceres. ibid. pag. 711-723. In hac describitur infelix praelium, quo An. 1526 interiit Rex Hungarorum Ludovicus: Turcarum progessus ab Alba Graeca Budam usque, et Hungariae felix solum, vinis, agris, piscibus, jumentis, feris, metallis et aliis rebus abundantis.

Commonefactio ad Leonem X Papam, ad Carolum V Imperatorem, ac caeteros Christianos Principes de Constantinopoli An. 1453 capta a Turcis et de aliis cladibus per eos Christiano nomini illatis, ad bellum adversus Turcas suscipiendum, in Nicolai Reusneri Orationibus et Consultationibus de bello Turcico, per quatuor di-

a) Lambec. tom. I, pag. 52. seq.
b) Stadt-Anwalt.

gestis volumina, tom. II, pag. 172-182. Lips. 1596, 4.

Commentarius in SEXTI RUFI libellum de Regia, Consulari, Imperialique dignitate, ac de accessione Romani Imperii. Basileae 1553 a) fol. cum praefatione Nic. Gerbelii ad Jo. Jacobum Fuggerum, et Francof. 1601, fol.

Commentarius in Chronicon, sive Consules MAGNI AURELII CASSIODORI, praemissa ejusdem vita per Cuspinianum collecta. ibid. pag. 70-578. Huic commentario eique subjunctae Austriae etiam ex Cuspiniani consilio pag. 667-710, subjectum Chronicon ALBERTI Argentinensis, de quo supra.

CUTHBERTUS *Magesetus*, *Herefordensis* primum Episcopus, deinde Archiepiscopus *Cantuariensis*, de quo plura Wilhelmus Malmesburiensis, qui et versus ejus quosdam affert libro IV de gestis Pontificum Anglorum pag. 285, plures etiam quam Lelandus cap. 101. *Synodalia Decreta* sui temporis et *Carmina* non contemnenda scripsisse testatus. Obiit hic Cuthbertus A. C. 758.

De CUTHBERTO, Episcopo *Hagustaldensi* et ab An. 676 ad 687. *Farnensi*, sive *Lindisfarnensi*, cujus vitam a Beda compositam habemus, dictum supra pag. 504. Huic *Ordinationes Ecclesiae suae* tribuit Pitseus pag. 112 ex Baleo Centur. I. cap. 81 et librum *de vita Monastica*, quae *praecepta vitae regularis* Baleus appellat.

CUTHBERTUS Monachus *Gervicius*, sive *Girovicensis*, de *Bedae*, cujus discipulus fuit, *vita* et *obitu* libellum scripsit ad Cuthvinum Monachum, *quem libellum*, inquit Lelandus cap. 90 *cum nuper reperissem in palatina illustrissimi Henrici VIII. Anglorum Regis, Bibliotheca, avide semel legi, et majori voluptate relegi: multum diuque mecum considerans quantus et quam non ullo esset virtutis titulo Beda cum nostrae aetatis monachis conferendus.* Edidit Mabillonius tom. III. Sanctorum Ordinis Benedicti pag. 534. Etiam opera Bedae collegisse hunc Cuthbertum atque in ordinem digessisse ait Baleus Centur. II, c. 7. Obiit Beda A. C. 735.

De Juniore CUTHBERTO Tunstallo ex Londinensi Episcopo An. 1530. Dunelmensi, vide Henrici Warthoni Angliam sacram tom. I pag. 783.

S. Thascius Caecilius CYPRIANUS, Episcopus Carthaginiensis, doctrina et virtute venerabilis, qui in persecutione Deciana alacriter pro CHRISTO subiit Martyrium An. 258, 14. Septembris. De ejus scriptis vitaeque scriptoribus, editionibus atque interpretibus non repetam ab aliis dicta et partem notata a me ad Hieronymi Catalogum LXVII, atque diligentius in delectu argumentorum ac syllabo Scriptorum de veritate Religionis Christianae pag. 217, seqq. Tantum addam novissime lucem vidisse splendidam et accuratam Operum S. Martyris editionem, quam collatis editionibus et Codicibus MSS. plus quam triginta adornaverat, notisque instructam ad praela paraverat praeclarus Vir *Stephanus Baluzius,* et post eum An. 1718, 28 Jul. exstinctum, in lucem extulit Prudentius Maranus, Monachus Benedictinus, praemissis de vita et doctrina S. Cypriani prolegomenis, Parisiis 1727, fol. Eadem editio repetita Venetiis 1728, fol. Quam vero pag. 345 ex duobus sub Cypriani nomine *ad Turasium* Presbyterum vulgavit Baluzius, eadem legitur inter Hieronymi Opera tom. V. Marcianaei pag. 405 et emendatior quidem variis locis, quanquam in aliis recta magis et integrior est Baluziana editio. Caeteras duas Epistolas primum editas a Baluzio, quia breves sunt et in omnibus aliis Cypriani editionibus desiderantur, hoc loco offerre Lectori meo volui.

CORNELII a) Papae ad Cyprianum.

Dilectionis tuae non delectabilia et contra fidei regulam scripta suscepi, in quibus nauseas recognovi et venena sermonum ad-

a) In Bibliotheca D. Johannis Fabricii Helmst. tom. III, pag. 76. typorum vitio excusus num. 1853.

a) Supposititia videtur haec Epistola Marano in prolegomenis pag. XCII. Sane *Stephano*, Episcopo Romano, magis videtur convenire. De tota autem illa controversia consulas dissertationem dogmaticam de baptismo haereticorum editam Parisiis 1724, et vulgatam Gallice 1727 in 12.

versus Catholicam per totum Orbem diffusam Ecclesiam horribilibus a te superseri zizaniis non laudavi. Quae peto velociter tollas, ac praedamnes. Quod prius quidem te facere oportebat, quam in mundo letale virus aspersum simplicium et innocentium interficeret mentes. Non ergo dignum est rebaptizare. Ergo eradica et extrica, ut diximus, florulentis sermonibus atque dignis per posteriorem Epistolam priora scripta, quae contra Catholicam Fidem serrare a) censuerunt genimina viperarum. Non enim decet tantae Urbis Antistitem excellentissimumque Doctorem, ut, dum putas haeresis baptisma praedamnandum, verum baptisma sermonibus maculare audias, b) *quae doles contra Apostolum scilicet repugnare dicentem:* c) Unus DEUS, una Fides, unum Baptisma.

CYPRIANUS Plebi Carthagini consistenti, aeternam in DOMINO Salutem.

Gratias quidem agimus DEO Patri et DOMINO JESU CHRISTO, qui vos adunatos atque in conventicula restituit. Propter quam rem memoravimus et scriptum beatissimorum Martyrum atque Confessorum voluimus ad Consilium nostrum serrare. Jubet desuper Majestas atque Spiritus Sanctus, cujus in nobis Gratia testis est salutaris. Nam cum tractaret de traditoribus, *jubet tam in Evangelio quam in Apostolo, tam in Psalmis quam in Prophetis et caeteris Scripturis* d), Scrutamini. *Quo scrutato a nobis invenitis ab iis, qui Scripturas Sanctas tradiderunt, non mereri eos congredi Consilium nostrum, id est Consilium habitare. Nemo enim est, qui hoc Consilium congrediatur, non Caelestem spectet. Ac propterea memoravimus, ut ii, qui taliter Scripturas tractaverunt, ad statum plebis, et judicium ab ipsis porrectum, nec aliqua actio ab ipsis promi, sed nec etiam ad statum sacrificii, neque plebis esse proximi; quia utique jam dudum derelicta plebe, nudata altaria, promta* a) *sacrificia. Merito haec memorantes cum moestitia ac dolore animi profici teste ad DOMINUM quod debuimus statuere quam omnes disceptationes et dissensiones et haereses et scandala hauserant, ne ulterius provocent se homines, seu minus fidei, seu Scripturis leves sint et lectores, id statuimus, atque statuto nostro recedi nolumus, ut si qui tradidit praepositus huic plebi, mereantur antistitem administrantem altari ac corpore integro. Iis vero jussimus, a quibus et sacrificium offerri jubemus. Merito praeceptis iis obtemperari debet, nec aliud fiet quam statuta Evangelica vox sincera cata Johannem* b) *loquitur:* Nolo, *inquit,* de manibus vestris sacrificia, quia non venistis ad me cum hostia munda. *Qui utique hostiam mundam non offert, hostia de manibus ejus non adscendit. Nam iterum legimus:* c) In principio erat Verbum, et Verbum erat apud DEUM, et DEUS erat Verbum. *Qui per Verbum finctionem finxerint dare res inhabitabiles apud illos seu veras Scripturas sacras seu finctas, qui dat vocem et qui dat desideria proxima, qui utique finget tradere, supplebit traditionem. Merito negantes volumus interim veniam habere confitentes patres. Nam qui dicit se Scripturas non habere, utique paratus fuit et torqueri, quorum exempla habemus. Tertio negaverunt, et Sacramentum non tradiderunt. Ii autem qui nec interrogati obtulerunt, interim usque ad statum Consilii, laïci communicabunt. Veruntamen in statum Consilii quod Scriptura sacra promoverit secundum sententiam fixam sanctis et amicis DEI suppleri volumus, cum jam testes et proximi aliquid jam dudum statuerant nostri antecessores. Ob quam rem necesse est nos testibus con-*

a) fortasse *serere.*
b) *Audeas.*
c) Ephes. IV. 5.
d) Joh. V. 39.

a) Legendum fortasse *peremta,* vel *promota* h. e remota, ut apud Ciceronem III. 16 de finibus: tamen *promovendi* vocabulo in eadem hac Epistola alio sensu deinde Cyprianus utitur.
b) Κατα Ιωάννην. Sed apud Johannem verba illa non leguntur. Sensus exstat Esaiae I, 15.
c) Joh. I. 1.

sentire complecti et supplere. Opto vos in DOMINO sempre valere.

Carmen de Resurrectione, quod sub Cypriani nomine in Codice Corbejensi Edmundus Martene repetit, legitur quidem in Tertulliani quibusdam editionibus, sed malo more interpolatum, ex MSto autem sincerum in laudati Martene nova collectione monumentorum veterum, in limine tom. IX, Parisis. 1733, fol.

Cypriano Carthaginiensi liceat alios subjungere Cyprianos decem vel undecim, quorum primus CYPRIANUS *Antiochenus* sub Diocletiano passus Nicomediae. Cujus *Confessio* ex veteri versione Latina cum eruditis notis exstat ad calcem editionis S. Cypriani curatae a Johanne Fello, Oxoniensi Episcopo: Graece vero ex Codice Colbertino Comitis de Seignelay cum nova Prudentii Marani, Benedictini, versione, in editione Baluziana p. CCLXXVI-CCCX Vide etiam de eo Nazianzenum Orat. XVIII. Eudociam apud Photium Cod. 184. Simeonem Metaphrasten et Lipomannum tom. VI, 2 Octobr. Surium 26 Septembr. Goarum ad Euchologium pag. 719. Marbodeum Rhedonensem p. 1513. Operum. Edmundum Martene tom. III. Anecdotor. pag. 1622, sqq.

CYPRIANUS *Benetus* seu *Benedictus*, Aragonius, Ordinis Praedicatorum, qui adhuc vixit An. 1529. De ejus scriptis accurate Jacobus Echardus tom II, de scriptoribus Dominicanis pag. 49, sq. et pag. 824. b. Non dubito falli Simlerum aliosque, qui *Venetum* appellant pro *Beneto*. Nam Benedictum Valentinae gentis dialecto solere efferri Benet, notavit Nicolaus Antonius tom. II. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 262.

CYPRIANUS *Brixiensis* de quo Acta Sanctorum tom. II. April. 21 pag. 849.

CYPRIANUS *Burdegalensis* Archiepiscopus, qui Concilio Agathensi interfuit An. 506. praefuitque Aurelianensi An. 511 ut notatum Sammarthanis tom. I. Galliae Christianae pag. 199.

CYPRIANUS *Caesarii* Arelatensis discipulus et vitae ejus scriptor. Infra, *Cyprianus Tolonensis.*

CYPRIANUS Presbyter, Monachus *Cassinensis* circa Annum 760 auctor *hymni de miraculis S. Benedicti*, cujus initium: *Aureo solis radio perennis.* Vide Petrum Diaconum cap. 7 de viris illustribus Cassinensibus.

CYPRIANUS *Cordubensis* in Hispania Archipresbyter circa Annum CHristi 900 de cujus epigrammatibus IX, genuinis, lectisque ab Ambrosio Morales et Mich. Ruizio: et de aliis XXI, supposititiis videndus Nicolaus Antonius lib. VI. Bibliothecae veteris Hispanae cap. 7. Cypriano huic multum tribuunt Laurentius Ramiresius de Prado ad Luitprandum p. 432. Jo Tamajus in martyrologio Hisp. aliique.

CYPRIANUS Abbas, cognomento *Cuculus*, de quo Moschus in prato spiriatali cap, 132.

CYPRIANUS *Martyr* Corinthius circa Annum CHristi 258 cujus et Codrati (Quadrati) Dionysii aliorumque Acta Latine ex versione Petri Francisci Zini apud Lipomannum, et 10. Martii apud Surium et in Actis Sanctorum Martii tom. secundo pag. 5.

CYPRIANUS *Petragorici* Abbas, de quo Gregorius Turonensis de gloria Confessorum cap. 100:

CYPRIANUS *Tolonensis* (Toulon) in Gallia Episcopus, qui Concilio Arelatensi An. 541 interfut, *vitam* Magistri sui *Caesarii Arelatensis* scripsit cum MESSIANO Presbytero et STEPHANO Diacono ante Annum CHristi 549 *libris duobus.* Exstat apud Surium 27 August. et integrior apud Vincentium Barralim in sanctis et illustribus Lerinensibus: et apud Mabillonium I. Sanctorum Ordinis Benedictini pag. 658. De Caesario hoc supra pag. 875. Caesarius hic obiit An. 542 non 554 ut excusum apud Vossinm pag. 243.

* De vita S. Caesarii Arelatensis a Cypriano hoc scripta diligentius disserendum esse judico; operis enim huius librum tantummodo priorem scripsit Cyprianus iste, nec ipse per se solus, sed opere cum Firmino et Viventio Episcopo coniuncto. Eius librum secundum adiecerunt Messianus Presbyter et Stephanus Diaconus, ut ex cap. 1, eiusdem libri II, discimus. Vitam hanc

Caesarii post Mabillonem novis curis recensitam ad MSS. Codd. dederunt Bollandiani socii ad diem 27 Augusti adiectis adnotationibus suis, nec Mabillonianis omissis.

CYRIACUS Antiquarius Anconitanus circa medium sec. XV, inter primos fuit, qui *veteres Inscriptiones* undique collegit, laudatus Angelo Decembrio, Francisco Philelfo, a) Leonardo Aretino, b) Leandro Alborto, aliisque. Ab Antonio Augustino c) arguitur falsas etiam confinxisse et Ambrosio Moralesio in Annalibus Hispanicis fidem ei habenti sublesta merce imposuisse, perinde ut in Mazochii et Apiani, Amantiique collectionibus fidem desiderare se significat. Nonnullas Cyriaco debere se profitentur in collectione sua An. 1534 edita Ingolstadii in fol. Petrus Apianus et Bartholomaeus Amantius: ut primam statim, ubi eum laudant his verbis: *Monumentum hoc Gaditanum eximius vir Cyriacus Anconitanus reperit, qui non absque magnis molestiis longissimorum itinerum faciendorum, quascunque inscriptiones vetustas, quoad licuit, descripsit: neque tamen suis impensis hoc peregit, sed NICOLAUS V. Pontifex Maximus cum incredibili antiquitatis explorandae ardore flagrans, tum et bonorum librorum comparandorum desiderio sumtus ad hunc laborem conficiendum quam magnificentissime suppeditavit.* Inscriptiones Graecas et Latinas collectas ab hoc in Illyrico et Graecia, una cum nonnullis ejus Epistolis excudi curavit Francisc. Barberinus d) Cardinalis senior, sed XXXIV paginis in majoris folii forma praelo absolutis opera illa omissa ac suppressa est. *Itinerarium* Cyriaci Anconitani citatur a Torello Saraynа: Ab aliis etiam *Imperatorum vitae* usque ad Fridericum Barbarossam, sed scriptae Italico idiomate.

• De viro hoc doctissimo liceat mihi haec dare quae scripsit Ambrosius Camaldulensis in suo hodoeporico pag. 30. *Adiit nos inter coeteros et Cyriacus Anconitanus multaque nobis ostendit antiquitatis, cuius curiosissimus indagator erat monumenta; tum epigrammata vetusta, tum signatos nummos argenteos, et aureos, tum signa.*

Itinerarium Cyriaci non ante multos annos, anno scilicet 1742 typis Florentinis in 8, vulgavit amicus meus doctusque veterum codicum indagator Laurentius Mehus.

Epistolas Cyriaci nonnullas servat codex MS. Felinianus; inter quas prior ad Joannem Palaeologum Graecorum Imperatorem scripta, missam ad eundem principem commemorat orationem eiusdem Cyriaci coram Cardinali Firmano, Alphonso rege, aliisque principum legatis habitam de colligendis in Turcas armis.

Epistolae vero istae propemodum diversae ab iis octo sunt, quas Itinerario Cyriaci partim jam evulgatas, partim e MSS. Codicibus extractas, cl. Mehus subiecit: Porro ex his Lucensis codicis epistolis postrema non quidem epistola est, sed potius oratio a Cyriaco habita, quo tempore Ragusaei legatione a Marino de Restis cive suo gestafoederis innovationem cum Anconitanis et postularunt et impetrarunt. Acta haec sunt Eugenii IV. An. X, die iduum Juniarum. Anconae laudes tunc percensens Cyriacus ea omnia totidem fere verbis repetit, quae in Itinerario suo perscripserat ab illis verbis: *est enim civitas Anconae etc.* pag. 38 usque ad illa pag. 48 *pietatem, devotionem et fidem.* In referenda vero inscriptione Trajani, quae utrimque recurrit animadvertisse juvat insigne mendum, quod in excusum Itinerarii irrepsit. Verba enim illa: *Hoc etiam addito. . . . . reddiderit,* quae tanquam in lapide insculpta iisdem exarata literis dantur in edito, in nostro codice literis expressa diversis a reliqua inscriptione exibentur, tanquam si essent historici narrantis, non lapidis.

Demum praeter hac scripsit Cyriacus opusculum *De septem Mundi spectaculis;* alterum *de Familiis Romanorum* et *de Gregorio Theologo* quae servat MS. Codex Bibl. Riccardianae; ac denique eius *de navali*

a) Franciscum Burmannus praefatione ad Inscriptiones Gruterianas, Graevii cura recognitas Amst. 1707, fol.

b) Baluzii Misc. tom. VI, pag. 539.

c) Augustinus Dialog. IX. et XI. de numismat. Vossiu de Hist. Lat. pag. 809.

d) Giornale de' letteri d' Italia tom. XXI, p. 428. Burmannus l. c.

conflictu Pontiniani Tarraconensium Regis servat Ambrosiana Bibliotheca. Vide Mehum in praefatione pag. XXV, qui tamen vir clariss. et ego pariter, qui ex illo accepi, corrigendus in eo est, quod libellum de septem Mundi spectaculis, et de Gregorio Theologo secat in duos; cum idem omnino sit opusculum ut ex titulo relato in catalogo Bibl. Riccardianae didici: en illum: *De septem Mundi spectaculis ex Gregorio Theologo ad Federicum Contarenum*,

(84 Vide Scalamonti (Franciscum, script. Saec. XV.) *Vita di Ciriaco Anc.* in t. XV, fol. Op. *Colucci Antichità Picene*).

CYRICIUS, sive *Quiricius* (Caveo *Syricius*) Episcopus Barcinonensis in Hispania circa Annum CHristi 662 cujus *Epistolas duas* ad Ildefonsum Toletanum cum Ildefonsi responsionibus edidit ex Corbejensi Codice Lucas Dacherius tom. I, spicilegii p. 308 311 quas habes editionis novae tom. tertio pag. 314 emendatiores ex Codice Hardensiano. Priore Epistola Cyricius Ildefonso gratias agit pro Opere ipsius de Virginitate santae Mariae contra Jovinianum et Helvidium.

CYRILLUS *de miraculis Hieronymi* ad S. Augustinum, cum praemissa sub Augustini nomine ad Cyrillum Epistola, saepius prodiit inter S. Hieronymi Opera, ut tom. IV, edit. Francof. 1648 pag. 243 245. Lucubratio Latini scriptoris, longe inferioris aevi, Cyrillo Hierosolymitano supposita.

CYRILLUS patria Constantinopolitanus, tertius Carmelitarum Generalis ab An. 1197 ad 1225, de quo Acta Sanctorum 6. Martii tom. I, pag. 498, seq. ubi vita scripta a Johanne Palaeonydoro. Traditur hic Armeniae Apostolus Soldanum Iconii ad Christiana sacra adduxisse, atque operam impendisse in Graecis ad Latinam Ecclesiam adducendis. Vide Marci Antonii Alegre paradisum Carmelitici decoris pag. 154, seq. Fasciculus temporum ad Annum 1224. *S. Cyrillus Graecus melliflui Carmeli Pastor Doctorque tum vitae sanctitate tum Prophetiae spiritu conspicuus, multa conscribit posteris profutura saeculis, et copiosis miraculis DEI procurat gloriam, Mundo stuporem.* Ex scriptis ejus Philippus Ribotus operi suo de institutione et peculiaribus gestis Carmelitarum, Venet. 1507, fol. Cyrylli librum *de incolis Carmeli et incremento Ordinis sui* inseruit. Caetera sunt: ad Abbatem Joachimum de oraculo Angeli. Epistolae ad diversos et ad Eusebium fratrem singularis. Liber Prophetiarum. Vide Didaci Coriae antiquitates Ordinis Carmelitici, Hispanice editas Cordubae 1598, fol. lib. X, cap. 7.

Statius sive *Tatius* CYRILLUS, tempore Constantini Magni vixit, ejusque jussu monumenta quaedam de vitis Imperatorum e Graeco vertit Latine. Vide Julium Capitolinum de duobus Maximinis cap. I, qui clarissimum virum appellat.

CYRILLUS Trevirensis Episcopus circa Annum CHristi 458 de quo Acta Sanctorum 19. Maji tom. IV, pag. 331.

CYRINUS, supra, ARIBO pag. 126, seq. et quae ad Vossii paginam 700. Sandius.

Petrus CYRNÆUS Clericus Aleriensis, cujus commentarius *de bello Ferrariensi* ab An. CHristi 1482 ad 1484 gesto, nuper in lucem prolatus esf ex MSto Codice Bibliothecae Estensis a laudatissimo Muratorio, Corporis splendidi Historicorum Italiae tom. XXI, qui numero voluminum est XXIII. *Rerum Corsicarum historiam* et de vita ac doctrina hujus Cyrnaei commentationem alio tomo a praeclarissimo viro exspectamus.

* *Petrus Cyrnaeus Corsus*; olim enim Corsica Cyrne appellata est, natus est ex paupere familia Alisianae Dioecesis Aleriensis oppido an. 1474 ex patre Picino Felice, professione erat sacerdos, operamque suam impendit apud Venetos typographos in corrigendis typorum speciminibus. Opus eius *de rebus Corsicis* evulgavit tandem Muratorius in tom. 24 praeclarissimi operis Rer. Ital. Script. (anno 1738) Haec omnia ex Muratorio ibidem accepta sunt.

PROVERBIA WIPPONIS PRESB.

AD HENRICUM, CONRADI IMP. FILIUM.

Incipit inventum, referens proverbia centum.
Decet regem discere legem.
Audiat rex quod praecipit lex.
Legem servare hoc est regnare.
Notitia litterarum lux est animarum.
Saepius offendit qui lumen non attendit.
Qui habet scientiam, ornat sententiam.
Melior est sapientia, quam saecularis potentia.
Plus unicus sensus, quam multiplex census.
Est sapiens multum, qui amat DEI cultum.
Vir fidelis coronatur in caelis.
Bene credit qui neminem laedit.
Qui fidus seniori, adproximat honori.
Qui confidit in DEO, fortis est ut leo.
Melius est in DEO sperare, quam divitias congregare.
Fortissima spes beatificat res.
Caritas non ficta odit delicta.
Qui diligit fratrem, placat DEUM et patrem.
Regnum coelorum non est invidorum.
Melius est humiliari quam exaltari.
Humilis homo triumphat in domo.
Qui per ardua vadit, saepius cadit.
Viri mites renuunt lites.
Qui assidue rixantur, a paucis amantur.
Malos pro DEO tolerare est superare.
Pacis donum omnibus est bonum.
Qui in pace fundantur, non eradicantur.
Incendium bellorum corruptio est morum.
Homo pudicus est animae amicus.
Ubi frequens luxuria, non deerit penuria.
Voluptas mundana semper est vana.
Judicis sententiam oportet sequi clementiam.
Melius est interdum ignoscere, quam vindictam poscere.
Qui miseretur, misericordiam consequetur.
Verbum veritatis subveniet judicatis.
Falsus in ore caret honore.
Qui falsitate vivit, omnia occidit.
Qui est hilaris dator, hunc amat Salvator.
Omnis avarus nulli est carus.
Bona tribuere non est minuere.
Ubi pugnat sancta oratio, ibi vincitur tribulatio.
Incessanter orare est delicta purgare.
Bene orat qui in corde plorat.
Jejunium forte liberat a secunda sorte.
Qui non potest jejunare, discat eleemosynam dare.
Bene jubilabit qui a bono non cessabit.
Melius est interdum dormire, quam diabolo servire.
Dormire non multum exhilarat vultum.
Qui se fatetur reum, placat DEUM.
Ubi est vera poenitentia, ibi DEI clementia.
Oportet enim parcere diu positis in carcere.
Valde decipitur qui numquam corripitur.
Amicabilis increpatio non est damnatio.
Oleum peccatoris laus est adulatoris.
Ubi longa ebrietas, ibi brevis est pietas.
Vinum multum et forte parum distat a morte.
Per crapulam cibi et potus perit homo totus.
Per moderantiam pervenitur ad abundantiam.
Mediocriter plura gaudet natura.
Proverbium Ne quid nimis *laudatur in primis.*
Juvenis animosus senex fit gloriosus.
Qui torpescit dum calet, frigidus nihil valet.
Qui vacat in juventute, turbatnr in senectute.
Fortes viri omnibus sunt miri.
Reges et praesides non decet esse desides.
Mundi rectores aequent cum nomine mores.
Viri pontificales sanctis sunt aequales.
Medici animarum exorbitent parum.
Contra lupum vigilare est raptus vitare.
Qui viduam defendit ad CHristum regem tendit.
Qui vindicat pupillum DEus coronet illum.
Pauperum consolator est aeternae vitae amator.
Oportet cavere vanitatem videre.
Cor incendit oculus ut stipulam foculus.
Voluptas non visa citius erit elisa.
Qui libenter bonum audit, corde Deum plaudit.
Melius est pauperem audire quam sonitum lirae.
Incassum miseros audit, qui os et manus claudit.
Lingua placabilis ligno vitae est comparabilis.
Lingua dolosa sempr est odiosa.
Qui loquitur modeste liber est a peste.
Manus sine opere mendicabit propere.

Manuum labores praestant honores.
Qui bonum operatur, a DEO benedicatur.
Beati pedes qui visitant infirmorum aedes.
Cum Deo ambulare est animam salvare.
85 *Qui migrat ad aeternam sedem, non offendit pedem.*
Iniquum est ob beneficium reddere supplicium.
Qui reddit malum pro bono, indignus est dono.
Bono vincere mala ad caelum est scala.
Mundi contemtus a Deo est inventus.
90 *Qui amat mundum praesentem, sequitur rem fugientem.*
Melius est supernum consilium quam hujus vitae auxilium.
Pulcra tenet atria superna patria.
Tendit filius et frater qui vocat illos pater.
Auro caelesti sunt semper gaudia festi.
95 *Quid fugis ex illo, qui claudit cuncta pugillo?*
O quicumque velis mentem conjungere caelis.
Qua resident justi serto palmisque venusti.
Mundi sperne minas, et res pede subige blandas.
Superbia dicit: *In cunctis operibus tibi non aequabitur ullus.*
100 Humilis: *Putridus es vermis, quid homo moriture superbis?*
Inanis gloria: *Fac propter famam quaecumque potes bona coram hominibus.*
Timor DEI: *Opta celari bona quaeque soles operari.*
Hypocrisis: *Exterius sancto te conformare studeto.*
Religio: *Vae foris albatis, qui vos tumulis simulatis.*
105 Inobedientia: *Quid faciat se, qui multum vilior est te.*
Subjectio: *Quisquis vos spernit, DEUS inquit, me quoque spernit.*
Invidia: *Cur quocumque modo non is sublimior illo?*
Congratulatio: *Congaude fratri, fer opemque proficienti.*
Odium: *Qualiter hunc quis amat, sibi qui contrarius extet?*
110 Charitas: *Verus amor fratris, brevis est impletio legis.*
Detractio: *Quis toleret? sileat veniam quod perpetrat ille.*
Justa correptio: *Occulte numquam debes reprehendere quemquam.*
Ira: *Cur non obsistis, cum quid fieri tibi non vis?*
Patientia: *Quid non pro CHristo toleres pro te crucifixo?*
115 Protervia: *Peccanti semper sis durus et asper.*
Mansuetudo: *Argue, coge, roga, Timothee, sagaciter ista.*
Timor mentis: *Scit DEUS ipse quid est, nullo de judice cures.*
Satisfactio: *Suspiciosus eris, si non delicta fateris.*
Tristitia: *Quo gaudere potes qui gratis tot mala perfers?*
120 Gaudium spirituale: *Cur modo contristat quod non tibi gaudia praestat?*
Torpor vel ignavia: *Visu privaris si continue lacrymaris.*
Virtutis exercitatio: *Mors venit absque mora, tu nocte dieque labora.*
Vagatio: *Hoc discede loco, locus ille beatior isto.*
Stabilitas: *Cum sit ubique DEUS, maneas ubique quietus.*
125 Desperatio: *Non surges penitus peccati mole gravatus.*
Spei fiducia: *Dant tibi spem veniae peccata remissa Mariae.*
Cupiditas: *Multiplica foenus, nec mendicabis egenus.*
Mundi contemtus: *Quantum vis habeas, nil hinc moriture reportas.*
Obduratio: *Unde tuos pascis, tua si dispergis?*
130 Misericordia: *Si quid habes tribuas, tua sit tibi larga voluntas.*
Fraus, furtum: *Non est qaod tribuas? furto vel fraude requiras.*
Innocentia: *Praestat nulla dari quam te fraude furari.*
Fallacia et mendacium dicit: *Perfice fallendo quod non vis vera loquendo.*
Veritas: *Os quod mentitur, animae mors esse probatur.*
135 Ventris ingluvies: *A factore datis cur non epulis satiaris?*
Parsimonia ciborum: *Parce quibusque cibis, peraes ne cum Sodomitis.*
Inepta laetitia: *Fac socios gaudere tuos risumque movere.*
Moderatus maeror: *Unde tibi risus, cum sis miser hic peregrinus?*
Multiloquium: *Est nil peccati per plurima si bona fari.*

140 Discreta taciturnitas: *Numquam vitabis culpam si multa loquaris.*

Immunditia : *Non est culpa gravis quaevis pollutio carnis.*

Integritas carnis: *Clauditur incestis caelestis janua regni.*

Luxuria : *Utere luxuria, nescis quae vita futura.*

Castitas inlibata : *Si castus fueris, vita sine fine frueris.*

145 Spiritalis fornicatio : *Non est grande nefas, animo concepta voluptas.*

Mundicia carnis : *Certe moecharis, cum sis cupidus mulieris.*

Amor praesentis saeculi : *Quid dulci vita valet esse venustius ista ?*

Amor patriae coelestis : *Si carcer talis, DEUS ó tua mansio qualis !*

Expliciunt Proverbia.

JO. ALBERTI FABRICII

LIPSIENSIS

S. THEOLOGIAE INTER SUOS D. ET PROF. PUBL.

BIBLIOTHECA LATINA

MEDIÆ ET INFIMÆ AETATIS

CUM SUPPLEMENTO

CHRISTIANI SCHOETTGENII

JAM A P. JOANNE DOMINICO MANSI

CLERICO REG. CONG. LUCENSIS MATRIS DEI

IN PATRIA DEMUM ARCHIEPISCOPO

E MSS. editisque Codicibus correcta, illustrata, aucta

POST EDITIONEM PATAVINAM AN. 1754.

NUNC DENUO EMENDATA ET AUCTA, INDICIBUS LOCUPLETATA

Accedunt in fine vetera plura monumenta

TUM A FABRICIO OLIM TRADITA, CUM A CL. MANSIO PRIMO ADIECTA

TOMUS II.

cui accedit Doctrina D. Severini Episcopi

DA — FUX

FLORENTIAE

TYP. THOMAE BARACCHI ET F.

MDCCCLVIII

Apud J. Molini

VENERANDO ET CLARISSIMO
VIRO
JACOBO BRUCKERO
Ecclesiaste Kufborensi
de sacro grege suo non minus
quam de bonis litteris
egregie promerito

faustissima quaeque precatur
et
Volumen praesens sacrum esse
cupit,
pro jucundo ejus munere
tomi quinti Historiae Philosophicae
quo rebus medii aevi etiam
lux non inficianda accenditur
hanc qualiscunque redhostimenti
vicem redditurus

JO. ALBERTUS FABRICIUS

AD LECTOREM

Ecce alterum Volumen hujus Bibliothecae, in quo pag. 487 emendandum quod in versu Eberhardi Bethuniensis GETAM de Osidio Geta interpretatus sum, erat enim hic de Geta in Amphitruone Vitalis Gallici intelligendus, de quo suo loco. Non dubito alia multa esse in quibus venia Tua mihi sit opus, sed gnarus has litteras aliter quàm ut dies diem doceat, non constare, consciusque studii quod attuli sumque porro, largiente Deo optimo valetudinem, allaturus, bene aequitate Tua sperare non desino. Doctrina D. Severini Episcopi volui huic Volumini colophonem imponere, ut sicut priori ita huic quoque a piis monitis usus et dignitas accederet. Vale!

BIBLIOTHECA

MEDIÆ ET INFIMÆ LATINITATIS

LIBER IV.

Joannes de DACIA. Vide JOANNES.

Petrus de DACIA. Vide PETRUS.

DACIUS Mediolanensis, ab A. C. 525 ad 541 a) Archiepiscopus *(Datus* aliis vel *Datius)* de quo Gregorius Magnus III, 4. dialogor. Victor Tunonensis in Chron. Acta Sanctor. tom. I. Januarii 14 p. 767, sq. Josephus Ripamontius decad. 1. lib. 7, hist. Mediolan. et Ughellus tom. 4. Italiae sacrae pag. 56. Ad hunc Dacium, Cassiodori Epistola XII, 27. Variar. data circa A. C. 537 in qua de ingenti illa fame, cujus meminit, Dacium laudans Anastasius Bibl. in vita Sylverii Pontificis his verbis: *Eodem tempore tanta fames fuit per universum Mundum, ut* Dacius *Episcopus Civitatis Mediolanensis* relatione sua *hoc evidenter narraverit, quod in partibus Liguriae mulieres filios suos comedissent penuria famis etc.* Ante Anastasium, Historia Miscella XVI, 15 *ut sicut vir beatissimus* Dacius b) *Mediolanensis antistes retulit, pleraeque matres infelicium natorum comederent membra.* Relatio illa intercidit, neque de fame illa mentio in *Chronico rerum Mediolanensium*, quod sub Dacii nomine laudarunt Corius, Gualvaneus Flamma, auctor libri Flos Florum, aliique. Sed Dacii non esse, quod jam pluribus doctis suboluerat, Menardo, Raynaudo etc. vide Tillemontium tom. XIII, memoriar. II. E. pag. 962 et non tantum interpolatum passim, ut Eustachio a S. Ubaldo c) visum fuit, nec ut alii apud Pagium d) sibi persuasere, Dacii alterius nescio cujus, verum longe junioris scriptoris clari circa extremum Seculi XI. *LANDULPHI* e) nimirum, probe animadverterunt Jo. Mabillonius tom. I. Analect. pag. 3, seq. (edit. novae p. 487.) et Ludov. Antonius Muratorius tom I, analect. Latin. p. 236, seq. Idem vir tot nominibus meritissimus de re litteraria primus etiam hocce Chronicon in An. 1085 desinens, et quatuor libros complexum, sub genuini auctoris sui LANDULPHI nomine è MSS. Codd. Ecclesiae Mediol. vulgavit tomo quarto Corporis scriptorum Italiae, Mediolan. 1724, fol. studium una adhibente praeclaro Viro, Horatio Blanco, Romano. Quae autem ab hoc Landulpho memorantur Dacii *expositio Ordinum S. Ambrosii, de Chrismate* ejusdem et *de antiphona Crucis,* ea nusquam extant quod sciam.

DACRIANI *vitae spiritualis documenta XII*, et *speculum Monachorum*, editum primum Lovanii 1538 exstant in tom. V. Bibliothecae Patrum Parisiensis An. 1589 et Coloniensis tom. VIII, et à Margarino Bignaeo referuntur ad Abbatem Benedictinum hujus nominis, qui saeculo octavo vixerit.

a) An. 541. pulso Dacio a Gothis, Magnum datum successorem legitur in Chronico Maximi Caesaraugustani, apud Nic. Antonium tom. 2. Bibl. veteris Hispan. pag. 280.

b) in Pauli Diaconi lib XVII. male editum *Darius*.

c) Disquisitione de hymno, *Te DEUM laudamus*, Mediolan. 1695, 4. Acta Erud. tom. 3. supplem. pag. 165.

d) Ad An. 1045, num. XI.

e) Landulphum seniorem intellige, distinguendum à Landulpho de S. Paulo, juniore cujus historiam Mediolanensem ab An. 1095 ad 1137 cum Josephi Antonii Saxii notis edidit laudatus Muratorius tomo V.

Sed Theophilus Raynaudus in erotematibus de bonis et malis libris pag. 137 observat Dacriani nomen, velut collapsis moribus Christianorum illacrymantis, cooptasse sibi auctorem harum aliarumque plurium asceticarum lucubrationum *Ludovicum* BLOSIUM Abbatem Benedictinum Laetiensem *(Liesse)* in dioecesi Leodiensi, defunctum An. 1566 de quo Swertius in Athenis Belgicis et Valerius Andreas. Hendreichio autem, qui de scriptis Blosii diligentius tractat in pandectis Brandenburgicis pag. 605. addes novam operum ejus editionem vulgatam Ingolstadii, 1726, fol.

DADO, alio nomine AUDOENUS, Episcopus Rothomagensis ab A. C. 646 ed 676. Vide vitam apud Surium 24 Augusti (infra, FRIDEGODUS) Sammarthanos tom. I. Galliae Christianae p. 562, sq. Baronium ad Martyrolog. Rom. 25 Augusti et Miraeum ad Sigeberti c. 58 quo teste *Vitam S. Eligii*, Episcopi Noviomensis, scripsit libris III, ad Rupertum, Episcopum Parisiensem, sed duos tantum edidit Surius ad 1 Decembr. * tres integros Dacherius t. V. Spicileg. pag. 147. atque edit. novae II. 76. Carmen de SS. *Medardo* Noviomensi et *Gildardo* Rothomagensi Episcopo, idem ad 8 Junii.

DAGAMUS Scotorum Episcopus circa A. C. 600 cujus apud Bedam mentio II, 4. historiae gentis Anglor. Ex illo loco Baleus XIV, 13. Dagamo tribuit scriptum ad Britannorum Ecclesias, nemini visum ut opinor.

DAGELLUS, sive DAGELIUS, qui Simlero, Popelinierio, Cangio aliisque appellatur, Vossio est *Gellius Fuscus* scriptor Historicus, quem laudat Trebellius Pollio in XXX, tyrannis cap 25 ubi de Tetrico juniore. Etiam in Palatino Codice Trebellii, *Dagellum* legi Gruterus notavit, Salmasius *Agellium*, pro quo *Arellium Fuscum* conjiciebat, incerta tamen conjectura.

DAGOBERTUS Austrasiae ab An. 622 et Francorum Rex ab An. 628. Diem obiit supremum A. 638. a) in Abbatia S. Dionysii, quam An. 630 conditam, et variis ornatam donis amplisque reditibus etiam munivit privilegiis, atque inter alia *praecepto* An. 635 dato, quod ex Jac. Doubleti Antiquitatibus illius Abbatiae, editis Gallice, Parisi 1625, 4. libro III, c. 3. et ex alio Codice Yvonis Domini de Herouval exhibet Jacobus Petitus ad Theodori Cantuariensis poenitentiale p. 763, seq. Aliud Dagoberti sive ut nomen ejus ibi scribitur *Dagoberchti* Regis *praeceptum* An. 632 apud Mabillonium in opere de re diplomatica, tabula XVI, pag. 374, 465.

Gesta Dagoberti I, a Monacho S. Dionysii scripta ex MS. Codice Sec. XII. Bibl. Jenensis, additis notis vulgavit V. C. Burchard Gotth. Struvius in fasciculo primo Actorum litterariorum, Jenae 1703, 8. incipit: *Quartus a Chlodovaeo qui primus regnum Francorum* etc. Conferendus Godfridus Henschenius de tribus Dagobertis, Antwerp. 1655, 4. et in exegesi praemissa tomo tertio Act. Sanctorum Aprilis: nec non ejusdem de genealogico stemmate Regum Francorum per tres Dagobertos deducendo, ante tomum tertium Martii.

* Acta *Dagoberti* martyris edita Treviris, A. 1656 c. notis Alex. Wilthesimi S. J.

DAGULFUS manu sua scripsit Psalterium aureis exaratum litteris, quod Carolus M. Hadriano I. Pontifici munus obtulit, Dagulfus autem Carolo M. dicavit hoc octodecasticho, quod in Codice illo, Bibliothecae Caesareae illato obvium vulgavit Lambecius tom. 2, pag. 266.

Aurea Davidicos en pingit littera cantus,
  Ornari docuit tam bene tale melos.
Aurea verba sonant, promittunt aurea regna,
  Mansurumque canunt et sine fine bonum.
Haec merito tabulis cultim decorantur eburnis,
  Quas mire exsculpsit ingeniosa manus.
Illic Psalterii prima ostentatur origo,
  Et Rex doctiloquax ipse canêre choro.
Utque decus rediit, sublatis sentibus, olim
  Quod fuerat studio pervigilante Viri.

a) Vide Mabillonii Analect. pag. 517. seq. edit. in fol. Hadr. Valesium in gestis vet. Francorum libro 18 Carolum le Cointe tom. 2. annal. Francor. pag. 704, seq. 718. His assentitur Gabriel Daniel tom. 1. historiae Gallicae pag. 292. quamquam diversum ab eo sentit et ad An. 644. Dagoberti obitum refert Petrus Franciscus Chifletius in libro cujus argumenta offerunt Acta Erud. An. 1682, pag 329.

Aurea progenies fulvo lucidior auro,
Carle, jubar nostrum, plebis et altus amor.
Rex pie, Dux sapiens, virtute insignis et armis,
Quem decet omne decens, quicquid in Orbe placet.
Exigui famuli *Dagulfi* sume laborem
Dignanter docto mitis et ore lege.
Sic Tua per multos decorentur sceptra triumphos,
Davidico et demum consociere choro.

*Codex ille quem Lambecio indicante Fabricius hic profert mihi olim dum Biblioth. Vindobonensem inviserem, inspectus, ac perlustratus non psalterium tantummodo exhibet, sed et cantica biblica. In principio vero quaedam habet generalia de psalmis ut de eorum origine et prophetia. An ista authorem habeant Dagulfum plane ignoro. Insuper legitur ibidem sub nomine S. Hieronymi expositio illa fidei catholicae, quam inter apocripha S. Hieronymi dedit Cl. Vallarsius in editione sua Opp. Hieronymianor. t. 1.

Joannes Camerarius DALBURGIUS, Cancellarius Electoris Palatini, et Episcopus Wormaciensis defunctus An. 1503 eruditus ipse et Maecenas eruditorum, cui Jo. Reuchlinus, et Rudolphus Agricola plurimum professi sunt se debere et Bibliothecae ejus Latinis Graecis et Hebraicis refertae voluminibus. Vide Jo. Henricum Majum in Reuchlini vita pag. 189 et Nic. Hieron. Gundlingii observationes selectas p. 19, 21, seq.

*Viri huius doctissimi nonnisi unica lucubratio typis edita mihi occurrit absque loco et tempore editionis; credo tamen prodiisse Romae. En eius titulum: *Joannis Camerarii Dalburgi Vormaciensis Episcopi oratoris Philippi Com. Palatini Rheni Innocentio VIII. dicta gratulatio an. 1485 pr. prid. non. Julii.* Est oratio gratularia per assumptione eius in Pontificem.

Magister *Guilelmus* DALLINGUS, Anglus, cujus quaestiones in librum Aristotelis περὶ ἑρμηνείας MSS. Cantabrigiae in Collegio Cajo Gonvilensi n. 997. una cum quaestionibus Magistri Gualteri Burley, atque in Elenchos Joannis de Flemingham.

Vita S. DALMATII, Ruthenae urbis *(Rhodez)* in Gallia Episcopi qui A. C. 535. Concilio Arvernensi a) et An. 541. Aurelianensi interfuit, et cujus memoria 4 Nonar. Novembris celebratur, *Vita* edita a Labbeo in appendice ad calcem tomi secundi Bibliothecae novae MSS.

Guilelmus DALTONUS, Medicus Anglus, cujus Practicam medicinalem contra sonitum aurium, Londini impressam laudat Pitseus p. 813. Fuit et junior quidam *Laurentius* DALTON, An. 1561 cujus Certificatio sed Anglice scripta memoratur in Catalogo MStorum Angliae Oxoniensium n. 5078.

DAMALDUTIUS Foroliviensis, Augustinianus, ex Josepho Pamphilo notus Cangio: Sed in Pamphili Chronicis ordinis fratrum eremitarum S. Augustini, Rom. 1581, 4. p. 50 atq; apud Possevinum p. 477 et Elsium p. 168 rectius DIMALDUTIUS vocatur, qui An. 1336 eum floruisse testantur, et praeter *Sermones* Varios scripsisse insigne Volumen *de resurrectione*, et tractatum *de septem Sacramentis.* Plura de eo nosse dabitur, cum Georgii Marchesii promissum opus de eruditis Foroliviensibus in lucem prodierit.

* Opus illud suum, quod expectandum nobis Fabricius annunciat, jam produxit cl. Marchesius, in quo non de eruditis tantummodo Foroliviensibus, sed de viris omnibus patriae illius suae illustribus. Huius vero Damaldutii meminit Lib. 2. c. 1. appellatque Raynaldum Wilduccium. Inter eius opera praeter ea quae hic recensentur librum contra Hebraeos adducit. P. Gandulfus in Dissert. de CC. Augustinianis p. 59 obiisse virum hunc conjicit an. 1336 circiter, inter eius opera nihil supra caeteros affert praeter *Sermones ad Clerum.*

S. DAMASUS, Hispanus patria et ab A. C. 367. 15 Sept. ad 384. 10 Dec. Episcopus Romanus, defunctus prope octogenarius teste Hieronymo c. 10 de S. E. Hujus memoriam recolunt Martyrologia 10 Decembr. et diligenter de illo praeter editorem Martium Milesium Sarazanium, et Annalium scriptores, Tillemontius tomo octavo memoriarum Hist. Eccles. Nicolaus Antonius in Bibliotheca veteri Hispana lib. 2 cap. 6 et Lucas Holstenius in diagrammate chronotactico Pontificatus Damasi, in col-

a) Sammarthan. tom. 3. Galliae Christianae pag. 953.

lectione Romana, tom. 2, pag. 298-303. Scripta Damasi junctim edita, Romae 1638, 4. et Urbano VIII, Papa dicata à Federico Ubaldino recusaque Parisis 1672, 8. et in novissima editione Bibliothecae Patrum, Lugd. 1677 tom. XXVII, pag. 55 haec sunt:

1. *Epistolae XIV.* ex quibus dubiae fidei sunt *septima* ad Hieronymum, (quae incipit: *Dum multa corpora librorum) octava* ad Stephanum Archiepisc. Mauritaniae, *nona* ad Prosperum et Numidiae Episcopos: *undecima* ad Episcopos Italiae: et *duodecima* ad Aurelium Carthaginiensem Episcopum. *Decimam* autem ad Illyrios, facile videre licet eandem esse cum *tertia*, sed ex alia versione Epiphanii Scholastici, qui in Historia tripartita V 29. Latine exhibere voluit quam Graece dederunt Theodoritus II, 22 Sozomenus VI, 29 et deinde Nicephorus XI, 31. Sed Epistolam originariam Latine scriptam à Damaso primus in lucem protulit Holstenius tom. 1. collectionis Rom. pag. 165.

2. *Epistolarum fragmenta* ex Decretorum collectionibus, Gratiani et Ivonis.

3. *Carmina* XL, notis Sarazanii illustrata, sacri argumenti, in quibus elegans Damasi in versibus componendis ingenium, Hieronymo laudatum facile agnoscas. Ac subit mirari Damasum et Damianum omitti potuisse ab erudito historiae poetarum medii aevi conditore. Pauciora ejus dedere Georgius Fabricius in poëtarum Ecclesiasticorum sylloge p. 771 et Bibliothecae Patrum collectores, etiam novissimae Lugdunensis tom. V, pag. 635 et tom. VIII, pag. 888 et Andreas Rivinus, à quo recensita et notis illustrata Damasi poëmatia prodiere, Lipsiae 1652, 8. Sed editio Romana Ubaldini Rivino non visa cum suam adornaret. Ex carminibus illis sunt epitaphia quaedam obvia etiam in Gruteri Inscriptionibus Christianis MCLXII, sq. ad MCLXXIV. Praemissa sunt ab Ubaldino veterum recentiumque de Damaso testimonia magno numero, ordineque chronologico: deinde *vita Damasi* à quatuor antiquis auctoribus scripta ac tradita.

Opera Damasi recensere etiam, atque illustrare molitus est Josephus Maria Suaresius, teste in Apibus Urbanis p. 168. Allatio et Ludovico Jacobo a S. Carolo in Bibl. Pontificia pag. 61. qui ex ejusdem Suaresii Epistola notat eum voluisse in lucem edere Damasi *libellos de virginitate*, quos versu prosaque ab eo scriptos laudat Hieronymus ad Eustochium, et mirum est adhuc in tenebris latere, Svaresio jam defuncto An. 1678. Idem Lud. Jacobum monuit *Missam de S. Nicolao* versibus a Damaso scriptam cantari annuatim in profesto die S. Nicolai, Romae in titulo S. Nicolai in Carcere. Omitto quae de illis Carminibus, sub *Claudiani* vel aliorum nomine sparsim obviis, ad Damasum referri notat Nic. Antonius, tom. 1, Bibl. Vet. Hisp. pag. 144, sq.

Caeterum *Epistolas* et *Decreta* Damasi post Ubaldinum diligentius selegit atque erudite illustravit Petrus Coustant in tom. 1. Epistolar. Pontificum pag. 472, seq. ubi exhibet lectoribus: 1) Constitutionem Valentiniani ad Damasum An. 370. 2) Basilii M. Epistolam An. 371 ad eundem exaratam. 3) Damasi Epistolam *ad Illyrios* An. 372, (qualis exstat Graece apud Theodoretum, et Latine in Hist. Tripartita,) pag. 482 et qualem Holstenius pag. 165. Latine edidit pag. 487. 4) Fragmenta decreti in alia Synodo ante exitum Anni 378. *Fidem de SS. Trinitate*, in Orientem transmissam complectentia, pag. 495 qualia dederat Holstenius tom. 1, collectionis Rom. pag. 169 et 172. 5) Epistolam *ad Paulinum*, Episcopum Antiochenum, p. 507 et ex Holstenii pag. 180 editione pag. 516 et partem Graece è Theodoreto V, 11 pag. 517 et Latine ex Historia Tripartita IX, 16 et Isidoro Mercatore, pag. 518. 6) Romani Concilii ad Gratianum et Valentinianum Imperatores, labente An. 377, p. 523. 7) Gratiani et Valentiniani rescriptum ad Aquilinum vicarium, pag. 532 ex Baronio ad An. 381, n. 2. 8) Damasi Epistolam utramque An. 388 datam *ad Acholium* Macedoniae Episcopum p. 535, 539. 9) Hieronymi binas ad Damasum pag. 545, 549. 10) Aquilejensis Concilii An. 381 ad Gratianum Imp. pag. 551. 11) Cpolitani Concilii An. 382. Synodicum ad Damasum et Occidentales Episcopos, Graece ex Theodoreti V, 9 et

Latine ex Historia tripartita IX, 18 pag. 558. 12) Damasi Synodica *contra Apollinarium* et *Timotheum* Graece ex eodem Theodoreto V 10, et Latine ex Historia tripartita IX, 15 pag. 571. 13) Damasi *ad Hieronymum*, pag. 573. 14) Rescriptum Hieronymi pag. 574. 15) Altera Damasi quae incipit: *Dormientem te*, p. 579 cum Hieronymi responso ad ejus quaestiones. 16) Notitia quinque scriptorum Hieronymi ad Damasum, 1 et 2, de Seraphim et calculo, 3 de filio prodigo, 4 praefat. in Origenis homilias in Canticum, et 5 praefatio in Evangelia, pag. 590. 17) Notitia aliorum scriptorum et gestorum ad Damasum Papam attinentium, pag. 591. 18) Censura decretorum Damaso praeter rem vel incerta fide adscriptorum, pag. 603, 622.

De *duodecim Anathematismis* apud S. Augustinum sermone 129 de tempore, conferendus Paschasius Quesnellus dissertat. XIV, ad Leonem Magnum, ubi etiam de Damasi symbolo, de quo W. E. Tentzelius in judiciis eruditorum de symbolo Athanasii, pag. 15, sqq. Graece versi illi anathematismi in Bibl. Caesarea MSC. teste Lambecio VIII, pag. 446.

Praeter *libellos de Virginitate*, et auctori vitae memoratam *summam qnorundam voluminum utriusque Testamenti, hexametris versibus breviter comprehensam*, quam in archivo basilicae Principis Apostolorum Romae asservari audivit Nic. Antonius, tom. 1, Bibl. vet. Hisp. pag. 145 desideramus etiam Damasi Acta Martyrum Romanorum, *Petri* exorcistae *et Marcellini*, quae memorat Eginhartus (tom. 1. Act. Sanctor. Junii pag. 176.) *Haec ut gesta referuntur, retulisse asserunt illum ipsum qui eosdem interemit Martyres* (Dorotheum) *et ab illo didicisse* Damasum *Pontificem, quum aetate puerili per eadem tempora sub Magistro ministraret, et ad magnum cresceret rerum culmen, tunc Romana Lector in Ecclesia. Post. haec cuncta memorasse ac mandasse litteris, cum illius almae sedis obtineret apicem, et in tota principatu polleret Ecclesia.* Nescio unde acceperint Centuriatores Magdeburgenses IV, 10. pag. 748. Hieronymum meminisse *enarrationum* Damasi *in XVI. Prophetas*; neque possum dicere ubi exstet libellus Damasi *de munificentia Constantini M.* conscriptus, quem laudat Baronius ad Martyrol. Romanum 18 Nov. Vel *carmina in Psalterium*, quae video à Simlero memorari. Epistolas mutuas Damasi atque Hieronymi *de Catalogo Pontificum*, quas edidere Godfridus Henschennius ante tomum I. Actor. Sanctorum Aprilis, Lambecius tom. 2 p. 924, sq. Nicolaus Antonius tom. 1. Bibl. vet. Hispanae pag. 145. Emanuel. Schelstratenus tom. 1 antiquitatis illustratae, pag. 347 ita repetiit, ut simul demonstraret, suppositas esse: perinde ut Epistolas *de Psalmodia*, inter Hieronymi etiam opera obvias. Illae quoniam perbreves sunt, et in editionibus Hieronymi non minus quam Damasi operum desiderantur, hoc etiam, non importuno loco se, ut opinor, offerent Lectoribus.

Beatissimo Papae Damaso Hieronymus:

Gloriam Sanctitatis Tuae nostra humilitas deprecatur, ut secundum Apostolicae Sedis authoritatem, quam cognovimus per tuam Sanctitatem gubernari, actus gestorum à Beati Petri Apostoli Principatu usque ad vestra tempora, qnae scilicet in Sede tua gesta sunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris, quatenus nostra humilitas sentiens recognoscat, quis meruerit de Episcopis supradictae Sedis martyrio coronari, vel si quis contra Canones Apostolorum excessisse cognoscatur. Ora pro nobis Beatissime Papa.

Damasus Episcopus Urbis Romae
Hieronymo Presbytero:

Gaudet Ecclesia tuo fonte jam satiata; et amplius sitit curiositas temporum Sacerdotalium, ut quod dignum est, cognoscatur; quod indignum, respuatur. Verumtamen gesta Pontificum, quae potuimus reperire in Sedis nostrae studio, ad tuam charitatem gaudentes direximus. Ora pro nobis ad sanctam resurrectionem, frater, et conpresbyter. Vale in Christo Deo, et Do-

mino nostro. Dat. X. Kalend. Junii, et accepta Kalendas Octobris: missa de Roma Hierosolymam.

Porro *Pontificalis* illius, sive libri veteris *de vitis Pontificum Romanorum,* qualis hodie exstat, auctorem non esse Damasum, eruditi jampridem fere consentiunt: et praecipue argumentis etiam demonstravit laudatus Schelstratenus, cui praeclaram illius Catalogi editionem debemus, desinentem in Felice IV qui Papa fuit ab An. 526 ad 530. Quem enim ex MSS. Codicibus Vaticanis, Cassinensibus, Regiis Parisiensibus, Reginae Christinae, Colbertino, Florentino et Farnesiano Lucas Holstenius emendaverat, eum Schelstratenus notis etiam additis exhibet in tomo primo Antiquitatis illustratae pag. 401-496. Rom. 1692, fol. De aliis editionibus recentioribus dixi in Volumine superiore, ubi de ANASTASIO p. 82. De notis ineditis Petri Boërii in Pontificale, videndus Colomesius in Paralipomenis de scriptoribus Ecclesiasticis, pag. 706.

DAMASUS Portuensis Episcopus, postea inter Papas notus sub FORMOSI nomine ab An. 891. Jun. 13 ad 896. Decembr. 23 praeter rem creditus à nonnullis auctor libri Pontificalis, quem vel hujus vel Damasi senioris esse argumento certo nullo constat. Vide Oudinum tom. 2, pag. 357, seqq. ubi etiam de variis illius Pontificalis editionibus, post primam Venetam sub Damasi vulgatam nomine An. 1547. Caetera rectius infra in FORMOSO.

DAMASUS Scombrus, Orator insignis citatur ab Ænea Sylvio in descriptione Asiae. Centuriatores Magdeburgenses ubi Damasi primi, qui Hieronymi aequalis fuit, scripta commemorant IV. 10, p. 748. *Scriptores*, inquiunt, *recentes Gesnerus et Lycosthenes*, *Damasi* Brocardium *sive* Brocardorum librum de contrarietatibus, *in elenchis suis annotarunt, qui cujusmodi sit, ignoramus.* Verum longe diversus ac junior hic fuit D. *Wilhelmus DAMASUS*, JCtus, natione Hungarus, qui Azonis exemplo *Brocardica Juris* medio saeculo decimo sexto scripsit, recusa etiam cum Azonianis, Basil. 1567, 8. et in Oceano Juris sive Tractatu tractatuum tom. XVIII, p. 506. Ejusdem Damasi scriptum pro Religionis Catholicae pace et concordia ad Germanos An. 1558 editum memorat David Czwittingerus in specimine Hungariae litteratae pag. 113.

DAMIANUS *Crassus*, Ripolensis Insnber Ord. Praedicatorum, docuit Theologiam praefectus Collegio S. Thomae in Academia Ticinensi, obiitque An. 1515. Praeter *volumen Commentariorum in librum Jobi*, An. 1506 editum memoratur ejus libellus *quaestionum de S. Joanne Evangelista et de ejus affinitate et consanguinitate cum CHristo Domino,* contra Samuelem de Cassinis, Ordin. Minor. editus An. 1506. Vide Altamuram p. 237. Jacobum Echartum tom. 2, pag. 31 et Nigri historiam scriptorum Florentinorum pag. 140. De scriptis Samuelis de Cassinis (quem Joannem de Cassivis alii perperam vocant) Damiano Crasso de Ripolis, oppositis mentio apud Waddingum, pag. 313, seq.

DAMIANUS, *Episcopus* Ticinensis, qui adhuc presbyter sub nomine MANSUETI, Ecclesiae Mediolanensis Archiepiscopi, et Patrum Synodi Mediolanensis An. 679 scripsit *Epistolam* atque *Expositionem rectae Fidei* contra Monotheletas, quam in sexta Synodo Constantinopolitana (An. 680.) non mediocre suffragium tulisse scribit Paulus Diaconus VI, 4. de gestis Longobardorum et Humbertus adversus Nicetam Pectoratum, ad calcem tomi XI. Annalium Baronii p. 798. De hoc Damiano Ughellus tom. 1. Italiae sacrae pag. 1082. Epistola illa atque expositio Fidei saepe edita Latine in tomis Conciliorum ante Actionem primam Concilii sexti, ut in Harduiniana tom. 3, pag. 1051, 1053.

DAMIANUS *a Finario*, Ord. Praed. defunctus Regii Lepidi, An. 1450 cujus *Pias meditationes et sermones de tempore ac de Sanctis* memorat Rovetta et ex eo Echardus, tom. 1. pag. 808.

DAMIANUS de Padua, qui et Carrariensis, ex nobili Comitum familia Ord. Minorum, diem obiit Cremonae An. 1401. Ejus *tractatum contra mulierum fucos et vanitates* laudat Waddingus pag. 99.

Petrus DAMIANI (à Petro de Honestis a) diligenter distinguendus) natus Ravennae, An. 1006 et ex Abbate Pomposiano, Ord. S. Benedicti, Episcopus Ostiensis et Cardinalis An. 1059 quumque abdicato An. 1061. Episcopatu b) secessisset in solitudinem, mox tamen ab An. 1063 magnis rebus componendis iterum ab Alexandro II, admotus, tandem decessit Faventiae An. 1072. Vide Jacobum Laderchium in Petri Damiani vita, c) Rom. 1702, 4. Henschenium in Actis Sanctor. 23. Februar. tom. 3, pag. 406, seq. ubi et vita ejus ad Liprandum Priorem et caeteros Seniores eremi Fontis Avellani, scripta à *JOANNE* Monacho, Damiani DisciIpulo, quae Operibus quoque Damiani, una cum aliis multis vitae descriptionibus et elogiis praefixa legitur. Contra Laderchium vero, qui lib. 1, c. 8. Damianum Camaldulensibus accensendum esse negaverat, disputantes Philippum Mariam Machiarellum, Neapolitanum, in Apologia pro S. Petro Damiano Italice edita, Guidonem Grandum in dissertationibus Camaldulensibus, Lucae 1707, 4. dissertatione IV. d) et Anonymum e) in Sejani et Rufini dialogo de Laderchiana historia, Paris. 1705, 4.

Opera Damiani jussu Clementis VIII, f) collegit Constantinus Cajetanus, Siculus, tribusque tomis edidit, Romae 1606-1608, et 1615, fol. recusis Lugduni 1623, fol. quae editio a Labbeo tom. 2. p. 201, seq. distincte recensetur. Quartum tomum addidit, Urbanoque VIII, inscripsit idem Cajetanus An. 1640, fol. Hinc repetitae editiones Parisienses An. 1641, et 1663 fol. quae omnes quatuor tomos uno non admodum spisso volumine exhibent.

TOMO I, continentur *Epistolarum libri VIII*, qui separatim ex Cajetani a) recensione ad Romanam editionem recusi exstant, Paris. 1609, 4. Argumenta pleraumque persequitur Lud. Ellies du Pin, tomo VIII. Bibl. Eccles. parte 2, p. 84. seq. et Benedictus Pictetus in saeculi XI, historia pag. 632, seqq. Qui inter alia ejusmodi monumenta, Argentorat. 1562. Francof. 1614 1621. et apud Goldastum de Monarchia Imperii, tom. 2. (aliis 3.) pag. 43 atque alibi legitur brevis tractatus, *de correctione Episcopi et Papae,* non ut apud Caveum legas, in tomis Operum Damiani desideratur, sed est pars Epistolae XII, libri primi, scriptae ad Alexandrum II. Frustra igitur velut supposita per haereticos arguitur a Possevino, Labbeo, Natali Alexandro.

TOMO II. Sermones LXXV, atque in his Sanctorum quorumdam Historiae secundum mensium ordinem distributae, de quibus juvabit adire Possevinum, Vossiumque, pag. 375 et Labbeum tom. 2, pag. 202, seq. De vita *S. Romualdi* institutoris Camaldulensium, qui An. 1027 diem obiit, videndus Renatus Monti, b) libro Italice edito, Romae 1707, 8. Ex sermonibus, quorum nonnullos Damiano praeter rem tribui notavit Raynaudus in erotematibus de bonis et malis libris, p. 151, seq. alii inter *S. BERNARDI* sermones leguntur, alii in tomo quinto Bernardi Mabilloniani *NICOLAUM* Claraevallensem, auctorem praeferunt. Et Nicolao huic, tum etiam Petro alteri, itidem Ostiensi Episcopo, vel etiam Petro Comestori alios deberi notavit Oudinus, qui de sermonibus Damiani adeundus, tom. 2, pag. 689, seq.

TOMO III. Opuscula LX, quorum 1, *de fide Cotholica* ad Ambrosium, quem filium

a) *Petrus de Honestis*, Ciericus Ravennas, Regulam Canonicorum, quae tomo quarto Operum Damiani subjicitur; obtulit An. 1114. Paschali II. Papae. Fuit Damlano etiam *Honestus* frater, ad quem Opusc. 48. et *Damianus*, nepos sive fratris filius ad quem Opusc. 47. Sed et frater natu major Damianus, a quo ut ab amico Pamphilo *Eusebius Pamphili*, ita a fratre Damiano, qui pueri ejus singularem curam gesserat, *Petrus Damiani* dictus fuit.

b) Vide Damiani Opusc. 19 et 20.

c) Acta Erud. 1705, pag. 482.

d) Id. 1709, pag. 12 seq. Memoires de Trevoux 1709, pag. 1771.

e) Acta Erud. tom. IV. supplementi pag. 8.

f) Baronius ad An. 1065, n. 16 et An. 1072, n. 55. Mongitor Bibl. Siculae, tom. 1, pag. 144. Obiit Cajetanus An. 1650, aetatis 90.

a) Cajetanum multa in optimo hoc autore, quae in veteribus editis aliter habebant], mutasse arguitur a Barthio LIII, 15, pag. 2512. Adversariorum.

b) Acta Erud. tom. 4, supplem. pag. 258. Mem. de Trevoux 1709, pag. 1762.

charissimum appellat. 2. Antilógus *contra Judaeos*, ad *Honestum*, [clarissimum secundum Ægypti hujus tenebras Virum. 3. Dialogus inter Judaeum requirentem, et Christianum respondentem. 4. *Disceptatio Synodalis* de electione Pontificis, ad Concilium *Osboriense*, An. 1062 missa, inter Regis (Henrici IV. Advocatum et Romanae Ecclesiae defensorem pro Alexandro II, contra Cadaloum (Honorium II, antipapam.) Hoc opusculum habet etiam Goldastus, tom. 2. (al. 3.) Monarchiae Imperii p. 45, 5. *Actus Mediolanenses*, ad Hildebrandum, Cardinalem Archidiaconum, de legatione sua quam Nicolai II, jussu susceperat. 6. Liber qui appellatur *Gratissimus*, de non reordinandis iis, qui à *Simoniacis* ordinati fuerant: ad Henricum Archiepiscopum Ravennatem. 7. Liber *Gomorrhianus* ad Leonem IX, cujus Epistola premittitur, adversus Sodomitas. Conf. Baelium in Lexico, *Damien* nota C. et Campegium Vitringam ad Apocalypsin, p. 478, 8. *De parentela et cognationis gradibus* ad Joannem Episcopum Caesenatensem. Vide Benedicti Pictetı historiam saeculi XI, pag. 636, seq. 9. *De eleemosyna* ad Mainardum, Episcopum Urbinatem. 10. *De septem horis Canonicis*, ubi capite ultimo etiam horarum septem B. Virginis mentio. 11. Liber qui inscribitur *Dominus Vobiscum,* an haec verba in solitudine ex Officio omittenda, ad Leonem eremitam. 12. Apologeticum *de contemtu saeculi*, ad Albizonem eremitam et Petrum Monachum. 13. *De perfectione Monachorum.* 14. *De Ordine eremitarum* et facultatibus Eremi Fontis *Avellani.* 15. *De suae Congregatiationis Institutis*, ad Stephanum Monachum. 16. Rhetoricae declamationis invectio *in Episcopum, Monachos ad saeculum revocantem:* ad Gislerium Episcopum Anximanum. 17. *De Caelibatu Sacerdotum* et *in fornicarios Sacerdotes* ad Nicolaum II. 18. *Contra Clericos intemperantes* dissertationes tres ad Petrum Lateranensis Canonicae Archipresbyterum, et ad Adelaidem. 19. *De abdicatione Episcopatus* ad Nicolaum II. 20. *Apologeticus ob dimissum Episcopatum.* 21. *De fuga dignitatum Ecclesiasticarum.* 22. *Contra Clericos aulicos*, sive aulam sectantes, ut ad dignitates provehantur. 23. *De brevitate Vitae Pontificum Romanorum* et *de Divina Providentia.* 24. *Contra Clericos regulares proprietarios.* 25. *De dignitate Sacerdotii.* 26. *Contra inscitiam et incuriam Clericorum.* 27. *De communi vita Canonicorum*, ad Clericos Fanensis Ecclesiae. 28. *Apologeticus Monachorum adversus Canonicos*, subjuncto Bonifacii IV, decreto, quod Monachi, Presbyterii honore decorati potestatem habent ligandi et solvendi. 29. *De splendido vestitu Ecclesiasticis non appetendo*, ad Mainardum Abbatem. 30. *De Sacramentis per improbos administratis*, quod valida esse non desinant: ad Florentinos. 31. *Contra philargyriam et munerum cupiditatem,* ad Cardinales Episcopos Apostolicae Sedis. 32. *De Quadragesima et XLII. Hebraeorum mansionibus* ad reverentissimum fratrem Hildebrandum. 33. *De bono suffragiorum et variis miraculis,* praesertim B. Virginis, ad archangelum Monachorum, Desiderium. 34. *De variis miraculosis narrationibus*, ad eundem Desiderium, subjuncta disputatione de variis apparitionibus et miraculis. 35 *De Picturis Principum Apostolorum,* cur Paulus ad dexteram a) Petrus ad sinistram collocentur, ad Desiderium Abbatem. 36. *De Divina Providentia in reparatione corruptae*, *et factis infectis reddendis.* 37. *De variis sacris quaestionibus*, ad XII dubitationes Alberici, ex Cassinensi Monacho Cardinalis. 38. Contra errorem Graecorum, *de Processione Spiritus S.* 39. *Contra sedentes tempore Divini Officii.* 40. *De fraenanda ira et simultatibus exstirpandis.* 41. *De nuptiis tempore Quadragesimali non contrahendis.* 42. *De fide DEO* per votum *obstricta non fallenda,* ad Landulphum Clericum et Senatorii generis Mediolan. et pe-

a) *Paulus de tribu Benjamin. Benjamin autem Hebraice, Latine filius dexterae nuncupatur;* ita Damianus pag. 265. Alias rationes et alia ad hanc quaestionem facientia vide sis apud Molanum, in historia sacrarum imaginum II, 46. III. 24. Allatium de consensu utriusque Ecclesiae, lib. 1. c. 6. Macros fratres in hierolexico voce *bulla.* Paglum ad A. C. 49, n. 5 etc. Papebrochium paralipomenis ad propylaeum Act. Sanctorum Maji pag. 51, seqq.

ritiae litteralis nitore conspicuum, dissertationes duae. 43. *De laude flagellorum et disciplinae,* ad fratres in Casini Montis coelesti schola degentes. Confer Jacobi Boileavii historiam flagellantium, Latine primum, Parisiis 1700, 12. deinde etiam Gallice editam capite septimo, qui morem, poenitentiae caussa se ipsum flagris concidendi, negat ante Damianum in Ecclesia obtinuisse, quem si non auctorem tamen certum propagatorem illius flagellationis spontaneae profitetur Baronius ad Annum 1056, n. 8. 44. *De decem Ægypti plagis,* iisque oppositis decem praeceptis Decalogi, ad Joannem jam non Laudensem, ideoque laudabilem Virum. 45. *De sancta simplicitate,* scientiae inflanti anteponenda. 46. *De ferenda aequanimiter correptione.* 47. *De Castitate et remediis eam tuendi,* ad Damianum, quem charissimum filium appellat. 48. *De spiritualibus deliciis,* ad Honestum, fratrem. 49. *De perfecta Monachi informatione,* ad Marinum puerulum fratruelem. 50. *Institutio Monialis* ad Blancam, ex Comitissa Monialem. 51. *De Vita eremitica et probatis eremitis,* ad Dominum Teuzonem eremitam. 52. *De bono religiosi status et variarum animantium tropologia* a) ac de monasterio, vivario animarum. 53. *De Patientia in insectatione improborum,* ad Dominicum à ferrea lorica, qua corpus suum subigebat, dictum loricatum, de quo Damianus in vita Rodolphi Eugubini, tom. 2. p. 209 et Martyrolog. Rom. 14 Octobr. 54. *De jejunio Sabbati,* ad fratres in Gamungi eremo. 55. *De celebrandis vigiliis.* 56. *De fluxa Mundi gloria et saeculi despectione,* ad Agnetem Imperatricem. 57. *De Principis officio in coërcitione improborum,* dissertationes duae ad Gothofredum Ducem et Marchionem. 58. *De vera felicitate ac sapientia,* ad prudentissimum virum Bonifacium. 59. *De novissimis et Antichristo,* ad dilectum fratrem Adam. 60. *Expositio mystica historiarum libri Geneseos.*

Acta quaedam *Legationis* Petri Damiani ab Alexandro II, missi *in Galliam*, et Synodi in Galliis celebratae An. 1063.

Hymnus de Gloria Paradisi, qui incipit: *Ad perennis vitae fontem mens sitivit arida.*

TOMO IV. Orationes sive *preces et Litaniae, Hymni, Lectiones, Missae, Responsoria* et *Carmina* CCXXV. in quibus etiam *Epitaphium*, quod ipse sibi Damianus posuit, num. CCXIII. *Quod nunc es, fuimus; es, quod sumus, ipse futurus* etc.

Collectanea in Vetus Testamentum, ex Epistolis et opusculis Damiani collecta a Monacho Anonymo illius Discipulo, ad Damianum Petri fratris filium, cui Opusculum 47. a Petro dicatum supra dixi.

Regula institutionis Canonicae, praemissa ad Paschalem II. Epistola, et alia Paschalis qua An. 1115 eam suscipere et confirmare se testatur, ad calcem subiuncta. Haec Regula non Petrum Damianum auctorem habet, sed ut probat Cajetanus, juniorem *PETRUM DE HONESTIS*, cognomento peccatorem, Clericum Ravennatem, Priorem Coenobii Portuensis. Damianus An. 1072 diem obiit, Petrus de Honestis An. 1119. Paschalis Papa fuit ab An. 1099, ad 1118.

Sermones quinque in Orationem Dominicam, quos sub Damiani nomine An. 1666 vulgavit, tomo. VII, spicilegii Dacherius, ipse postea agnovit esse PETRI CHRYSOLOGI, cui etiam in nova spicilegii editione, tom. 1. p. 215 restituti leguntur, et jam pridem in omnibus Chrysologi sermonum editionibus lecti sunt, num. 67, 68, 70, 71, 72. ut ab Oudino tom. 2. pag. 629 jam notatum.

DAMIANUS *Zavalia*, Januensis Ligur, Ord. Praed. primus Montis Regalis, apud Insubres Episcopus, defunctus An. 1388 cujus *decreta a suae dioeceseos clericis servanda* laudantur. Vide Jacobum Quetif, tom. 1. pag. 749.

Ægidius de DAMNIS, supra tom. 1. pag. 20. ÆGIDIUS.

DAMPETRI haec MSS. fuere apud Renatum Moreau, Medicum Parisiensem, teste Labbeo, in Bibliotheca Manuscriptorum pag. 218. *Phaleuciorum libri VI, de institutione ejus cui sunt Virgines instituendae: quorum*

a) Adde Epiphanii Physiologum, et bestiarium Hugonis de S. Victore, tom. 2. Opp. pag. 591. seq.

duo ad corporis salutem pertinent, alii duo ad curam animorum. Item alii Phaleuci ad Zruchium, et Zruchii ad Dampetrum. Hic est Joannes Dampetrus, junior fortasse quam ut hoc loco a me commemorari debeat. Gallus Monachus Franciscanus, sed in cujus carminibus a) Julii Caesaris Scaligeri judicio nullum claustrum, nullam invenias cucullam. Nonnulla eorum obvia in Gruteri deliciis Poëtarum Gallorum, tom. 1. pag. 833. In hendecasyllabis suis ad Catullum visus proxime accedere. Vide clariss. Heumannum ad Sammarthani lib. 1, elog. 15.

DAMPORTUS, Monachus Benedictinus, in monasterio Pontfretensi, sivi Pontisfracti, oppidi inter Dancastrum et Eboracum. Ejus non nisi *homilias*, Baleus XII, 63, e Lelando et Pitseus pag. 831 memorant.

Joannes DANCK, sive DANCKONIS, *de Saxonia,* Astronomus clarus circa An. 1330 scripsit *Canones tabularum*, atque *eclipsales*, nec non *de astrolabio*, et de *incensionibus.* Vide quae notavi ad Trithemium; c. 581.

* Est apud me commentarius huius Joannis in Achalbitium astronomum editus in 4. Venetiis an. 1502.

Guilelmus de DANDINA cognomento *de S. Savino*, scripsit *vitam* bene cogniti sibi *Hugonis de Lacerta*, Lemovicensis, qui discipulus S. Stephani Muretensis, Ordinis Grandimontensis istitutoris, defuncti An. 1124 ipse diem obiit An. 1157 aetatis 86. Edita ab Edmundo Martene, tom. 6 vett. monumentorum, Parisiis 1729, fol. pag. 1143-1186.

Thomas DANDO (ita enim rectius hoc nomen scribitur, quam apud Alegrium in paradiso Carmelitici decoris p. 342 ex Pitseo b) *Daudo*) Monachus Carmelita in Coenobio Angliae Marloburgensi temporibus Henrici sexti, Regis circa An. 1450 scripsit *Historiam Ealfridi*, sive *Alvredi*, Magni Visisaxonum Regis, ut praeter Lelandum c. 543 et Baleum XI, 53 etiam Pitseus pag. 627 diserte testatur, unde emendandum, quod apud Vossium pag. 560 opus de vita et rebus gestis Arturi magni tenditur composuisse.

Andreas DANDULUS, supra in ANDREA, tom. 1. pag. 88.

Guilelmus DANDUS, Anglicus, Monachus Ordinis Servorum, cujus nihil nisi *Sermones* Quadragesimales et per annum Dominicales, Pitseus, pag. 853 commemorat. * Florebat in Collegio Parisiensi An. 1352.

DANICARUM rerum scriptores hactenus sparsim prodiere, in Erpoldi Lindenbrogii scriptoribus septentrionalibusquidem, ADAMUS Bremensis, de situ Daniae, de quo dictum supra tom. 1. p. 8 atque Auctor de Origine Gentis Danorum et de Regibus ejusdem Gentis, deque eorundem rebus gestis usque ad A. C. 1288 de quo infra in ERICO. Deinde Stephano Joanne Stephanio curante SVENO Aggonis F. et SAXO Grammaticus, de quibus suo loco; Svenonique juncta *ANONYMI* Genealogia Regum Daniae à Dano ad Christophorum I, sive An. 1259. Tum alterius ANONYMI Chronicon Danicum ab Ao. 1028 usque ad 1282. Quod ex MS. Hafniensi vulgavit Arnas Magnaeus, Lips. 1695, 8. Rerum Danicarum scriptores ANONYMI duodecim ab An. 700 ad 1500 in lucem dati a Joanne Petro de Ludewig, in tomo nono monumentorum ineditorum, Francof. 1731, 8. pag 1-217 et pag. 591, seqq. ÆLNOTHUS, de vita et Martyrio S. Canuti Regis, de quo tom. 1. pag. 25. Anonymus de passione S. Caroli, Comitis Flandriae, Canuti Regis F. quem Meursius cum Ælnotho publicavit: et Gualtherus Morinensis Canonicus Tornacensis, de martyrio ejusdem Caroli, Paris. 1615, 8. CANUTI Magni, Daniae et Angliae Regis Leges, quas praeter memoratos tom. 1. p. 305 edidit quoque Stephanius, cum Svenone, p. 143-199. De Alberto Crantzio ejusque octo libris Daniae, dictum tom. 1. pag. 39. Omitto tradere de recentioribus Daniae historicis Haraldo Huitfeldo, Joanne Meursio, Claudio Christophoro Lyschandro, quemque altera parte integriorem a nobilissimi Caii Fred. Schnellii industria exspe-

a) Scaliger VI. poëtic. pag. 728 et Epist. 57.

b) Etiam apud Pitseum index recte habet *Dando.*

etamus Joanne Isaacio Pontano, neque non de Thormodo Torfeo, J. B. des Roches, Andrea Hojero, et Ludovico Holbergio, aliisque quos ex Bibliotheca Historica Dano-Norwegica Nicolai Petri Sibben τȣ̃ μακαρίτȣ, Hamburgi 1716, 8. vulgata petere licebit.

DANIEL *Arvonius*, primus Episcopus *Bangorensis* post medium saec. VI. quem cum Dubricio Archiepiscopo Urbis Legionum, et Davide, Menevensi Archiepiscopo, Pelagianis fortiter restitisse testatur Giraldus Cambrensis in Davidis illius vita tom. 2. Angliae sacrae H. Warthoni p. 638 et Lelandus cap. 42. Hujus Danielis librum *contra Pelagianos*, atque *Orationes Synodales* memorat Jo. Baleus Centur. 1. cap. 19 atque ex eo Pitseus, pag. 98.

DANIEL Monachus *Benedictinus* Lirinensis, Seculo XI, cujus *Commentarii in Psalmos* MSS. asservati traduntur in Bibliotheca Lirinensi.

DANIEL *Ceretus*, supra, CERETUS tom. 1. pag. 342.

DANIEL *Chinasius*, Tarvisinus, An. 1381 scripsit historiam belli inter Venetos et Genuenses septimi An. 1377 gesti, de quo Jo. Baptista Verus lib. 2, rerum Venetarum, pag. 148, seq. Danielis hujus mentio apud Vossium, pag. 800.

* Opus hic a Fabricio indicatum produxit Muratorius Rer. Ital. t. 15. sed vernaculo sermone descriptum est; quare ad hanc Bibliothecam non pertinet.

DANIEL *Churche*. Vide CHURCHE t. 1. pag. 352.

DANIEL *Marlejus, Morlejus* sive *Morilegus* dictus, à villa natali Morlei in Norfolcia Angliae, post Oxoniensem et Parisiensem Academias frequentatas, Toletum se contulit, ibique Mathematicas disciplinas ab Arabibus didicit: ita enim intelligendi Lelandus cap. 220 et Baleus III, 29. non ut Pitseum pag. 254 video accepisse, in Arabiam iter suscipere disposuit. Lelandus duos tantum libros ei tribuit, unum *de inferiori* alterum *de superiori parte Mundi*, ad Joannem Oxoniensem Episcopum Nordovicanum, Matheseos et ipsum studiosum. His librum *de principiis Mathematices* Pitseus adjungit è Baleo.

DANIELIS *de Parisiis*, Ordinis Praed. sex sermones An. 1273. Parisiis habitos memorat Jacobus Quetif, tom, 1. pag. 267.

DANIEL *de Vicentia*, Ord. Praed. cujus et Joannis Aquilani *Linea vitiorum*, sive *sermones quadragesimales* prodiere, Venet. 1499. Lugduni 1501, 8. Paris. 1508, 8. Vide eundem Quetifum tom. 1, pag. 856.

DANIEL *Wentanus*, sive *Wintoniensis*, in Anglia ab An. 704 ad 746. Episcopus, de quo Beda lib. V. Hist. Eccles. Anglor. c. 19. (tunc adhuc vivere eum testatus An. 731.) et Lelandus cap. 65. Hic Daniel *Bonifacium* Romam proficiscentem, Gregorio II, primus litteris ad eum datis commendavit, deinde singulari *Epistola catechetica*, de ratione instituendi infideles monuit, quae inter Bonifacii Epistolas sexagesima septima, et apud Baronium ad An. 724 n. V. legitur. Plura ex ejus scriptis non exstant, quae haec a Baleo Centur. 2. cap. XI. Pitseo pag. 144 et Vossio pag. 278 memorantur: *Historia suae Provinciae, gesta Australium Saxonum, de insula Vecta* liber, quam ad ejus dioecesin refert Beda V. 24. *Vita Coddae* Episcopi ab An. 665. Eboracensis, atque ab An. 669. Lichfeldensis. *De obitu Aldhelmi*, Shirburnensis, ab An. 705 ad 709. Episcopi, et *Epistolae ad Sanctimoniales*.

DANTES *Aligerius*, natus Florentiae An. 1265. a) cum in patria ingenio et auctoritate floruisset, Orator etiam missus ad Bonifacium VIII, tandem An. 1301 adversae b) factionis invidia Guelforum Nigrorumque ejectus obiit exul Ravennae An. 1321. Idibus septembris: scriptores vitae nactus Leon. Brunum Aretinum, (editae Perusiae 1671, 12. a Jo. Cinello, et ex alio Cod. Florentiae 1672, 12. curante Franc. Redi:) tum Christ. Landinum, Crescimbenium aliosque: Jo. Papyrium Massonem quoque tom. 2, elog. p. 15 ad 213. Non est congruens instituto meo de scriptis Dantis versu c) et prosa d) editis latius disserere,

a) Diarium eruditor. Italiae tom. XXXV. p. 250. seqq. Memoriae Trevoltinae A. 1727 p. 1516.

b) Vide Baelium in Lexico.

c) Ex Hetruscis Dantis poematibus celebratissi-

quibus Hetruscam linguam mirum in modum illustravit: sed quae Latine ab eo in litteras missa sunt praetermitti à me neutiquam debent, in quibus notissimum ejus opusculum tripertitum de Imperio superiore Ecclesiis, etiam Romana: et pendente non à Papa, sed à DEO: quod *de Monarchia Mundi* laudat Trithemius cap. 546 de S. E. primusque edidit Simon Schardius in sylloge scriptorum de Imperiali jurisdictione et potestate Ecclesiastica, Basil. 1566 fol. pag. 237 inde Argent. 1609, 1618, fol. recusum quoque separatim Basileae 1599, 8. apud Oporinum. (85 *Coloniae* 1740, 8. Venetiis 1760, 8.) Propter hunc librum Dantes post obitum inter haereticos condemnatus est, ut notatum Bartolo JCto in legem 1. *Divi*, § *Praesides*, D. XLVIII, 17 *de requirendis reis*. Arcimboldus quoque, a) Archiepiscopus Mediolanensis, in catalogo haereticorum, ejusdem libri meminit et prohibet, ne quis eum legat. Multus quoque est in eo reprehendendo Antoninus Florentinus, summae Chronicorum parte 3. tit. 21 cap. V. §. 2. pag. 306, seq.

Ex *Epistolis* Dantis Latinis una *ad Canem Scaligerum*, Principatus Veronae et Vicentiae Vicarium generalem, exstat in museo Minervae Venetae (la Galleria di Minerva) Venetiis 1700, fol. tom. 3. pag. 220–228. in cujus Epistolae inscriptione *Florentinum* se *natione non moribus* appellat. (86 et cum aliis in edit. *Patavii* 1827 in 8 curante cl. Carolo Prof. Witte.)

Libri duo *de vulgari eloquentia* a) Latine editi Parisiis 1577, 8. à Jacobo Corbinello, et a nescio quo versi Italice, Vincetiae 1529, fol. et Ferrariae 1583, 8. cum dialogo Johannis Georgii Trissini, et in jam laudato museo Minervae Venetae t. 1. p. 36–64.

Quaestio *de natura duorum elementorum aquae et terrae*, edita à Johanne Benedicto Monacetto, Venetiis 1508, 4.

(87 *Opere Minori di Dante Alighieri Florentiae* 1839-40. in vol. III. *Monarchia* cum Italica interpr. Marsilii Ficini — *De Vulgari Eloquio* cum italica interpr. J. G. Trissini — *Epistolae* quae extant cum disquisitionib. et ital. interpr. *Petri Fraticelli.* — *Prose e Poesie Liriche* di Dante Allighieri cur. Alexandro Torri. T. I. *Vita Nuova*. V. III. *Monarchia* c. ital. interpr. M. *Ficini.* V. V. *Epistolae* c. ital. interpr. *P. Fraticelli* e la Dissertazione intorno *all' acqua e la terra*. V. IV. *De Vulgari Eloquio* Livorno 1842-50, 8. et vol. II. *Op. Minori. Firenze Barbera* 1857, 16. De summo Aligherio autem inter innumera quae forent subjungenda. Opp. cui tit. *Memorie per servir alla vita di Dante* (di Giuseppe Pelli) *Venezia* 1759, 4. et *Firenze* 1823, 8. *Vita di D. A. di Cesare Balbo. Torino* 1839, 8. v. 2. e *con note di Eman. Rocco. Napoli* 1840, 4. *Artaud Histoire de D. Alighieri. Paris* 1845, 8. nec non elaboratissimi utilissimique Operis (cuius author immature die 14. Januar. an. 1855 aet. s. XLIII. Florentiae humanis rebus valedixit) notitia non reticenda. *Bibliografia Dantesca* ossia *catalogo delle ediz. traduzioni*, *Codici MSS.* e *Comenti della Div. Comm.* (e delle op. minori ec. seguito dalla serie de' biografi di lui) *compilata dal Visconte Colomb de Batines. Prato Tip. Aldina* 1845–48, 8. v. 3 Duo postremae partes autem adhuc desiderantur.

mum est Drama satyricum *de Coelo*, *Purgatorio et Infernò* saepissime editum et multorum illustratum commentariis, de quibus videndus Jo. M. Crescimbenius in historia poëseos Italicae, p. 90. et 288 seq. et J. Niger in historia script. Florent. p. 145 qui testatur Latine etiam versum à *Paulo Nicoletto*, Veneto, eremita circa An. 1410 et a *Riccardo*, Theologo Carmelita, *Andrea* Neapolitano et circa An. 1400. *Guiniforte Barzizio*, JCto Bergomensi, et *Matthaeo Ronti*, Veneto, Ordinis Montis Oliveti. Editionibus addenda novissima, Neapol. 1716 12. Vide Diar. eruditor. Italiae, t. XXXV. p. 225.

d) Le prose di Dante e di Boccaccio, in Firenze 1725. Adi Diarium eruditorum Italiae, tom. XXXVI. pag. 541. Quae Lud. Castelvetrius in hoc Dantis dramate notavit, vide in ejus opusculis variis Criticis postumis editis Italice, Lugd. 1727, 4: pag. 157. seqq.

a) Matthias Bernegger in idolo Lauretano, pag. 124. Vide sis etiam Possevinum tom. 1 apparatus, pag. 413.

(a Genuinos Dantis esse hos libros dubitat Apostolus Zenus, vide Nigrum p. 142 ubi longe plura de Dante atque ejus scriptis. Iconem laureatam et elogia dabunt Jovius pag. 10. Reusnerus in Imaginibus claror. virorum Graeciae et Italiae An. 7. b. Boissardus tom. I imagg. p. 72. Bullartius Academ. tom. 2 pag. 305 etc.

Omitto DANTEM *Popoleschi*, qui Julium Caesarem An. 1518 lingua Hetrusca reddidit, aliosque Dantes juniores, de quibus laudatus Julius Niger in historia scriptorum Florentinorum. De aliis etiam Ludovicus Jacobillus in Bibliotheca Umbriae, atque Petrus Baelius in Lexico.

* Dardanus et Fannonius: quod ambos hosce scriptores, ut existimo, Ecclesiasticos hic dederim, fecit silentium omnium historiae litterarie scriptorum. Cum vero uterque mihi innotuerit ex cod. 748. Latino Biblioth. Athenei Taurinensis, in quo adnotatur anonymi scriptoris opusculum continens judicium scriptorum quorundam ecclesiasticor. atque inter coeteros *Dardanii* et *Fannonii*, nec ibi legetim quid tandem de utroque isto judicaverit anonymus criticus, rogavi per literas amicum in primis carissimum et eruditissimum Abb. Jos. Pasinium supremum Biblioth. illius praefectum ut verba scriptoris huius ex codice mihi describeret. En vero illa ab amico missa fol. 3. *Dardanus quoque multas quaestiones arripiens per mentis astutionem, nucemque circa nucleum non confringens multa impossibilia de scripturis cum fiducia loquitur.*

Fol. verso. *Fannonius a multis culpabilis dura sententia, fortiterque universa difficilia ingerere conatus est*, *et quasi contra undas maris navigare non potest, vel contra impetum torrentis validi notare non valet: ita cuncta quae scripsit contra scripturas sanctas, obstare non poterant. Ideo quasi umbra secus hominem sunt.*

DARIUS Mediolanensis in quibusdam editionibus Pauli Diaconi libro XVII, male legitur, debet enim esse DACIUS, ut supra in Dacio dicere me memini.

DARIUS *Tibertus*, Eques Caesenas, auctor epitomes vitarum Plutarchi, quam An. 1492 composuit, et post primam editionem Ferrariensem An. 1501 emendatius ex Joannis Oporini castigatione excudit Robertus Winter 1541, 8. ut editiones Parisienses An. 1547 et 1557 praeteream.

(88 Plutarchi hoc epitome elegantissimum *Tiberii Daretae* Italice a Lucio Fauno prodiit *in Venezia*, *Tramezzino* 1543, 8. et nostris diebus *in Firenze all' insegna dell' Ancora* 1816, v. 2, 8. aptissimum contra doctissimi authoris prolixitatem.)

Joannes DASTYN, sive DASTINUS, (male *Guilelmus* Pitseo pag. 853 veluti diversus à Joanne, de quo idem pag. 871. Philosophus Anglus, scriptor *Speculi Philosophiae* de investigatione lapidis pretiosi, MS. in Bibliotheca Bodlejana. In eadem exstat *liber mixtionum*, atque inter Ashmolianos *Visio* An. 1311 a) et *Rosarium* secreta secretorum complexum: nec non Epistola ad Cardinalem Neapol. et ad Papam Joannem XXII. Nescio sitne diversum ab memoratis hisce scriptum *sapiens aurinus* Pitseo memoratus, qui praeter rem, secreta secretorum huius Dastini distinguit ab ejus rosario.

Agustinus DATHUS, de quo supra in Augustino tom. 1, pag. 141.

Nicolaus DATHUS Senensis, Augustini An. 1479 defuncti Filius, qui patris sui Opera collegit, obiitque An. 1501. b) Prodiere Senis, biennio post, An. 1503, fol. curante fratris filio *Hieronymo* DATHO, et distincte recensentur in Gesneri Bibliotheca pag. 102-104, b.

Leonardi DATHI, Florentini, Episcopi Massani, *Hiempsal* tragoedia scripta An. 1440. MS. in Bibliotheca Regia Paris. vide Labbeum pag. 323.

* Praeter ea quae de scriptore isto adnotat Fabricius extat eius carmen ad Alphonsum regem et aliud carmen ad Nicolaum V. in Mahomet Turcarum regem; quod utrumque servatur in MSS. Codicibus Biblioth. Riccardianae. Vide Catalogum eiusd. Bibliothecae cl. Lami pag. 157.

(89 *Leon. Dathi Canon. Flor. Quatuor. Summ. Pont. a Secretis et Ep. Massani Epistolae XXXIII. nunc. primum e Bibl. Med. Laurent. in lucem erutae recensente L. Mehus, qui Leon. Vitam a Salvino Salvinio scriptam edidit praefationemq. adiecit: accedit Jac. Angeli Epistola et vita. Florentiae* ex typ. Giovannelli 1743, 8.

a) Ita legendum in Catalogo scriptorum Angliae n. 7605. pro 1611.

b) Diarium Eruditorum Italiae tom. XXIV pag. 254.

DATIUS *Mediolanensis*. Vide supra, DACIUS.

Joannes DATUS *de Imola, Episcopus Imolensis, vir doctus et acerrimus disputator, Ægidianaeque doctrinae* (Ægidii Romani, de quo supra tom. 1. pag. 19, sq.) *imitator et defensor, scripsit* de attributis, de priori et posteriori, et de potentiis animae. *Libros D.* Augustini *contra* Faustum Manichaeum, *contra* Cresconium Donatistam, et de Trinitate, *in conclusiones reduxit. Juvenis vita decessit, Imolaeque, quae a Geographis Forum Cornelium nominatur, in templo cathedrario sepultus jacet.* Haec de Johanne Dato Josephus Pamphilus in Chronicis Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini pag. 84 b. ad Annum 1460 unde apud Cangium emendabis, quod Datus hic An. 1360 obiisse traditur. Praeterea animadvertere placet, quod apud Ughellum tom. 2. Italiae sacrae pag. 639, seq. nullus inter Imolenses Episcopos Joannes neque decimo quarto, neque decimo quinto saeculo.

* Episcopatus Forocorneliensis non nisi per iniuriam adimi Joanni huic potest, cum illi asseratur ab Ambrosio Corano summo ord. Eremitarum antistite in Chronico ordinis sui, coaevo scriptore. Cum tamen ab eodem Corano dicatur *electus Imolensis Episcopus;* hinc recte ante aditum episcopatum obiisse illum inferas. Vide Gandolfi in Dissertat de CC. Augustinianis scriptor.

DAUFERIUS, infra, DESIDERIUS Benedictinus.

DAVID *de Augusta* Vindelicorum, Germanus. Ordinis Minorum, defunctus An. Christi 1272. In Bibliotheca Patrum Colomensi, tom. XIII, et in Lugdunensi tom. XXV, pag. 868 exstat ejus *formula Novitiorum* ad Bertholdum et Novitios Ratisbonae versantes, ac *de exterioris* quidem *hominis reformatione*, capita XL, et *de reformatione interioris hominis*, capita LXI. Et pag. 898. Speculum *de septem processibus religiosi status*, fervoris, laboris, consolationis, tentationis, remediorum, virtutis et sapientiae. Haec separatim prodierant Augustae Vindelicorum 1593. sub Davidis nomine, cui etiam a Trithemio cap. 455 atque in Codicibus MStis tribuuntur. Vide Oudinum tom. 3. pag. 447. Quanquam nonnulla eorum leguntur interdum sub BONAVENTURÆ nomine, vide Waddingum pag. 77 et 99. vel etiam sub BERNARDI, quod inscribitur: *in verba: ad quid venisti?* Vide editionem Operum Bernardi ultimam Mabillonianam, Parisiis 1749, fol. tom. 2. pag. 826, In monasterio Viridis vallis Sanderus tom. 2. pag. 136. Elenchi MStorum Belgii, testatur exstare DAVIDIS *Teutonici,* Ordinis Minorum, *De modis revelationum, de generibus visionum: de speciebus tentationum: de virtutibus, de profectu religiosorum, de affectu Orationis*, aliaque. In Basileensi Bibliotheca, Davidis de *perfidia Religiosorum*, MS.

DAVID *Boschus* Lelando cap. 558 et vernacula lingua *Boys*, ut Baleo VIII, 12. Pitseo pag. 641 et Alegrio pag. 350. *Boisius;* a) Cambrensis patriâ, Theologus Oxoniensis, Monachus Carmelita, et Carmelitarum Claudiam incolentium Prior, circa Annum 1451. Scripsit *de duplici hominis immortalitate*: et *contra Agarenos*, nec non *contra varios ritus Gentilium. Homilias* quoque, et *de doctrina Spiritus,* atque *de vera innocentia.*

DAVID *Britannus*, primus Archiepiscopus Menevensis, cujus jam supra in DANIELE *Arvonio* pag. 33 mentionem feci. Huic Baleus Centuria I, cap, 55 et ex eo Pitseus pag. 95 tribuunt *Decreta Synodi Victoriensis contra Pelagianos, Regulam Coenobitarum* et *Homilias Evangelicas.* De antiquioribus in Britannis adversus Pelagianos Synodis vide, si placet, Speelmanni Concilia tom. 1. pag. 47. In Davidis hujus Legenda, auctore GIRALDO Cambrensi apud Warthonum tom. 2. Angliae sacrae pag. 639 narratur eum centum et quadraginta septem annorum curricula complevisse. Obitum ejus Pitseus refert ad Annum Christi 544.

DAVID, Lelando cap. 584. *Chiroburgus,*

a) Boisius à *bois*, quod Gallis lignum, et Boschus á Germanico Busch, quod fruticetum denotat. Sed alieniora sunt, quod eundem Davidem Harpsfeldio notante *Baisium* alii vocant, alii *Boëthium.*

Pitseo pag. 832. *Chirburius*, Alegrio pag. 332. *Kirburrius*, Carmelita et in Hibernia Episcopus Dromorensis, defunctus circa Annum 1420

DAVID *de Dinanto*, qui citatur in summa Alberti Magni est notus ille ALMARICI, sive AMALRICI, *Carnotensis*, discipulus, de cujus erroribus Caesarius Heisterbacensis V. Dialog. c. 22 hujus libros Davidis damnatos et exustos testatus: Concilium Parisiense An. 1209. Edmundus Martene tom. IV. Anecdotorum pag. 163, 166. Bibliotheca Patrum edit. Lugd. tom. 26 pag. 488, F. Concilium Lateranense An. 1215. Rigordus ad Annum 1209 pag. 208 in Petri Pithoei undecim scriptoribus: S. Antoninus tom. 3. Chronicorum pag. 94 supra in ALMARICO tom. 1. pag. 67. Bulaeus tom. 3 historiae Accademiae Parisiensis pag. 24, seq. et 48. Spondanus ad Annum 1204 num. 17, seq. Bzovius ad Annum 1209 n. XI, etc.

DAVID *Morganius*, Baleo VIII, 45. David *Landavensis*, quia Ecclesiae Episcopalis Landavensis, sive ut Lelandus cap. 573. *Lannotavanae*, in Cambria Thesaurarius fuit circa Annum 1480. Scripsit *Antiquitates Cambriae* et descriptionem ejus, sive *Geographiam*, ut ex eodem Baleo repetunt Vossius pag. 636 et Pitseus pag. 669.

DAVID *Obugaeus*, Hibernus, Carmelitarum Provincialis circa Annum 1320 de quo plura idem Baleus XIV, 92. Theologiam docuit Oxoniae primum, deinde in Germania Treveris, in patria Hibernia denique, ubi in Coenobio Kyldariensi diem obiit supremum. Scripta ejus Baleo memorata, *Sermones ad Clerum*, *Epistolae XXXII. ad diversos. Propositiones disputatae. Lectiones Trevirenses. Regulae quaedam Juris*, et scriptum *contra Gerhardum Bononiensem*, Generalem Carmelitarum Priorem, qui Carmelitas in Anglia duabus provinciis distingui volebat, omnem Europam a) descripturus per Provincias XI.

DAVID I, ab An. 1114 ad 1143 et DAVID II, ab An. 1329 ad 1370. Reges *Scotiae*, quorum Leges obviae sunt in Johannis Skenaei legibus veteribus Scoticis, de quo libro dictum tom. 1. p. 102 edito Anglice primum Edinburgi 1609 et Latine Londini 1613, fol. confer, si placet, Wilhelmi Nicolsoni Bibliothecam scriptorum Scotiae pag. 256, seq. et quae infra in RANULPHO *de Glanvilla*.

DAVID *Scotus*, quem Wirciburgi scholas regentem Henricus V. Cappellanum sibi assumsit, Episcopus inde Bancornensis, sive Bangorensis, de quo Baleus XIV, 47 et Georgius Mackenzie tom. 1, operis de vitis scriptorum nationis Scoticae pag. 109 seq. Scripsit *iter*, sive *expeditionis seriem*, quam Imperator Henricus V. Romam suscepit adversus Paschalem II. An. 1110, sq. sed judice Wilhelmo Malmesburiensi lib. V. p. 166 scripsit *magis in Regis gratiam quam Historicum deceret*: et *non Historiam, sed Panegyricum*. Praeter hoc scriptum, quod manu exaratum ajunt adhuc superesse in Caesarea Bibliotheca, Mackenzius pag. 120 tradit ab hoc Davide compositum etiam fuisse *Panegyricum Henrici V.* versibus heroicis, indeque auctorem ejus non historiographi tantum Imperatorii, verum Poëtae etiam laureati elogio ornatum fuisse. Sed prioris tantum operis meminit Conradus a Lichtenau, Abbas Urspergensis pag. 254 ubi *tribus libris* distinctum fuisse testatur. Quod autem *Apologiam* etiam *ad Caesarem*, et *de Magistratuum insignibus*, et *de regno Scotorum*, librum scripsisse referunt, id Balei fide ab illis fieri existimo.

DAVID *Tavensis*, supra, *David Morganius*.

DAVID *Teutonicus*, supra, *David de Augusta*.

Jacobus DECA. Infra, *Didacus* DEZA.

Angelus DECEMBRIUS, Oberti filius, Petri Candidi frater, patria Viglebanensis (Vigevano) in ducatu Mediolanensi, Ducum Mediolanensium ad Julium II. Orator, latinarum litterarum et ingenii laude celebris, post Leonellum Estensem principem jam defunctum Pio secundo Pontifici circa Annum 1462 obtulit *libros septem de poli-*

a) Vide Alegrium pag. 280. Paradisi Carmelit. decoris.

tia litteraria, varia refertos eruditione, et quos ipse testatur *à poliendo*, sive à cultu et elegantia, non Graeca derivatione velut politiae ac Reipublicae litterariae titulo proscribere se voluisse. In Philippi Picinelli Athenaeo eruditorum Mediolanensium pag. 34 et in Lazari Augustini Cottae museo Novariensi p. 66 legas hoc opus ex Bibliotheca Pontificia raptum fuisse per spolium cum An. 1527. Roma à Caesareano milite occuparetur. Prodiit non ut à Cotta traditum Basileae 1527. sed ut recte in diario eruditorum Italiae tom. X, pag. 236 notatum est, prima editio lucem vidit Augustae Vindelicorum 1540, fol. Deinde Alfonso Atestio II. Ferrariae Duci dedicatum curante Augustino Curione, Basileae 1562, 8. In prologo libri quarti. Decembrius testatur, adolescentem se scripsisse, Pioque II, legendum obtulisse librum *de religionibus et cerimoniis*: deinde carmine pentametro composuisse *de matronali aeconomico libros quinque*, et Virgilianam Panegyrim heroice *de vita et morte divi Caroli*, Hispani principis, qui Johannis secundi filius, diem obiit An. 1461. *Notas* quas nonnulli memorant *in Ausonium*, non memini me videre.

Petrus Candidus DECEMBER, sive DECEMBRIUS, natus Ticini An. 1399 a) et Nicolai V, circa Annum 1450 brevium Magister, Mediolani defunctus An. 1477. Guarini senioris discipulus, idemque amicus Laurentii Vallae, cujus exstat pag. 633. Operum, lepida ad illum Epistola, qua indignatur Bartolum, Baldum, Accursium, Dinum similesque anseres in locum Sulpitii, Scaevolae, Pauli, Ulpiani aliorumque Jurisprudentiae cygnorum successisse, vehementerque invehitur in nescio quem, qui, ut ait Valla, *furiose affirmaverat nullum ex operibus M. Tulli cum vel brevissimo Bartoli libello, qualis est ille de insigniis et armis, comparandum*, illo ipso Bartoli libello nihil ineptius esse ostendit. Alphonsi Siciliae Regis rogatu Latine vertit hic Decembrius *Appiani* Libyca, Syriaca, Parthica, Mithridatica, librosquinque de bellis Civilibus, Illyrica et Celticorum epitomen, dicavitque Nicolao V. Prodiere Ven. 1472, fol. per Vindelinum Spirens. et 1477, fol. per Erhardum Ratdolt de Augusta, cum Petro Loflein de Langelen, correctore ac socio suo: et 1492, 1500, fol. per Christophorum de Pensis, et 1562, 8. et Moguntiae 1521, 4. *Franciscus Philelfus*, qui passim Decembrio indignis modis b) detrahit, testatur etiam a se Appianum ex Codice, quem Laurentius Medices miserat, magna ex parte intra quinque menses An. 1470. Latinum factum, lib. XXXI. Epist. 41, 43, 45, 46, 50, 59. *ne istius*, inquit pag. 219 *vestri Petri Candidi barbaria et inscitia diutius Latinas aures ineptiis suis obtundat.* Et tamen *eloquentissimum Virum* et *exactissimae censurae Grammaticum* hunc Decembrem vocat Laur. Valla: et Philelfi Appianus nunquam vidit lucem, sicut nec *Jo. Tortellii* quam memorat Trithemius cap. 751. Rarius autem studiosorum manibus jam teritur Candidi interpretatio, quia meliorem *Sigismundi Gelenii* habemus, de qua dictum IV, 12. Bibliothecae Graecae pag. 394. Caetera hujus Decembris scripta, b) quae in epitaphio supra CXXVII. (exceptis vulgaribus sive lingua Italica scriptis) composuisse traditur, haec memorantur, inedita omnia:

Res gestae Francisci Sfortiae IV. Mediolanensium Ducis, (atque si Varillasio fides, etiam aliorum Ducum Mediolanensium) MStae in Bibliotheca Regia Parisiensi.

Epitome Romanae Historiae ad Regem Siciliae Alphonsum.

Peregrina Historia ad Nicolaum Arcimboldum, Episcopum Parmensem.

Vitae aliquot virorum illustrium versae fortassis Latine e Plutarcho.

Descriptio mortis Darii.

Libri X. Platonis de Republica Latine versi, ad Humfredum, Glocestriae Ducem, MSti in Bibliotheca Ambrosiana, e qua elogium Emanuelis Chrysolorae affert Jose-

a) Diarium Eruditorum Italiae tom. XXIV pag. 285 tom. X pag. 252.

a) Diarium Eruditorum Italiae tom. XII pag. 548. tom. 2

b) Diarium Eruditorum Italiae tom. XII pag. 545 sq. et X p. 252. Lazarus Augustinus Costa museo Novariensi pag. 250.

phus Antonius Saxius de studiis litterariis Mediolanensium pag. 104.

Orationes et *Epistolae* CLVII. MStae in Ambrosiana Mediolanensi, et Bononiae teste Mabilonio tom. I. musei Italici pag. 197. E quibus Oratio *in funere Nicolai Picinini* versa Italice An. 1444. prodiit An. 1732. Mediolani in tom. XXII. scriptorum Italiae clariss. Muratorii.

Commentarii *Julii Caesaris* versi Italice, a) ad Philippum Mariam Vice-Comitem, Ducem Mediol.

Philippi vitam nimia libertate a Decembrio scriptam reprehendit Jovius p. 28. elog.

* Omisit Fabricius libellum Candidi Decembris *de VII liberalium artium inventoribus ad Thomam Fregosium Ducem Genuensium* cuius operis notitiam debemus codici Latino MS. 1033. Biblioth. Taurinensis.

Vitam Philippi M. Vicecomitis hic a Fabricio indicatam edidit Muratorius Rer. Ital. tom. XX. sicut et ibi pariter primus dedit *res gestas Francisci Sfortiae*.

Obertus DECEMBER, Anselmi filius, b) Angeli et Petri Candidi Pater, discipulus Emanuelis Chrysolorae, Petri de Candia, Episcopi Novariensis (qui postea An. 1409. Papa Alexander V.) a secretis: scripsit ad Joannem Mariam Vicecomitem, Ducem Mediolanensem, cujus itidem ab illo tempore secretarium gessit, *libros quatuor de Republica*: et *librum de Modestia* ad MODESTUM DECEMBRIUM, tertium suum filium: et *de candore*, ad filium Candidum Decembrem. *De morali Philosophia* dialogos duos, et *epitomen Romanae historiae*, quam filius Petrus Candidus c) perfecit, variasque *Epistolas*. Vertit etiam *Orationes* quasdam *Demosthenis* et *Lysiae*, *Epistolas* quoque *Demosthenis* ac *Platonis*. Sed et *libros decem Platonis de Republica*, quos a filio etiam Petro Candido d) translatos jam dixi.

Joannes DECHTUS, Viconiensis, Ordinis Praemonstratensis Canonicus circa Annum 1384. Infra, DECIITUS.

a) Diarium Eruditorum Italiae tom. XII p. 547.
b) Idem tom. X pag. 250 seq
c) Idem tom. XXIV. pag 286.
d) Diarium Eruditorum Italiae t. X p. 251, 253.

Philippus DECIUS, Tristani filius, natus An. 1454. audivit Jasonem Maynum ac Jacobum de Puteo, et Jus utrumque docuit per annos amplius sexaginta variis in locis Italiae, Galliaeque, et hinc iterum in Italia apud Pisanos, ac Senis denique, ubi octogenario major diem obiit supremum. Ipse haec de se in epitaphio, quod exstat in Tobiae Fendt monumentis sepulchrorum etc. 1574. fol. num. LXXXVI. et apud Pancirollum II. 135. atque alios: *Philippus Decius, sive de Dexio, a) Mediolanensis. Jurisconsultus celebri fama notissimus: cum primum locum Studii in Jure Canonico vel Civili tenuisset Pisis, Senis, Florentiae, Paduae, Papiae: demum ultra montes in Gallia: denique revocatus in Italiam ab excelsa Florentinorum Republica, posteaquam stipendium mille quingentorum aureorum in auro pro Lectura consecutus fuisset, de morte cogitans hoc sepulchrum sibi fabricari curavit, ne posteris suis crederet.* Praeter ejus commentaria in *Decretales*, Lecturamque in *titulum de privilegiis*, nec non in *Digestorum* titulos et *Codicis* Justinianei, Commentaria: et ad Baldum additiones, plus semel Romae, Neapoli, Venetiis ac Lugduni typis exscripta, celebrantur ipsius *Consiliorum* libri quatuor editi cum Caroli Molinaei b) additionibus, Lugd. 1566. in quibus et Consilium *pro auctoritate Concilii Generalis supra Papam*, et sermo de eodem argumento *pro justificatione Concilii Pisani* An. 1511. contra Julium II. congregati, quod utrumque scriptum Goldastus operi de Monarchia Imperii pag. 1667. et 1677. tom. II. (al. III.) et Richerius libro IV. historiae Conciliorum inseruere, et ob quae non modo excomunicari Decium a Pontifice, dirisque devoveri, sed etiam domum ejus foede diripi contigit. Vitam Decii praeter Pancirollum, Fichardum, Forsterum aliosque tradunt Baelius

a) Decium, sive Dexium pagi Mediolanensis nomen, ex quo orti majores Philippi, Mediolanum concesserant, et per annos trecentos cum dignitate vixerant.

b) Carolus Molinaeus pag. 95 de Monarchia Francorum. De locis ab Indice expurgatorio notatis in Decio, vide Possevinum tom. 2 apparatus pag. 275 seq.

in Lexico. Dupinius tomo XIV. Bibliothecae Ecclesiasticae pag. 156. Nicolaus Comnenus Papadopoli de Gymnasio Patavino tom. 1. pag. 241 etc. Iconem habes in Jovii elogiis pag. 164. et apud Boissardum tom. 1. imaginum pag. 206. Bullartium tom. 1. Academ. pag. 213 etc.

Lancellotus DECIUS, Philippi frater natu major, JCtus et ipse celebris. Alexandri Tartagni discipulus, docuit Jus Civile Pisis et Ticini, ubi defunctus est An. 1500. Jam a Gesnero annotatum fuit scripsisse eum super totum Jus Civile commentarios, qui habentur impressi.

Omitto juniores: 1) *Jodocum Ludovicum Decium*, Germanum, S. Laterani Comitem Imperii Regisque Poloniae Sigismundi a secretis, scriptorem libri *de vetustatibus Polonorum*, et libri *de Jagellonum familia*, et librum III. *de Regis Sigismundi temporibus:* quae junctim edita Cracoviae 1521. fol. et deinde recusa in Johannis Pistorii Corpore scriptorum historiae Polonicae, tom. secundo, Basileae 1582. fol. 2) *Conradum Decium*, Secretarium Ducis Austriaci Ferdinandi, qui Gerhardi de Roo Annales Austriacos ab Anno 1273. ad 1519. XII. libris expositos post auctoris obitum recensuit, vulgavitque Oeniponte 1592. fol. et Germanice vertit, Augustae Vindelicorum 1611. fol. recusos Latine nuper Halae Saxonum 1709. 4. 3) *Antonium Decium*, Hortinum, cujus ingenium carminibus Hetruscis pangendis probatum Torquato Tasso, principi illius poëseos, digno elogio mactat Janus Nicius Erythraeus pinacotheca prima p. 181.

DECRETALES Pontificum. vide supra tom. 1. pag. 273. seq.

DECRETUM, vide infra, GRATIANUS.

Johannes DEDECIUS, Philosophus Anglus, qui Oxonii scripsit probatas aetati suae *Quaestiones in libros decem Ethicorum Aristotelis*, teste Lelando cap. 561. Pitseo pag. 872. et Baleo XII. 84.

DEFENSOR, Grammaticus et Monachus Locociagensis apud Pictones, Auctor *Scintillae*, sive locorum communium et sententiarum a) per capita LXXX. collectarum ex sacra Scriptura et sanctis Patribus, *Ambrosio*, *Anastasio*, *Augustino*, *Basilio*, *Caesario*, *Clementis* libris, *Collationibus* Cassiani, *Cypriano*, *Effrem*, *Esaia*, *Eusebio*, *Gregorio*, *Hieronymo*, *Hilario*, *Isidoro*, *Josepho*, *Origene et Vitis Patrum.* Hunc librum ex Bibliotheca montis Casini descripsisse se refert Joannes Mabillonius pag. 123. Musei Italici, ubi veterem auctorem appellat, ut qui nullum e Patribus Isidoro posteriorem adducit. Praeter rem tamen habuit pro inedito, est mihi enim in manibus editio Coloniensis An. 1556. forma minore excusa apud Petrum Horst. Antwerpiensem quoque Anni 1550. a Gesnero, et Venetam 1552. a Simlero memorari memini, ne dicam de illa, quae ex Romana Antonii Gangutiae, Siculi editione, Rom. 1560. 4. sub Bedae nomine exstat tom. VII. ejus operum, de qua sicut et de Anglo-Saxonica illius versione, supra tom. 1, pag. 178. At enim nomen *Defensoris*, et nutritoris sui *Ursini* auctor diserte expressit in praefatione, quam integram hic, est enim brevis, infra posui: *Lector, quisquis es, libellum hunc legens, flagito te scriptor, ut libenti legas animo, et melliflua grate suscipias verba. Voluntas bona et labor, nihil aliud fuit mecum, nisi de Domini et Sanctorum dictis, e quibus excerpta est haec* Scintilla. *Nec mea existit industria, sed DEI totum est gratia, meique nutritoris URSINI doctrinae obtemperare volens, paginas quasque scrutans, sententiam reperiens fulgentem, ceu inventam quis margaritam aut gemmam, ita avidus collegi. Guttae quemadmodum collectae multae fontem efficiunt, diversorum sic voluminum congregans testimonia, hoc condere tentavi. Veluti de igne prodeunt scintillae, ita hic minutae sententiae, pluribusque libris scriptae vocentur* Scintilla Scripturarum. *Quam qui legere vult, laborem sibi ut amputet, nec prae caeteris paginas iterando lasse-*

a) Alii *Alvaro* Cordubensi Scintillas tribuunt, alii *Caesario* Episcopo, ut Codex Bibliothecae Paulinae Lipsiensis in Catalogo MSS. FellerIano pag. 122. De Graecis similis generis collectionibus dictum libro V. Bibliothecae Graecae c. 30. Latine post Defensorem alia circa Annum 1316 composita a THOMA Hibernico, de quo infra suo loco.

scat, hic habet ex pluribus carptum. Ne id opus quoque sine auctore putaretur apocryphum, unicuique sententiae per singulas capitulatim virtutes suum scripsi auctorem, nomen adscribens meum quod est DEFENSOR, non ob gloriam vanam, sed ut quicunque legerit, mei memoriam habeat. Caput quod in editis desideratur, trigesimum quintum *de Doctoribus*, vulgavit B. Nicolaus Staphorstius noster tom. 3. Historiae Ecclesiasticae Hamburgensis pag. 359 361. ex Codice MSto Bibliothecae templi Petri et Pauli Hamburgensis.

Johannes DEIBOCUS, infra, DRIBROCUS.

Johannes DEIRUS, Joh. Frumentario lib. de Viris illustribus DEURUS, Theologus Anglus circa Annum 1360. teste Pitseo pag. 485. celebris scripsit *peram spiritualium*, sive *Distinctiones* libris IV. Illustrationes *super historias Sacrae Scripturae*, quarum meminit et Lelandus c. 348. et Baleus VI. 19. Responsiones *ad mendacia ab adversariis sibi imposita.* Determinationes *de adoratione imaginum. De peregrinatione. De praedicatione Verbi DEI.* Et *de stipendiis annalium Sacerdotum.*

Wichertus DEIRUS, infra, WICBERTUS.

Jacobus de DELEYTO, Cancellarius Nicolai Estensis, Marchionis Ferrariae, scriptor *Annalium Estensium* suae aetatis de gestis illius Marchionis ab Anno CHristi 1393. ad 1409. editorum Mediolani An. 1731. in tomo vigesimo scriptorum Italiae, curante celeberrimo Muratorio.

Ægidius DELPHUS. vide, ÆGIDIUS, tom. 1, pag. 21.

Johannes DEMOPHYLAX, qui Sweertio et Val. Andreae, idem rectius Simlero, Possevino, Sandero et aliis DIOPHYLAX, sive ut Alegrio DIOPHYLACIUS, Gandensis Flander, Carmelita, qui An. 1527. florentibus annis obiit, scripsitque plura carmine, *Christomachiam* acrostichide laboriosa, nec non *fornacem Chaldaicam, Israëliticam Catacrhesin, Laudes lucis, Erotema Religionis, Carmen de Flandria, Oden in CHristi Domini Natalem:* et *de Virgine beata. Epigrammatum librum,* quae una cum *Epistolis* ad diversos prodiere Lugduni 1527. praemissa ejus effigie.

Odofredus, sive *Ottofredus* DENARIUS, Beneventanus, JCtus Koenigio memoratus idem est, qui aliis *Odofredus Bononiensis* appellatur, quia Bononiae docuit, obiitque Anno CHristi 1265. scriptor Lecturarum *super Codicem* et *Digesta* et librorum *de formulis actionum, de ordine Judiciorum*, et *de arte Notariatus.* Composuit etiam *feudorum Compendium*, glossas ad summam *Azonis*, praeceptoris sui, in titulum *de pace Constantiae:* et Tractatus *de restitutione dotis, de percussionibus, de Curatore bonis dando*, et *in primum et secundum Decretum.* Vide Pancirollum II. 35. et Joannem Fichardum pag. 405.

Joannes de DEO, a) Speculatori, sive Gvil. Durando in proemio Speculi *Johannes de* DEO GRATIA, et a JOHANNE Hispano JCto distinctus, JCtus Bononiensis, patria Ulyssiponensis, qui An. 1247. scripsit *Poenitentiale,* in variis Bibliothecis MStum, de quo Oudinus tom. 3, pag. 178. ubi etiam de ejus *Casibus Decretalium Gregorii IX. Quaestionibus Juris*, ad exercitium Magistrorum: et de *quatuor libris*, quibus titulus *Judicium*, (apud Sanderum pag. 177. *Summa Judicum*,) de Judicum officio ac potestate et de officio Advocatorum: Commentario et apparatu metrico *super arbore Consanguinitatis,* in Decreti parte 2. causa 35. post quaestionis V. caput. 6. atque Tractatu *de Dispensationibus.* His ex Pancirollo II. 30. et Nicolai Antonii libro VIII. Bibliothecae veteris Hispanae cap. 3. tom. 2, pag 45. addere licet *Summam moralem* et additiones ad summam HUGUTIONIS. *Concordantiam*, sive ut Trithemius cap. 452. *Tabulam Decreti et Decretalium. Catalogum Haereticorum. Librum Distinctionum. De abusibus contra Canones* et *Summam* et *Correctionem Cavillationum* HUBERTI *de Bovio*, *Apparatum et Breviarium Decretorum. Notabilia* cum *summis, super titulis Decretalium* et *Decretorum*, ac denique *Chronica.* Ad calcem libri Poenitentialis legitur hoc tetrastichon:

a) Diversus ab hoc *Joannes de Deo*, Hispanus, An. 1540. Ordinis Granatensis de Hospitalitate Conditor, quem beatis adscripsit An. 1630. Urbanus VIII. Vide Acta Sanctor. 8. Martii.

En ego quem patria genuit pia Portugalensis,
Diva cathedravit verbis schola Bononiensis,
Hoc opus aptavi Domini non absque labore,
Sed labor est facilis vestro superatus amore.

* Commentarius Joannis Dei in arborem consanguinitatis, et affinitatis lucem vidit Venetiis in principio Libri VI Decretalium impressi ibid. an. 1476, per Nic. Jenson.

DEODATUS, infra, DEUSDEDIT.

DEODERICUS, infra, THEODORICUS.

DEODUINUS, sive THEODUINUS Noricus, propinquus Henrici III. Imperatoris, et Episcopus ab Anno 1047. ad 1075. Leodiensis, a *Durando* a) ab Anno 1021. ad 1025. Episcopo Leodiensi ante controversiam Berengarii extincto diligenter distinguendus. Ejus *Epistolam* ad Henricum I. ab Anno 1033. Regem Francorum, contra *Brunonem*, Andegavensem Episcopum, et *Berengarium* b) Turonensem laudat Gvidmundus, sive Christianus Druthmarus c) lib. 1. de corpore et sanguine Domini pag. 441. tom. 18. Bibliothecae Patrum Lugdun. Edidit. sub falso *Durandi* nomine, et mutilam Baronius ad Annum 1035. num. 2. 3. 4. ex Bibliotheca Ludovici Martelli Rothomagensis: et ex Baronio Joannes Chapeavillius in historia Episcoporum Leodiensium tom. 1, pag. 261. et Bibliothecae Patrum curatores Paris. Colon. et Lugd. tom. XVIII, pag. 531. d) Integram denique vulgavit e duobus Codicibus Mabillonius tom. 4. Analect. pag. 396. (editionis novae pag. 446.) testatus in iisdem Durandi nomen neutiquam exprimi, sed tantum D. primam litteram. Deoduini nominis indicem, reperiri, quod in Regio etiam Parisiensi quadringentorum annorum fieri notavit Oudinus tom. 2, pag. 620. ubi Cantabrigiensium mentionem facit.

Joannes de DERLINGTONA, sive DERLINGTONUS, Anglus, Ordinis Praedicatorum, Confessor Henrici III. Regis Angliae, qui An. 1272. obiit, inde Archi-Episcopus in Hibernia Dublinensis, defunctus Londini An. 1284. praeter *Disceptationes Scholasticas* et *Sermones* ad Clerum et populum auctor fuit *Concordantiarum* magnarum Biblicarum, quae vocatae sunt Anglicanae. Vide Pitseum pag. 364. Jac. Qvetif tom. 1, pag. 395. et quae de Concordantiis supra tom. 1, pag. 377. seq.

DERMATIUS Hiberniensis, sive Scoticus, qui Reimbaldi, Leodiensis Episcopi, commendatitiis circa Annum 1115. instructus iter suscepit in Palaestinam, scriptor *Epistolae Exhortatoriae* editae tom. 1. Anecdotorum Edmundi Martene pag. 340. In hac Epistola citatur *Augustinus in primo contra Marcionitas.*

DESIDERIUS, ex alio nomine DAUFERIUS, ex principum Beneventanorum sanguine Monachus *Benedictinus* et Praepositus Coenobii SS. Trinitatis *Cavensis*, inde An. 1058, Abbas *Cassinensis* et ex Presbytero *Cardinali* S. Caeciliae *Papa* VICTOR III. renitens. 9. Calend. Jun. An. 1086. pronunciatus inauguratusque 12. Calend. April. An. 1087. eodem anno diem obiit supremum in Monasterio Cassinensi 16. Cal. Octobr. Vide Arnoldi Wion lignum vitae tom. 1, pag. 19. et Acta SS. Benedict. sec. VI. pag. 586. Scripsit *Dialogorum libros IV. de miraculis S. Benedicti* aliorumque Monachorum in Monasterio Cassinensi. *Cantus* quosdam de *S. Mauro*, Abbate Cassinensi. *Epistolas* ad diversos. Vide Possevinum tom. 1, pag. 458. et Bibliothecam Pontificiam Ludovici Jacobi pag. 219. Libri tres dialogorum editi in Actis Sanctorum ad 21. Martii, et in Mabillonii Sec. IV. Benedictin. tom. 2, pag. 425.

DESIDERIUS ex Thesaurario Regis Dagoberti I. ordinatus ejus jussu Episcopus ab Anno CHristi 637. ad 660. *Cadurcensis*, sive Divonae Cadurcorum in Aquitania prima. Vitam ab illius temporis scriptore compositam edidit Labbeus tom. 1. Bibliothecae

a) Vide Claudium Robertum in Gallia Christiana, Valerium Andream Biblioth. Belgic. pag 195 seq. et Pagium ad Annum CHristi 1035. num. 3. et de *Durando* undequinquagesimo Episcopo Leodiensi Chapeavillium tom. 1 pag. 258, sqq. de *Deoduino* autem, quinquagesimo tertio tom. 2 pag. 5. seqq.

b) Vide supra pag. 575. tom. 1 ubi de Berengario et pag. 795. seq. ubi de Brunone.

c) Id. pag. 1044. seq.

d) Non 419 ut est apud Caveum. Nam ibi obvius liber est alterius Durandi Troarnensis longe diversus a Deoduini Epistola, licet et ipse oppositus Berengario, de quo infra in Durando.

novae MSS. pag. 699. et ex alio Codice lacunas quasdam explevit in limine appendicis, subiectae tom. 1. Ejus Desiderii *Epistolae XV.* et *XX.* ad Desiderium editae primum a Canisio t. V. antiquar. Lectionum p. 526. et edit. novae t. 1, pag. 636. et in Marquardi Freheri Corpore Francicae Historiae veteris, inter Epistolas Francicas pag. 210: et in Andreae du Chesne tom. 1, pag. 875. atque in Bibliothecis Patrum, Paris. Colon. et postrema Lugd. tom. 8, p. 579.

DESIDERIUS *Hispanus,* Presbyter, laudatus ab Hieronymo, cum quo, et Ripario Presbytero, *Vigilantium*, Barcinonensem Presbyterum, circa Annum CHristi 406 disertis scriptis oppugnavit. Vide Marianam IV, 4. et Nicolai Antonii Bibliothecam veterem Hispanam tom 1. pag. 176. Ab hoc Desiderio Tillemontius tom. XII, pag. 288 diversum putat DESIDERIUM, ad quem An. 393 scripsit idem Hieronymus et Paulinus, et cui Vitam Martini primo obtulit legendam Sulpicius Severus.

DESIDERIUS *Longobardus* circa Annum 1260 scripsit contra fratres Mendicantes, statumque Monachorum, cujus disputationes à Thoma Aquinate explosas tanquam haereticas, pridem Gesnerus in appendice Bibliothecae suae annotavit.

DESIDERIUS, ultimus Longobardorum ab An. 757. a) Rex, cujus regnum a Carolo Magno in Italia destructum est An. 774. Ejus *decretum* quod inter antiquas inscriptiones exstare et cum aliis excusum esse scribit Gesnerus, illud est *edictum ad Grimoaldum*, Viterbii Comitem, quod legitur apud Carolum Sigonium libro tertio de regno Italiae pag. 85 ad Annum 772. Aliud diploma Desiderii hujus et filii ejus ADELGISI apud Mabillonium Annal. Benedict. tom. 2. pag. 224 et Cornelium Margarinum bullarii Cassinensis tom. 2. pag. 14.

DESIDERIUS *Parodius*, Genuensis, Augustinianus circa seculi decimi sexti initia, cujus haec duo scripta manu exarata Genuae apud Augustinianos asservari tradit Josephus Pamphilus pag. 104. Chronici Ordinis eremitarum S. Augustini, et ex eo Possevinus in apparatu, et Philippus Elssius pag. 162. Encomiastici Augustiniani, unum quo docere instituit, *quomodo homo cum DEO vivere possit:* et alterum *de paghis*, b) quae fieri solitae in monte S. Georgii Genuensis.

DESIDERIUS *Spretus*, Ravennas, a Leandro Alberto c) *non insulsi scriptoris* laudatus nomine, scripsit libros tres *de amplitudine, vastatione et instauratione Ravennae*, editos Venetiis 1489, 4. et 1588, 4, atque in thesauro scriptorum Italiae Burmanniano tom. VII. Lugduni Batavorum 1722, fol. Etiam Italica versio lucem vidit Pisauri 1574, 4.

(90 *A Cammillo Spreti Italice versi et notis illustrat. Ravennae* 1793-96 *Lat. Ital. t.* 3. 4.

Joannes DESPAUTERIUS ex Ninovia Flandriae opido Ninivita, *Vir unoculus, sed quo in arte Grammatica nemo ea aetate plus videret,* judice Vossio cap. XLI, §. 4. de scientiis Mathematicis. Christiano Massaeo defectum oculi inhumanius objectanti respondit *recriminatione in adversarium* his verbis: *Polyphemum nuncupas, aliaque id genus convicia ingeris, tibi impudentissimo scurrae, non mihi dedecori futura.* Magis laudarem si et ipse rem verissimam affirmans, a convicio temperandum sibi duxisset. Claruit sub saeculi decimi quinti sextique confinia. Magistro usus Lovanii Joanne Custode Brechtano, postea litteras docuit in Lilii Gymnasio, atque inde Sylvae Ducis apud Brabantos, tum Bergis S. Winnoci, ac denique Comminii apud Flandros, ubi diem obiit non circa Annum 1514 ut est apud Valerium Andream, sed pluribus annis post. Ejus *Commentarii Grammatici* An. 1512 et *Grammaticae institutionis rudimenta* An. 1514 edita, de quibus in Bibliotheca Gesneri, ita tum probata fuere viris praeclaris, ut teste Miraeo in elogiis Belg. pag. 144. Patres in Synodo

a) Vide Joannis Andreae Astezati, Monachi Benedictino-Cassinensis diss. de anno primo regni Desiderii, editam Brixiae 1728, 4 cum Evangelista Manelmo.

a) *Paga*, solutio, stips Italis; ut *pagare*, solvere, Gallis *payer*.

b) In Italiae descriptione, ubi de Ravenna.

Machliniensi, Alexandro a Villa Dei, (de quo supra tom. 1. pag. 63, seq.) aliisque Grammaticis explosis, unum illum Juventuti in manus tradendum decreverint. De editionibus et de *compendiis*, quae ex ejus commentariis adornarunt Sebastianus Novimola, Gabriel Prateolus, Adolphus Mekerckius et Franciscus Nansius: de collectaneis Hub. Sussannaei in Despauterii *figuras*: et de *Arte Epistolica* Despauterii, et de illius *Orthographia* a Laevino Crucio recensita, non habeo quae addam notatis a Valerio Andrea pag. 492. Bibliothecae Belgicae, nisi quod *artem versificatoriam*, in qua prosodiae exempla diligenter Despauterius ex veterum scriptis annotavit, Jacobus Micyllus recensitam a se inseruit libro tertio de re metrica: Joannes vero Pellison An. 1530 edidit epitomen Grammaticae Despauterianae. Exstat etiam libellus Despauterii *de accentibus et punctis*, itemque alius *de carminum generibus*, junctus Centimetro Servii, de quo dictum in Bibliotheca Latina IV, 7 pag. 789. Epitaphium Despauterii triplex reperio, unum quod habet Miraeus, et ex eo Sweertius pag. 418.

Hic jacet unoculus, visu praestantior Argo,
Flandria quem Ninive protulit, at caruit.

Alterum apud Valerium Andream refertur hunc in modum:

Hic jacet unoculus, visu praestantior Argo,
Nomen Joannes cui Ninivita fuit.

Tertium suggerit Guido Patinus tom. 1. Epistolarum editarum Gallice pag. 485.

Grammaticam scivit, multos docuitque per annos,
Declinare tamen non potuit tumulum.

Johannes DESTIGIUS, sive DESTIGIO, Anglus, Alexandri Neccam et Guilelmi Bretoni exemplo *Vocabularium Biblicum* composuit, quod Londini impressum memorat Pitseus pag. 873.

Thomas Balduinus DEVONIUS Oxoniensis, Monachus Ordinis Cisterc. melior quam Abbas de Forda: et ab An. 1181. Episcopus melior Wigorniensis, quam ab An. 1185. Cantuariensis Archiepiscopus, profectus in Palaestinam, ibique in obsidione Accon defunctus An. 1191. Vide Warthoni Angliam sacram tom. 1. p.10, 112 et Oudinum tom. 2. pag. 1611, seq. Scripta ejus praeter *Sermones*, sunt *Tractatus XVI*, quorum primus de *Sacramento Altaris*, ad Bartholomaeum, Excestriensem Episcopum, *Libri IV. super Historiis Regum.* De eruditione *Gyraldi* Archidiaconi, *de sectis haereticorum* libri II, *de sacerdotio Johannis Hyrcani. Epistolarum liber.* Liber *contra Henricum Wintoniensem*: alius *de mythologia*: *Carmen devotionis*, et alia apud Baleum III, 22. Pitseum pag. 259, seq. Carolum de Visch pag. 31. Bibl. Cisterc. et Oudinum tom. 2. pag. 1617.

Josephus DEVONIUS Iscanus Excestriensis, Poëta eximius, circa idem tempus claruit, et Richardi I. Regis Angliae ad bellum sacrum in Palestinam profecti Balduinique Devonii, Cantuariensis Archiepiscopi, Comes fuit, Balduino etiam consecraturus *Antiocheïdem* suam et poëma *de bello Trojano.* Nam ut recte Lelandus cap. 217 ad Balduinum (non ad Hubertum, ut visum Cambdeno) spectant hi versus:

. . . te tertia poscit
Infula, jam meminit Vigornia, Cantia discit,
Romanus meditatur apex . .

Hjus autem beneficio Archiepiscopum Burdegalensem factum Devonium, quod narrat Pitseus pag. 275. non sine causa a Vossio pag. 450 negatur, neque Josepho locus apud Sammarthanos in notitia Archiepiscoporum Burdegalensium tom. 1. Galliae Christianae pag. 215. Antiocheïdem vero, sive poëma de capta a Christianis An. 1098. Antiochia, quod laudatus Cambdenus evolvit, nondum esse typis editum, dolebunt multi mecum et mirabuntur. At quod apud Pitseum memorari videas Iscani *Antiocheïdem in Arturum Regem*, puto pertinere ad versus hosce, quos ex illa Cambdenus attulit:

Hinc celebri fato, felici claruit ortu
Flos Regum Arthurus, cujus tum facta stupori
Non minuere minus: totus quod in aure voluptas
Et populo plaudente favor. Quaecunque priorum
Inspice: Pellaeum commendat fama tyrannum,
Pagina Caesareos loquitur Romana triumphos,
Alcidem domitis attollit gloria monstris:
Sed nec pinctum coryli, nec sidera Solem
Æquant: Annales Latios Grajosque revolve,
Prisca parem nescit: aequalem postera nullum

Exhibitura dies: Reges supereminet omnes
Solus: praeteritis melior, majorque futuris.

Hujus Arturi quem post sexti saeculi initia res miras patrasse et incredibiles fabulantur, a) et An. 542 subductum oculis extinctumque a vulnere, rediturum iterum et hostibus terrori futurum, quorundam credulitas sibi promisit *digni* judice Guilelmo Malmesburiensi, b) *quem non fallaces somniarent fabulae, sed veraces praedicarent historiae, quippe qui labantem patriam diu sustinuerit, infractasque civium mentes ad bellum acuerit:* Hujus inquam Arturi meminit idem Iscanus in extremo libri tertii de bello Trojano:

Si Britonum ridenda fides et credulus error
Arturum expectat exspectabitque perenne.

Argumentum *sex librorum de bello Trojano* mutuatus est a Darete Phrygio, qui saepius typis exscripti sunt, et notis etiam illustrati a Samuele Dresemio, Dithmarso, de quorum editionibus non repetam, quae jam notata in Bibliotheca Latina lib. 1. cap. 6 et lib. 1. Bibliothecae Graecae cap. 5. ubi de Darete, quem propterea Britannis praeter rem accensuit Baleus X, 1. Vide sis etiam Oudinum tom. 2. pag. 1618 et Johannem Prince in opere Anglice edito de viris illustribus Devoniis (the worthies of Devon) Exoniae 1702, fol. Acta Eruditorum An. 1702 pag. 289. Caetera Iscani scripta adhuc inedita sunt: *De institutione* a) *Cyri* poëma cujus initium: *Praelia bina Ducum canimus. Panegyricus ad Henricum II.* Angliae Regem. *Nugae amatoriae. Epigrammata,* et *diversi generis carmina.* vide Lelandum c. 217. Baleum III, 60 et Pitseum pag. 276.

Willibaldus DEVONIUS. infra, WILLIBALDUS.

DEUSDEDIT Romanus, Papa ab An. 614 13 Novembr. ad 617. Novembr. 8. Ejus *Epistola ad Gordianum* Episcopum quendam Hispanum, obvia in Tomis Conciliorum et in Aguirrii Conciliis Hispaniae tom. 2. pag. 461 in qua decretum, ut qui patrinorum ritu liberos suos de sacro fonte suscipiunt, ab uxoribus separentur, et ne commatrem quis suam in uxorem suscipiat. Habet etiam ex Gratiani Decret. quaest. 30. Baronius ad Annum 617 num. 2. Partem quoque refert Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad Annnm 614 testatus hunc Papam praeterea constituisse secundam missam in clero, quod et Anastasius in ejus vita annotavit.

DEUSDEDIT, aliis DEODATUS, Cardinalis Presbyter, a) et propugnator acris partium Gregorii VII. Pontificis, defunctus An. 1099. Scripsit *Libros quatuor de Verbis Ecclesiasticis* ad Victorem III. Gregorii VII. An. 1086 successorem, sive Compendium Canonum MS. in Bibliotheca Vaticana, de quo videndus Oudinus tom. 2. pag. 765, 766. Praeterea librum quadripartitum *de privilegiis et auctoritate Ecclesiae Romanae statusque Ecclesiastici, et adversus rerum Ecclesiasticarum invasores, Simoniacos et Schismaticos, Guibertinos*, ut vocat Anonymus Mellicensis cap. 113 et *Henricianos*, hoc est, qui cum Guiberto, sive Clemente III. Anti-Papa, et Henrico IV. Imperatore faciebant, unde *Wighertinam et Henricianam haeresin* jungit Urspergensis pag. 247. Mirum est his libris locum datum non esse in Bibliotheca maxima Pontificia Joannis Thomae Rocaberti.

DEUSDEDIT, Frithonâ de gente Occidentalium Saxonum, sextus Dorovernensis, sive *Cantuariensis* Episcopus ab An. Christi 655 ad 664 de quo Beda III, 20 et IV, 1. hist. Anglorum, sed nulla ejus scripta memorans. Quo auctore igitur Cangius eum inter scriptores referat, necdum comperi.

DEXTER Paciani, Barcilonae in Hispania Episcopi, filius, Praefectus Praetorio b) sub Imperatore Honorio. Hujus Dextri hortatu scripsit, eique An. 392 dedicavit S. Hieronymus Catalogum de scriptoribus Ecclesiasticis, cujus capite 132 ejus meminit

a) Etiam Judaei. Vide Rev. Wolfii Bibliothecam Hebraeam tom. 1, pag. 211.

b) Guil. Malmesbur. lib. 1. Hist. Anglor. pag. 9. adde Lambecium tom. 2, pag. 705. seq.

a) Fortasse *de expeditione.*

a) Vide notata in Bibliothecae Graecae tom. XI, pag. 94. seq.

a) Hieron. apologia 2. in Rufin. et Graecus interpres Epistolae Catalogo Hieronymi praemissae.

his verbis: *Dexter Paciani, de quo supra* (cap. 106.) *dixi, filius, clarus apud saeculum, et CHristi fidei deditus, fertur ad me* omnimodam historiam *texuisse, quam nondum legi* a).

Omnimodam hanc Dexstri Historiam in deperditis jam pridem habuere viri docti, cum repente exeunte saeculo XIV, percrebescere rumor coepit de invento in Fuldensi Germaniae Bibliotheca hoc thesauro. Auctor rei, ut docemur a Nicolao Antonio lib. 1. Bibliothec. veteris Hispanae cap. 8. Jesuitarum sodalis quidam *Hieronymus Romanus de Higuera* nomine, Toletanus patria, undique munitus vir subsidiis curiosae omnis, qua historica constat res, doctrinae: Hic testatus est, a *Thoma Torrialba*, ejusdem Societatis, e Germaniae Wormatia urbe Dextri Chronicon, sive Historiam omnimodam ab An. Urbis Romae 752 ad Annum 1183. (CHristi 1. ad 430.) missam sibi una cum *M. Maximi*, Caesaraugastani Episcopi continuatione ab An. CHristi 468 ad 644 et *Eutrandi* (Luitprandi) Ticinensis Diaconi ab An. 644 ad 668. Apographum illius, Caesaraugustae repertum *Jo. Calderon* Franciscanus An. 1619, 4. in ea urbe typis committi curavit primus vehementer interpolatum cum Chronico *M. Maximi* p. 95-105, et additionibus *S. Braulionis* et *Helecae*, sive *Helecanis* Caesaraugustanorum Episcoporum ad Maximum pag. 105-112, et fragmentis carminum M. Maximi et aliorum. Ab eo tempore Thomas Tamajus Vargas, regius Historicus edidit Dextrum defensum An. 1624, 4. Madriti, lingua Hispanica: *Flavio Lucio Dextro, Caballero Espannol de Barcelona, prefecto pretorio de Oriente, Governador de Toledo por los annes del Sennor de CCCC, defendido por Don Thomas Tamajo de Vargas.* Subjicitur: *Antiguedad de la religion Christiana en el reino de Toledo para muestra de la verdad de la doctrina de Flavio de Lucio Dextro.* Postea *Rodericus Carus* Utrariensis presbyter Chronicon Dextri et continuatorum cum brevibus notis vulgavit Hispali 1627. *Franciscus Bivarius* Cisterciensis Monachus solum Dextri Chronicon cum amplo commentario Lugd. eodem an. 1627, fol. Maximi vero Chronicon cum *Braulionis* et *Helecanis, Tajonis* et *Valderedi* Episcoporum Caesaraugustanorum additionibus et ejusdem Bivarii commentario, praemissis *Baltasaris de Sandoval et Moscoso* apologeticis praelocutionibus pro Dextro et Maximo, excusum Madriti 1651, fol. Denique in laudati *Nicolai Antonii* Biblioth. Vet. Hispana tom. 2. pag. 274-286 eadem Chronica exhibentur longe breviora, qui tamen neutiquam illa pro genuinis habet, sed quam plurimis et non inficiandis argumentis evincit recens illa et fortasse ab ipso Higuera fuisse conficta: de quo vides etiam eundem Nicol. Antonium lib. 1. de jure exulum cap. 14. Cardinalem R. E. Josephum Saenz de Agvirre tom. II. Concil. Hispan. pag. 54, sq. et Joan. Bollandum praefat. ad tom. 1. Act. Sanctor. Januar. pag. 31 et ad tomum 1. Act. Februarii pag. XVIII, seq. Papebrochium tom 4. Act. Sanctorum Maji pag. 14. b. Dionysius Petavius lib. 2. Epist. 14 ad Rosweidum, Chronicon Dextri vocat *hominis imperitissimi* ἄτοπον et ἀλλόκοτον κύημα et *omnino* ψευδεπίγραφον, *ab Hispano aliquo nebulone confictum.*

Epistola commentitio huic Lucii Dextro, sive ut a Cornelio a Lapide appellatur tenebrionis sinistri Chronico praemissa non ad Hieronymum sed ad Orosium dirigitur his verbis: *Posteaquam ex Oriente, (ubi sicut nosti Praefectus praetorio fui,) domum redii, coepit me vehementer taedere functionis munerum publicorum, totumque me converti ad ea studia, in quibus bonam vitae meae partem transegi, si non cum laude, citra notam pudoris tamen. Porro omnimodam historiam quam ab orbe condito ad haec nostra tempora* (Calderionis editio addit: *id est ad annum 430 ad Consulatum XIII. Theodosii junioris) produxeram,* et

a) *Nempe Dexter opus hoc nondum perfecerat, saltem nondum ediderat Sed Hieronymus ubi ex amicis, qui id opus viderant, cognorat, suo hoc nomini inscriptum iri, tam eam rem gratam habuit, ut non contentus Viri ac libri necdum lecti, aut visi sibi meminisse, etiam praevertere Dextrum voluerit affectus sui testimonio, quod esse voluit dedicationem libelli de scriptoribus Ecclesiasticis.* Haec verisimiliter ita Vossius lib. 2 de Hist. Lat. cap. 10.

S. Hieronymo dedicaveram, quoniam ad manus ejus defuncti (atqui scripta jam erat a Dextro An. 392 cum Hieronymus obierit demum 420.) *pervenire non potuit, auctam et locupletatam tibi nuncupo, ut Historiarum scriptori, et patris mei* (Paciani) *amantissimo. Vale.* Verùm Calderionis editio habet: *S. Presbytero Hieronymo non ita locupletatam dicaveram: sed quia ad ejus defuncti manus pervenire non potuit, multis locis auctam locupletatamque tibi homini Hispano Laletano et Historiarum scriptori ornato et mei amantissimo nuncupo. Vale.*

Didacus DEZA, Ordinis Praedicatorum, Theologus Salmanticensis, Inquisitor Generalis, atque ex Episcopo Salmanticensi, Giennensi, Palentino et Hispalensi designatus Archiepiscopus Toletanus, obiit An. 1523 a) aetatis LXXX. Ejus scripta: *Praelectiones* novarum defensionum *pro S. Thoma Aquinate,* in quatuor libros Sententiarum. Hispali 1517, fol. quatuor Voluminibus, quorum secundo subjicitur *Defensorium* pro eodem Thoma contra *Nicolaum Lyram* et invectivas *Matthiae Dorinck* in replicationibus contra *Paulum Burgensem* super Biblia, quod separatim viderat lucem Hispali 1491, 4. et Paris. 1514, 8. *Statuta* ministris sacri tribunalis observanda editaque Hispali 1500 et Methymnae sive Medinae Campi An. 1504. *Concilium Hispalense* An. 1512, post editionem Hispalensem in 4 obvium in Aguirrii Conciliis Hispaniae in limine tomi 4 ubi sermones a Didaco habiti pag. 1. et 23 et Capita Concilii LXIV, in quibus caput V, *contra Vaticinatores et Magos.* Caput X, *de festis quibusdam tollendis.* Caput XXI, *ne in Ecclesiis fiant repraesentationes Passionis, Resurrectionis CHristi, aliaque.* Caput LIII, *ne arces in Ecclesiis construantur.*

Caetera, nescio an edita, sunt: *Monotessaron, sive ex quatuor Evangeliis unum,* una cum affecta nec absoluta *Catena* veterum Patrum, illa exponentium. *Expositio Orationis Dominicae. Eruditio Pastorum, seu de eorum erga sibi creditas oves officio. Relectio de Peccato Originali. Homiliae in totius anni festos et Dominicos dies. Commentarius inchoatus in Apocalypsin.* De auctario ad Vincentii Bandelli librum *de Conceptione B. Mariae Virginis,* An. 1502, 4. edito, infra in VINCENTIO.

DIBINI *Correctoria* MSS. in Bibliotheca Quedlimburgensi, de quibus V. C. Tobias Eckardus in notitia illius Bibliothecae, edita An. 1723. 4. pag. 20. *Sunt Epistolae variis de casibus ad Episcopos, item ad Carolum Regem* (Carolum IV. Imperatorem) *et ipsus Caroli de variis argumentis, Epistolae, Privilegia, Mandata* etc.

DICTINIUS, Symphosii Episcopi filius, Episcopus in Hispania Asturicensis, cujus memoria ab illa Ecclesia etiamnum colitur 2. Junii, *a) Ob Priscilliani haeresin. quam profitebatur, ejecto cum aliis ejus sectae Episcopis* Anno CHristi 381. in Synodo Caesar-Augustana, *successit Turibius*, teste Idatio in Chronico. Sed damnato errore suo *b*) resipuisse et ab Ecclesia receptum iterum Dictinnium constat ex Innocentii I. Epistola ad Synodum Toletanam, et ex Leonis Magni Epistola XV. ad Turibium capite 16. in qua tamen scripta Dictinnii *c*) legere prohibet, sicut Augustinus quoque libro contra mendacium ad Consentium cap. 3. et 17. et Concilium Braccarense secundum, An. 563. canone 17. Augustinus speciatim memorat Dictinnii librum, cujus nomen fuit *libra*, eo quod *per tractatus duodecim quaestionib. velut unciis* (tot enim libra constat) *explicabatur*: quod scriptum Priscillianistae *tantis extulere laudibus, ut talem libram, qua horrendae blasphemiae*

a) Non 1525 ut Nicolaus Antonius tom. 1. Bibliothecae Hispanae pag. 216 neque 1515. ut Joannes Gottfried Olearius in Bibliotheca scriptorum Ecclesiasticorum pag. 197. Vide Epitaphium Dezae, quod exstat Hispali, et refertur a Jacobo Eckardo, qui de hoc Didaco, quem ille *Deçam* appellat, caeteris accuratius disserit tom. 2 de scriptoribus Ordinis Praedicatorum pag. 51. seq. Qui aliis Jacobus, Hispanis auribus Didacus vel Diego.

a) Benedictini ad Augustin. tom. 6 edit. Amst. pag. 329.

b) In Synodo Toletana An. 400 vide Aguirrii Concilia Hisp. tom. 2 pag. 157. Nicolai Antonii Bibliothecam veterem Hispanam II. 5 pag. 131.

c) Adde Paschasium Quesnellum ad Leonis Magni Epist. XV. pag. 449. Tillemont. tom. VIII memor. pag. 518. D. Thomae Ittgii appendicem de haeresiarchis p. 235.

continentur (speciatim de eludendo martyrio et persecutoribus per mendacium et abnegationem declinandis) *multis librarum auri millibus pretiosiorem esse* judicarent.

DIDACUS Deza, supra, DEZA.

DIEDERICUS, vide infra, THEODERICUS.

Franciscus DIEDUS, Patricius Venetus, Christophoro Personae in dedicatione versionis librorum Origenis adversus Celsum An. 1481. *Franciscus DIETUS vir mirae doctrinae et eloquentiae*, a) jam An. 1458. Patavii Oratione celebravit Bartholomaeum Pajarinum b) et praeter alias *Orationes* atque *Epistolas*, invectivamque *in Franciscum Barocium* sive *Barozzium*, Philosophum et Mathematicum: scripsit *vitam S. Rocchi* Confessoris, quem narrat obiisse An. 1327. anno autem 1414. innotuisse Patribus Concilii Constantiensis, quorum decreto ad propulsandam ingruentem luem c) eidem honores Sanctis debiti sunt impensi. *Operis epitomen habes*, inquit Vossius, *apud* Franciscum *Haraeum* in Vitis Sanctorum Colon. 1630. fol. *die XVI. August. At opus ipsum integrum reperies in monumentis Sanctorum Veronae, quae Venetiis sunt edita anno MDLXVI.* Obiit Diedus Veronae An. 1483. d) quo centum fere annis junior Georgius Diedus Responsum de bireto rubro Cardinalibus religiosis dando, Romae An. 1592. publici juris fecit.

* Vitam ab eo scriptam *S. Rochi confessoris* habeo apud me vetusta editione excusam in 4 sine adscriptione temporis et loci, cuius est exordium:

Francisci Diedi philosophi super legendam B. Rochi confessoris. Etsi de Rocho, cuius vitam scripturi sumus, certi nihil ex veteribus, sacrisq. codicibus compertum habemus; ne tamen huius viri sanctissimi genus, peregrinatio, vita atque obitus in obscuro sint tum ex barbaris quibusdam fragmentis, tum ex latinis vernali tamen lingua crassaque minerva conscriptis nonnulla collegimus. Scripsisse haec videtur seu Brixiae, seu in gratiam Brixiensium, qui cum saevissima pexte affligerentur, votum patrono huic suo nuncuparunt.

DIEMO, aliis TIEMO, sive THIMO, a) Ordinis *S. Benedicti*, ex illustri genere Germanus, qui familiaris *S. Othonis*, Episcopi Bambergensis et Pomeranorum Apostoli An. 1139. b) defuncti, ejus *vitam* scripsit. Hac usum se testatur Andreas, Abbas S. Michaëlis, ut dicere me memini supra tom. 1, pag. 90. ubi notatum etiam est videri vitam hanc superesse in libris tribus Anonymi de ejusdem S. Othonis vita, editis a Canisio atque deinde etiam ab aliis: sed hi non per modum dialogi scripti sunt, in illa autem colloquentes inductos Sefridum et Tiemonem Andreas testatur. De aliis Sanctorum vitis, quas huic Diemoni videntur tribuere Vossius, Cangiusque, nihil quicquam comperi.

DIEMO Trithemio, c) aliis THIEMO, vel TYEMO, aut etiam DIETHMARUS, sive THEODAMARUS, ex nobili Bojorum progenitus sanguine, Archiepiscopus *Saltzburgensis*, in Palaestina captus et caesus a Turcis Anno Christi 1101. d) *Acta passionis* ejus lecta Ottoni Frisingensi et Auctori Chronici Reicherspergensis, edidit Henricus Canisius tom. IV. parte 2. pag. 666. (editionis novae tom. 3. parte. 2, pag. 103.)

DIETERICUS, infra, THEODERICUS.

DIETGERUS, aliis THEOGERUS, sive THEOGORUS, vel THEOCARUS, frater Folmari, Comitis Metensis, Abbas S. Georgii in sylva Hercinia, et Episcopus Metensis, abdicatoque circa Annum 1118. e) Episcopatu Monachus Cluniacensis. Scri-

a) Diarium Eruditorum Italiae tom. XVII pag. 289. seq.

b) Vossius III. de Hist. Lat. pag. 601.

c) Vide Baronium ad Martyrolog. Rom. 16 August. et missam S. Rocchi, tempore pestis celebrandam apud Aguirrium tom. IV. Conciliorum Hispan. pag. 719.

d) Trithem. cap. 869. de S. E.

a) Eundem esse *Thimonem*, qui aliis *Diemo*, recte notavit Sandius ad Vossium pag. 354. editionis a me curatae.

b) Arnoldus Wion tom. 2. ligni vitae p. 715.

c) Trithem. IV. 125. Illustr. Benedictin. et Chron. Hirfaug. ad Annum 1077.

d) Hundii metropol. Saltzburg. pag. 6.

e) Sammarthani tomo tertio Galliae Christianae pag. 716.

psit, teste Anonymo Mellicensi cap. 109, exemplo Guilelmi, Abbatis Hirsaugiensis, Magistri sui, *Tractatum de Musica*, in quo de ejus inventione, et numeris ac proportionibus juxta Aritbmeticos breviter quidem, sed satis subtiliter egit.

DIETHMARUS, vide, DIEMO *Saltzburg.* et infra, DITHMARUS.

DIETPOLDUS ab Anno 1176. Pataviensis Episcopus, Hundio in metropoli Salisb. pag. 207. THEOBALDUS, in reditu ex Palaestina, in quam cum Friderico Barbarossa contenderat, estinctus An. 1189. Praeter *Epistolam* ejus ad *Taganonem*, Decanum Pataviensem, memorari nihil comperi.

DIMALDUTIUS, supra, DAMALDUTIUS,

DINAMIUS, vide, DYNAMIUS.

David de DINANTO, supra, DAVID.

Nicolaus de DINCKELSPUHL, Svevus, Theologiae Professor, et Gymnasii Viennensis Rector, qui Alberti V. Austriae Ducis legatus, interfuit Concilio Constantiensi An. 1414. et deinde Basileensi An. 1431. *Orationem* in exordio Concilii Constantiensis *ad Imperatorem Sigismundum* habitam, sive praecipua ejus capita edidit V. C. Hermannus ab Hardt in Actis Concilii Constantiensis tom. 2, pag. 182. Ejus *Sermones* avide a doctis lectos testis Æneas Sylvius Epist. 165. Argentorati 1516. fol. junctim prodiere. *De dilectione DEI et proximi, Sermones XI. De praeceptis Decalogi. De Oratione Dominica. De tribus partibus poenitentiae. De octo beatitudinibus. De septem peccatis mortalibus. Confessionale peccatorum*, et *de quinque Sensibus*. Praeterea a Trithemio cap. 738. memorantur ejus *libri IV. super Sententias*, et *Quaestiones Sententiarum. De septem donis Spiritus Sancti. De octo vitiis capitalibus. De praecepto charitatis. De peccatis linguae. Sermones* de tempore, de Sanctis, et Sermones morales. His a Simlero addi video, *de contractu emtionis et venditionis circa avaritiam:* a Possevino: *Quaestionem Magistralem de haeresibus ac veritatibus Catholicis*, MS. in Bibliotheca Caesarea, et ab Henrico Warthono ad Caveum: *De donis Spiritus Sancti. De gratitudine et ingratitudine*, et *de Communione Sacramentali.* MSS. in Bibliotheca Augustana. Scripta pleraque hujus Dinckelspuhlii, ut Commentarii in IV. libros sententiarum et Sermones MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi. Vide Oudinum tom. 3, pag. 2302.

Rogerus DIMOCCUS, aliis DINMOCK, sive DYMMOCHUS, Anglus, Theologus Oxoniensis, Ordinis Praedicatorum, cujus *opus contra XII. errores et haereses Lollardorum* ad gloriosissimum et metuendissimum Angliae et Franciae Regem Richardum II. MSS. in Bibliotheca Academiae Cantabrigiensis et Colbertina. a)Ejus librum pugnae *contra Wicoclivum*, sive *Wiclefum* gestae ad eundem Richardum II. Regem, defunctum An. 1399. inspexisse se referens Johannes Lelandus cap. 441. idem opus intelligit, sicut notum est Wiclefistas venire nomine Lollardorum. Praeterea *Ordinarias* Rogeri *Quaestiones* memorant Baleus VII. 9. et Pitseus pag. 547.

DINOTHUS, Abbas Bannochorensis, laudatus Bedae Hist. Angl. lib. 2. cap. 2. aliis DIONOTUS *Avonius*, qui in Synodo Claudiana Vectiorum, sive Wigorniensi Anno Christi 601. traditur, ut est apud Lelandum cap. 44. *copiose, graviter, docte de non admittenda Gregorii Papae aut missi ab eo Augustini Monachi auctoritate disputasse. Praeterea defendisse Archiepiscopi Menevensis in rebus Ecclesiasticis potestatem. In summa, conclusisse, non esse e republica Britannorum, ut Romanorum fastum vel Saxonum tyrannidem in communionem admitterent.* Atque eodem Lelando judice, *quae erat Dionoti eruditio, recte sentiebat, non esse penes Romanum, ut gentem advenam*, (Saxones) *fidei praetextu, in alieno* (Britannico) *confirmaret imperio. Nam si id admitterent, non deesset fucus ad explodendos quoscunque e regnis suis Principes.* Verba ipsa quaedam Dinothi ex MSto Codice Anglo-Saxonice descripta et Anglice cum Latina versione publicavit Henricus Spelmannus tom. 1. Conciliorum Angliae pag. 108. quae cur conficta sub Dinothi nomine visa sint Schelstrateno b) et

a) Vide Jacobum Quetif tom. 1 pag. 699 et 700.
b) Mem. de Trevoux An. 1709 pag. 823.

quibusdam aliis, conjicere facile licet, rationem videre non licet. Sententia verborum haec est: *Notum sit et absque dubitatione vobis, quod nos omnes sumus et quilibet nostrum obedientes et subditi Ecclesiae DEI et Papae Romae, et unicuique vero et pio Christiano ad amandum unumquemque in suo grado in perfecta charitate, et ad juvandum unumquemque eorum verbo et facto fore filios DEI: et aliam obedientiam quam istam non scio debitam ei quem vos nominatis Papam, nec esse Patrem Patrum vindicari et postulari: et istam obedientiam nos sumus parati dare et solvere ei et cuique Christiano continuo. Praeterea nos sumus sub gubernatione Episcopi Caerlegionis super Osca, qui est ad supervidendum sub DEO super nobis, ad faciendum nos servare viam spiritualem.* Quae praeterea a Baleo I. 70. et Pitseo pag. 104. seq. perhibetur scripsisse Dinothus, *Defensorium jurisdictionis sedis Menevensis*: *De conservandis Britannorum ritibus*: *Disputationum librum*, aliumque *Orationum et Epistolarum*, et *in sacram Scripturam Commentarios*, ea nemini visa, et ex sola conjectura, ut in aliis non raro ab his factum, tributa esse mihi persuadeo.

Edmundus DINTERUS, sive de DINTER, Sylvaeducensis, Wenceslai, Antonii, Joannis et Philippi Boni, Ducum Brabantiae, a secretis, defunctus Bruxellae Anno 1448. scripsit brevem *Genealogiam Ducum Burgundiae, Brabantiae* etc. quam Hunibaldi fabulas secutus a Priamo Hectoris filio repetit. Prodiit Argentorati 1529. et in tom. tertio scriptorum Germanicorum Freheri pag. 230. editionis nuperae Struvianae: utrobique praemissam habens vitam Philippi Burgundi, qui Philippi Boni, Burgundiae Ducis, filius fuit et ab Anno 1517. Episcopus Ultrajectinus. Sed hujus vitae a Gerhardo Geldenhaver, Noviomago, compositae editaeque scriptor a Sweertio pag. 229. perperam Dinterus traditur: praeter rem etiam edita esse scribitur An. 1519. nam obitus Philippi hujus, quem describit, incidit in An. 1524. Ineditum adhuc in Belgio servatur Dinteri *Chronicon*, sive *Historia Ducum Brabantiae*, de qua Valerius Andreas, pag. 203. Aubertus Miraeus in Chronico Belgico pag. 386 etc. Oudinus tom. tertio pag. 2386.

DINUS *Compagnus* Gonfalonierius, sive Praetor Florentinus, defunctus An. 1323. Ejus *Oratio ad Joannem XXII.* edita Florentiae An. 1547. et *Chronicon Florentinum* libris III. ab Anno 1280. ad 1312. verum non Latino, sed culto sermone Hetrusco scriptum, in Clarissimi Muratorii scriptorum Italiae tom. IX, pag. 463. Mediolani 1726. fol. Carmina ejus quaedam itidem Hetrusca in Leonis Allatii Poeti Antichi. De aliis ineditis ejus Julius Niger in historia scriptorum Florentinorum pag. 146.

DINUS *de Garbo*, Bruni Chirurgi Florentini filius, discipulus Thadaei Medici, pater Thomae de Garbo, cujus summam Medicinae laudat Trithemius cap. 613. Dinus hic Bononiae primum, deinde Senis artem Medicam professus diem obiit An. 1327. Scripta ejus feruntur in *Hippocratis*, *Galeni*, et *Avicennae* libros quosdam Commentaria. Enarratio in *Guidonem de Cavalcantibus* de natura Venerei amoris, Venetiis 1498. fol. *Chirurgia*, Ferrariae 1485. in fol. Diversarum *Quaestionum* liber, ex quibus est illa de *Coena et Prandio*, excusa cum Andreae Thurini operibus, Romae 1545. in fol. *De malitia variae complexionis* etc. Vide (praeter Bibliothecae Medicae scriptores) Trithemium cap. 532. et Julium Nigrum pag. 146. seq.

DINUS, sive DYNUS *de Rossonibus*, a patria Mugello, agri Florentini oppido *Mugellanus*, Juris utriusque peritissimus Bononiae docuit, extinctusque est An. 1303. Vide Pancirollum II. 45. Ejus opera usus esse dicitur Bonifacius VIII. a) in componendo *sexto Decretalium libro*, quem etiam post Guilelmum Mandagoti, Archidiaconum Nemausensem, Commentariis illustravit: quanquam Juris Canonici parum peritum arguit Johannes Andreae apud Joannem Fichardum in vitis JCtorum pag. 407. Quae *in titulum de regulis Juris in sexto* scripsit, *mirabile commentum* vocat Johannes

a) Vide Marcum Mantuam de JCtis illustribus pag. 460.

Baptista de Gazalupis pag. 503. Fallitur autem Julius Niger cum pag. 147. historiae scriptorum Florentinorum ait Dinum sex libros Lugduni, Parisiis, Coloniae et Venetiis editos scripsisse in titulum de regulis Juris, illum nempe titulum animo cogitans, qui libro ultimo Digestorum habetur. Sed Dinus scripsit in Bonifacii VIII. regulas Juris LXXXVIII. quae librum sextum Decretalium claudunt. Caetera illius JCti scripta, ut *de praescriptionibus, de successionibus* etc. apud eundem Nigrum videantur; et apud Trithemium cap. 515 etc.

(92 Dinus de regulis juris (Lib. VI) *noviter castigatus etc.* (per Th. Diplobatatium qui librum ded. Altobello Averoldo Ep. Polen. e Leonis X. leg. de latere apostolico per Venetum Principatum) *Venet. a Pincio* 1518, 8. et *c. addit. Nic. Boerii Lugd.* 1556, 8. et *Ven.* 1585, 8. De eo autem et de *D. del Garbo*. Vide *Philip. Villani De famosis civibus.*

DIOCLEATES, Presbyter, *de regno Slavorum* editus Latine in Joannes Lucii opere de regno Dalmatiae et Croatiae a gentis origine ad Annum 1480. Amstelod. 1666. fol. et ex Italica versione, in Mauri Orbini opere, cui titulus: il regno delli Slavi, hoggi detti Schiavoni. Pisauri 1601. fol.

Odo de DIOGILO, (alias *de Dejil*) Abbas S. Cornelii Compendiensis, deinde ab An. 1153. S. Dionysii in Gallia, scriptor *itineris transmarini* An. 1147. suscepti a *Ludovico VII.* Rege Francorum in Orientem *libris VII.* editi a Petro Francisco Chiffletio S. J. Divione 1660. 4, una cum S. Bernhardi illustri genere asserto. Vide Oudinum II, 1443.

DIONOTUS, supra, DINOTHUS.

DIONYSIUS patria Calaber, Episcopus Romanus fuisse perhibetur a) per annos decem, a 22. Julii Anno Christi 259. ad Annum 269. 26. Decembris. Vide Petri Coustant Epistolae Pontificum pag. 270. seqq. ubi post fragmenta Graeca Dionysii Papae et Synodi Romanae ab eo habitae *Epistolarumque* ad Dionysium Alex. *adversus Sabellianos*, et Dionysii Alexandrini elenchi et apologiae, sive Epistolarum ad Dionysium Romanum pag. 292 notat ab Isidoro Mercatore duas Dionysio Papae suppositas fuisse *Epistolas*, unam *ad Urbanum* praefectum, alteram *ad Severum* Episcopum. Easdem falsitatis convictas videre est in Blondelli Pseudo-Isidoro pag. 349. seq. Quod autem Ludovicus Jacobus pag. 62. Bibliothecae Pontificiae huic Dionysio ex fragmentis commentarii Luitprandi Ticinensis pag. 295. adscribit *librum de situ Orbis*, error est manifestarius, cum toto coelo et majore quam saeculi intervallo differat ab Episcopo hoc Dionysio Dionysius periegetes, ethnicus, cujus carmen Graecum insigne hujus argumenti habemus Similiter ferri non potest, quod eodem loco *Commentarius adversus Arianas haereses* Dionysio Papae tribuitur, cujus tempore, Arii haeretici nomen nondum erat auditum, quod fieri coepit ab Anno 316. Neque *adversus Paulum Samosatenum* scripsit Dionysius Papa, sed Dionysius Alexandrinus Episcopus, sicut a Caveo jam bene notatum video.

a) Alias sententias vide in diversis editionibus Pontificalis veteris apud Schelstratenum pag. 451, 455. Tomi I Antiquitatis Ecclesiae illustratae.

DIONYSIUS *Abbas*, infra, DIONYSIUS *Exiguus.*

DIONYSIUS *de Burgo*, *S. Sepulchri* Civitate Ducatus Spoletini in Italia, frater Eremitarum S. Augustini, clarus circa Annum 1412. si audimus Trithemium cap. 728. Sed et illud emendandum et quod supra tom. 1, pag. 281. scripsi eum An. 1380. claruisse. Nam verius est, gratiosum fuisse apud Robertum, Regem Siciliae, laudatum a Petrarcha vivum mortuumque, et diem obiisse Neapoli An. 1339. Vide Josephum Pamphilum pag. 49. 50. et Elssium pag. 169. qui praeter alibi memorata a me, Postillas ejus *in Epistolam ad Romanos* laudat et Commentarium *in Aristotelis Poeticen.* His addendum quod *tropologicae* ejus *enarrationes in Ovidii metamorphosin* prohibentur in indice Clementis VIII. ut Possevinus observavit, idque sapienter judicatum ab auctoribus indicis, nemo cui cor sapit negaverit. Ac fortasse idem vel magis quoque hoc merebantur tropologiae quaedam frigidissimae, quibus sacros etiam libros contaminare vaecordia maleferiatorum interpretum quorundam jampridem non dubitavit.

DIONYSIUS *de Leewis*, patria *Ryckelius* Belga in ditione Leodicensi: Magister Artium Coloniensis, inter *Carthusianos* Ruremundae apud Geldros nomen professus suum; ubi etiam diem obiit Anno 1471 aetatis 77. ingenii et doctrinae gloria cognomen *Doctoris Ecstatici* promeritus. De eo consulenda Acta Sanctorum XII. Martii tom. 2, pag. 245. seq. ubi etiam vita scripta a Theodorico Loërio a Stratis, Carthusiano Colon. pag. 247. ex editione Colon. 1532 8. ut praeteream quae de eo, revelationibusque illi factis Petrus Dorlandus libro septimo Chronici Carthusiensis cap. 6. seq. aliique. Lucubrationum multitudine sive aequavit, sive superavit S. Augustinum, in illis scribendis nullo amanuensi usus. Elenchum universorum opusculorum et commentariorum suorum ipse rogatus descripsit, qui exstat apud Bzovium ad An. 1471. n. XXI. tom. XVIII, p. 10–15. et in Theodori Petreji Bibliotheca Carthusiana pag. 50–48. conferendus cum titulis apud Gesnerum, Simlerum et Possevinum ex Trithemii capite 820. et apud Sweertium pag. 215. De editionibus accuratius tradunt Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica pag. 186. et Henricus Warthonus ad Caveum; Lugdunensis, editio omnium operum hujus Dionysii XII. Voluminibus in fol. quam An. 1658. exspectare jussit Labbeus de S. E. tom. 1, pag. 266. nondum lucem vidit quod sciam. In libello *de quatuor novissimis* caute legendum monuit Bellarminus pag. 404. de S. E. et vernaculae versiones hujus libri prohibentur in Indice expurgatorio, quae tamen exstant in variis linguis, ut Hispanica Madrit. 1630. Italica 1583 12. Nempe vitio datum Dionysio est, quod art. 47. ob quasdam visiones docet animas in purgatorio incertas esse de aeterna sua salute, quod oppugnandum sibi sumit idem Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 4. Exstat et Germanica versio librorum quinque *adversus Alcoranum et Sectam Mahometicam*, quam confutandam sibi delegit Dionysius exemplo amici sui Nicolai Cusani. *Strasburg* 1540. fol. Dionysii *von* Rickel Alcoran, *oder des Turckischen* Alcoranus *Innhalt und Ablehnung*. De ejus *Commentariis in sacram Scripturam* videndus Richardus Simon III. 34. historiae Criticae Novi Testamenti pag. 487. seq. Notitiam singulorum si quis requirat, et editionum, Jacobi le Long Bibliothecam sacram exegeticam consulet pag. 828 829. illisque addet *Enarrationem Epistolarum et Evangeliorum* typis exscriptam Paris. 1544. fol.

DIONYSIUS Cassinensis Monachus, scriptor *vitae S. Lidgani,* Abbatis S. Caeciliae Ordinis Benedictini in agro Setino, defuncti An. 1118 ad quem annum Baronius num. 28. *Scripsit res ab eo gestas Dionysius Monachus Cassinensis, sed eas mendis obsitas legisse nobis contigit.*

DIONYSIUS Caroli loci Monachus *Cisterciensis* circa Annum 1230 composuit *Compendium vitae S. Guilelmi, Bituricensis Archiepiscopi*, et quondam Caroli loci Abbatis, qui obiit An. 1209, X. Januarii, a) ad quem diem adire licebit Surium et Acta Sanctorum tom. 1. Januarii.

DIONYSIUS *Cisterciensis* junior, *Doctoris clari ac subtilis* elogio mactatus a Carolo de Visch in Bibliotheca Ord. Cisterc. pag. 84 scriptor *Commentariorum in Magistri sententiarum quatuor libros*, qui prodiere sub nascentis typographiae initia, Parisiis in folio apud Poncium le Preux.

DIONYSIUS *Collensis*, Hetruscus, Augustinianus circa Annum 1470 scripsit *de arte sermocinandi, de pulchritudine pacis*, et tractatum *de morte*, cujus omnium ferme capitum hoc est exordium: *Omnes morimur et quasi aqua dilabimur.* Vide Elssium pag. 169.

Monachus Caenobii S. DIONYSII, scriptor coaevus *gestorum Dagoberti I*, filii Chlotarii II. Regis Francorum ab An. 628 ad 638. Exstant in tom. I. Andreae du Chesne pag. 571-589.

Anonymi Benedictini *Chronicon* Ecclesiae S. DIONYSII breve ad Cyclos Paschales, ab An. 986 ad 1292 tom. II, spicilegii Dacheriani pag. 808 et tom. II, edit. novae pag 495 ad 498.

DIONYSIUS *Exiguus*, natione Scytha, b)

a) Sammarthani t. I Galliae Christianae p. 174.

b) Cassiodor. cap. 23 de institutione Divinarum Litterarum.

Monachus et Abbas Romanus, a) magna laude magnisque studiorum meritis nomen ingens consecutus diem obiit ante Annum 556 quo librum de Divinis lectionibus scripsisse se Cassidorus jam senex significat. Scripta ejus sunt.

I *Cyclus Paschalis* quinque cyclorum sive enneadecaëteridum, constans annis XCV, primo ducto ab An. CHristi DXXXII, desinensque in An. DCXXVI, cum alii ante eum imperfectioribus cyclis usi fuissent, vel annos a Diocletiano, cujus initium in An. CHristi 284 incidit, computassent. Ita enim Dionysius: b) *Quia vero S. Cyrillus primum Cyclum* (XCV, annorum) *ab An. Diocletiani CLIII.* c) *coepit, et ultimum in CCXLVII.* d) *terminavit, nos a CCCXLVIII.* e) *anno. ejusdem, Tyranni potius quam Principis, inchoantes, noluimus circulis nostris memoriam impii et persecutoris innectere, sed magis elegimus AB INCARNATIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI* f) *annorum tempora praenotare, quatenus exordium spei nostrae notius nobis existeret, et causa reparationis humanae, id est passio Redemtoris nostri evidentius eluceret.* Hunc Cyclum An. CHristi DXXV, composuisse se Dionysius testatur, integriorem autem primus ex Codice Remensi, Colbertino et Digbaeano vulgavit atque erudite illustravit D. Joannes Guilelmus Janus ὁ μακρίτης in historia Cycli Dionysiani, Wittembegae 1718, 4. In hac pag. 59 occurrit *Epistola ad Petronium Episcopum*, sive *Praefatio*, edita pridem a Petavio ad calcem tomi secundi doctrinae temporum pag. 874. (editionis Amstelodam. pag. 498.) et Bucherio ad Victorii Canonem Paschalem pag. 485. Sequitur apud Janum pag. 74. Cyclus decemnovennalis ab an. Diocletiani CCXXIX, CHristi 513 ad 531 inde pag. 76. *Cyclus* ipse *Dionysianus* annorum XCV, ad Annum CHristi 532 ad 626 descriptus per columnas octo, quarum haec addita clavis sive interpretatio:

Linea, *CHristi* Tuos prima est quae continet *annos*,
Atque secunda tenet cycli quae *Indictio constet*,
Servabit numeros *Epactis* tertia certos,
Quarta *dies* numerat septem a) bissextilis anni
Quinta tibi *cyclos Lunaris* b) computat anni,
Jam *quartas decimas* designat sextaque *lunas*,
Septimam *Paschae* c) ostendit tempusque diemque,
Ætatem Lunae monstrat novissimus Ordo.

Deinceps apud laudatum Janum succedunt pag. 79. *Argumenta XVI, de titulis Paschalibus, ÆGYPTIORUM investigata sollertia, ut praesentes indicent,* primum edita ex Codice Digbaeano. Horum Argumentorum praeter Dioynisium ipsum Epistola ad Petronium, meminit Ceolfridus apud Bedam V, 22. Eadem inter Bedae Opera tom. 1. pag. 321 leguntur, sed variis interpolata modis, hoc titulo: *Canones lunarium decemnovalium Circulorum.* Argumentum decimum quartum ex hisce ediderat Cangius ad calcem Chronici Paschalis num. XXIV, pag. 481 inscripseratque: *Argumenta Ægyptiorum, quorum meminit Dionysius in Epistola ad Petronium et Victorius in Canone Paschali.* Denique Janus pag. 95 subjunxit PROTERII, d) Episcopi Alexandrini ab An. 451 ad 472 scriptam An. 454. Epistolam Paschalem ex Dionysii versione, ad Codices MSS. Bodlejanum atque Digbaeanum emendatam: et pag. 105. Episto-

a) Beda de ratione temp. cap. 45. Sigebertus cap. 27 de S. E. Baronius ad Annum 527 num. 67. 71. seq.

b) Epistola al Petronium Episcopum scripta An. CHristi 525.

c) CHristi 437.

d) CHristi 531.

e) Confer Marianum Scotum ad Annum 526 in tom. uno Pistorii p. 445.

f) Praeter Pagium dissert. de periodo Graeco Rom. Mabillonium pag. 176 de re diplomatica, Ricciolum lib. VIII. Chronologiae reformatae cap. I. pag. 298. G. J. Vossium lib. de annis CHristi tom. VI. Operum pag. 65 consulenda dissertatio V. C. Georgii Alberti Hambergeri de epochae Christianae, quae a Dionysio hoc *ara Dionysiana* audit, ortu et auctore, Jenae 1707. 4. Franciscus Maria Florentinius ad Martyrolog. Hieron. pag. 185 seq. Andreae Kobavii, S. J. vindiciae Astronomicae pro Dionysio ejusque aera, Viennae Austriae 1645 8.

a) Dies hebdomadae, *Aureum* quem solemus *numerum* appellare.

b) Ἔτη σελήνης.

c) Τὸ νομικὸν Πάσχα.

d) De Proterio Henschenius in Actis Sanctorum 28 Febr. tom. 3 p. 729. seq.

lam Dionysii *ad Bonifacium*, primicerium notariorum, Bonumque secundicerium scriptam An. CHristi 526 de ratione Paschae. Utraque haec Epistola etiam obvia apud Petavium pag. 497 et 499 atque apud Bucherium pag. 82 et 489. Proterii Epistolam Paschasius quoque Quesnellus edidit post Epistolam Leonis Magni centesimam tertiam, qui Paschasius etiam videndus in notis pag. 502, 503 et in vita Leonis ad Annum 454 pag. 171. Quoniam vero deprehensum est ab ipso Dionysio, a) ac deinde ab aliis, cyclum quinque enneadecaëteridum non sufficere ad regulam, qua novilunia et ad easdem ferias non modo redeant, sed et eodem tenore pertexantur, hinc probatus est Cyclus VICTORIANUS enneadecaëteridum XXVIII, sive Annorum DXXXII, qualem ISIDORUS ab A. C.721 exorsus est, et Jo. Noviomagus ad *Bedam* b) ab An. 1063. Eundem Annorum quingentorum et triginta duorum Cyclum, sed alio computandum principio secuti etiam sunt Graeci, ut constat ex Maximi Martyris computo Ecclesiastico c) et ex Chronico Theophanis pag. 39 quibus addi potest Johannes Archipresbyter, a quo descriptum Graece tertium decimum magnum hujusmodi Circulum ab An. CHristi 876 ad 1408. MS. habet eruditissimus noster Joannes Christophorus Wolfius, sunt autem:

Cyclus I, 532 ab Orbe condito usque ad annum Enos XCVII, ante CHristum 5066.

II. 1064 usque ad annum Jared CXXX, ante CHristum 4534.

III. 1596 usque ad annum Lamech CXLII ante CHristum 4002.

IV. 2128 usque ad annum Noë CCCC LXXXVI, ante CHristum 3470.

V. 2660 usque ad annum Heber XXIII, ante CHristum 2938.

VI. 3192 usque ad annum Nachor XXIX, ante CHristum 2406.

a) Epist. ad Petronium. Albericus Chron ad Annum CHristi 829. pag. 171. *Secundum quosdam finitur novies magna tabula Dionysis, quaest annorum DXXXII hoc anno ab initio Mundi.*

b) Supra tom. I pag. 498.

c) In Uranologio Petavii pag. 129 editionis Amstelodam.

VII. 3724 usque ad annum Aram LVIII, ante CHristum 1874.

VIII. 4256 usque ad annum Philistaeorum VI, ante CHristum 1342.

IX. 4788 usque ad annum Ezechiae LXX, ante CHristum 810.

X. 5320 usque ad annum Philometoris XVI, ante CHristum 288.

Natus CHristus 5508.

XI. 5852 usque ad annum Constantii junioris VIII, post CHristum 344.

Cyclus XII, ab An. 6384 usque ad A. Basilii Macedonis X, post CHristum 876.

XIII. 6916 usque ad annum Manuelis Palaeologi XXIV, post CHristum 1408.

Omitto quod in Cyclo isto majore etiam annor. 532 defectus adhuc quosdam annotavit sagax recentiorum industria, vide Epistolam Paschalem Theodori Skuminowicz, Episcopi Gratianopolitani, editam Dantisci 1659, 4. et Epistolam Joannis Baptistae Riccioli eidem subjectam, et hujus Chronologiam reformatam lib. 1. cap. 27 pag. 69. Petavium VI, 5 de doctrina temporum etc. Anonymi Observationes in Prosperi et aliorum cyclum annorum LXXXIV. Amst. 1733, 4. Acta Eruditorum An. 1734 pag. 164.

Rogatus a *Stephano*, Salonitano in Dalmatia Episcopo, Dionysius collegit et e Graecis exemplaribus Latine vertit *Codicem Canonum Ecclesiasticorum, quos, hodie*, inquit Cassiodorus cap. 23. Divin. Lect. *usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Amplexa etiam est Gallia. Vide Sirmondum praefat. ad Concilia Gallicana tom. 4 Operum pag. 628. Carolum le Cointe Annal. Francorum tom. 2. pag. 177, seq. et tom. 6 p. 44, seq. sed et Paschasium Quesnellum dissertat. XVI, ad Leonem Magnum. In hoc Codice exstant: a)

Canones Apostolici quinquaginta.

Canones Concilii Nicaeni XX.

Ancyrani XXIV.

Neocaesariensis XIV.

Gangrensis XX.

Antiocheni XXV.

a) Confer Bibliothecae Graecae tomum XI pag. 1. et 61.

Laodiceni LIX.
Constantinopolitani III.
Chalcedonensis XXVII.
Sardicensis XXI.
Carthaginensis et diversorum Conciliorum *Africanae* Provinciae, CXXXVIII.

Editionem Codicis hujus Dionysiani, sed ex interpolato, ut videtur, b) Codice debemus Christophoro Justello, Parisiis 1628, 8. unde recusus est in tom. priore Bibliothecae Canonicae Guilelmi Voëlli et Henrici Justelli, praemissa Dionysii ad Stephanum *Epistola* p. 101. Parisiis 1661, fol. atque inde in Conciliorum Tomis.

Primus etiam Dionysius collegit et digessit *librum decretorum*, sive decretalium Epistolarum Pontificum Romanorum, rogante *Juliano* Presbytero Romano tituli S. Anastasiae, ad quem *Epistola* (a Blondello et ex Sirmondi Codice a Justello edita) praemittitur. In hac collectione exstant decreta nulla ante Siricium: quae vero exstant, haec sunt:

XV. Decreta	*Siricii*, Papae An.	385 ad	398
LVII.	*Innocentii I*	402	416
IV.	*Zosimi*	417	418
IV.	*Bonifacii I.*	418	423
XXII.	*Caelestini*	423	431
XLIX.	*Leonis I.*	440	461
XXVIII.	*Gelasii*	492	496
VIII.	*Anastasii*	496	498

Haec collectio saepius edita in tomis Conciliorum et cum Codice Canonum a Justello c) et in Bibliotheca Canonica: Exstat et MS. vetus versio Theotisca utriusque sylloges, tum Canonum, cum Decretorum, nisi quod decretis etiam alia Pontificum, qui post Dionysium fuere, accesserunt. Vide Bernhardum Pez tom. 1. Anecdotorum pag. 373, 401.

Latine vertit Dionysius porro:

1 *Proterii* Epistolam Paschalem, de qua supra pag. 102.

2 *Vitam S. Pachomii Abbatis* cum praefatione, quam a Lipomanno et Surio omissam miratur Baronius ad Martyrolog. Rom. pag. 218. Sed. cum illa praefatione exstat in Heriberti Rosweidi Vitis Patrum pag 85 et in Actis Sanctorum XIV. Maji. Praefatio dirigitur ad nescio quam Dominam, quam *venerandam sibi* et *in CHristo quoque magnificentissimam* Dionysius appellat.

3 *Epistolam de fide*, a *Proclo* Constantinopolitano ad Armeniae Presbyteros et Archimandritas a) per Theodosium sive Theodorum Diaconum missam An. CHristi 435 qnae cum Dionysii versione, praemissa ejus *Epistola ad Felicianum Pastorem* prodiit in antidoto adversus haereses, Basileae 1528, fol. et deinde saepius recusa est, ut dixi in Bibliotheca Graeca tom. VIII. pag. 605, seq. Occurrit etiam in Conciliis Harduini tom. 1. pag. 1722.

4 Ejusdem *Procli*, Cyziceni adhuc Episcopi, *Laudationem in sanctissimam* Θεοτόκον *Mariam*, contra Nestorium dictam publice Constantinopoli An. 429. Latine e MSto Vaticano publicavit et Dionysio versionem tribuit Vincentius Riccardus in sua Procli operum editione pag. 673 Romae 1630 4. Cum eadem versione, quam vero non Dionysii, sed Marii Mercatoris esse putat, vulgavit Johannes Garnerius tom. 2. Operum Mercatoris pag. 19. Parisiis 1673, fol.

5 *Gregorii Nysseni* (perperam *Emeseni* in quibusdam Trithemii editionibus) *de conditione hominis:* edita primum Coloniae 1537, fol. et deinde 1551. Basileae 1562. Coloniae 1573. in Latinis Nysseni editionibus, sed omissa versione praefationis Nyssenianae, et Dionysii Epistola dedicatoria *ad Eugippium* Presbyterum, quam utramque e MS. Corbejensi vulgavit Joannes Mabillonius in limine tom. 2. Analectorum, Parisiis 1677, 8. (in nova editione Paris. 1723, fol. pag. 59.) Eugippius ille idem, quem cum Dionysio celebrat Cassiodorus Divinar. Lect. cap. 23.

Basilii homilias in hexaëmeron, interpretatum esse Dionysium scribit clarissimus Caveus, ubi de Basilio: sed suspicor memoriae ejus obversatam Nysseni imaginem, et cum Basilio permutatam fuisse.

6. *Marcelli* Archimandritae spelaei Emesae vicini *historiam inventionis capitis S. Johan-*

b) Vide Paschasium Quesnellum pag. 774 seq. ad Leonem Magnum.

a) Bibliothecae Graecae tom. XI pag. 15.

a) Vide Baluzii Concilia tom. I pag. 946.

nis Baptistae, factae in Urbe Emesena a) An. 453 ad *Gaudentium* Abbatem. Edidit Cangius pag. 205 ad calcem tractatus historici de capite Joannis Baptistae, Parisiis 1665, 4. et Daniel Papebrochius in Actis Sanctorum Junii, tom. IV, pag. 721-728 cum notis.

7. *Epistolam Synodicam S. Cyrilli et Concilii Alexandrini contra Nestorium cum XII. Anathematismis* Latine versam ad *Petrum* Episcopum, quae subjicitur Codici Canonum Dionysiano a Christophoro Justello vulgato Parisiis 1628, 8. et in tom. priore Bibliothecae Canonicae Guilelmi Voëlli et Henrici Justelli pag. 175 et in tomis Conciliorum. Interpretationem vero Epistolarum duarum Cyrilli ad Succensum, quas a Dionysio versas Possevinus memorat, nemo adhuc, quod sciam, in lucem protulit.

DIONYSIUS Historicus quem ex Jornannandis cap. 19 de rebus Geticis, Vossius memorat et Cangius, nec Latine scripsit nec historicus est, sed Jornandes secutus est Eusebianum Hieronymi Chronicon in quo ad An. 255 haec leguntur: *Pestilens morbus multas totius Orbis provincias occupavit, maximeque Alexndriam et Ægyptum, ut scribit Dionysius, et Cypriani, de mortalitate testis est liber.* Dionysius autem Alex. scriptor Graecus Christianus intelligitur, ex cujus Epistola Paschali testimonium de illa lue longe lateque grassante exstat apud Eusebium VII, histor. Eccles. cap. 22. Recte hoc observatum Christophoro Sandio in observationibus ad Historicos Latinos Vossii pag. 4 seq.

DIONYSIUS *Palaeotus*, Ord. Minor. auctor Officii proprii de B. Catharina Bononiensi, quod ab An. 1526. Clementis VII, concessione in ejus Natali peragitur. Vide Waddingum pag. 103.

DIONYSIUS *Soulechat*, Ord. Minor. cujus *scedulae revocationis quorundam articulorum* in disputationibus solemnibus per eum Parisiis et in curia Romana An. 1365 et 1369 factae exstant in Bibliotheca Patrum, ut in novissima Lugdunensi editione tom. XXVI. pag. 488-490.

DISCIPULUS sub cujus nomine exstant An. 1418 scripti a) *Sermones de tempore*, et *de Sanctis*, cum *exemplorum promtuario* ac *miraculis B. Virginis*, quibus annexi sunt etiam *casus Papales et Episcopales*, *atque à sacra Communione inhibitiones.* in fol. vetus editio sine anno et loco, b) et Noribergae 1480. Basileae 1482. Spirae 1483. Daventriae 1485, fol. tum Norimbergae 1514. Colon. 1518. Paris. 1519, 4. Lugd. 1520, 4. Venet. 1598, 4. et Moguntiae 1612, 4. Auctor JOHANNES HEROLT, c) Teuto, Ord. Praed. qui scripsit etiam *Quadragesimale* et *de bello Albigensium.* d) Exstant quoque ejus *sermones super Epistolas Dominicales, collecti e sermonibus Wilhelmi Lugdunensis, et ex dictis S. Thomae, Johannis Nyderi et aliorum*, qui prodiere An. 1488, fol. et *Eruditorium Vitae*, sive *de eruditione fidelium CHRISTI*, seu *Loci communes* in quibus continentur *explicatio Decalogi, Orationis Dominicae*, *Angelicae salutationis*, *Symboli Apostolorum, septem Sacramentorum*, *totidem donorum sancti Spiritus*, cum tabula pro sermonibus de tempore ex hoc libro colligendis per totius anni circulum. Argentinae 1490, fol. Sermones cum eruditorio junctim editi Mogunt. 1612, 4. 3 Vol. In calce sermonum auctor monet DISCIPULI se nomen adscivisse, *intitulantur sermones Discipuli, quod in istis sermonibus non subtilia per modum Magistri, sed simplicia per modum discipuli conscripsi et collegi.* Ætatem suam signat sermone Dominic. 2 post festum SS. Trinitatis: *ab Abraham usque ad CHristum transacti sunt duo millia sexcenti septuaginta sex anni: à CHristo autem transacti sunt mille quadrigenti decem et octo anni.*

a) Vide Sozomenum VIII. 21 et Lambecium tom. VIII pag. 89.

a) Jacobus Quetif tom. I Bibl. Dominicanorum pag. 765.

b) Unschuldige Nachrichten A. 1724 pag. 698.

c) Vitiose aliis *Herlot* vel *Herolis*.

d) Vincentius Placcius de scriptoribus pseudonymis n. 841. pag. 258 et Castillo et Altamura: quanquam laudatus Quetifus de scripto bellum Albigensium persequente addubitat.

Citantur ab eo a) Ambrosius, Augustinus, Basilius, Boëthius, Caesarius, Cassiodorus, Gregorius Papa, Holkot, Hubertus, Isidorus, Thomas, Jacobus de Voragine, Aristoteles, Ovidius etc.

* Si quis amat eorum Scriptorum Catalogum inspicere, quorum meminit Discipulus, illi profecto alius a Fabricio Bibliothecarius adeundus esset; nam paucos admodum e multis profert. En minus notorum nomina: Jordanus quo persaepe utitur, Joannes a S. Geminiano, Guillelmus Theophilus, Arnoldus, Petrus de S. Amore, Jacobus Januensis, Guillelmus in lib. de Apibus, Holckot in lib. Sapientiae, liber de donis, Jacobus de Vitriaco, Arnoldus in narratorio suo, Viridarius in quodam sermone, Henricus de Hassia super Genesim, Chronicon Helipandi ad an. 1058, Albertanus de mensura loquendi, Mag Humbertus de settemplici timore, Guillelmus Lugdunensis in summa vitiorum.

DITHMARUS, sive DIETHMARUS, *Helmovardiensis Abbas, Scriptor Vitae S. Modoaldi circa Annum* 1107. Ita Cangius, ex memoriae puto errore. Nam STEPHANUS, Abbas Leodiensis, qui An. 1112. obiit, rogante DIETHMARO, sive THIETMARO, Helinwardicensis Coenobii Abbate, *vitam S. Modoaldi,* Trevirensis Archiepiscopi, qui Anno Christi 656, obiit, *tribus libris* scripsit editam a Surio et in Actis Sanctorum XII. Maji. Subjungitur tamen DIETHMARI ad Stephanum Leodiensem *Epistola de translatione S. Modoaldi* facta An. 1107, in Oratorium Petri Apostoli in Coenobium Helinwardeshuysen. De *vita et miraculis S. Remacli,* quae in quibusdam Codicibus THIETMARO adscribitur, vide infra in NOTGERO Leodicensi.

DITHMARUS, sive DITMARUS, ex illustri Comitum Saxonicorum Walbeccensium stirpe, Martisburgensis ab An. 1008. ad 1118. Episc. de cujus gente, vita et laudibus praeter veterem scriptorem Chronici Antistitum Merseburgensium, apud Reineccium, Maderum pag. 255. et Leibnitium tom. 1, pag. 427, plura Reineccius ipse et Maderus, ac prolegomenis ad tomum 1. Brunsvicensium num. XXIX. Leibnitius. Scripsit Dithmarus insigne *Chronicon* libris octo, de gestis quinque Imperatorum per annos CVII. *Henrici I.* et trium filiorum ejus *Ottonis*, qui dictus est Rufus, et *Ottonis* secundi, nec non tertii *Ottonis*, qui dicebatur pulcher puer, et *Henrici II.* cui adhaesit nomen pietatis. Primus edidit *Reinerus Reineccius*, sed mancum initio et pluribus hiulcum lacunis Francofurti 1580. fol. recusum deinde. An. 1600, apud Wechelium, una cum aliis scriptoribus rerum Germanicarum. Deinde separatim *Joannes Joachimus Maderus,* cum notis marginalibus, Tabulis genealogicis et indice copioso. Helmstadii 1667. 4. Denique laudatus *Leibnitius* Dithmarum restitutum, toto paene ejus contextu ex MS. quod Papebrochius cum illo comunicaverat emendato et lacunis ingentibus expletis redintegratum vulgavit tom. 4. scriptorum Brunsvicensium pag. 323. Hanoverae 1707. fol. In eodem tomo p. 1005. 1006. Variae Lectiones et emendationes Ditmari serius annotatae exhibentur. *Hunc Ditmarum,* inquit, *etsi rudem stylo et obscuriusculum subinde scriptorem, merito in pretio habemus, quod res sui temporis paene solus posteris tradidit ex fide: peritissimus eorum quae scripsit. Itaque Andreas Brunnerus merito opus ejus* unicum sui aevi thesaurum *appellat* Germanica *quidem, et certe* Saxonica *pleraque sine ipso ignoraremus.* Misnicas *antiquitates nemo ipso luculentius dedit. Urbis* Lipsiae, *patriae meae, meminit omnium primus: et* Silesiae *etiam, sub nomine* pagi Silensis. *Idem de* Slavicis, Polonicis, Hungaricisque *dicendum est Historiam veterem earum gentium sine Ditmaro mancam fore. Et prae his quae ille tradidit, nihili sunt quaecunque de suo afferre possunt* Poloni, *serius scriptores nacti.*

Chronicon Monasterii S. Benigni DIVIONENSIS. Vide supra, BENIGNI, tom. 1, pag. 193.

Liber Pontificium, qui dicitur DIURNUS, laudatur ab Ivone Carnotensi Epist. 60. ad

a) Tobias Eckard Catalogo MSS. Bibl. Quedlimburgensis pag. 25.

Hugonem Lugdunensem, atque alibi: estque Codex saeculo octavo scriptus, a) in quo formulae superscriptionum et subscriptionum, quibus Pontifices Romani in Epistolis soliti sunt uti, electiones et ordinationes Pontificum et suburbicariorum Episcoporum, et quaecunque ad omnem illum ritum spectant: nec non professiones Fidei, Privilegia, Concessiones et Praecepta. Hunc ex Codice nongentorum annorum Collegii Claromontani Soc. Jes. Parisiensis collato apographo Codicis Romani primus edidit *Joannes Garnerius*, Soc. Jes. Parisiis 1680 4. b) additis eruditis notis, ac praeterea tribus dissertationibus, quarum prima refert titulos, quibus in Epistolarum inscriptionibus usi sunt Pontifices saeculo IV. V. VI. VII. VIII. et IX. In secunda disserit de causa Honorii Papae, quem negat a Synodo sexta perculsum anathemate, quod unicam in CHristo voluntatem cum Monotheletis docuisset, sed tantum quod docentibus faverit, docendique opportunitatem suppeditaverit. Tertia denique de usu pallii Patriarchalis cum Episcopis communicato Hanc Garnerii editionem recudi nuper curavit Vir Juris Consultissimus *Christianus Godfridus Hoffmannus* in nova scriptorum ac monumentorum Collectione, tomo secundo, Lipsiae 1733 4. Libris prohibitis adscriptum, ex Danielis Papebrochii apologia adversus Sebastianum a Paulo Carmelitam articul. XIV. notavit c) W. E. Tentzelius, quod minus mirum est, cum editio quam ex Codice Romano Lucas Holstenius An. 1660. adornaverat, plane sit suppressa. Stephanus Baluzius notis ad Antonium Augustinum de emendatione Gratiani pag. 433. *Librum diurnum non extare putabat Antonius Augustinus. Et tamen ejus exemplaria etiamnum supersunt, unum Romae in Bibliotheca Vaticana, alterum Lutetiae in Bibliotheca Collegii Claromontani Societatis Jesu, ex quo nonnulli viri clarissimi descripserunt in suos usus. Immo vir clarissimus Joannes Launojus aliud exemplar viderat,* a) *ut ipse testatur in dissertatione de Lazari et Magdalenae in Provinciam appulsu cap. 10. observat.* 10. Laudatum porro Romanae Ecclesiae Diurnum, *inquit*, qui videre voluerit, apud eos videbit, ad quos integra pervenit Caroli Montchalli, Tolosatis Archiepiscopi, Bibliotheca. *Vaticanum ediderat Vir de antiquitate Ecclesiastica optime meritus Lucas Holstenius anno MDCLX. prioraque et postrema folia miserat ad illustrissimum Virum Petrum de Marca, Archiepiscopum ea tempestate Tolosanum, e cujus manibus illa recuperavit Coelius Picolomineus, Nuncius tum Apostolicae Sedis in Gallia, nunc vero eminentissimus Cardinalis. Suppressa autem statim est editio illa Diurni,* b) *nescio quam ob causam. Fortassis quia in initio nimium multa circa electionem Romani Pontificis tribuuntur Imperatori et Exarchae apud Ravennam commoranti.* Johannes Mabillonius in itinere Italico pag. 77. narrat Hilarionem Rancatum, Cisterciensem, hominem studiosum et eruditum, qui Ughelli praeceptor fuerat, habuisse antiquum Diurni exemplar, quod Allatius commodato cum accepisset, una nocte exscripserit et postea publicare voluerit, at impressionem prohibitam fuisse. Idem Mabillonius tom. 1. musei Italici pag. 35. testatus concessum sibi usum vetustissimi illius annorum octingentorum exemplaris Vaticani, ex eodem loca quaedam supplendae editioni Garnerianae, et Varias Lectiones eidem emendandae pag. 32–37. publicavit, subjuncta vita Hadriani Pontificis, in qua formulae in Diurno libro praescriptae, prout a Pontifice usurpatae sunt, referuntur pag. 38-44.

* Quamquam viri plures doctissimi inquisitione diligentissima instituta investigare conati sunt aetatem, qua liber confectus

a) Garnerius in praefat. et Caveus hist. lit. S. E. Annum 714.

b) Journal des Scavans A 1680 pag. 57.

c) In dialogis vernaculis menstruis An. 1698 pag. 277.

a) Meminit ejusdem Launojus in assertione inquisitionis in chartam immunitatis B. Germani p. 160.

b) Suppressionem illam a Curialibus Magistris et Inquisitoribus factam Romanis, utpote non modo tanquam injustam et cognitioni Antiquitatis Ecclesiasticae inopportunam, sed contumeliosam quoque in Pontificem et Ecclesiam Romanam, variis Epistolarum locis exagitat Launojus, quae congessit laudatus Tentzelius tom. I exerc. select. p. 353.

est, evicerintque saeculo demum octavo coaluisse; cum multis tamen haec tanta antiquitas suspiciosa sit; novam aliam probationem idipsum adstruentem afferre opportunum maxime judico. Suppeditat illam MS. Codex in Cathedrali Lucensi servatus et Saeculo VIII. labente scriptus, de quo ego peculiarem scripsi Dissertationem insertam t. XLV collectionis opusculorum quae Venetiis prodiit. Legenda ibi sese offert Epistola Gelasii Papae more caeterarum formularum, quae in libro Diurno leguntur resecta sine die et consule atque eius ad quem missa est nominibus carens ex quo certo indicio deprehendimus jam tum certam aliquam collectionem formularum in usus Ecclesiasticos extitisse. Cum vero hanc ipsam formulam in libro diurno legamus, quis non jure inferendum sibi judicaret librum Diurnum jam tunc innotuisse? Cum vero haec ipsa formula brevior sit, et nonnihil variet ab editis, integram hic dare juvat. *Incipiunt constituta S. Gelasii Papae, quae Episcopi in ordinatione sua accipiunt.*

Papa ille, clero, ordini plebi consistentibus in civitate illa. Probabilibus desideriis vestris nihil attulimus tarditatis; Fratrem etiam et coepiscopum nostrum illum vobis ordinavimus sacerdotem, cui dedimus in mandatis ne unquam ordinationes presumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, neque inliteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum aut ex poenitente vel curiae vel cuilibet conditioni obnoxium, notatumque ad sacros ordines permittat accedere. Sed si quos huiusmodi forte repererit non audeat promovere. Afros passim ad ecclesiasticos ordines praetendentes nulla ratione suscipiat quia aliqui eorum Manichaei, aliqui rebaptizati saepius sunt probati. Ministeria, atque ornatum Ecclesiae, vel quidquid illud est in patrimonio eius non minuere studeat, sed augere. De reditu vero Ecclesiae, vel oblatione fidelium, quatuor faciat portiones, quarum unam sibi retineat; alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat. Tertiam pauperibus et peregrinis. Quartam Ecclesiasticis tabulis noverit reservandam, de quibus divino erit redditurus officio rationem. Ordinationes vero presbyterorum seu Diaconorum nonnisi quarti, septimi vel decimi mensium jeiuniis, sed et ingressu quadragesimali atque medianae vespere sabbati celebrandum. Sacrosanti autem baptismi sacramenta nonnisi in Paschali solemnitate et Pentecostes meminerit esse praebenda, exceptis his, qui mortis urgentur periculo, ne in aeternum pereant, talibus debet remediis subveniri: Huic ergo sedis nostrae praecepta servanti devotis animis vos oportet ut irreheprensibilem, placidumque fiat corpus ecclesiae per Christum Dominum nostrum qui vivit et regnat cum Deo Patre omnipotente et Sp. Sancto Per omnia saecula saeculorum Amen. *

Ab hoc Pontificali Diurno longe diversa sunt DIURNALIA, sive *Horae* DIURNÆ Breviarium, Graecis καθημερινά, quae varia exstant et variis in locis excripta typis, ut *Diurnale Parisiense* editum Parisiis 1496. forma minore, *Antwerpiense* 1553. 1670. *Romanum* 1560. et jussu Clementis VIII. recognitum 1602. *Ambianense* 1670. *Ecclesiae Maronitarum* Rom. 1584. 8. etc.

In indice Romano Clementis XI. p. 134. inter libros prohibitos refertur *Diurnale Romanum*, impressum Lugduni in aedibus Philiberti Rolleti et Bartholomaei Fren.

In Bibliotheca Telleriana, hodie S. Genovefae Paris. exstat MS. *Diurnale Officii pro Praesule vel Majore, cum vult officiare in Ecclesia Turonensi.*

Joannes, DLUGOSSUS a) cognomine gentilitio, sive *Longinus*, praeceptor b) filiorum Casimiri III. Regis Poloniae, senior Canonicus Cracoviensis et designatus Archiepiscopus Leopoliensis, sed antequam inauguraretur, rebus humanis exemtus An. 1480. 29. Maji, aetatis 65. Scripsit *Historiae Polonicae* a Slavorum Polonorumque originibus usque ad annum emortualem suum *libros XIII.* Ex his *sex primores* libri, qui in An. 1240. desinunt, praemissa vita auctoris jam lecta a Cromero, Dlugos-

a) Minus recte aliis *Duglossus*, *Dugloschus* etc. Slavonica enim dialecto *lugos*, *dlugos*, est longus.

b) Diarium Eruditorum Italiae tom. XXVI pag. 405 seq.

sique dedicatione ad defunctum jam a) Zbigneum Cardinalem de Olesnica, Episcopum Cracoviensem, et dedicatione editoris Felicis Herbulti Dobromiski *ad Venetos, Principem M. A. Memum et Senatum unicum Orbis terrarum*, prodiere Dubromili 1615. fol. *At*, quod notavit Daniel Papebrochius ad vitam S. Stanislai, tom. 2. Act. Sanctorum Maji pag. 198. *ne reliqui libri imprimantur, prohibent Poloni, arbitrati in hisce plurima regni sui secreta prodi*: huic non obstitit, quo minus editionem universi operis jampridem debeamus illustri Henrico L. B. ab Huyssen, magno Russorum Caesari Petro a Consiliis, intimis, bellicis et Justitiae, qui libros a *septimo* quidem ad *duodecimum*, quos ab Alberto Dembinskio, vexillifero Zatoriensi acceperat, primus una cum sex prioribus vulgavit Lipsiae 1711. fol. c) Horum ultimus duodecimus desinit in Anno 1444. sive caeso ad Varnam Uladislao. Sed deerat adhuc *decimus tertius* liber, prolixior caeteris, et res ab Anno 1445. ad 1480. persecutus, quo et vitae et Annalium scribendorum finem Dlugossus fecit. Hunc quoque laudatus Huyssenius nactus, Codicis Cracoviensis apographum communicavit cum Lipsiensibus, qui cum similiter An. 1712. fol. d) vulgarunt cum erudita praefatione V. C. Johannis Gottlieb Krause e) subjunctisque 1) Vincentii CADLUBKONIS historiae Polonicae libris IV. de quibus supra tom. 1, pag. 286. 2) *Stanislai Sarnicii* Annalibus ab Asarmotho conditore Sarmaticorum populorum ad Lechum, et a Lecho usque ad Annum CHristi 1586. libris VIII. ex editione Cracoviensi An. 1587. 3) *Stanislai Orichovii Okszi* Annalium ab excessu Sigismundi I. sive Anno CHristi 1548. ad 1552. libris V. et libro de Consiliis et Concionibus in Conventu maximo Leopolitano An. 1537. et Vita *Petri Kmithae* de Wisnicze, Palatini Cracoviensis, An. 1553. defuncti, scriptore Anonymo, ex editione Dobromilensi An. 1611. 4) Illustrium Virorum *Epistolis*, scriptis ab An. 1567. ad 1577. inque tres libros digestis, et a *Stanislao Carncovio*, Episcopo Wladislaviensi et Pomeraniae, editis Cracoviae 1578. 5) *Stanislai Hosii*, Cardinalis et Episcopi Varmiensis, Orationibus IV. et 6) *Stanislai Sarnicii* descriptione veteris et novae Poloniae et Russiae inferioris, edita primum Cracoviae 1585. Nec omittendum, quod priori tomo historiae Dlugossianae praefigitur, *Samuelis Joachimi Hoppii*, Soltquella Marchici, schediasma de *Scriptoribus Historiae Polonicae*, sed longe auctius quam praeside praeclaro Viro *Gabryele Groddeckio* in argumentum disputationis publicae propositum fuerat Dantisci 1707. 4.

Caetera Dlugossi scripta sunt: *De Vita S. Stanislai*, Episcopi Cracoviensis, quem Rex Boleslaus, ab eo ob libidines excommunicatus, sua manu An. 1079 interfecit, *libri III* editi primum Cracoviae 1611 et Stanislao Dobielowiczio curante 1666 ac denique in Actis Sanctorum tom. 2. Maji ad diem VII, p 198 cum praeludiis notisque Danielis Papebrochii. Nam *Surius* quidem quam habet S. Stanislai vitam ad VIII. Maji profitetur se ex Joanne Longino mutuatum, sed mutato fere stylo redegisse in compendium, et prologum utrumque satis longum omisisse. Pleraque etiam ex Dlugosso mutuatus *Bartholomaeus Sotarcevius* in vita Stanislai, edita An. 1693.

Vitae Episcoporum Plocensium nondum

c) Dlugossus in inscriptione ad Cardinalem optat ei, *visione perfrui Remuneratoris aeterni, et beata atque immortali stola potiri*. In ipsa autem Epistola: *Ego opus praesens meum*, inquit, *Paternitati tuae jam ex mortalium conversatione subtracto et absenti etiam corpore concreto et mortali exuto dedico, tuo suffragio mortali orbandum tutela. Idque eo libentius mea tenuitas oggreditur, quod a me id in corpore mortali posito, tua exhortatione, cujus auctoritas apud me etiam post fata magna, est impletum.*

c) Acta Eruditorum An. 1712, pag. 302. Memoires de Trevoux An. 1711, pag. 1107. *Neue* Bibliothec. Parte XV. Oudinus tom. 5, pag. 2635 seq. *Neuer Bucher-Saal* XV, pag. 149 et XVI, pag. 225, seq. ubi accuratum de Dlugossiano opere judicium.

d) Acta Eruditorum tom. V. supplem. pag. 425. *Reue* Bibliothec parte. XXVIII. *Neuer Biecher-Saal* XV, pag. 165.

e) Addenda quae de Dlugosso clarissimus Krausius in Diario, quod Inscribitur: *Umstendliche Biecher-Historie* parte 2, pag. 145. seqq.

viderunt lucem, a) quanquam saepius provocat ad illas eisque usum se testatur *Stanislaus Lubienski* in vitis Plocensium b) Antistitum, quae editae primum Cracoviae 1642, 4. obviae in operibus Lubienskii postumis, Antwerpiae 1643 in folio.

Vitae Episcoporum Posnaniensium c) necdum ipsae editae, licet visae Jacobo Brzemezkio et Thomae Tretero, Canonico Varmiensi, d) quorum vitae Posnaniensium Episcoporum prodiere Brunsbergae 1604, 4. is non diffitetur se a Cromero obtinuisse manu exaratum e) Dlugossi *Catalogum omnium Episcoporum per omnes universi Poloniae regni cathedras ab ipsa cujusvis fundatione ad sua usque tempora.* Vide sis et Simonis Staravoscii vitas Praesulum Posnaniensium.

Chronicon de Episcopis Wratislaviensibus f) a Godofredo Anno Christi 966 ad Rudolphum An. 1477. Vide Acta Eruditorum An. 1713, pag. 143.

Catalogus g) *Episcoporum Smogrzoviensium et Piczinensium* continuatus ab alia manu ad Annum 1520. MS. Uratislaviae in Bibliotheca Rhedigeriana.

Praeter haec a Matthia Michcovio IV. 72. Chron. Polon. haec Dlugossi scripta memorantur, inedita omnia et digna utique editione.

Vita B. Kunigundis, Conjugis et perpetuo Virginis Boleslai Pudici, Ducis ac Monarchae Polonorum in Sandecensi Coenobio vita functae et sepultae.

Geographia, sive potius *Chorographia regni Poloniae*, Urbes, castra, oppida, flumina, montes atque villagia cujus situs et dispositionis sint.

Libri inventarii proventuum Cathedralis Ecclesiae Cracoviensis h) et cunctarum Ecclesiarum collegiatarum conventualium et parochialium *dioecesis Cracoviensis.* Hoc opus Simon Staravolscius pag. 31 hecatontadis scriptorum Polon. vocat *Ecclesiae Cracoviensis Acta et Beneficiorum in dioecesi illa Ecclesiasticorum Synopsin*

Familiae, arma et clinodia Nobilitatis Polonorum cum origine et caussa eorundem.

Vitae aliorum quorundam (praeter S. Stanislaum) *Sanctorum Polonorum Hungarorumque.* a)

Vitam S. Stanislai Dlugossus dedicavit Sandivogio de Ezechel, Praeposito Monasterii Cladavensis, qui gratias ei persolvit litteris, quae cum illa vita leguntur lib. 3. cap. 62. seq. et in quibus non modo testatur se a teneris et per annos quinquaginta circiter ab eo amari, sed etiam hoc ipsum mactat encomio, quod in exemplum quod ament et sectentur, libenter legendum offero lectoribus: *Tibi (DEUS) singulariter*, inquit, *inter coaetaneos tuos docile ingenium cum studiositate donavit virtutum; ut in tenera, quam novi aetate tua, inter maturos obversatus viros cresceres semper moribus et meritis. Convenit in te satius flos aetatis et maturitas mentis, ut aequo gradu eloquentia tua et conscientia pariter incederent. Accessit etiam oris veritati castitas animi, ut ab ore tuo cana semper manarent verba, cursusque annorum usque ad hos canos laudis tibi et honoris procuraret augmentum ex DEI dono, unde virtutum omnium sumitur manifesta cognitio. . . . . . . Haec te resplendere fecit aequalem actionis merito et dictionis eloquio ac specialibus tuam inclinavit mentem, ut oratoriam colendo diligeres artem, quae utique apud veteranos Chaldaeos, Hebraeos et Latinos litterarum omnium humanarum est ornamentum. . . . . In hac te censeo arte sub nostris praeclarum aevis, ut et svaviter scias persvadere animosque audientium orando possis mulcere. Verum existimo inter egregios nostri dictatores seculi tu ipse haberis, qui toto nisu de Italia, ubi Latina est ipsius scientiae scaturigo, plures libros in eadem magno pretio congregasti, nec usque modo desistis col-*

a) Vide laudatum Krausium p. 165. seq.
b) Vitiose *Placentium* apud Oudinum tom. 3. pag. 2640.
c) Idem Krausius pag. 166.
d) Apud Oudinum et in Roberti Geri appendice ad Caveum vitiose *Wormaciensis.*
e) Idem Krausius pag. 167.
f) Idem Krausius pag. 168, 170. seq.
g) Id. pag. 169.
h) Id. pag. 175. seq.

a) Starabolscius pag. 51.

legere: unde ex tuo dictatu in his ferme oris omnes hauriunt, tuisque vasis ditescunt. Non praetereundum et hoc, quod sub finem historiae suae Dlugossus omnes patriam amantes obtestatur, ut idoneis auctoribus Historiae telam pertexere ne negligant: *Rogo et obsecro denique omnes Ecclesiasticos viros, Regulares et Seculares, venerandos et egregios viros, Doctores, Professores, Magistros, Studentes, Scribas, in qualibet facultate Alumnos nostrae Universitatis studii Cracoviensis generalis, ut et ipsi quilibet eorum pro sua virili aetate, morte mea secuta, Annalia praesentia continuent, et illa defluere deficereque non permittant. Quin imo Doctores, Magistros, Professores, Collegiatos deprecor, obtestor, et adjuro, ut una collegiatura de melioribus segregata, etiam Magistrum praecipuum, et studiorum et literarum humanitatis peritum illi jungant; qui ab omnibus operibus laboribusque et occupationibus vacans, Annalibus tantum modo se occupet, illa cogitet, illa amet, illis se oblectet, de illis tractet, de illis nocte dieque secum et cum aliis loquatur, commoditati quoque, utilitati et decori patriae, plus tamen honori DEI et veritati provideat.* Praeterea etiam Martino Bielskio teste lib. IV. Chron. Polonic. a) testamento constitutum voluit Dlugossus, *ut ex Collegiatis Cracoviensibus laborem ipsius Historicum quispiam continuaret, et ut talem Historicum inter se continuo haberent, certos ipsi proventus assignavit*

Thomas DOCHINGUS, sive *Dockingus*, *Dockingam* etc: Anglus Norfolciensis, Ordinis Minorum, Theologus et Cancellarius Academiae Oxoniensis circa Annum 1270. Ejus scripta, inedita pleraque ominia haec memorantur a Lelando cap. 811 Waddingo pag. 324. Pitseo pag. 347. Possevino t. 2, pag. 485. atque Oudino t. 3, p. 525. Commentarius *in Deuteronomium, in Esaiam, in Epistolas quatuordecim Pauli*, et *in Apocalypsin*. Commentarius et quaestiones in librum *Jobi* et *in Lucam. In praecepta Decalogi. Lecturae Bibliorum.* Quaestiones *ordinariae* LXXXVIII. et Commentaria in quatuor libros *Magistri Sententiarum*, edita Parisiis 1505. *De sufficientia Articulorum in Symbolo contentorum*, et quot Symbola sunt, et in quot partes dividuntur etc. *Commentarius in posteriora Analytica Aristotelis.*

a) Vide Krausium pag. 152.

Joannes DOCRÈUS Eysengrenio pag. 131, b. et Vossio pag. 508 scriptor libri *de vita, passione et sepultura Dionysii Areopagitae*, clarus circa Annum 1318. Idem Possevino *Johannes* DOCÆUS, Gallus, Ordinis Benedictini, ex Abbate S. Dionysii Parisiensis, Episcopus Laudunensis, cujus exstant *de aeterna generatione Filii DEI et temporali nativitate*, Paris. 1554, 8. *Enarratio Dominicae passionis*, ibid. 1552. *De DOMINI resurrectione* ibid. 1567 et *homiliae ad populum*, Antwerpiae 1561 *in Dominicas et festa anni*, Parisiis 1560 *Quadragesimales*. 1555.

* Extat apud me libellus Joan. Docei Archiprioris apud D. Dionisyum in Francia. Editum Parisiis an. 1553, 8. Hic porro auctor si idem est cum Joanne Docreo sive Doceo, de quo Fabricius hic, ut ne ambigo quidem, edidit etiam historiam de D. Dionysii martyris vita, passione ac sepultura, quam evulgandam typis tradidit Claudio Bodetio apud S. Dionysium Monacho, teste Roberto Vivario eiusdem ordinis et Coenobii in praefatione ad libellum de hac ipsa Dominica passione a Doceo scriptum. Verum, siquidem confirmemus hunc Doceum a Fabriciano hoc non esse diversum, constat recentiorem esse scriptorem, quam Fabricius arbitretur, uam Doceus iste eodem vivebat tempore ac Robertus Vivarius, eodem ipse Vivario teste; Vivarius vero libellum hunc edidit primum an. 1553. ut est in fronte libri, sed si Mavis 1551 ut in fine eiusdem libri scribitur. Insuper in calce praefationis quam Doceus eidem libello praescripsit, haec signantur: *conscripta et absoluta in aedibus Dyonisianis VIII. Kal. Aprilis 1550.*

DODANA, sive DUODEÑA, foemina pia, quae Bernardo Duci Septimaniae, Comiti Barcinonensi, S. Wilhelmi filio nupsit Anno

CHristi 824. Ejus *libellum manualem* ad Wilhefmum filium, vulgavit Mabillonius Sec. IV. Benedictin. parte 1. pag. 757. Vide Baluzii Marcam Hispanicam pag. 349 et Pagium ad Annum 824 n. XIX.

DODECHINUS Presbyter in Longenstein, natione Teutonicus, Abbas in Monasterio S. Dysibodi, scripsit *appendicem ad Chronicon Mariani Scoti* ab An. 1084 ad 1200 editam a Johanne Pistorio ad Mariani Scoti calcem pag. 457-476, in tomo uno veterum Germaniae scriptorum, Francofurti 1613, fol. Huius *Epistolas*, et in his *libellum* in modum Epistolae *de peregrinatione sua Hierosolymitana* evolvit Trithemius, qui *satis eleganti sermone scriptum celebrat.*

Matthaeus DOERING, sive DERING, aliis rectius *Matthias* DORING, sive THORING, a) a patria Thuringia: apud Richardum Simonem b) et alios, vitiose DORNICK: Theologus Ordinir Minorum, Professor Erfordiensis, cui Fridericus c) Langravius Thuringiae An. 1431 reformationem Discalceatorum Isenacensium prae caeteris commendavit. Interfuit inde Concilio Basileensi, a quo An. 1443 creatus Minister Franciscanorum Generalis, denique ultimos vitae annos transegit in Conventu Kiritz oppidi Marchiae Prignitianae. Scripsit *Continuationem Chronici Theodorici Engelhusii* ab An. 1420 ad 1464 cui deinde alia manus adjunxit continuationem ab An. 1464 ad 1497. Prodiit primum Lipsiae 1720 in limine tomi tertii scriptorum rerum Germanicarum nobilissimi Menckenii, qui notat, ut Engelhusii industriam in rebus Brusvicensibus, ita Doeringii in rebus Misnicis ac Thuringicis, Brandenburgisque magis enituisse. Nondum in lucem datum est Doringii hujus scriptum alterum, cujus ipse ad Annum 1442 meminit his verbis: *Inter caetera mala praecipuum, quia potiores et doctiores Ecclesiae, qui columnae videbantur, sua ingenia colentes, contra se invicem scribentes, hi pro Papatu, hi pro Concilio, hi primatum Papae, hi pro Concilio tribuentes, scriptis Apologetis mundum repleverunt, animosque neutralium nedum, sed et aliorum perplexos reddiderunt, quorum scripta quae videbantur acutiora, recolligens, aliis modicum addens, in unum Volumen redegi. Titulum Volumini dedi*: LIBER PERPLEXORUM ECCESIÆ. Neque adhuc edita est, quod sciam, *Appellatio contra Magdeburgensem Archiepiscopum* a) Fridericum de Bichlinge, An. 1445 pro cultu superstitioso hostiae miraculosae in Wolsenac, MSta in Bibliotheca Paulina b) Lipsiensi: Neque lucem vidit Anonymo Maderiano memoratum opus grande *in Esaiam,* aut Commentarius *in libros sententiarum,* vel *Dialectica,* aut *Sermones* ad populum et ad Clerum. Sed exstat ejus *Defensorium,* sive *replicae* c) *adversus Paulum Burgensem* pro Nicola Lirano, cum Nicolai postillis sive scholiis in libros Biblicos, et Pauli ad ea additionibus saepius editae, de quibus infra in LIRANO. Quod vero Oudinus Doringio nostro tribuere non dubitat Chronicon, quod in An. 1493 desinens notum est sub titulo *Norimbergensis* Chronici, auctore *Hartmanno* SCHEDELLO: id fide Codicis MSti Lipsiensiis d) ab eo fit, sed auctoritati Trithemii et aliorum Codicum adversatur, atque si Chronicon simile Doringius contexuit, saltim triginta vel quadraginta annos postremos necesse est, ut in continuatione Engelhusii, ab aliena manu illi accessisse.

Ex libris DOLABELLÆ Agrimensoris leguntur fragmenta quaedam in scriptoribus rei agrariae p. 293-301 de quibus dicere me memini in Biblioth. Latina lib. 4. cap. XI.

Chronicon DOLENSIS Monasterii in Pro-

a) Vide Centuriam scriptorum Maderianam cap. 68. Waddingum pag. 255 et Oudinum tom. III p. 2451. Journal lit. tom. XVIII pag. 198 seq.

b) Libro tertio Historiae Criticae Veteris Testamenti cap. XI.

c) Apud Joannem Georgium Reinhardum de jure Principum Germaniae circa sacra, Lips. 1717. 4. pag. 141.

a) Vide Meibomium tom. 2 rerum Germanicarum pag. 359.

b) Joachimi Felleri Catalogus MSS. Bibliothecae Paulinae pag. 256.

c) Thomam Aquinatem adversus easdem Doringii replicas defendit *Didacus Deza*, Ord. Praed. de quo supra pag. 80.

d) Apud laudatum Fellerum pag. 409. 410.

vincia Bituricensi ab Anno Christi 917 ad 1345 et recentiore manu ab An. 1459 ad 1550 cum notis Philippi Labbei, Societatis Jesu. Parisiis 1651, 4. et in tomo priore Bibliothecae novae MStorum Labbeanae pag. 315. seqq. cum auctario de miraculis B. Mariae Dolensis pag. 319–322.

Adamus de DOMERSHAM. supra, ADAMUS, tom 1. pag. 9.

S. DOMINICUS natus Calervegae in dioecesi Uxamensi in Hispania, Anno Christi 1170 et deinde ex Canonico Regulari Uxamensi, Conditor An. 1215. Ordinis Praedicatorum, approbante Innocentio III, qui visus sibi est videre Basilicam Lateranensem minantem ruinas, sed subjectis Dominici humeris sustentari. Hic est Ordo Dominicanus a primis initiis et Anno mox 1216 confirmatus etiam ab Honorio III, exinde longe lateque in haec usque tempora per totum diffusus Orbem, nec minus *missionibus* in partes infidelium, quam *praedicatione* adversus Albigenses, et *inquisitione* contra alios haeretici nominis infamia notatos, magnam in Romana aula auctoritatem laudemque apud superstitionis saevae patronos consecutus. scripsisse fertur Dominicus: a) *In Psalmos,* Romae. *In Matthaeum* enarrationes, et separatim *in caput octavum. In Epistolas Pauli*, et *in Epistolas Canonicas*, Bononiae. *In Apocalypsin. Libellum confirmationis Fidei,* sive rationes et auctoritates contra Albigenses. *Auctoritates pro Ecclesiae Catholicae Fide. Acta* legati a Pontifice constituti, sive *Ministri Praedicationis pro reducendis, ad Ecclesiam haereticis. Constitutionum,* regulae S. Augustini superadditarum *corpus.* Obiit Bononiae An. 1221. Vide Tabulam Chronologicam Actorum ejus apud Quetifum t.1. post p. 84 et Acta Sanctor. t. 1. Augusti. b) Sancti adscriptus est c) a Gregorio IX, An. 1234.

Vitam S. Dominici tradidere (ne recentiores jam memorem, Joannem Garzonium, Jo. Antonium Flaminium, Francisc. Diacetium, aliosque multos).

(92 Jo. Ant. Flaminii. Vita D. Dominici prodiit cum aliis Bononiae an. 1529, 4.)

S. ANTONINUS p.3. summae Hist. tit. 23.

BERNARDUS Guidonis de vita, obitu et miraculis B. Dominici, apud Quetifum tom. 1, pag. 44-69.

CONRADUS Teuto, circa An. 1290 S. Dominici vitam traditur scripsisse, sed in dubium vocat Quetifus tom. 1. pag. 421.

Constantinus Medices, Etruscus, Episcopus Urbevetanus, defunctus An. 1254. Vita ab eo scripta exstat notis illustrata apud Quetifum tom. 1. pag. 25-44.

GERHARDUS de Fracheto, parte altera libri, cui titulus: *Vitae fratrum.*

Gerhardus Provincialis Teutoniae.

HUMBERTUS in Chronico apud Quetifum tom. 1. pag 69, seq.

JACOBUS *de Voragine* historiae Lombardicae cap. CVIII.

Jordanus Dominici amicus et successor, a quo scriptam illius Vitam edidit Jacobus Quetif, in limine tomi 1. Bibliothecae Dominicarum pag. 2-24 cum notis.

PETRUS *Ferrandi,* sive *Ferdinandi,* Lusitanus. Vide Nicolaum Antonium tom. 2. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 46.

Petrus de Natalibus Catalogi Sanctorum lib. VII. cap. 22.

THEODORICUS *de Appoldia* (oppido inter Jenam et Vinariam) circa Annum 1297 ad Nicolaum Bocassinum Magistrum Ordinis, libris VIII, qui interpolati, nec integri apud Surium V. Augusti. Adde Quetifum tom. 1. pag. 453, seq.

THOMAS *Senensis.*

VINCENTIUS *Bellovacensis* XIX 93, sq. et XXX, 65 speculi Hist.

Catalogus Scriptorum,
qui *de claris Dominicanis* et res Ordinis
Praedicatorum tradidere.

ANONYMI in tom. sexto monumento-

a) Dubitat Natalis Alex. quem vide Sec. XIII. et XIV. tom. 7 pag. 259. Librum vero de *corpore Christi* laudatum a Petro Galatino VI. 5. aliisque notat auctorem habere DOMINICUM *de Pantaleonibus*, de quo infra. Confer Nicolaum Antonium VIII. 7 Bibliothecae Hispanae tom. 2 pag. 64 seq. et Quetifum tom. 1 pag. 89.

b) Acta Erud. 1734. pag. 58.

c) Cherubini bullarium tom. 1 pag. 105. Labbei Concilia tom. IX pag. 529. Acta Sanctorum tom. 3 Aprilis pag. 872.

rum Edmundi Martene et Ursini Durandi, brevis historia Ordinis Praedicatorum pag. 331. Brevissima Chronica Magistrorum generalium Ordinis pag. 344-398. Numerus monasteriorium monialium pag. 539. Brevis historia Conventus Parisiensis fratrum Praedicatorum pag. 549.

Leandri Alberti, Bononiensis de Viris illustribus Ordinis Praedicatorum, libri VI. Bononiae 1517, fol. cum praefatione Ludovici Rhodigini. Et Italice: Delle donne che sono state illustri nella Domenicana Religione. ib. Labbeus notat Albertum usum fuisse prolixo Chronico Ordinis Praedicatorum Ambrosii *Taegii* Mediolanensis, scriptisque Nicolai *Bagnatorii*, Joannis *Caroli*, Johannis Antonii et Sebastiani *Flaminiorum*, *Francisci* Castilionii, Joannis *Garzonis*, Bartholomaei *Mortarii*, *Nicolai* Brixiani, et Georgii *Ravennatii*, Mediolanensis.

Ambrosii de Altamura a) Bibliotheca Dominicana ab Anno 1212. ad 1600. Romae 1677. fol. Ejusdem Panagion Dominicanum, Neapoli 1671. 8.

Jordani Ansalonii Siculi vitae Sanctorum Ordinis Praedicatorum ex 1. et 2. Centuria Ferdinandi Castillo. MS.

Arnaldi de BADETO margarita Virorum illustrium Ordinis Praedicatorum. Tolosae 1525. 4.

Nicolaus Bagnatorius. supra, Leander *Albertus*.

Timotheus Bottonus, infra, Ferdinandus *de Castillo*.

Hieronymi Albertuccii de Borsellis, Bononiensis, (qui An. 1497. obiit) Annales, Chronicon et Tabulae de rebus Ordinis Praedicatorum, Virisque illustribus provinciae Bononiensis. MSS. Bononiae. Vide Quetifum tom. 1, pag. 882.

Jacobi Buyens Vitae illustrium Virorum Anglorum, Scotorum, Saxonum et Belgarum Ordinis Praedicatorum. MS. vide Echardum tom. 2, pag. 356.

Abrahami Bzovii Annales Ordinis Praedicatorum MSti, aliaque, de quibus Echardus tom. 2, pag. 491.

a) Censura Richardi Simonis tom. 2 Bibl. Criticae cap. 4. pag. 88.

Ludovicus de CACEGAS scripsit Lusitanice historiam Ordinis Praedicatorum in ditionibus Lusitanicis, cujus prima pars lucem vidit 1633. fol. secunda a Ludovico de Sousa. 1662. fol. Ulissipone.

Hyacinthus Cambius, infra, Ferdinandus de *Castillo*.

Joannes Carolus, Florentinus, supra, in Leandro *Alberto*.

Alberti Castellani, Veneti, Catalogus Virorum illustrium Ordinis Praedicator. Constitutiones et Privilegia, Chronicon etc. Vide Echardum tom. 2, pag. 48.

Thomae de Castellar Historia et Progressus Provinciae Mexicanae Ord. Praed. MS. et Triumphus Martyrum An. 1580. Hispanice.

Franciscus Castilionius, Florentinus supra, Leander *Albertus*.

Ferdinandus de Castillo et *Johannis Lopez* historia general de S. Domingo y de suo Orden de Predicatori. Vallisoleti 1611. 1612. 1615. 1621. 1622. fol. quinque Voll. et ex Hispanico Italice, Timotheo Bottono interprete, Tomus I. et II. Venetiis et Panormi 1626. fol. atque Hyacintho de Janua, sive Genuensis, tom. III. IV. et V. Florent. 1643. fol. Vide supra, Jordanus *Ansalonius*.

(93 Parte II. tradotta da Filippo Pigafetta Firenze, Giunti 1596, fol. ed emendata e ridotta in miglior lingua dal P. F. Giacinto di Genova. Palermo 1626, f.

Parte III del P. F. Gio. Lopez tradotta dal P. F. Giacinto Cambi (Fiorentino). Firenze, Massi e Landi 1645, f.)

Joannis Michaëlis Cavalieri, Bergomatis, Galeria de' Pontefici Domenicani e Patriarchi, Arcivescovi e Vescovi. Beneventi 1696. 4. duobus Voluminib. Confer *Pompeji Sarnelli* Epistolam Ecclesiasticam XL. et infra, Vincentius Maria *Fontana*.

Hyacinthus Choquetius, Insulensis, de sanctis Belgii, Ord. Praed. Duaci 1608. 8. et ex Latino Belgice a Leonhardo Janssenboy. Antwerp. 1644. 8.

Ignatii Ciantis Cerimoniale Ordinis Praedicatorum. Neapoli 1658. 8.

Clemens Scotus de ingressu Ordinis in Scotiam.

Annales Dominicanorum *Colmariensium*

ab Anno 1211. ad 1303. apud Urstisium tom. 2. pag. 5–62. De auctore videndus Jacobus Quetif. tom. 1, pag. 494.

Antonii a Conceptione, Lusitani. Chronicon et Bibliotheca Ordinis Praedicatorum, Parisiis 1585. Vitae Patrum ejusdem Ordinis, Lovan. 1575.

Joannis a S. Cruce Chronicon Ordinis Praedicator. Ulyssipone 1567. f. Lusitanice.

Augustini DAVILA *et Padilla* Historia Provinciae S. Jacobi Mexicanae, Hispanice. Madrit. 1596. 4. Brusell. 1625. f. Pinciae 1634. f.

Francisci Diego Historia della Provincia d' Aragon della Orden de Predicadores, des de su origen. Barcinone 1599. fol.

Iacobi Dominici, qui circa An. 1360. floruit, Catalogus Provinciarum et domorum tam fratrum, quam sororum Ordinis, Chronica Capitulorum generalium et Provincialium Provinciae et Aragoniae: De privilegiis Ordinis, de modo celebrandi electiones, de judiciorum ordine etc. MSS.

Jacobus ECHARDUS absolvit Bibliothecam scriptorum Ord. Praedicatorum elaboratam diligenter et accurate, quam affectam reliquerat *Jacobus* QUETIF, defunctus Parisiis Anno 1698. 2. Martii, aetatis 80. Lucem vidit opus eximium Parisiis 1719. fol. duobus Voluminibus, quod in lucem proferri multi peroptaverant. a) Vide Memorias Trevoltianas An. 1708. pag. 1493. et An. 1723. pag. 749. Acta Eruditorum An. 1720. pag. 153. et 441. seq. ubi V. C. Joannis Erhardi Kappii b) Observationes: et An. 1722. pag. 474. Nomina plerorumque, qui historiam Dominicanorum illustravere, obvia apud Echardum tom. 2, pag. 983. seq.

Georgii Eppii de illustribus Viris ac sanctimonialibus Ordinis Praedicator.

Ambrosii Estienne Athenae Praedicatoriae, sive Bibliotheca Patrum Ordinis Praedicatorum, ab initio Ordinis ad Annum 1688. ordine Alphabetico: MS. vide Echardum tom. 2, pag. 715.

Nicolai le FEBURE Agematologie de conventu Dominicanorum S. Jacobi Carnotensis. Andegavi 1625. 8. Gallice. Ejusdem Praedicator Carnutens. Carnuti 1637. 8. Scriptum utrumque insigne.

Alphonsi Fernandez, Placentini Hispani, Concertatio Praedicatoria pro Ecclesia Catholica contra Haereticos, Gentiles, Judaeos, Agarenos, seu Muhamedanos, per epitomen in Annales distributa, cum notitia scriptorum, Pontificum, Cardinalium, Praesulum, Confessariorum etc. ejusdem Ordinis. Salmanticae 1615. fol.

Dominicus Fernandez Navarrate de missione Ordinis Praedicatorum Chinensi. Vide Echardum tom. 2, pag. 721. seq.

Petri Ferrandi Chronicon a B. Dominico ad Humberti tempora.

Sigismundus Ferrarius de rebus Ungaricae Provinciae Ordinis Dominicani, libris VIII. Viennae Austriae 1637. 4.

Andreae Ferrerii de Valdecebro Annales Ord. Praed. MS.

Joannis Baptistae Feuillet, Jacobi Lason, Stephani Thomae Soveges, Caroli a S. Vincentio et *Caroli Raisson* Annus Dominicanus, sive vitae Sanctorum Ordinis Praedicatorum Gallice in 4. Vide Echardum tom. 2, pag. 748. Latina versio affecta *Joannis Damasceni Lubienecki* non vidit lucem.

Nicolaus Figuerez Valentinus in Vitis Patrum Ord. Praed.

Joan. Ant. Flaminius (94 Vitae Patrum inclyti Ord. Praed. Bonon. De Benedictis 1529, 4.) et *Seb. Flaminius.* supra in *Leandro Alberto.*

Gualfanei Flammae Chronicon Ordinis Praedicatorum usque ad Annum 1544. MSS.

Vincentius Maria Fontana, Romanus, in Catalogo scriptorum a) Ordinis Praedicatorum Romanae Provinciae, et sacro Theatro Dominicano. Constitutiones Ordinis ab Anno 1220. ad 1650. Romae 1655. fol. 2. Voluminib. Pontifices, Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, et Abbates Dominicani. Romae 1666. fol.

Antonii Francisci Fracassi Vitae Magistrum Generalium, vide Mandosium tom. 2. Bibliothecae Romanae pag. 318. seq.

Gerhardus Frachetus, Lemovicensis,

a) Baelii Epist. p. 582 edit. primae.

b) Adde ejusdem Kappii dissert. de nonnullis Indulgentiarum quaestoribus pag. 59 sq. Lipsiae 1720. 4.

a) Giornale de' Letterati di Roma A. 1670 p. 62.

circa An. 1257. vide Vossium pag. 481. et infra in Antonio *Senensi.*

Joannis Baptistae Fueillet l'Année Dominicale, Ambiani 1679. 4. De Martyribus et Sanctis ex Ordine Praedicatorum.

Joannes GARZO scriptor vitarum S. Dominici, Petri Veronensis, Thomae Aquinatis etc. editarum cum Leandro *Alberto.*

Georgius Mediolanensis, infra, *Ravennatius.*

Gerardi Lemovicensis Vitae fratrum jussu Umberti de Romanis scriptae.

Bernhardi Ghetaldi historia Virorum illustrium Congregationis Dominicanorum Ragusinae.

Franciscus Gonsalez a S. Petro de missionibus Ordinis Praedicatorum in Chinense regnum.

Ambrosius Gozzaeus in Catalogo Virorum ex familia Praedicatorum in litteris illustrium. Venetiis 1605. 8.

Gilberti de la Haye Bibliotheca Belgico-Dominicana MS.

Bernhardus Guido, sive *Guidonis*, qui circa Annum 1300 scripsit de Viris illustribus Ordinis Praedicatorum, ex quo locus apud Baluzium tom. 6. Miscellan. pag. 444, 445. Et novissime Edmundus Martene et Ursinus Durand, viri clarissimi in lucem produxerunt hujus Guidonis historiam fundationum Conventuum Ordinis Praedicatorum Tolosanae et Provinciae, Provinciarum tom. 6 monumentorum pag. 537 et Tractatum de Magistris Ordinis Praedicatorum et Provincialibus Provinciae et Tolosanae provinciarum pag. 398. Haec addenda illis, quae de Guidone hoc dixi supra tom. 1. pag. 204, seq.

Petrus Guido patrui sui Bernhardi exemplum imitatus in Vitis illustrium Ordinis Virorum.

Dominici de HERRE fasti Dominicani. Antw. 1675, 8.

Johannis Heyn Epilogus Chronologicus de conventibus et fundationibus Ordinis Praedicator. in regno Hiberniae. Lovan. 1706, 4.

Philippi de Horto novo Catalogus illustrium Virorum Ord. Praed.

Humberti de Romanis, infra, *Umbertus.*

Camilli Jasinsky Constitutionum Ordinis Praedicatorum et Ordinationum Summarium ab An. 1220 ad 1629. Cracov. 1638, 4.

Nicolai Andreae de INCONTRIS necrologium Coenobii S. Dominici Senensis.

Bernhardi de Jonghe desolata Batavia Dominicana, Gandavi 1718, 8. Ejusd. Belgium Dominicanum, a) Bruxellis 1719, 4.

Vincentii Justiniani Chronicon Ordinis Praed. MS.

Petronii Kamiensky antiquitas Ord. Praed. in magno Ducatu Lithuaniae. Vilnae 1642 4.

Jo. Baptistae LANCII elenchus scriptorum Dominicanorum.

Antonini Lembo Chronica Conventus S. Dominici Sorianensis, cum auctario Dominici de Seminaria. Messanae 1687, fol. Italice.

Hyacinthi Libelli Catalogus scriptorum Ord. Praed. MS.

Desiderii Lignaminei de Viris ex pietate illustribus in familia S. Dominici.

Emanuelis de Lima hagiologium Dominicanum, Lusitanice. Ulyssipone 1703 1710 et 1742, fol. quatuor Voluminibus.

Joannes Lopezius, supra, Ferdinandus de *Castillo.*

Joannis MAHUET Praedicatorium Avenionense, seu historia Conventus Ordinis Praedicatorum Avenionensis. Aven. 1678, 8.

Petri Malphei Athenaeum Dominicanum MS.

Antonii Malleti Historia Virorum illustrium Conventus Ordinis Praedicator. S. Jacobi Parisiensis, Gallice. Parisiis 1634, 8. duobns Voll.

Joannis de Malliaco Chronicon Ordinis Praedicatorum.

Thomae Malvendae Annales Ordinis Praedicatorum. Neapoli 1627, fol. 1630 edente Dominico Gravina.

Joannis a S. Maria vitae Sanctorum Ordinis Dominicani. Paris. 1635, 4. Gallice 2 Voll. et 1647, 4.

Dominici Marii Marchesii sacrum diarium Dominicanum, Italice. Neapoli 1668-1679, fol. sex Voll.

a) Acta Eruditorum tom. septimo Supplementi pag. 459.

Joannis de Marietta, Victoriensis, Catalogus Episcoporum et triumphus Virorum illustrium Ordinis Dominicani Hispanice.

Antonii Mazened Chronicon Conventus Tullensis Ordinis Praedicatorum. MS.

Ludovici Mesplede notitia antiqui status Ord. Praedicator. ex primis ejus Constitutionibus. Paris 1643, 8.

Godfridi a Mierlo Calendarium perpetuum, secundum institutum Ord. Praed. XXXVI tabulis constans, et post primam Didaci Ximenis Ariae editionem emendatum. Antwerp. 1566, 12. Vide infra in Jo. de *Urdunna*.

Hyacinthi Montalti, Panormitani, istoria della Religione di S. Domenico nella Provincia Sicilia. MS.

Vincentii Montalvan Vitae Sanctorum Ordinis Praed. Italice.

Bartholomaeus Mortavius, supra, in Leandro *Alberto*.

NICOLAUS *Brixianus*, supra, in Leandro *Alberto*.

Dionysii de OCCILLIS Neapolitani, Cronica della Provincia Osservante del regno di Napoli dell'Ordine de'Predicatori. Hoc opus MStum legisse se testatur Nicolaus Toppi in Bibliotheca Neapolitana pag. 71 refertque post auctoris obitum fuisse *Theodorum a Valle*, Pipernensem, qui illud pro suo edidit iuscripsitque: breve Compedio de gli più illustri Padri della Provincia del regno di Napoli. Neapoli 1651, 4.

Joannis de PALENTIA Martyrologium Dominicanum, cum ejusdem Ordinis Constitutionibus. Salmanticae 1579. Venetiis 1582. 4.

Hyacinthi de Parra Catalogus auctorum Dominicanor. MS.

Benedicti Pauli, Florentini, breve MStum Chronicon Ord. Praedicatorum, sed Echardo judice accuratum, memorat Julius Niger pag. 95 historiae scriptorum Florentinorum.

Dominici Peccioli, Pisani, Chronicon monasterii S. Dominici Pisani.

Gvilelmus Pelhisso de rebus Ordinis Praedicatorum ab An. 1214. ad 1246 et de Conventus Tolosani exordiis.

Vincentii Persii Coelum virgineum Ordinis Praedicatorum signis XII hierolyphicis per XII, sanctos stellatum. Neapoli 1658, fol.

Laurentius Pignon, qui An. 1446 vixit, in Chronico et Catalogis variis, de quibus Quetif. tom. 1. pag. 805.

Joannes Michaël Pius, Bononiensis, *Domenico in Italia*, sive de Viris illustribus Ordinis Praedicatorum in Italia, et notitia Conventuum et Monasteriorum in Europa Indiisque. Bononiae 1607. Ticini 1613, et Bononiae 1615, fol. 3. Voll. et Bononiae t. 1, fol. cum addit. Italice.

Jacobus QUETIF supra, Jacobus *Echardus*. *Purpurae Dominicanae* scriptor.

Georgius RAVENNATIUS Mediolanensis, de Viris illustribus Ordinis Praedicator. Provinciae Romanae, quo usus Leander *Albertus*, de quo supra.

Seraphini de Razzis Istoria degl'uomini illustri dell' Ordine Domenicano della Provincia Romana. Lucae 1596, in 8.

Rolandus Scotus de dilatatione Ordinis S. Dominici.

Didaci a Rosario Chronicon Dominicanum, et Vitae Sanctorum. Lusitanice.

Nicolai Roselli, qui An. 1362 obiit, Commentarii MSti de rebus Ordinis Praedicatorum.

Andreae Rovettae de Brixia a) Bibliotheca Chronologica illustrium Virorum Provinciae Lombardiae Ord. Praedicator. Bononiae 1691, fol.

P. *Ruvierius* eodem, quo tempore Bibl. Dominicanam Jacobo Echardo coepimus debere, ipse Annales accuratiores ejusdem Ordinis condere instituit, ad quos ornandos ac perficiendos Magister Dominicanorum Generalis Antonius Cloche An. 1714 promulgavit Epistolam encyclicam ad Ordinis sui Provinciales, Vicarios Generales Congregationum, et Conventuum Priores, quae inserta etiam legitur Diario Eruditorum Italiae tom. XIX. pag. 430.

Stephani de SALANHACO, Aquitani, qui An. 1290 obiit, scripta varia, de quibus videndus Quetif tom. 1. pag. 415, seq.

Josephus de Sarabia y Lezana Annales

a) Acta Eruditorum An. 1691. pag. 551.

de la sagrada Religion de S. Domingo. Medrit. 1709, fol. 2. Voll. desinunt in An. 1291.

Thomae Schiflandi, Siculi, circa Annum 1460 de Viris illustribus Ordinis Praedicatorum, MS. Vide Mongitorem tom. 2. Bibliothecae Siculae pag. 262.

Vincentii Seiglier Florus Dominicanus, MS.

Dominici de Seminaria, vide Antoninus *Lembo*.

Antonii Senensis, Lusitani, Chronicon et Bibliotheca Ordinis Praedicatorum, Parisiis 1585 et Index Scriptorum Asceticorum ex illo Ordine. ibidem. Usus Antonius vitis Patrum Dominicanorum, quas *Umberto* alii, alii *Gerhardo Fracheto*, sive *Frasqueto* tribuunt, sub cujus nomine prodiit Duaci 1619.

Seraphini Sicci vitae sanctorum et sanctarum Ordinis Praedicatorum, et Historia illustrium Dominicanorum. Italice. (*Razzi?*, (95 Razzi (F. Seraf.) *Vite de' SS. e BB. così uomini come donne del S. Ord. de' Predicatori.* Fir. Sermartelli 1577, 4 p. I. e II. e *con aggiunta. Palermo de' Franceschi* 1605. 4.)

Balthasar Sorius, Valentinus, de Viris illustribus Dominicanis Provinciae Aragoniae.

Ludovicus de Sousa, supra, *Ludovicus de Cacegas*.

Friderici Steil Vitae Sanctorum Ordinis Praedicatorum, Coloniae 1676. Germanice. 4. Ejusdem Ephemerides Dominicano-sacrae. Dilingae 1692, 4. 2 Voll.

Stephani de Exonia, qui circa Annum 1370 floruit, auctor Annalium Dominicanorum Hiberniae usque ad Annum 1374.

Jacobi de Susato Chronica brevis ab origine Ordinis ad Annum 1445 itemque privilegia.

Ambrosii TAEGII, Mediolanensis monumenta Ordinis Praedicatorum, sive Chronica Dominicana MSta tomis VI vide Echardum tom. 2. pag. 35.

Anonymi *Teutonis* mare magnum privilegiorum Ord. Praed. Vide Echardum tom. I pag. 892.

Cherubini Torni elenchus scriptorum Ordinis Praedicatorum Provinciae Venetae. MS.

Theodorus a VALLE, vide supra, *Dionysius de Occillis*.

Ludovici Valleoleti tabula quorundam Doctorum Ord. Praed.

Roberti Ubaldini de Galliano Chronicon MSturn Conventus S. Marci de Florentia usque ad Annum 1435.

Caroli a S. Vincentio Chronologia Missionum Ordinis Praedicatorum ab An. Christi 1417 ad 1562.

UMBERTUS *Heduus* de Romanis, Burgundus, qui An. 1277 obiit, scriptor libri de Vitis primorum Patrum Ordinis Dominicani. Vide supra in Antonio *Senensi*. Opusculum de eruditione Religiosorum. Lovan. 1576. forma minore. Ejusdem Ecclesiasticum efficium Ordinis Praedicatorum libris XIV. Expositio in Constitutiones: Liber de instructione Officialium: Chronicon ab An. 1203 ad 1254. Vide Quetifum tom. 1. pag. 143, seq.

Joannis de Urdunna Calendarium perpetuum juxta ritum Ordinis Praedicator. Venetiis 1584, 8. vide supra, *Godfr. a Mierlo*.

Ludovici de Urrera historia della sacrada Orden de Predicadores en los remotos Reynos de Europa. Valentiae 1611. 4.

Stephani Ususmaris Privilegia Ordini concessa et Catalogus Virorum illustrium Romae 1555. 4.

Philippi Wolphii Viretum Dominicanum de vitis Virorum illustrium Ord. Praed. citatur a Balæo.

Didacus Ximenes, supra, Godfr. a *Mierlo*.

Conradi Zittardi Chronicon Ord. Praed. Dillingae 1596. 4. Germanice.*

* In tanta rerum ord. Dominicani scriptorum copia illustrem locum meretur atque tuetur opus eximium inscriptum *Bullarium ordinis FF. Predicatorum* sub auspiciis D. Benedicti XIII. Pontificis Maximi vulgatum opera R. P. F. Thomae de Poll. Generalis ord. eiusd. Magistri; collectum atque illustratum notis a P. F. Ant. Bremond eiusd. ord. nunc meritissimo atque doctissimo supremo Magistro tomus I Bullas continet ab an. 1215 usque ad 1280 prodiitque Romae An. 1729, f. Proxime successit tomus II ab an. 1281. usque ad 1430 Romae 1730. tom. III ab an. 1430 usque ad 1484 Romae 1731. tom. IV ab an. 1481. ad 1519. Romae 1732. tom. V

ab an. 1550 ad 1621 Romae 1733. tom. VI ab an. 1621. ad 1735 Romae 1735. tom. VII Supplementa continet usque ad 1739. Romae 1739. tom. VIII Supplementa duo exhibet additque Indices Romae 1740.

96 *Annalium Ord. Praedicatorum* Rev. P. Vinc. M. Ferretti jussu editum Auctoribus F. Th. M. *Mamachio* F. M. *Pollidorio*, Vinc. M. *Badetto* et Herm. Dom. *Christianopulo. Romae*, *Palearini* 1756 f. pag. LXXXVIII. 680. Vol. I (tantum usque ad an. 1221). Vita di S. Domenico opera del P. Serafino *Loddi.* Lucca 1727, 4.– scritta dal P. Francesco M. *Pollidori.* Roma 1777, 4. – Istoria degli uomini Illustri dell' Ord. di S. Domenico (dal Francese del P. Ant. *Touron* stamp. Paris Quillau in 4) tradotta dal P. Gius. Ag. *Orsi.*, Roma 1745. e Ven. 1746. t. III in 8. – *Baci* (Gio. And. dell' Oratorio) Vite di alcune Sante dell'Ord. di S. Domenico. Firenze 1707. in 8. v. 2.

Alii DOMINICI.

DOMINICUS *Abbas* Ordinis Benedictini, multorum et ipse conditor Monasteriorum, defunctus An. 1031. de quo Leo Ostiensis III 33.

DOMINICUS *de Barta*, Ordinis Minorum, Provinciae Aquitaniae Minister Generalis, An. 1343. defunctus in Monte Pessulano. Scripsit Postillam *in Apocalipsin.* Vide Waddingum pag. 103.

DOMINICUS *Bolanus*, Venetus, clarus An. 1484. qui ad Nicolaum Marcellum, Ducem Venetorum, scripsit *de immaculata conceptione S. Mariae.* Vide Trithemium cap. 883.

* Opusculum de conceptione S. Mariae a Trithemio indicatum prodiit in 4. sub hoc tit: *Tractatus Dominici Bolani artium et Philosophiae Doctoris filii magnifici Dominici Candiani de conceptione B. M. Virginis.* Nullus tamen adest locus et tempus editionis quanquam est vetustissima. Bolanus seu potius Bollanus obiit an. 1496. ut scribit P. Degli Agostini Storia degli Scrittori Veneziani tom. I pag. 527. Praeter *De conceptione B. M. Virginis* scripsit etiam *Venetarum rerum historiam* quae adhuc in MSS. jacet et alia nonnulla apud eundem degli Agostini recensita. (ex t. VI.)

DOMINICUS *Bonaventura* Fessis de Fabriano, Picenus, Ordinis Minorum, quem idem Waddingus circa Annum CHristi 1340 floruisse et patrui sui *Francisci Fabrianensis* An. 1322. defuncti *vitam* et *Chronica brevia Ordinis Minorum* scripsisse testatur. Vita illa in Actis Sanctor. t. 3. April. p. 984.

Institutorem vel instauratorem *Rosarii* DOMINICUM, vir doctus Andreas Rivetus a) recte eundem facit cum auctore Ordinis Praedicatorum, qui ab illo Dominicani appellantur; sed male eum vocat *Calaguritanum.* Nam Calagurin longe diversam esse constat a S. Dominici patria, qui non Calaguritanus fuit, sed Calarogitanus, a Calaroga, sive Calaruega oppido dioecesis Uxomensis in Castella veteri, cum Calaguris sit Calahorra in Hispania Tarraconensi. De ROSARIO ejusque auctoribus dixi in indiculo Mariano.

DOMINICUS *de Caldariis*, apud Colomesium ad Gyraldum p. 79. vitiose pro *Domitio* CALDERINO, de quo supra t. 1, p. 297.

DOMINICUS *Capranica*, sive *Capranicensis*, Major Poenitentiarius et ex Episcopo Firmiano Cardinalis, defunctus An. 1456. inter scriptores a Cangio refertur, quanquam scripta ejus, perinde ut *Angeli Capranicae* Cardinalis, qui Anno 1478. obiit, nulla reperio. Provectioris jam aetatis virum Dominicum hunc morali Theologiae singularem operam navasse et Biblioth. instructam reliquisse refert Ciacconius in vitis Cardinalium tom. 2, pag. 1115.

* Quod Fabricio non obvenit videre scilicet et legere scriptum aliquod Dominici Capranicae; mihi obtigit excurrenti Codicem MS. Vindobonensem in quo scripta plurima continentur de rebus concilii Basiliensis. Ibi enim haec inter caetera legi pag. 29. » *Cardinalis* Episcopus Firmanus recurrit ad Concilium contra Eugenium IV a quo plura contra jus et fas se passum queritur, et quod exclusum se ab electione Papae contra omnem justitiam, cum esset a Martino Papa Cardinalis, electus quamvis non pu-

a) Apologia pro Maria lib. 2 cap. 12 tom. III Operum pag. 715.

blicatus; sed nihilominus Martinus per suam Bullam ibi recitatam locum suum reservarat in casu obitus Pontificis » Incipit scriptum istud: *retulit quidam a felicis recordationis etc.* Hoc Capranicae scriptum refutasse credo Jordanum Bricium I. C. in suo illo *tractatu pro Eugenio adversus Card. Capranica scripto jussu Petri Card. Fuxensis An.* 1433. quem leges apud Baluzium Miscel. tom. 2, pag. 303. Alios etiam libros ab eo vulgatos tradit Baptista Poggius in eius vita a Baluzio ibidem pag. 297. vulgata his verbis: *scripsit ille nonnulla erudite magis, quam eleganter quae in vulgas emanarunt ad religionem nostram spectantia.* Denique Biblioth. Ambrosianae cod. MS. fert *Dominici Firmani de arte bene moriendi* teste Montfaucon Bibl. MSS. tom. 1, pag. 513. Quod opus ab authore absolutum an. 1452 discimus ex Cod. 179. Biblioth. Regiae Parisiensis. Ibid. tom. 2, pag. 905.

Aliud etiam scriptoris huius opusculum servatur in MS. Codice Bononiensi Biblioth. Canonicor. Reg. S. Salvatoris, ut me per literas monuit vir doctissimus editisque operibus clarissimus RR. P. Abbas Joannes Chrysostomus Trombellus, cuius viri optimi et amplissimi me observantissimum profiteor. Est illud *Manipulus Episcopalis*; continetque optimas morum el disciplinae leges animarum Pastoribus caeterisque praescriptas, ut vitam ad Christianam sanctimoniam camponant. Dirigitur F. Joanni Baptistae de Firmo Ord. Praedic. Episcopo Hieropolitano, et suffraganeo suo Gabrieli de Camerino Vicario Firmano. In Praefat. vero scribit antehac *Constitutiones quasdam* se in ea Provincia (Firmana) legatum edidisse.*

DOMINICUS *Carthusianus* circa Annum 1460. natione Prutenus, auctor Hymni: *Homo DEI Creatura* etc. et librorum: *Sonus epulantis, Corona Mariae, Revelationum*, sive *libri experientiae.* Vide Possevinum.

* Dominicus a *Corella* pago Casentinatis (immo Mugellani) agri in adiacenti Florentina regione siti Ord. Praedicatorum natus an. 1403. denatus an. 1483 subita apoplexia correptus. Scripsit opus metricum inscriptum. *Theotocon* seu *de vita et obitu B. Mariae Virginis* libros IV. quorum duo tantummodo posteriores nempe III. et IV. edidit cl. Lamius Delic. Eruditur. tom. XI. p. 49. Florentiae 1742. (97 et deinde Contarinus in Nuova Racc. di opuscoli Venezia tom. XVII. et XIX.) Scripsit Dominicus et *De Origine Urbis Florentiae* Poema libris VI. MS. Florentiae in Med. Laurentiana V. *Moreni Bibliografia Toscana.*

DOMINICUS *de Dominicis*, Venetus, et Episcopus Torcellanus primum, deinde Brixiensis, defunctus Brixiae An. 1478. cujus *Orationes*, quas vocat elegantes, et *Sermones* laudat Trithemius cap. 858. Ex ejus libello ad Pium II. *de Reformatione Curiae Romanae* loca quaedam affert Joannes Wolfius tom. 2. lect. memorabil. pag. 891. Tractatus *de sanguine CHristi*, et *de filiatione Johannis Evangelistae ad B. Virginem*, prodiere Venetiis 1557. et 1568. 8. Alia ejus sunt, nescio an edita: *De Cardinalium electione et legitima creatione* ad Calixtum III. *De potestate Papae et Cardinalium. De Concilio et ipsius potestate ac Pontificis. Expositio Psalmi centesimi*: Misericordiam et judicium cantabo, *ad propositum regiminis* Papae vel Principis cujusque. *An Divus Hieronymus fuerit Cardinalis? Utrum caput*, Constantinus, dist. 96. *verum sit, de baptismo Constantini. Summa secundum quam Archiepiscoporum et Episcoporum notarii debeant officium exercere.* Vide Oudinum tom. tertio p. 2569.

* Inter MSS. Codd. Taurinenses Latinos occurrit liber *de Episcopali dignitate* ab eodem authore scriptus. Est insuper oratio habita in funere *D. Papae Pii II.* eiusdem. Insuper est alius tractatus *An Papa ligetur vinculis sui juramenti et decretis.* Incipit: *quia nonnulli.* Ex quo exordio intelligimus non alium designari librum a Ludovico Jacobo in Bibliotheca Pontificia sub titulo de creatione Cardinalium, cuius idem est initium.

DOMINICUS *de Flandria*, Ordinis Praedicatorum, cujus *Quaestiones Metaphysicales*, in XII. libros Metaphys. Aristotelis, Venetiis 1496. 1499. Coloniae 1621. Venetiis 1637. fol. *Quaestiones* in libros III. *de anima*, Venetiis 1503. 1518. fol. et *in libros posteriorum Analyticorum* memoran-

tur in appendice ad Trithemium cap. 32. Sed quod ibi legas obiisse *Alexandro octavo* Pontifice, error est, et legendum *Alexandro sexto*, ut recte Latinus Latinius et Jacobus Quetif tom. 1, pag. 894. qui An. 1500. Bononiae defunctum testatur refertque quaestiones in libros posteriorum Analyticorum prodiisse cum quaestionibus ejus *in elenchos*, sive in *opusculum S. Thomae, de fallaciis*. Venetiis 1496. et 1565. *Quaestiones quodlibetales*, Venetiis 1500. tum ineditas *summulas in Petrum Hispanum*, et Commentaria *in libros Physicorum* Aristotelis, *de Coelo et Mundo, de generatione et corruptione*. et *in parva naturalia*. Addit Quetifus etiam *Commentaria in librum de causis*, *Proculi* nescio cujus, et tractatum brevem *de ordine Divinarum Personarum*.

Andreas DOMINICUS *Floccus*, infra, FLOCCUS.

DOMINICUS *Foroliviensis*. Ordinis Minorum, Inquistor haereticae pravitatis, scripsit *de Officio Inquisitorum*, ita enim legendum e Waddingo pag. 104. non ut est apud Cangium, *de Officio Imperatoris*.

DOMINICUS *de Sancto Geminiano*, auditor Antonii de Butrio, clarus post saeculi decimi quinti initia JCtus, cujus Commentarios *in sextum Decretalium* laudat Gazalupus in historia interpretum et glossatorum pag. 598. Iidem MS. in Biblioth. Patavina teste Tomasino pag. 4. b. Ejus *declarationes varias*. Trithemius cap. 759. Vide Joannem Vincentium Coppium in viris insignibus Sangeminianensibus, Florentiae 1695. 4.

* Praeter eius Commentarios in VI. Decretalium, cuius operis MSS. Codd. duos servat etiam Felini Bibliotheca sicut et volumina duo eiusdem operis impressa, quorum unum nullam praefert adscriptionem loci et temporis solamque habet impressoris inscriptionem cum ibi legatur hoc solitarium nomen *Sixtus Reussinger*. Alter vero impressorem Magistrum Adam Rot. clericum Metensem annumque 1471 tantummodo habet; praeter inquam Codices hosce est alius Codex MS. notatus n. 217 exhibens. *Dominici de S. Geminiano super distinctionibus Decreti commentum* in ipso operis vestibulo haec sua manu scripsit Felinus Sandeus, *reperitur aliud opus eiusdem Dominici ante istud editum, in quo plenius loquitur et magistralius; videlicet adaptando Canones ad intentionem Gratiani, ponendo casum, et insistendo in alios habentibus legem. Sed opus hoc secundo loco doctius compositum plurimas novas et utiles ponderationes habet resecatis inutilibus.* In cod. 277, MS. legitur eiusdem authoris commentarius *super primo Decretalium ad Antonium de Butrio praeceptorem suum.*

DOMINICI *Gradensis* et *Aquileiensis* in ditione Veneta Patriarchae seculo medio XI. *Epistola ad Petrum Antiochenum*, Patriarcham, sed Graece cum Latina versione edita a Cotelerio tom. 2. monument. Ecclesiae Graecae pag. 108. subjuncta Antiocheni responsione pag. 112.

DOMINICUS *de Gravina*, cujus Chronicon de rebus in Apulia gestis ab Anno Christi 1333. ad 1350. editum in Thesauro Italiae laudatissimi Muratorii tom. XII.

DOMINICUS *Jacobatius*: sive *de Jacobatiis*, Romanus, ex Auditore Rotae et Episcopo Lucerino Cardinalis An 1517. ad Annum 1528. quo Romae obiit. De eo Prosper Mandosius Centuria V. scriptorum Romanorum num. XXVI. pag. 293. Scripsit ad Clementem VII. opus *de Concilio* excusum Romae 1538. fol. et apparatus loco ad Concilia Labbei Paris. 1672. et Coleti 1728. fol. et in tomo nono Bibliothecae maximae Pontificiae tom. IX. Romae 1699. fol. Argumenta operis sunt: *De Concilio, de loco Concilii, ad quem spectet congregare Concilium, quales debeant esse interfuturi Concilio. An Papa habeat auctoritatem a Conciliis generalibus, et an Concilium possit restringere auctoritatem Papae. An Cardinales, qui discesserunt a Papa, possint aggregare Concilium. An Papa possit accusari de haeresi. Ex quibus causis et quomodo possit Papa deponi De appellatione a Papa ad Concilium.* * *Consilium de computatione dotis in Legitimam* extat in Cod. MS. Felini 398.

Joannes DOMINICI, Florentinus, Ordinis Praedicatorum, Archiepiscopus Ragu-

sinus et Cardinalis, defunctus An. 1419. Budae Junii X. ad quem diem consulenda Acta Sanctorum, ubi vita ejus composita a Johanne Caroli, Florentino. Scripsit *Luculam noctis* contra Collutii Salutati a) librum do fortuna et fato: juris jurandi fide testatus se in nulla scientia Doctorem habuisse. Lectiones in *Ecclesiasten*, et *Ecclesiasticum. In Evangelium Matthaei* usque ad caput XIX. *in Epistolam ad Romanos*, et *ad Corinthios. Itinerarium devotionis in Psalmos et Cantica Canticorum. Super Magnificat. Quadragesimalia* duo, quorum altero versiculi Psalmorum IX. primorum: altero regulae Juris in libro ultimo sexti Decretalium illustrantur, laudata ab Antonino Florentino ejus discipulo: b) Poëma *de vita et morte B. Virginis, et Ecclesiis apud Florentinos ei dedicatis*, c) libris IV. (98 Praeter rem, ut monet *Morenius* in *Bibliogr. Toscana*, immo Dominici de Corella.) *Sermones* varios et *Epistolas*. Tractatum *de Conceptione*. Librum *de Possessionibus. Orationem* in funere *Ludovici Boniti* Cardinalis. Vitam B. *Marcolini* Foroliviensis: et Italice *Regulam vivendi*, MS. apud Magliabechium, et de *Amore Charitatis* in 1. Cor. XIII. (99 Senis 1519, 4.) Venet. 1554. 1586. et Florent 1595.

DOMINICUS *Mancinus* infra, MANCINUS.

DOMINICUS *Nardi*, Ordinis Praedicator. scriptor *Sermonum*, tribus Voll. defunctus An. 1385.

DOMINICUS *Pantaleo* sive de *Pantaleonibus*, Florentinus, Ordinis Praedicator. qui An. 1376 rebus humanis valedixit, ut Waddingum secutus recte Cangius et in Bibliotheca Mariana Hippolytus Maraccius: non An. 1262 ut cum Antonio Senensi Possevinus aliique: neque 1476 ut Julius Niger pag. 153 historiae scriptorum Florentinorum. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag 675 ex quo sicut etiam ex Altamura pag. 134 constat hunc Dominicum perperam a Waddingo et Cangio accenseri Ordinis Minorum fratribus, quorum sententiae immaculatam B. Mariae conceptionem defendentium opposuit dialogum *de peccato originali et gratia B. Virginis*, contra minus bene sentientes et minores in Fide: nec non tractatum *contra protervos de peccato originali B. Virginis doctores*. Scripsit praeterea Commentarium *in Salutationem Angelicam*. Ejusd. est *discipulus ad mortales*, sive tractatus super *Miserere*, Psalm. 51. *Super casu de Monte* a) contra *Franciscum de Empoli*, b) Ordinis Minorum. *De forma consecrationis sanguinis CHristi*, ad petitionem *Jacobi*, Episcopi Florentini. *De Substantia Orbis*, adversus *Averroëm*.

DOMINICUS *Pratensis* de Vita *B. Davanzati* Confessoris prodiit in Actis Sanctorum tom. secundo Julii 7. pag. 527.

DOMINICUS *Sinarra* e Fabriano, sive Fabrianensis e Piceno (idem qui Cangio *Sinazza*, Rovettae *Senarius*, vel *Smarra*) Ordinis Praedicatorum circa Annum 1314 cujus nihil refertur praeter Sermones de tempore et de Sanctis. Vide Quetifum tom. 1. pag. 527.

DOMINICUS *Sotus*, sive *a Soto*, natus Segobiae in Hispania An. 1494. Ordinis Praedicatorum, Theologus Salmaticensis, Carolo V. Imp. a sacris Confessionibus, Concilio Tridentino interfuit An. 1545 obiitque Salmanticae An. 1560. de quo Nicolaus Antonius tom. 1. Bibliothecae Hispanae pag. 255, seq. et Jacobus Echardus tom. 2 de scriptis Dominicanorum pag. 171, seq. Scriptorum catalogus apud utrumque videri potest, et apud ipsum Sotum iu recognitione operum suorum, ad calcem commentarii in quartum Sententiarum. Praecipua sunt Commentarii *in Epistolam ad Romanos*, Antwerpiae 1550 et ex meliore editione Salmanticensi 1551. fol. Annotationes ad *Joannem Ferum* in *Evangelium Johannis*, Salmanticae 1554, 4. quibus Michaël Medina, Bellarcensis Fran-

a) Vide supra, in COLLUTIO, tom. 1 p. 369.

b) Summae hist. tit. 23 cap. XI. §. 3.

c) Julius Niger de scriptoribus Florentinis pag. 280. Vide etiam Oudinum tom. 3 pag. 2221 et G. Josephi Eggs Purpuram doctam tom. 1 pag. 105.

a) Apud Waddingum: *Tractatum de Monte communi*. Niger: *Tractatus plures de morte communi*.

b) Apud Nigrum pag. 154. *de Emporio*.

ciscanus Apologiam pro Joanne Fero (in Indice Romano prohibitam) opposuit Compluti 1558 et Moguntiae 1572, 8 *De Justitia et Jure* libri X, post editionem Salmanticensem 1556, fol. saepius recusi, *De natura et gratia* libri tres itidem saepius subjecti praelo post primam editionem, Venetam 1547, 4. atque aucti *Apologia adversus Ambrosium Catharinum*, Episcopum Minoriensem, certitudinis Gratiae assertorem. *De cavendo juramentorum abusu*, et *de ratione tegendi et detegendi secretum* libri III. Salmaticae 1552. Deliberatio in causa pauperum, seu *de non inhibendo publico mendicabulo*. ibidem 1545 et Venetiis 1617. Commentarii *in quartum Sententiarum*, duobus Voluminibus, Salmanticae 1560, fol. ac saepius alibi. In *Aristotelis* Dialecticam, Physicamque etc.

Joannes DOMINICUS *Spazzarinus*, infra, SPAZZARINUS.

DOMINICUS *Sylvestri*, Florentinus, circa Annum 1380 vixit, cujus Volumen metrice conscriptum *de Insulis et earum proprietatibus* evolvisse se testatur Joannes Boccatius. MS. in Bibliotheca Sancti Spiritus Florentiae Ordinis Augustini, una cum *Bucolico* ejus opere, sive *eclogis decem*, et *Epistolis* compluribus vincta et soluta oratione. (99 Vide Jo. Bocc. op. de Montibus etc. et Philippi Villani De Famosis civibus.)

DOMINICUS *Tolosanus*, agnomine *Grenier*, vel *Grinia*, Ordinis Praedicatorum, Papae Joannis XXII, sacri palatii Magister, et Episcopus Appamiensis circa Annum 1330 scripsit *Lecturam*, sive Commentaria juxta litteralem et Mysticum sensum *super tota Biblia*, sex Voluminib. praemissa Epistolari praefatione ad Joannem XXII, cujus pars exstat apud Quetifum tom. 1. pag. 613. Idem memorat quoque ejus *Rituale Appamiensis Ecclesiae*, sed in quo non tam rubricae, seu ritus ejus Ecclesiae, quam varii casus ex Juris Canonici regulis enodantur.

DOMITIANUS *Ancyrensis* Civitatis Episcopus, ex cujus libello ad Papam Vigilium favente Origenianis nonnulla affert Facundus lib. I. cap. 2 et lib. IV, c. 4, sed Graece, ut videtur, scripserat, non Latine, itaque hoc erat loco rectius a me praetereundus.

(100 *Lucius* DOMITIUS *Brusoni* e Lucania in R. Neap. celebris admodum et perrari operis author cui tit. *Rerum memorabilium sententiarum, historiarum, miraculorum, apophtegmatum, exemplorum, facetiarum etc.* Libri VII. *Romae ap. Mazochium* 1518, f. et *Basil.* 1559, 4. *Lugduni* 1560, 64. et *Francofurti* 1600, 8.)

DOMITIUS *Calderinus*, de quo supra, CALDERINUS tom. 1. pag. 297. et ad Trithemii cap. 838. Eum triginta vix annos a) natum cum obiret An. 1477 duplici ornavit epitaphio Politianus, quae in ejus epigrammatibus pag. 316 et 319 leguntur. Horum prius ita se habet:

Hunc Domiti siccis tumulum qui transit ocellis,
Vel Phaebo ignarus, vel male gratus homo est.
Intulit hic Vatum coecis pia lumina chartis,
Obstrusum ad Musas hic patefecit iter.
Hunc Verona tulit docti patria illa Catulli,
Huic letum atque urnam Roma dedit juveni.

DOMNIZO, aliis DONIZO, vel DONNIZO, Presbyter et Monachus Canusinus Ordinis S. Benedicti, scripsit *libris duobus* carmine hexametro et magnam partem leonino *Vitam Mathildis* Comitissae, celeberrimae Princip.s Italiae, quae Anno CHristi 1115 obiit. Edita est primum a Sebastiano Tegnagelio in veterum monumentorum sylloge, Ingostadii 1612, 4. Deinde emendatior ex Codice Romano in G. G. Leibnitii scriptoribus Brunsvicensibus tom. 1. pag. 629. Denique ex Codicibus Padolironensi et Regiensi castigatior, et versibus multis locupletior, cum laudati Leibnitii et clarissimi Muratorii notis in tomo quinto Thesauri Mediolanensis scriptorum Italiae pag. 335. Plerisque eorum quae scribit Domnizo, ipsum interfuisse, et Papae partibus contra Imperatorem Henricum IV, impensius favere jam notatum Vossio pag. 773. Nemo autem adhuc protulit, quod memorat Sandius scriptum Domnizonis soluta oratione, in quo de *Theobaldi*, Episcopi Aretini, castitate aliisque virtutibus, et nonnulla eadem, quae in vita Mathildis metro condita leguntur.

a) Barthius tom. 1 in Statium pag. 485.

* Domnizonis historiam soluta oratione conscriptam ex Lucensi Francisci M. Florentini codice prior evulgavit Leibnitius, tum ex illo Muratorius Rer. Ital. tom. V. pag. 389. ibi vero occurrunt ea omnia de virtutibus et castimonia Theobaldi Episcopi Aretini, quae Sandius hic apud Fabricium adnotavit. Haec est igitur historia Domnizonis soluta oratione conscripta non quidem ipso Domnizone sed alio quopiam authore Quare non est cur Fabricius dicat a nemine memorari opus illud Domnizonis soluta oratione; non enim commemoratum est, ut a Domnizone confectum; sed ex Domnizone petitum perquam notissimum est.

DONATUS *Acciajolus*, supra, ACCIAJOLUS tom. 1. pag. 3.

Ælius DONATUS, Praeceptor S. Hieronymi, Grammaticus, de quo in Bibliotheca Latina VI, 7.

DONATUS *e S. Agatha*, Provincia Æmiliae, Ordinis Minorum, haereticae pravitatis Inquisitor, cujus *tractatum adversus haereticos* Waddingus pag. 104 memorat, cujus initium: *Spiritus Sancti Gratia.*

DONATISTÆ, sive, quod malebat Cresconius Grammaticus, DONATIANI, nomen schismatis famosissimum in Africa saeculo quarto appellatum a DONATO. Verum in Donatistarum historia ne alios jam memorem, tres inprimis Donati celebres repeериuntur. Primus auctor schismatis DONATUS Episcopus de *Casis nigris* in Numidia An. Christi 313. alter praepollens eloquentia atque auctoritate, libenter pro capite turbulentorum se venditans, DONATUS A. 328. Episcopus Carthaginiensis: Tertius DONATUS *Bagajensis*, *Bagai*, sive *Vagadae*, in Numidia Episcopus An. 348 fax et tuba furoris CIRCUMCELLIONUM. Ex his solius DONATI Carthaginensis scripta memorari video, contra cujus *Epistolam* scripsisse se testatur Augustinus, sed liber ille Augustini, sicut et alii duo contra partem Donati, interciderunt. Sed interciderunt etiam Donati omnia, quem Hieronymus cap. 93 auctor est *multa* ad suam haeresin pertinentia *opuscula*, et *de Spiritu Sancto librum* scripsisse Ariano a) dogmati congruentem. Augustinus haeresi 69. *Exstant scripta Donati, ubi apparet eum etiam non Catholicam de Trinitate habuisse sententiam, sed quamvis ejusdem substantiae, minorem tamen Patre Filium, et minorem Filio putasse Spiritum Sanctum. Verum in hunc, quem de Trinitate habuit, errorem, Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facile in eis quisqam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur.* Auctor Praedestinati lib. 1, cap. 69. *Exstant hodie scripta ejus, ubi probatur in Trinitate contra fidem Catholicam sensisse. Et quamvis unius substantiae dicat in Trinitate DEUM, Patrem tamen majorem Filio, Filium majorem Spiritu Sancto confirmare tentavit. Sed in hunc errorem ideo nullus de populo ejus adtendit, quia alia erat intentio inter partes.*

Scriptores de DONATISTIS.
ex veteribus:

Constantini Magni Epistolae apud Eusebium X, 5 et 5 et Nicephorum VII, 42, seq.

Philastrius haeresi 83 qui PARMENIANOS etiam dictos testatur a Parmeniano Donati in Episcopatu Carthagin. successore.

Augustinus tom. X. Operum et de haeresibus cap. 69.

Auctor Praedestinati cap. 69.

Gesta Collationis a) *Carthaginensis* An. 411 et aliorum illo tempore in Africa atque alibi habitorum *Conciliorum.*

Optatus, de quo infra suo loco, et monumenta vetera cum Optato a Ludovico Ellies du Pin et tom. IX. Augustini a Benedictinis edita.

Theodoretus IV, 6 de haereticis fabulis.

Joannes Damascenus haeresi 95. *Harmenopulus* cap. 17.

Johannes Zonaras et *Theodorus Balsamo* ad can. 61. Carthag.

a) Confer Sandii nucleum Histor. Eccles. pag. 172. Petavium tom. 2 dogm. Theol. de SS. Trinit. lib. 1 cap. 10. §. 8.

a) Baluzius pag. 609 ad Cyprianum: *Utinam Harduinus voluisset sequi editionem meam gestorum, quae certe, absit verbo invidia, multo melior est quam ille dedit.*

Matthaeus Blastares syntagmate Alphabetico tom. 2. magni Synodici Beveregiani pag. 14.

E RECENTIORIBUS, praeter Annalium et Historiae Ecclesiasticae, haeresiumque scriptores, et qui Augustinum vel Optatum illustrandum sibi sumsere:

Franciscus Balduinus in delibatione historiae Africanae, sive historia Collationis Carthag.

Joannes Conradus Dannhaverus dissertat. ad Collationem Carthaginiensem. Argentor. 1668. 4.

Réponse de Sieur *David* aux Remarques de Monsieur Launoy sur la notion du Concile plenier. à Paris 1671. 8.

Svante Gustavi Diez diss. de Circumcellionibus. Lipsiae. 1690. 4.

Joannes Forbesius in instructionibus Historico-Theologicis pag. 713. seq.

Franciscus de Harlay, Archiepiscopus Rothomag. libro 1. et 2. de rebus Ecclesiae, Parisiis 1645. fol.

Thomae Ittigii historia Donatistarum, dissertat. secunda heptadis subjectae ejus appendici dissertationis de haeresiarchis Apostolicae et Apostolis proximae aetatis Lipsiae 1696. 4

Joannes Launojus de Conciliis in quibus Donatistae damnati, partis V. Epistola prima, tomo ultimo Operum, et in dissertatione de notione plenarii apud Augustinum Concilii (Arelatensis Anno Christi 314.) Parisiis 1644. 1661. 1676. 8. et dissertat. ejus adversus Johannem Nicolaum defensione, ibid. 1667. 8. et in scriptis tribus, Gallice, contra N. Davidem editis, Paris. 1671. 1672. 1675. 8

Melchior Leydeckerus ad S. Augustini librum de unitate Ecclesiae, et in diss. de Schismate Donatistarum, et hist. Ecclesiae Africanae illustrata.

Thomae Long history of the Donatists. Lond. 1677. 8.

Joannis Nicolai, Ordinis Praedicatorum, de Concilio plenario contra Donatistas habito dissertationes duae. Parisiis 1668. 12. 2 Vol. Giornale de' letterati di Roma 1668. pag. 95.

Christiani Nisanii exercitatio de Donatismo, praemissa mataeologiae Labadianae, quae Germanice prodiit Mindae 1673.

Henrici Noris, Cardinalis, Historia Donatistarum postuma, in tomo quarto ejus Operum, Veronae 1732. fol.

Emanuel Schelstratenus Antiquitatis illustratae parte 2. diss. 1. cap. 7. pag. 232. seq. et dissertionibus de Ecclesia Africana, Rom. 1679. 4.

Joannis Philippi Storrii, Pastoris Heilbrunnensis, *Bericht von* Donatisten, *Franckfurt* 1713. 4. contra Godfridi Arnoldi historiae haeresium lib. IV.

Tillemontius tomo sexto memoriarum Hist. Eccles. editarum Gallice Parisiis 1704 4.

Henrici Valesii dissertatio de Schismate Donatistarum subjecta ejus notis in Eusebii Hist. Eccles.

El. Veielii de discrimine ingenti inter causam Donatistarum et Protestantium, Ulmae 1686. 4. Adde *Antonii Sadeelis* opera pag. 873. seq. *Davidis Ancillon* Melange Critique tom 2, pag. 431. seq. etc.

Hermannus Witsius dissertat. ultima Miscellaneorum tom. 1, pag. 742. seq.

DONATUS, Afri eremitae discipulus, Hispanis auctor monasticae observantiae, teste Ildefonso cap. 4. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Idem *Servitanorum* in Hispania Abbas, cujus discipulus et successor in eodem Monasterio Abbas *Eutropius*, ut est in Chronico Joannis Biclariensis ad Annum Justini V. et Mauritii Imperatoris II. sive ad Annum Christi 570. et 583. Obiisse. A. 575. traditur in Chronico Pseudo-Maximi Caesaraugustani, a) et *regulam Eremitarum S. Augustini* locupletiorem mitioremque primum in Hispaniam invexisse. Confer Philippum Elssium pag. 175. seq. Encomiastici Augustiniani. *Regulam* Donati *ad Virgines* transmissam ad se ex vetusto Codice a Canonicis regularibus Corporis Christi Colonia, testatur Aubertus Miraeus ad Ildefonsum et in elencho regularum p. 130. affertque ejus inscriptionem, quae ita se habet: *Sanctis et a me plurimum vene-*

a) P. 554 edit. Francisci Bivarii, Madrit, 1652 fol. et ad calcem Bibliothecae veteris Hispanae Nicolai Antonii tom. 2 pag. 285.

randis CHristi Virginibus Guadstrudae *omnique suae Congregationi, in Coenobio a famula DEI* Flavia *constructo Donatus.* Hanc ipsam *Regulam* edidit Lucas Holstenius in parte tertia Codicis Regularum pag. 47. ad 71. sed ex fide Jonae Monachi in vita S. Columbani cap. 13. recte tribuit S. DONATO, *Vesontiensi* Episcopo, quem Joannes Jacobus Chifletius parte 2. Vesontionis pag. 157. seq. et Sammarthani Galliae sacrae tom. 1, pag. 120. notant Ecclesiae illi praefuisse Anno CHristi 630. ad 660. atque videri etiam auctorem *Commonitorii ad Monachos S. Pauli et Stephani*, quod vulgavit Holstenius parte 2. pag. 44. et cujus perinde, ut regulae illius saepius meminit Benedictus Anianensis in Concordia Regularum, sicut notavi t. 1, p. 189.

DONATUS *Bergomensis* Episcopus, infra, *Ludovicus* DONATUS.

DONATUS BOSSUS, sive BOSSIUS, natus Mediolani An. 1436. et causis in foro agendis magnam vitae partem intentus, horas subsecivas per tria lustra impendit scribendo *Chronico*, quod impensis suis excudi fecit Mediolani 1492. fol. *Donati Bossii, causidici et civis Mediolanensis, gestorum dictorumque memorabilium et temporum ac conditionum et mutationum humanarum ab Orbis initio usque ad ejus tempora* (usque ad Annum 1492.) *liber* ad illustrissimum Principem Johannem Galeatium, Mediolanensium Ducem sextum. Subjicitur *Historia Episcoporum et Archiepiscoporum Mediolanensium* desinens in Guidantonio Arcimboldo, qui Archiepiscopus creatus est Anno 1489. Hoc Chronicon cum legisset Matthaeus Bossus (de quo supra tom. 1, pag. 245. seq.) ita Epistola CXXIX. *ad Donatum Bossum, eruditum et accuratum scriptorem temporum: Plurimum salve, vir sine dubitatione erudite et accurate, Donate. Annotationes nostri temporis, eventusque bellorum, quos scribis legi tuos, et ita id avide quidem ac perbelle, ut ego te amo, Donate: et ut est honos gratissimus mihi, quem tu affers Bossio nomini, a quo ego tecum originem duco.* Vide Diarium Eruditorum Italiae tom. XXVIII. pag. 117. seq. et Philippi Picinelli Athenaeum eruditorum Mediolanensium p. 166.

DONATUS *Diaconus Ecclesiae Mediomatricensis*, sive *Metensis*, ad Angelramum, Metensem Episcopum, Caroli Magni Archi-Capellanum, circa Annum CHristi 795. scripsit *Vitam S. Trudonis* Confessoris, defuncti An. 698. Edita est a Mabillonio Saeculo 2. Benedictin. pag. 1069.

Hieronymus DONATUS, Patricius Venetus, obita ad Julium II. legatione de patria praeclare meritus, diem obiit Romae An. 1511. *Monumenta ejus ingenii, digna luce, quod publicis occupationibus absolvi nequiverant, filii suppresserunt, edito* libro a) adversus Graecos *de sacrorum Principatu cum Romano Pontifice contendentes. Legitur etiam* libellus Alexandri Aphrodisei de Intellectu, b) *e Graeco in Latinum puriter ac apposite traductus. Exstant etiam aliquot* Epistolae, *multa styli gravitate conscriptae, ex his ea praesertim, qua Gallici foederis compedes Maximiliano Caesari exuendas persuadet: altera, qua concussae ingenti terrae motu Cretae insulae, cum ipse praesideret, clades terroresque describit.* Haec Jovius in elogiis, cui suffragatus Joannes Pierius Valerianus lib. 1. de infelicitate lit. pag. 307. cum Donatum huuc *nullius ignarum doctrinae, Poëtam, Oratorem, Philosophum. Theologum, Mathematicum peregregium celebrasset,* subjungit: *Scripta ejus innumera ad immortalitatem elucubrata, quod eruditis indignissimum est aerumnarum genus, paucissimis admodum exceptis, quae vivens ediderat, adhuc in tenebris jacent occultata.* De eodem Erasmus in Ciceroniano: *Epistolae quod paene solum illius habemus, declarant illum quidvis praestare potuisse, si voluisset huc animum intendere: sed Reipublicae negotia distraxerunt hominem ab otio litterario.* In Bibliotheca Barberina servatur ejus *Oratio* habita ad Julium secundum nomine Reipublicae Venetae, typis exscripta in 4. Effigiem ejus praeter Jovium affert Nicolaus Reusnerus k. c. cum hoc elogio:

a) Venet. 1525.

b) Sive *liber primus de anima.* Vide Bibl. Graec. IV. 25 tom. 4 pag. 71.

Par mihi majestas fuerat sermonis et oris,
Seu Latio, Grajo seu libet ore loqui,

* In Bibliotheca collegii mei Lucensis extat oratio illa ab hoc Hieronymo habita coram Julio II. impressa Venetiis an. 1504, in 4. Hanc vero dictam non quidem nomine Venetorum sed potius Cremonensium quorum oratorem agebat Donatus certum est. Extat etiam eiusdem Hieronymi Brixiae impressa an 1476. in 4. interpretatio enarrationis S. Joannis Crysostomi in illam particulam epistolae S. Pauli ad Corinth. quae in coena Domini legitur.

Ludovicus DONATUS. Patricius Venetus et Episcopus ab Anno 1465. ad 1484. *Bergomensis*, cujus *Commentarium in quatuor libros sententiarum* ad Paulum II. Pontificem, et *orationes* varias memorant Trithemius cap. 859. et Ughellus tom. 4, p. 483. Hujus Donati edita Romae a Zacharia Calliergo et Pio II. dicata opuscula quatuor adversus Graecos: *De Processione Spiritus Sancti. De purgatorio. De azymo et fermentato, et de potestate Romani Pontificis*, subjuncta disputatione *contra Bohemos de Eucharistia, sub una specie a Laicis et Sacerdotibus cum non sacrificant.* Fuit et *Ludovicus* DONATUS, Ordinis Minorum et Cardinalis, capite minutus ab Urbano VI. An. 1385. sed nulla ejus scripta invenio. Vide Nicolaum Comnenum de Gymnasio Patavino tom. 2, pag. 24. et 157.

DONATUS *Monoeus* Hibernus Midensis, Provinciae Hiberniae Ordinis Minorum Minister, cujus brevem historiam ejusdem Provinciae habere se MS. testatus est Waddingus pag. 104. Non dubito hunc esse, qui DOROTHEUS *Monoeus* apud Cangium appellatur.

DONATUS *Patavinus*, de quo Franciscus Petrarcha, qui An. 1374. obiit: *Fuit nuper Poëtarum omnium, quos nostra vel Patrum nostrorum vidit aetas, facillime Princeps, nisi Civilis Juris studium amplexus, et novem Musis duodecim tabulas immiscuisset.*

Tiberius Claudius DONATUS, Grammaticus, Ælio Donato Junior, in usus filii sui *Tiberii Claudii Maximi* DONATIANI scripsit jam senex *vitam Virgilii* non indignam lectu, et in illum Poëtam *commentarios*: Eidem Donato quoque Codices nonnulli tribuunt *abbreviationem fabularum* Metamorphoseos *Ovidii*. Vide, si placet, quae de eo notavi in Bibliotheca Latina lib. 1. c. 15. et 12. ubi etiam index scriptorum ab hoc Donato ad Virgilium laudatorum, et de libro ejus; quem tantopere exstare peroptabat Barthius ad Statii XI. 543. Thebaide. tom. 3, pag. 1386. *quo Urbium, fluviorum, Deorum Dearumque Virgilio usurpatorum nomina cum historica exegesi Æneidos comprehendere voluit.*

DONATUS *Vesontionensis*, vide supra in *Donato Afri* discipulo.

Joannes DONCKELS, Prior Canonicorum Regularium S. Augustini apud Tungrenses, defunctus An. 1453. Ejus Tractatum *de gratitudine, sub moralizatione Nicodemi et Josephi ab Arimathia* MS. memorat Oudinus tom. 3. pag. 2376. ex Valerii Andreae Bibliotheca Belgica pag. 493.

Jacobus de DONDIS, Medicus Patavinus, defunctus An. 1350. auctor *Promtuarii Medici*, sive operis *de aggregatione Medicamentorum ad omnes aegritudines*, (unde illi nomen AGGREGATORIS Patavini. a) Venetiis 1481. et 1576. fol. Etiam *de modo conficiendi salis ex aquis calidis Aponensibus*, et *de fluxu ac refluxu maris*, Venetiis 1572. Vide Jacobum Philippum Tomasinum tom. 2. Gymnasii Patavini pag. 156.

Johannes de DONDIS, Jacobi filius, *Gabrielis* Medici praestantissimi (sed cujus scripta nulla) frater: Petrarchae saepius laudatus. Medicus et ipse ac Philosophus, Patavii obiit An. 1380. octennio ante fratrem. Scripsit *Planetarium* de construenda machina motus coelestes Planetarum imitante. Librum *de balneis Patavinis*, alterum *de causis caliditatis aquarum Aponensium*, et tertium *de earundem natura*. Vide Tomasinum pag. 158. et Joannis Jacobi Mangeti Bibliothecam Medicam tom. 2, pag. 195. Jacobi et Johannis de' Dondis scripta de fontibus calidis agri Patavini exstant in Ve-

a) In Catalogo MStorum Bibliothecae Paulinae Lipsiensis pag. 260 memoratur AGGREGATOR *Brixiensis*, seu opus de aegritudinibus a capite usque ad pedes.

neto opere de balneis, 1554. in fol. pag. 90. seq.

* Scripsit praeter haec a nemine quod sciam indicatum hucusque opusculum hoc titulo: *Modus vivendi tempore pestilentiali compositus per R. Magistrum Joannem de Dondis de Orologio illustris D. Ducis Mediolanensis venerabilem Medicum ad instantiam et requisitionem episcopi Papiensis* Habetur in MS. Codice Riccardiano Vide Lami Catalogum Bibl. Riccard. pag. 167.

DONNIZO, supra, DOMNIZO.

DONUS I. Episcopus Romanus ab Anno 677. Octobris 4. ad 679. Decembris 26. a Papebrochio creditur auctor esse *Epitaphii* scripti in *Honorium Papam* defunctum An. 638. quod exstat in Gruteri Inscriptionibus p. MCLXV. num. 11. igitur in versu ultimo: *Quod Patris eximii sim* Bonus *ipse memor*, non legere jubet *Bonus*, sed *Donus*. Vide Propylaeum ad Acta Sanctorum Maji pag. 97. Leyseri historiam Poëtarum medii aevi pag. 187. 195.

Nicolaus DORBELLUS, infra, de ORBELLIS.

DORCATIUS non notus mihi nisi ex Isidoro Hispalensi, qui de notatione nominis pilae disserens libro XIX. Originum cap. ult. hos ejus versiculos adducit:

Neu tu parce pilos vivaces condere cervi,
Uncia donec erit geminam superaddita libram,

Matthias DORING, supra pag. 459. seq. DOERING.

Petrus DORLANDUS Diestensis, Carthusianus, Prior in Zelemensi S. Johannis Carthusia, apud Diestemium Brabantiae oppidum in dioecesi Neodicensi defunctus An. 1507. Scripsit *Chronicon Carthusianum*, sive *Coronae de Viris Carthusiani Ordinis illustribus libros VII.* ad Johannem Delphum, Carthusiae Lovaniensis Priorem. Hos subjunctis notis, sive elucidationibus edidit Theodorus Petraeus, Campensis alumnus. Coloniae 1608. 8. *Violam animae*, dialogis VII. quorum sex priores abbreviati ex Theologia naturali RAYMUNDI *Sebunde*, septimus *de mysteriis Passionis CHristi* a Dorlando additus. Toleti 1506. 4 a) et deinde Antwerpiae 1533. 1543. Lugd. 1568. et omisso septimo dialogo Colon. 1700. 12. *De Vita S. Annae* libros quinque, Antw. 1617. fol. Dialogum *de vitio proprietatis Monachorum*, Lovanii 1513. 4. *Explicationem mysticam habitus Carthusiensis*, ibid. 1514. 8. Tractatum *de tribus Carthusianorum votis.* Dialogos *de duabus Viis*: *De perseverantia Novitiorum*: *De stabilitate Monachorum*: *De remedio amoris* dialogum practicum et theoricum. *De opere amoris et passione CHristi. De vera amicitia. De extremis hominum calamitatibus. De dominatu Vitiorum. De dominatu Virtutum. De vera hominis Sapientia. De vera beatitudine. De laude et claritate verae Justitiae. De vera patientia, ex Chrysostomo* ad Stagirium Monachum. Dialogos *inter Sapientem et Insulsum.* Inter Diestemium et Servatium *de cognitione sui.* Inter CHristum et Franciscum, *super Charitate, procuratrice Salutis nostrae. De unione, de institutione optimi Pastoris, Collationes de Militia spirituali*, et *Sermones III.* de eodem argumento. *De Sacerdotum dignitate. Speculum humanae Vitae. Psalterium Virginis Deiparae. Duas Coronas Rosaceas B. Mariae*, carmine heroico. *Diadema S. Annae*, versu elegiaco. *De septem B. Mariae gladiis. De fraternitate compassionis ejusdem. De S. Ursula* et sodalibus ejus. *De S. Caecilia*, cur Phoenici comparetur, De sanctis, *Romano* milite et Martyre: De inventione et passione *S. Laurentii* Martyris. *Sermones de S. Laurentio. De S. Vincentio Ferrariensi*, Ordinis Praedicatorum. De variis *S. Antonii* Abbatis tentationibus. De vita et conversatione *B. Catharinae* Virginis et Martyris, et de passione ejusdem ex Baptista Mantuano, Carmelita. *De Actibus et laudibus S. Joannis* Apostoli et Evangelistae. *Quomodo sancta Religio sit instituta, corrupta et reformata.* Librum *Epistolarum. Sermones* ex sermonibus *Leonis* Papae *de passione DOMINI. Sermones de tempore et sanctis. Orationes ad SS. Trinitatem. Disputationem Jesu duodecennis cum Doctoribus in templo. De pane salutifero Vitae. De*

a) In Dialogorum prima hac editione Dorlandi nomen non invenio: sed tribuuntur ei a Valerio Andrea pag. 756 et a Sweertio pag 615.

laudibus Spiritus Sancti. De laude meditationis.

Bernardus DORNA, Provincialis, discipulus Azonis, JCtus circa Annum 1250. qui denique post editum scriptum *de libellorum* in Judiciis offerendorum *conceptione* nomen professus est suum inter Monachos Ordinis Minorum. Vide Pancirollum II. 36.

Thomas DORNIBERG, Memmingensis Svevus, Decretorum artiumque liberalium Doctor et Consulatus Spirensis Advocatus, composuit indicem in libros septem *Compendii Theologicae veritatis*, a) quos cum illo praefixo habeo editos sine Auctoris nomine et sine loci nota An. 1473. fol. Atque inde est quod Compendium ipsum, inter praecipuos illa aetate libros Theologicos merito aestimandum, Dornibergio alii tribuerunt, praeter rem sine dubio, cum longe antiquiorem auctorem habeat, sive *Albertum Magnum*, in cujus operibus legitur tom. XIII. vel *Bonaventuram*, nam et inter eius Opera in appendice tomi octavi occurrit: vel *Ægidium de Columna*, Romanum, vel potius HUGONEM b) Argentinensem, Ordinis Praedicatorum, circa Annum 1270. de quo infra, suo loco. Praeterea Dornibergius hic in lucem dedit *Areolam, ex suavissimis saluliferisque floribus gloriosi Confessoris B. Hieronymi*, Romae 1472. fol. Vixit adhuc An. 1479. quo tempore Moguntiae praesens interfuit inquisitioni, quo id actum omnibus viribus, ut ad palinodiam c) adigeretur Johannes Wesselus, Groningensis.

Matthias DORNICK, supra pag. 459, seq.

DOERING

DOROTHEUS Monacus, supra, DONATUS *Monacus.*

Martinus DORPIUS, vir candidus et eruditus, Theologus Lovaniensis, quem An. 1525 in flore aetatis defunctum pulchro ornavit epitaphio a) Erasmus, contra quem An. 1515 binas Epistolas impulsore Noxo, sive Joanne Atensi, Theologo Lovaniensi, b) scripserat Dorpius et encomium moriae ipsi verterat vitio, c) atque ut laudem sive apologiam Sapientiae reponeret, erat hortatus. Reprehendit etiam, quod Novum Testamentum d) Erasmus Graece edendum novaque versione donandum in se suscepisset: sed postea edoctus meliora, et a Thoma Moro e) et ab ipso Erasmo f) persuasus, omnia alia sentire se testatus est in Oratione An. 1517 habita ante praelectiones Epistolarum divi Pauli, et Basileae 1520 in 4. edita, in qua pag. 39. *Atqui, inquiet aliquis mihi, tu non meministi, quid olim in Epistola quadam eruditissimo Domino Erasmo Roterodamo scripseris, quam sedulo nisus fueris alteram sententiam defensare? Memini probe, sed ne longos logos legas, neve me vertam huc aut illuc, paucis recanto suffragiam, tum sic sentiebam, nunc nihil minus. Nam qui potui aliter quam didiceram? verum simulatque veteres Theologos accuratius denuo percurri, et ea item legi, quae doctissimi quique hujus tempestatis scripserunt, praecipue longe eruditissimus vir Thomas Morus, perpetuum suae Britanniae decus, in Epistola quadam ad me sua, continuo mutavi sententiam, neque dubitem, quin mutatu-*

a) Ab hoc diversum plane est *Compendium Theologiae* libris duobus ad fratrem Reginaldum, quod exstat inter THOMAE Aquinatis opuscula tom. XVII Operum. Confer Jacobum Quetif tom 1 de Scriptoribus Dominicanis pag. 332 et 470. seq. Aliud Compendium Theologicum divisum in capita XCVIII. de quo B. Nicolaus Staphorstius noster tom. III Historiae Ecclesiasticae Hamburgensis pag. 237. Aliud Capitibus constans CLXXVI. id. pag. 365 Aliud ex dictis Veterum Patrum, partibus absolutum quinque id. pag. 420. Aliud denique libris quatuor digestum, de quo idem pag. 371. seq.

b) *Ulricum* Argentinensem alii per errorem nuncupant.

c) Vide G. Christiani Johannis Volumen I. rerum Moguntinarum pag. 106. seq.

a) Exstat apud Sweertium pag. 528. Athen. Belg. et in elogiis Belgicis Miraei pag. 39.

b) Hermann. ab Hardt historia litteraria Reformationis pag. 75.

c) Johannes Clericus in Erasmi vita tom. V Bibliothecae selectae p. 210. Hermannus ab Hardt p. 20. seq.

d) Vide Richardum Simonem tom. 2 Historiae Criticae Novi Testamenti pag. 80. seq. et tom. 1 Bibliothecae selectae p. 88. seq.

e) Thomas Morus Epistola gravi et digna lectu elegantique ad Dorpium data Brugis A. 1515 pag. 284. seq. Operum.

f) Recusa legitur Antwerpiae 1531. 4. atque in laudati Hermanni ab Hardt historia litteraria Reformationis pag. 76. 87.

rus sit quisquis non omnino bonarum litterarum rudis proprie hanc rem vestigarit, de qua libellum *composui*, *quem Lovanii in schola publica Theologiae studiosis praelegi: et eram insuper in* disputationibus, *quas vocant* Quodlibeticas, *ad eadem responsurus, id quod complures eruditi probe norunt, ac testari queant, ni veritus fuissem ne quorundam aures novitas offenderet, a me praesertim profecta, homine (ut ipsis visus sum) novo.* Scripsit praeterea Dorpius, prooemium et finem *Aulalariae Plautinae* et prologum in Pyrgopolinicem, sive *Militem* Plauti *gloriosum*: Orationem de *laudibus Aristotelis* adversus Laurentium Vallam, habitam An. 1510 ed. tamque Lovanii 1514, 4. Aliam *de laudibus omnium disciplinarum et amoenissimi Lovanii Academiaeque Lovaniensis.* ibidem. *De assumtione Virginis Deiparae: Dialogum Veneris et Cupidinis,* Herculem animi ancipitem in suam militiam, invita Virtute propellentium. *Epistolam de Hollandorum moribus*, aliasque Epistolas. Vide Valerium Andream pag. 648, seq. Bibliothecae Belgicae. Recognovit etiam Orationem Isocratis ad Nicoclem, translatam a Rudolpho Agricola, et cum Catonis distichis edidit, recusam Lipsiae 1517, 4. Argent. 1520, 8.

Georgius DOTTANUS, Ostro-Francus, Professor Theologiae in Academia Lipsiensi, superstes adhuc An. 1514. cujus haec scripta referuntur in Centuria Maderiana cap. XLIX. Carmen *de quatuor Evangelistis.* Sermo versibus concinnatus *de S. Pauli laudibus.* Poëma ad Juventutem *de cursu et brevitate temporis.* Aliud *contra osores poëtarum. Epitaphia et Epigrammata. Epistolae.* Opusculum *de coloribus Rhetoricis.*

Gavinus DOUGLAS, sive *Galvinus Douglassius,* Scotus, Episcopus Doucheldensis, sive Dunkeldensis in Scotia, defunctus Londini An. 1521 scripsit *Commentarium de rebus Scoticis* misitque ad Polydorum Virgilium, qui laudat libro tertio Historiae Anglicanae pag. 71 editionis Thysianae, sed num Latine an Scotice scripserit, non testatum reliquit: inter Latinos tamen Historicos locum ei dedit Vossius pag 686. Caetera autem, quae Baleus XIV, 58 memorat, Scotico metro exarata sunt, ut metaphrasis Æneidos Virgilianae, Palatium honoris ad Jacobum IV. Scotorum Regem, et Comoediae aliquot, ut aureas narrationes, Scotice scriptas praeteream.

DRACONTIUS Presbyter Hispanus clarus saeculo quinto, tempore Theodosii junioris, quem An. Christi 450 constat rebus humanis valedixisse. Scripsit heroicum carmen *de fabrica Mundi,* sive *Hexaemeron*, eique subjunctum *carmen elegiacum* versuum 198 *ad Theodosium juniorem Augustum:* in eo satisfactio continetur, qua ab Omnipotente DEO veniam petit ne praecedenti carmine aliquid incautus errasset: dein Theodosio precem defert, cur de triumphis illius eodem opere tacuisset. *Hexaemeron* prodiit primum Parisiis 1560, 8. cum Genesi Claudii Marii Victoris, et in poetis Christianis Georgii Fabricii pag. 351. Basileae 1562, 4. et in Bibliothecis Patrum, ut Parisiensis 1624 tom. VIII. pag. 837 et cum *Joannis Weitzii* notis atque erudito indice glossario, Francof. 1610, 8. praemissa Goldasti de Dracontio Epistola. Alteram ἔκδοσιν Hexaëmeri Dracontiani interpolatam ab EUGENIO Toletano edere instituit *Michaël Ruiz de Azagra,* Hispanus, teste ipso ad Corippum pag. 62 et Barthio p. 2615. Adversar. licet nec Barthio visam, nec Nicolao Antonio tom. 1. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 192. Primus edidit in Gallia *Sirmondus* cum Eugenii opusculis, Parisiis 1619, 8. et tom. 2. Operum Sirmondi pag. 890 praemissa Eugenii Epistola ad Chindasvintum Regem, qua illius jussu testatur operam hanc in se suscepisse, et subjecta p. 903. Dracontii elegia ad Theodosium. et pag. 906 succedunt Eugenii monosticha de sex diebus et de die septimo supplementum, versibus hexametris, Dracontio subjiciendum. In Sirmondi editione hexaëmeron absolvitur versibus 634 in prioribus exstant 575. Sirmondianam editionem secuti sunt *Andreas Rivinus*, qui notas etiam addidit Lipsiae 1651, 8. et Bibliothecae Patrum editores Lugdunens. Tom. XII. pag. 724. Plura Dracontii loca illustravit *Barthius* in Adversariis. Vide

Leyseri historiam Poëtarum medii aevi pag. 60, seq. Alius Dracontius, ad quem exstat S. Athanasii Epistola, tom. 1. pag. 63 edit. Montfaucon. turbulentis se temporibus Episcopatui se subtrahentem. Alius itidem, qui vir ἔνδοξος et θαυμαστὸς Palladio in Lausiaca pag. 24. Alius denique Dracontius Pergami Episcopus depositus, de quo Socrates II, 42. Sozomenus IV, 24, etc.

Latinus Pacatus DREPANIUS, Sidonio laudatus Ausonioque, scriptor Panegyrici in Theodosium Magnum, de quo in Bibliotheca Latina II, 22.

DREPANIUS *Florus*, non diversus, ut videtur, a Magistro FLORO, Diacono Lugdunensi, de cujus scriptis Caveus ad Annum 837. Ejus observatis pauca haec habeo, quae addam:

1. Praeter *Commentarium in Pauli Epistolas* ex *Augustino*, et sub BEDÆ vulgatum nomine, scripsit et alium similem Florus in easdem Pauli Epistolas ex *Cypriano*, *Hilario*, et aliis Patribus, MStum in Carthusiae majoris Bibliotheca, de quo Baluzius in Epistola ad Tourneminium a) et quae supra tom. 1. pag. 171, seq.

2. Opusculum *de Actione Missarum* collectum ex verbis SS. Patrum *Cypriani*, *Ambrosii*, *Augustini*, *Hieronymi*, *Gregorii*, *Fulgentii*, *Severiani*, *Vigilii*, *Isidori*, *Bedae*, *Aviti et ex antiquis mysteriorum libris* ex Petri Francisci Chiffletii editione recusum in Bibliotheca Patrum Lugdunens. tom. XV. p. 62 sed nuper ex Codice Reginae Sveciae Christianae longe integrius et emendatius vulgatum est pag. 579 tomi noni monumemtorum Edmundi Martene et Ursini Durandi, Parisiis 1733, folio.

3. Praeter *Poëmatia novem*, in Georgii Fabricii Poëtis Christianis et in Bibliothecis Patrum saepius edita, et separatim in lucem data ab Andrea Rivino, b) Lipsiae 1653, 8. cum notis, et alia *poëmatia sex*, quae vulgavit Mabillonius tom. 1. Analect. pag. 388, seq. (editionis novae pag. 412.) de quibus singulis diligenter Polycarpus Leyserus in historia Poëtarum medii aevi pag. 244, seq. alia adhuc nuper ex MSto Bigotiano legenda dederunt laudati viri Martene et Durandus tom. 5 anecdotorum, quae sunt carmine hexametro: *In Evangelium Matthei* pag. *Gesta CHristi Domini* pag. 601. *In Evangelium Johannis* pag. 603. *Oratio ad CHristum, cum commemoratione antiquorum* c) *miraculorum CHRISTI, DEI nostri* p. 608. *Epigramma libri homiliarum totius anni ex diversorum Patrum tractatibus ordinati* pag. 612. *Epistola* tertia d) *ad Modoinum*, Augustodunensem Episcopum, pag. 616 quae incipit:

Salve, Sancte parens, CHristi Venerande Sacerdos
Augusti montis a) Pastor in arce potens.

Titulus in abside memoriae S. Justi pag. 618.

4. Opusculum *adversus Amalarium*, Lugdunensem Chorepiscopum, *de Corpore CHristi tripartito*, in tom. nono monumentorum Martenii et Durandi pag. 641. De illo Amalarii errore dixi supra tom. 1. pag. pag. 75. Florus hoc opusculum per modum Epistolae scripsit: *Dominis beatissimis, reverentissimis, et piissimis Pastoribus Gregis CHristi, Rectoribus Ecclesiae DEI, Praedicatoribus ac Propugnatoribus Catholicae Fidei*, Drogoni *sacri Consilii magistro et Pontifici clarissimo*, Heti *Trevirorum Antisti*, Aldrico *reverentissimo Cenomanorum Episcopo*, Rabban *Abbati venerabili et ex provincia Lugdunensi prima* Alberico *Lingonum* et Forae *Gabilonensi reverentissimis Episcopis*, *Ecclesiae Catholicae indignus filius et pietatis ac paternitatis vestrae exiguus servulus* Florus. Subjicitur deinde pag. 649. *Opusculum de eadem causa in Concilio Episcoporum apud Carisiacum palatium acta*, et pag. 666.

a) Journal des Scavans A. 1716. pag. 254. seq.
b) Subjunctis nonnullis carminibus Theodulfi et Jonae Aurelianensium Episcoporum, Modoini Episcopi Augustodunensis, et Laidradi atque Agobardi Lugdunensium.

c) In Veteris Testamenti libris descriptorum.
d) Prima apud Georgium Fabricium et alios incipit: *Solve Pater profluas hilari de pectore grates*. Secunda apud Mabillonium: *Egregio, Modoine, viro tibi mitto salutem*. De hoc Modoino Sammarthani tom. 2 Galliae Christianae pag. 36.
e) *Dunum* Celtae montem vel clivum, ut Graeci βουνὸν et θῖνα appellant. Vide Cangium.

Epistola Flori *ad Theodonis Villae Concilium adversus libros Amalarii.*

5. *Contra Johannis Scoti erroneas definitiones*, qui scripsit nomine Ecclesiae Lugdunensis, in Gilberti Mangvini vindiciis Gratiae et Praedestinationis ex saeculi noni scriptoribus tom. 1. pag. 585-738. Parisiis 1650, 4. et tom. XV. Bibliothecae Patrum edit. Lugdunens. pag. 611 videndum fueritne alius a nostro FLORUS PRUDENTIUS GALINDO, *Episcopus Tricassinus*, cujus et aliae exstant adversus eundem Scotnm lucubrationes ab eodem Manguino editae. Vide etiam, quae contra sententiam Floro nostro scriptum illud tribuentem disseruit Menetricrius in memoriis litterariis Trevoltinis An. 1705 pag. 344, seqq.

6. Alterius etiam vetustioris FLORI, Monachi S. Trudonis, Ordinis Benedict. dioecesis Leodicensis, circa Annum 760 clari sunt *Additamenta ad Martyrologium Bedae* cum iilo vulgata ab Henschenio in Actis Sanctorum ante tomum secundum Martii, et novissime cum Bedae historia Ecclesiastica gentis Anglorum ex recensione Joannis Smith, Cantabrigiae [1722, fol. Adde Carolum Cointe tom. 4. Annalium Francorum pag. 470, seq.

* Adiecit etiam elegiacos quosdam versus in calce cuiusdam veteris commentarii in Psalmos qui in codice mille annorum MS. in Biblioth. Mediolanensi Ambrosiana servatur. Carmen hoc edens Muratorius Antiq. tom. III. pag. 856 in ea est opinione, eius auctorem ipsum esse Lugdunensem Diaconum saeculi sui lumen, aeque tamen dubitat commentariorum illorum authorem a S. Hieronymo, cuius nomen ibidem praefert longe esse diversum. Porro in eo carmine ad Eloardum Abbatem directo Florus recensuisse se commentarium illum narrat. Eamdem commentationem ex Elonensi Codice sibi notam eidem Floro Usserius in histor. Gothesch. et Caveus adscribunt, sed ex carmine a Muratorio relato nullum aliud ab eo munus praestitum discimus quam correctoris. Caeterum et ipse Florus Hieronymo vindicare opus illud visus est.

DROGO Monachus Bergensis in Flandria Benedictinus, scripsit *Vitam S. Winoci et de ejus miraculis*, quo in libro Drogonis Episcopi tanquam diversi a se meminit, edidit Mabillonius Saec 3. Benedictin. pag. 310. *Historiam translationis S. Lewinae* Anglae in Monasterium Bergense iibris II, ad Abbatem Rumoldum An. 1058 quam post Mabillonium dedere Antwerpienses in Actis Sanctorum 24. Julii, tom. V. pag. 613. *Vitam S. Osswaldi* Northumbriae, in Anglia Regis, et de eodem *Sermones duos* MStos. De Oswaldo illo Surius ad V. Augusti ex Bedae libro 3 historiae Ecclesiasticae Anglorum.

DROGO Sacerdos *Ghistellensis* in Flandria, atque inde *Morinorum* Episcopus Boloniensis Teruanae sive TERVANAE a) ab An. 1031 ad 1078 scripsit *Vitam S. Godelevae, Virginis et* An. 1070. *Martyris* ad Ratboldum, Episcopum Noviomensem et Tornacensem. Hanc sinceriorem, quàm Surius ad 6 Jul. dedit Johannes Baptista Solierius in Actis Sanctorum tom. 2. Julii pag. 402 cum notis, subjuncta etiam pag. 409. Suriana editione.

DROGO ex Monacho Benedictino Monasterii Nicasiani apud Remenses Priore et Abbate Laudunensi Episcopus *Ostiensis* et Cardinalis ab An. 1130 ad 1138 scripsit *de Sacramento Dominicae Passionis* librum, sive sermonem obvium in Orthodoxographis utrisque, et in Bibliothecis Patrum. in novissima autem Lugdunensi tom. XXI, huic subjungitur pag. 341 liber *de creatione et redentione primi hominis* editus primum An. 1622 e MSto Codice Bibliothecae Elnensis: nec non pag. 344 *de septiformi grata Spiritus Sancti ac de Beatitudinibus*, et pag. 345 *de Divinis Officiis, seu horis Canonicis.*

DRUSIANUS (101 seu potius TURRISIANUS) (Trithemio can. 543. *Crusianus*, aliis *Crucianus*, Merklino *Turrianus de Turrianis*, Julio Nigro *Trusianus Rusticellus Valorius*) Thaddei Florentini Medici celebris (qui An. 1286. Honorium quartum curavit) discipulus, Florentinus et ipse, atque inter Medicos *plusquam*

a) Vide Sammarthanos tom. 2. Galliae Christianae pag. 450.

Commentator appellatus, quoniam fertur ejus *plusquam commentum in Artem Galeni*: post editionem Venetam An. 1504 saepius deinde editum, recognitum etiam et locupletatum a Julio Martiano Rota. Vide Merklini Bibliothecam Medicam pag. 1031. Mangeti tom. 2. pag. 205 et Julii Nigri historiam scriptorum Florentinorum pag. 516, seq. qui praeter libellum ejus *de hypostasi*, etiam *in Avicennam praefationes* memorat, et *Canones balneandi LXXXI*, ex illius plusquam commento decerptos notat recusos occurrere in opere Veneto de balneis.

Christianus DRUTHMARUS, de quo supra in CHRISTIANO tom. 1, pag. 345. seq.

S. DUBRICIUS *Gvainus*, Archiepiscopus Urbis Legionum ad Iscam fluvium in Britannia (*Caerleon*) Concilio adversus Pelagianos circa Annum 512. habito interfuit, diemque obiit An. 522. Vide Speelmannum tom. 1. Concil. Britannicor. pag. 60. seq. Lelandum cap. 31. Baleum Centur. 1. cap. 51. et Pitseum pag. 94. Vide sis etiam supra in DANIELE Arvonio pag. 429. et DAVIDE Britanno pag. 432.

DUDO *Neustrius*, Decanus S. Quintini, scripsit ad Adalberonem Episcopum Laudunensem, *de moribus et actis primorum Normanniae Ducum* libros tres, ab Hastingo Rege Daniae et Rollone primo Normanniae Duce, qui Anno Christi 912. baptismo suscepto nomen Christo dedit, usque ad Annum 996. sive obitum Richardi I. a cujus fratre, Comite Rudolpho narrata sibi collegisse eaque *scholastico dictamine scripta* relinquere posteris Dudo testatur. Ejus libros edidit Andreas du Chesne in scriptoribus Normannicis pag. 49. Parisiis 1619. in folio. Plurimumque ei tribuunt GVILELMUS Gemeticensis, qui tribus prioribus libris de Normannorum gestis ejus sequi se vestigia non diffitetur, nec non ORDERICUS VITALIS in Historia Ecclesiastica, qui ambo in eodem laudati Duchesnii volumine leguntur. Videndus etiam Claudius Hemeraeus in antiquitatibus Urbis S. Quintini pag. 107. 111. Quod vero Vossius p. 356. judicat Dodonem poëtica magis quam historica fide scripsisse, adeo multas inseruisse fabulas, id magis etiam probare visus est Guido Alexius Lobineau, qui in minoris Britanniae historia Gallice edita Parisiis 1707. fol. non dubitat auctoritati Dudonis multum derogare: Operae pretium tamen est videre, quae pro asserenda ejus fide contra Lobineavium disputata sunt a Renato Auberio de Vertot in dissertatione historica a) Gallice edita Parisiis 1710. 12. *de la mouvance Bretagne*, et a Claudio Molineto in libro, cui titulus: *Dissertation sur la mouvance de Bretagne.* à Paris 1711. 12.

b) Jacques le Loug Bibliotheque historique de la France pag. 592. num. 1178. seqq. Memoires de Trevoux An. 1712. pag. 659. et An. 1715. pag. 1388.

DULCIDIUS, Presbyter Toletanus, et Alphonsi Regis ad Abub Alithum, Saracenorum Ducem, An. 883. legatus, inde Episcopus Salmaticensis, a Josepho Pellizerio perhibetur auctor *Chronici*, quod illustrandum sibi sumsit et cum notis edidit Barcinone 1663. 4. Ab Ambrosio Morali allegatur hoc jam sub titulo *Annalium Complutensium*, jam *Codicis Abeldensis* nomine: Video etiam Gregorio Argaizio et Nicolao Antonio venire nomine *Chronici Æmilianensis*, eo quod servatum sit in tabulario Æmilianensis monasterii. Titulum in Pellizerii editione hunc prae se fert: *Incipit liber Chronica, seu Fabularium.* Initium: *Ab Adam usque ad Diluvium Anni MMCCXLII.* etc. Et post summarium omnium Mundi generationum usque ad Alphonsi Regis, Ordonii filii, Annum XVIII. Incarnationis Dominicae 883 et sex aetatum Mundi recensionem, Orbisque totius brevissimam descriptionem, dividitur totum opus in *quatuor*, uti vocat, *ordines*, scilicet *Romanorum*, *Gothorum*, *Asturianorum et Saracenorum.* Caeterum non adeo exploratum esse, quod auctor hujus Chronici sit Dulcidius, demonstrat laudatus Nicolaus Antonius VI. 10. Bibliothecae Hispanae veteris pag. 365. Erudite etiam brevem notitiam Episcoporum Hispaniae illustrat in illo Chronico obviam post aeram 915. sive Annum Christi 877.

DUNGALUS reclusus, sive Monachus solitariam Vitam ducens, scripsit *Epistolam ad Carolum Magnum de duplici eclipsi So-*

lari, quae dicebatur contigisse priore An. 810. Edidit Lucas Dacherius tom. X. spicilegii pag. 143. (editionis novae tom. 3, pag. 324. ubi etiam Ismaelis Bullialdi censura, repetita ex praefatione tomi decimi editionis prioris.) Idem an alius Diaconus Parisiensis circa Annum 828. *librum* composuit *responsionum adversus CLAUDII Taurinensis* (de quo supra tom. 1, pag. 360) *sententias cultum imaginum dissvadentes*, ad Ludovicum Imperatorem et Lotharium filius ejus Augustum. Adde Carolum le Cointe tom. VIII. Annalium Francorum pag. 34. seq. Primus edidit Papyrius Massonus, Parisiis 1608. 8. unde insertus Bibliothecis Patrum Parisiis 1624. tom. IV. 2. Colon. tom. IX. et Lugd. tom. XIV. pag. 196.

Joannes DUNS, infra, SCOTUS.

S. DUNSTANUS, Episcopus Wigorniensis ab Anno 958. et Archiepiscopus ab An. 960. ad 988. Cantuariensis, septem Regum Angliae temporibus. Vide Warthoni Angliam sacram tom. 1, pag. 102. Dunstani vitam tradidere *Osburnus*, sive *Osbernus*, Monachus et Praecentor Cantuariensis, libris duobus, quam habes in Actis Sanctorum 19 Maj. tom. IV, pag. 359. cum altera Anonymi Presbyteri coaevi pag. 346. et in Warthoni tom. 2. Angliae Sacrae: et libris duobus *Guilelmus Meildunensis*; sive a *Meildulphi curia*, ex quo nonnulla Lelandus cap. 123. Vide et infra in *Eadmero*. Scripta Dunstano multa tribuuntur a Baleo II. 38. et Pitseo pag. 179. *Benedictionarium Archiepiscopale*, sive *formulae Benedictionum Archiepiscopalium* ad Alphiraldum, *Regulam vitae monasticae*, et *in regulam S. Benedicti. Ordinationes Cleri. De occulta Philosophia. Leges decimarum. Contra malos Sacerdotes ad Papam. Solutiones dubiorum de Eucharistia. Epistolae ad Edvvinum*, et *ad diversos Epistolae.*

Robertus, a) sive *Radulphus* de DUNSTABLE, sive de DUNSTAPLIA, Monachus S. Albani, obiit An. 1151 scripsitque versibus heroicis, ut est apud Lelandum cap. 314. Baleum II, 84 et Pitseum pag. 213. *SS. Albani et Amphibali sociorumque Vitam et Passionem.* Elegiacis versibus fertur MS. in Bibliotheca Cottoniana p. 8 et 45. Ejusd. versum *de creatione hominis*, *de paradiso aliisque sacris argumentis*, mentio pag. 8. Sed *Historia Alexandri Magni* libris V. MSta in Bibliotheca Bodlejana n. 3832 idiomate Scotico composita est.

a) Oudinus tom. 2, pag. 1416.

DUNSTAPLENSE *Chronicon*, sive Annales Prioratus de *Dunstaple* in Anglia, una cum excerptis e Chartulario ejusdem 1734 2. Vol. in 8. a Viro clarissimo Thoma Hearne.

DUODENA nobilis foemina Aquisgrani circa Annum 842. ex cujus *Manuali* ad filium Wilhelmum nonnulla refert Baluzius appendice ad Marcam Hispanicam pag. 777.

DURANDUS *de Aureliaco*, sive DURANDELLUS, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1330 oppugnavit Durandum, qui Thomae se Adversarium professus fuerat. Vide infra, DURANDUS *de S. Portiano*, et Oudinum tom. III, pag. 796, seq.

DURANDUS *Campanus*, Gallus, a Confessionibus Reginae Franciae et Navarrae circa Annum 1340 a Waddingo p. 104. Monachis Ordinis Minorum accensetur, traditurque scripsisse *Summam Confessariorum*, sive *Directorium*, in quatuor partes distinctum: quod in Bibliotheca Colbertina MS. servari notavit Oudinus tom. 3. pag. 956 nec non *in quartum Sententiarum* MS. Bononiae, non, ut idem Oudinus, *in quatuor libros*.

DURANDUS Cancellarius Imperatoris Henrici II, et Leodiensis Episcopus ab An. 1021 ad 1025 quem Albericus in Chronico *in utraque litterarum scientia* (sacra et civili) *longe satis expeditum praedicat.* Sed quam a Sammarthanis a) traditur scripsisse *Epistolam* ad Henricum I. Francorum Regem, *contra Brunonem*. Episcopum Andegavensem et *Berengarium* Turonensem, illa DEODUINI est, de quo dictum suo loco: Opus vero eximium de Sacramento Altaris, rectius tribuitur DURANDO, de quo mox infra, *Troarnensi*.

a) Tom. 2. Galliae Christianae peg. 640. b. Epistolam illam Durando Leodiensi praeter rem tribui notavit Phil. Labbeus tom. 1. de S. E. pag. 269. et Pagius ad Annum 1055. n. 5.

Guilelmus DURANDUS *de Sancto Porciano*, a) Ordinis Praedicatorum Claromontensis dioecesis, Licentiatus Parisiis An. 1312 atque inde Lector Curiae sacri Palatii, et Episcopus Aniciensis ac Meldensis, inter Scholasticos audit *Doctor resolutissimus*, defunctus An. 1333. Scripsit *Commentaria in IV. libros Sententiarum*, Parisiis 1508 1515. fol. ac deinde saepius. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 586 et 587 ubi etiam de *Durandello*, b) qui Thomam adversus Durandi objectiones defendit.

Librum *de origine Jurisdictionum*, sive *de Jurisdictione Ecclesiastica et de Legibus*. Paris. 1506. 4.

Statuta Synodi Dioecesanae Aniciensis An. 1320 in Odonis Gissey, Soc. Jes. libro: Discours historique de la devotion a N. D. du Puy en Velay. Lugduni 1620, 8.

Omitto inedita, ut *de statu animarum sanctarum postquam resolutae sunt a corpore*, c) aliaque apud Quetifum l. c.

Guilelmus DURANDUS, sive DURANTES, Ordinis Praedicatorum, ex nobili genere in Gallia Narbonensi, Auditor Henrici Hostiensis, Juris Civilis et Canonici peritia nomen *Patris Practicae* promeruit, et propter Speculum Juris, quod composuit, notus est nomine *Speculatoris*. Postremo *Mimatensis* in Gallia Aquitanica Episcopus ab An. 1286 ad 1296. Vide Sammarthanos Galliae Christianae tom. 3. pag. 730. Simonem Majolum in hujus Durandi vita, praemissa ejus Commentario in Concilium Lugdunense, Bulaeum tom. 3 historiae Academiae Parisiensis pag. 473, seq. Guidum Pancirollum in vitis Jurisconsultorum III, 14. Jacobum Echardum de scriptoribus Ordinis Praedicatorum pag. 408, seq. Nicolaum Staphorstium tom. 3. Historiae Ecclesiasticae Hamburgensis pag. 181. Guilelmum Caveum aliosque. Scripta ejus sunt:

Speculum Juris tribus Voluminibus An. 1271 ad Cardinalem Ottobonum de Flisco, postea Adrianum V. Papam: usus Joannis Fasoli et aliorum scriptis. Varia illi addidit *Joannes Andreae*, excerpta ex *Osdradi* Consiliis. Prodiit Bononiae 1474. Lugduni 1516, 1531, 1551. Basileae 1574. Venetiis 1576. Lugduni 1577. Francofurti 1592, 1612, 1668, fol.

Repertorium, sive *Breviarium aureum super Corpus Juris Canonici* libris V. Venetiis 1496, fol. et cum speculo Juris plus vice simplici.

Rationale Divinorum officiorum libris VIII. An. 1286. a) Prodiit primum Moguntiae 1459 b) inde Reutlingae 1473. Norimbergae 1480. c) Venetiis 1485. Argentorati 1484, 1486, 1493. Basileae 1488. Norimbergae 1493. Lugduni 1516. Venet. 1519. Lugduni 1551, 1565, 1568, 1584, 1592. Antwerpiae 1570. Venetiis 1572.

Commentarius in Canones Concilii Lugdunensis An. 1274 prodiit cum vita auctoris a Simone Majolo scripta: Fani 1569, 4.

Breviarium glossarum et textuum Juris Canonici. Parisiis 1519, 8.

Memorantur et ejus *Pontificale*, et *Statuta pro Cleri sui Mimatensis instructione*, Commentaria *in Gratiani Decretum et in Decretales Gregorii IX, et Nicolai III*, de quibus dicat, qui illa viderit.

a) Natus in Aruernorum, Bojis proximo oppido, quod a S. Portiano Abbate dicitur. Labbe tom. 1, de S. E. pag. 269.

b) Antoninus Florentinus Summae Hist. tit. XXIII cap. XI, §. 2. tom. 3, pag. 681. *Durandus Magister super Sententias scripsit, qui prius fuit sectator doctrinae S. Thomae, sed postea satis impugnator, nescio quo spiritu ductus. Sed quidam Ordinis ejusdem*, Durandellus *vocatus, nepos ut dicitur ejus, scripsit libellum contra eum, in quo refellit impugnationes quas ille fecit contra dicta ejus, efficacibus: et incipit tractatus ille*. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuae ponebas scandalum. Haec fecisti et tacui, existimasti inique quod ero tui similis: arguam te et statuam contra faciem tuam.

c) Hoc scriptum intelligit etiam Cornelius Zantfliet in Chronico ad Annum 1334. apud Edmundum Martene tom. V, monumentorum pag. 209. ubi ait Durandum Episcopum, Ordinis Praedicatorum: contra errorem Johannis XXII. fecisse tractatum egregium: propterea fuisse citatum a Papa, sed per Regem Franciae viriliter defensatum. Confer Oudinum tom. III, pag. 792. seq.

a) Vide lib. VIII. cap. 9.

b) Charl Patin Voyages pag- 155. W. E. Tentzelii *Monatliche Unterredungen* An. 1408, pag. 504. Cornel, Beughem. pag. 56. incunab. typograph.

c) Nicolaus Staphorst tom. 3. Hist. Eccles. Hamb. pag. 181.

* De hoc scriptore ambigua sunt plura: confusa sunt multa apud historicos. In ordine Dominicano professio ignota est vetustioribus scriptoribus: addo et ipsi Durando; nam in speculo subdiaconum se et Capellanum Dom. Papae, Canonicum Narbonensem, Decanum Carnotensem et Doctorem prodit, nunquam vero Dominicani ord. fratrem se nuncupat. Ait gessisse se gravissimos Ecclesiae Romanae magistratus Praefecturam in patrimonio Ecclesiae et provinciam Romandiolae Rectoris generalis nomine administrasse. Quare ipse quoque Pancirolus parum inclinat in eam sententiam quae hunc Dominicano ordini accenset. Vicissim tamen Pancirolus in designando tempore, quo floruit Durandus iste, erravit. Scripsit enim an. 1268. Clementem V. Viennensem synodum indixisse, cui Mimatensis iste episcopus interfuerit; obiisse vero addit Nicosiae in Cypro An. 1270. Quot verba, tot menda. Nam Viennense Concilium nonnisi An. 1311 est habitum, quo tempore Clemens V, annum sextum Pontificatus agebat. Quomodo ergo circa an. 1268. Viennensem synodum indicere potuit? Insuper quo tempore Durandus speculum suum scribebat, annus Christi 1271 agebatur ut ipse indicat in rubr. de Instr. edit §. 1. V. *hodie*. Anne post mortem scribebat? Censendus est igitur obiisse Romae an. 1296. ut epitaphium a multis recitatum docet legendum in Gallia Christiana, loco hic a Fabricio indicato.

Scriptum ab hoc Durando. *Repertorium* contineri integrum in Repertorio Bertachini de Firmo annotavit sua manu Felinus in Cod. Bibliothecae suae, in quo idem speculatoris opus impressum seorsum continetur.

Guilelmus DURANDUS, superioris fratris filius, et in Mimatensi Episcopatu An. 1296 successor, a) librum *de modo celebrandi generalis Concilii* An. 1311 in Concilio Viennensi composuit, editum a Philippo Probo Parisiis 1545 et recusum ibid. 1617, 8. et 1635, 4. et cum Nicolai Clemangis de corrupto Ecclesiae statu, Petri de Alliaco de emendatione Ecclesiae, et Cardinalium ad Paulum III. Consilio a) de emendanda Ecclesia, Parisiis 1671, 8. Ex altero scripto adhuc inedito *de rebus in Concilio Viennensi definiendis*, excerpta apud Bzovium ad Annum 1311. Vide et Spondanum ad illum annum num. 3.

* Scriptum *de rebus in Concilio Viennensi definiendis* vix persuaderi possum ut ab authore libelli *de modo celebrandi generalis Concilii* profectum credam. Nam licet eadem utrimque tractantur in nullo tamen conveniunt ambo haec scripta. Id ergo facta libello de Concilio celebrando cum excerptis alterius operis a Bzovio datis collatione reperi. In afferendis exemplis relaxatae disciplinae super re quapiam alia scriptum illud tangit. Alia vero omnino diversa in posteriori afferuntur. Vix credo uni, eidemque authori, si utriusque unus fuisset, non eadem in mentem venisse. Cur insuper secunda scriptione tractanda suscepisset Durandus quae jam excusserat in priori? Nunquid parendum duxerat Clementi, qui mandaverat a singulis ea proponi quae e reformatione disciplinae esse censuissent? Sed eodem consilio parendi Pontifici persuasus ad scribendum prius opusculum se contulerat. Nec Bzovius Durandi nomen in scripto illo, cuius exhibuit excerpta, se legisse unquam dixit; immo et ambigere se, num Durandi sit, professus est scribens ea de re ad an. 1311. *Placet sententiam eiusdem* (Durandi) *sive alterius cuiusdam Praelati in eodem Concilio super articulis* etc. *audire*; tum affert secundae scriptionis excerpta. Spondanus quidem ad an. 1311 scribit secundum illum scriptum, cuius excerpta in Bzovio legit, extare integrum in Fuxensi cod. MS. Addit in exordio tractatus huius Guillelmum nomen suum expressisse; at suspicandi locus est Spondano fucum factum esse ex libello *de modo celebrandi Concilium* in quo reipsa Durandus nomen suum expressit; cum igitur ex Bzovio noverit (quamvis sub dubio) in scripto *de rebus in Conci-*

a) Vide Sammarthanos tom, 3. Galliae Christianae pag. 732. seq. Oudinum tom. 2, pag. 705. seq. et Supplem. pag. 580. seq.

a) De auctore hujus Consilii infra THOMAS *Badius Æmilius*.

lio Viennensi definitis plura reformationis capita tangi et in Codice Fuxensi offenderit Durandi opusculum *de modo Concilii celebrandi*, in quo pariter argumentum idem author versatur, unum idemque opus utrumque censuit, et cum in secundo Durandi nomen legerit, utriusque authorem Durandum esse ex codicis fide se probasse visus est. Caeterum in Vaticano Codice quem Bzovius excerpsit, nomen Durandi haud legi ex ambiguitate illa Bzovii de Authore eius scriptionis satis comprobatur.

DURANDUS primus Abbas *Troarnensis* a) in Normannia in dioecesi Bajocensi: ab Infantia Monachus Fiscamnensis Ordinis Benedictini, et teste Orderico Vitali lib. VIII. pag. 676 *religione et sapientia praecipuus, Ecclesiastici cantus et Divini dogmatis Doctor peritissimus,* obiit grandaevus An. 1088. b) Liber ejus de *corpore et sanguine Domini contra Berengarium* c) in novem partes distributus, quem circa Annum 1060 composuit editus est a Luca Dacherio in appendice ad Lanfranci Opera, Parisiis 1648, fol. pag. 72 atque inde in Bibliotheca Patrum tom. XVIII. pag. 420.

Constantius Felicius DURANTINUS, Jurisconsultus, cujus liber *de conjuratione L. Catilinae* ad Leonem X. Pontificem culto ac diserto stylo scriptus subjicitur Sallustii quibusdam editionibus, ut Basileensi pag. 457. An. 1564. fol. et Lipsiensi Gottlieb Cortii τȣ μακαϱίτȣ elaboratissimis notis illustratae 1724. 4.

DYNAMIUS, sive DINAMIUS, vir illustris ac *Patricius* d) Galliarum An. 593 596 apud Gregorium M. lib. 2. Ind. 11. Epist. 33 lib. 5. Epist. 6 quem *Massiliensem* vocat Venantius Fortunatus lib. 6 poëmat. 11. De eo etiam Poëmate 12 et Gregorius Turonensis lib. VI. Histor. cap. 7, 11. Ejusdem Dinamii et Eucheriae conjugis *Epitaphium* apud Andream du Chesne tom. 1 historic. Francorum pag. 519. Scripsit, teste Sigeberto c. 144 et Usuardo 27. Januarii, Dinamius *Vitam S. Marii*, Abbatis circa Annum 500. Bobacensis, sive Bodanensis. Edita est a Bollando 27. Januarii tom. 2. p. 774 et a Mabillonio Sec. 1. Act. Sanct. Benedictin. pag. 105. Deinde *Vitam S. Maximi*, Abbatis primum Lerinensis, postea An. 433. Regiensis Episcopi, ad Urbicum Episcopum An. 584. Rejensem, quae exstat apud Surium 27 Novembris, et in Vincentii Barralis Chronologia Abbatum et Monasterii Lerinensis, et illustratur a Barthio LIX, 12. Adversar. De eodem Maximo Gregorius Turonensis in opere de gloria Confessorum.

DYNAMII Grammatici *Epistola ad Discipulum* in Goldasti paraeneticis veteribus pag. 148.

a) Villose aliis Trojanensis.
b) Pagi ad Annum 1088 num. 14.
c) Idem ad Annum 1050 num. 8.
d) Cangii Glossarium voce *Patricius*.

LIBER V.

EADMERUS, sive *Edmerus*, ab *Eadmero* Abbate S. Albani Cantuariensi, qui An. 980 obiit, distinguendus, (aliis vitiose *Edimerus*, *Emondus*, *Emundus*), Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis e discipulo fidus Achates, et ex Monacho Cantuariensi Ordinis Benedictini, Episcopus S. Andreae in Scotia, sed An. 1124 abdicato Episcopatu iterum Monachus et Prior Cantuariensis, obiit An. 1137. Ex scriptis ejus haec sunt a *Gabr. Gerberono* edita et recensita ad calcem operum Anselmi, Parisiis 1675 et 1721, f

1. *Vita S. Anselmi*, Cantuariensis Episcopi ab An. 1093 ad 1109 libris II, obvii etiam in editionibus Anselmi prioribus Coloniae 1612. Parisiis 1630 et apud Surium 21 Aprilis, a) et in Actis Sanctorum tom. 2 Aprilis p. 866 cum notis Henschenii. Capita tria desiderata in editis, LXVI, LXVII, LXVIII, supplevit H. Warthonus tom. 2. Angliae Sacrae pag. 181-183. Fortasse etiam Eadmero debetur *Carmen de S. Anselmi miraculis*, editum primum ab Edmundo Martene tom. 6 momumentorum pag. 983-987 quod incipit: *Cum patris Anselmi miracula plura ferantur.*

2. *Historia novorum* ab An. 1066 sive a Rege Angliae Eduardo, qui Edgaro Patri successit, usque ad Annum 1122 libri VI, expressi ex editione *Joannis Seldeni*, Lon-

a) Apud Warthonum praef. tom. 2. Angliae Sacrae p. XIV. perperam legitur die 21 Februarii.

dini 1623, fol. cujus etiam notae eruditae subjunctae sunt: obviae cum spicilegio tom. 2. Opp. p. 1588, sq. Ex libro primo novorum petita *Vita Lanfranci* Cantuariensis, quae exstat in Actis Sanctorum t. 6. Maji 28 p. 848 et *Vita Anselmi* t. 2April. p. 893.

3. Liber *de excellentia Virginis Mariae* pag. 135 et *de quatuor virtutibus, quae fuere in B. Maria: Justitia, Prudentia, Fortitudine* et *Temperantia, ejusque sublimitatibus* pag. 143.

4. *De beatitudine Coelestis Patriae* p. 146.

5. Liber *de S. Anselmi similitudinibus* pag. 153.

Praeter haec a Gerberonio recensita, exstant:

6. *Vita S. Wilfridi,* Archiepiscopi Eboracensis, vulgata Mabillonio in Actis Benedictinis Sec. III, part. 1. p. 196 et ab Henschenio cum notis t. 3. Act. Sanctor. April. 24 p. 293.

7. *Vita B. Bregwini,* Archiepiscopi Cantuariensis et Confessoris, apud Warthonum tom. 2. Angliae sacrae pag. 148.

8. *Vita S. Oswaldi,* Episcopi Wigorniensis et Archiepiscopi Eboracensis, id pag. 191.

9. *Vita S. Dunstani,* a) Archiepiscopi Cantuariensis, id. pag. 211 et *Epistola ad Glastonienses,* corpus ejus habere se perhibentes pag. 222.

10. *Liber de miraculis S. Dunstani.* Compendium ejus apud Surium 19 Maji.

NICOLAI, Prioris Wigorniensis, Epistola ad Eadmerum electum in Cathedram S. Andreae, de primatu Sedis Eboracensis in Scotia, apud Warthonum tom. 2. pag. 234.

11. Eadmeri *Epistola ad Monachos Wigornienses* de electione Episcopi. id. p. 238.

12. *Vita S. Odonis,* Archiepiscopi Cantuariensis, id. pag. 78 et apud Mabillonium Sec. V. Benedictin. pag. 283. OSBERNO perperam inscripta.

Inedita Eadmeri haec memorari video:

De libertate Ecclesiastica volumen grande, de discordia inter Guilelmum Rufum Anglorum Regem et Anselmum Cantuariensem. Vide Baleum II, 68. Meminit et Henricus Gandavensis cap. 7 et Trithemius cap. 372 de S. E. et II, 114 illustr. Benedictin. qui ambo EMUNDUM pro Eadmero appellant, sicut Pitseus quoque pag. 199.

Instituta Christianae vitae.

Historiarum collectanea. Vide Pitseum pag. 199.

De gestis sui temporis, opus utrumque ab Historia novorum in Anglia diversum, praeter quam Historiam hexabiblon nihil se ab Eadmero scriptum aut vidisse aut legisse se testatur Lelandus cap. 147.

Carmen *de S. Dunstano.* Aliud *de S. Eduardo,* Rege et Martyre, cum Epistola ad Eadmerum de matre S. Eduardi.

Carmen *de rebus gestis S. Anselmi* et *S. Elphegi* Archiepiscoporum, carmine heroico.

Querela super morte S. Anselmi, carmine elegiaco.

De ordinatione B. Gregorii.

De conceptione B. Virginis. Vide Thomam Jamesium in ecloga Oxonio Cantabrig. et Henr. Warthoni praefat ad tomum 2. Angliae sacrae pag. XV. Caveum ad Annum 1121. Oudinum tom. 2. pag. 1073.

Vita Petri primi Abbatis Coenobii S. Augustini Cantuariensis.

Sententia de memoria Sanctorum quos veneraris.

De commovendo super se manum S. Petri Apostoli.

De reliquiis S. Audoeni et aliorum Sanctorum in Ecclesia Cantuar.

De Gabriele Archangelo.

Epistolae plures in Biblioth. Cottoniana.

EADMERUS, sive EALMERUS, Prior Monasterii S. Albani Cantuariensis, defunctus An. 980 cui a Lelando cap. 146 tribuuntur *libri V, de exercitiis spiritalis vitae,* quorum initium *Redentor noster:* Tum *Epistolarum* liber et *Homiliarum.*

EADMUNDUS *Albanus* Sec. XIV auctor *Commentarii in Boëthium de SS. Trinitate,* quem laudant idem Lelandus c. 312. Baleus V, 64 et Pitseus ad An. 1340 p. 446.

EADMUNDUS *Divitius,* sive *Rich,* Abyndoniensis, Rogeri Baconi amicus, et ex Thesaurario Sarisberiensi Archiepiscopus Cantuariensis ab An. 1233 ad 1240 a quo tempore Monasticam vitam vixit, edito *Speculo,* quod solum ex scriptis ejus se vidisse Lelandus cap. 262 praedicat. Vitam

a) Sub Osberni nomine, sed minus integra apud Surium 19 Maii Vide Warthoni Praefat. p. XIII.

scripsit ROBERTUS frater, de quo Baleus III, 97.

Praeter hoc *Speculum Ecclesiae*, Joh. Pitseus ad Annum 1240 pag. 308 etiam laudat ejus *Constitutiones Synodales*, et librum Gallice scriptum *de contemplanda Deitate*, quem Latine vertit Guil. Beufu.

* Huius *Constitutiones Synodales provinciales* praeter Speelmannus dedit etiam ad MSS. Codd. recensitas Wilkinsius Concilior. Britan. t. I, pag. 625.

EADMUNDUS *Gryme*, sive *Grimaeus*, amicus *Thomae Cantuariensis*, cujus An. 1170 interfecti *vitam* scripsit, in compendium missam a Surio 29. Decembris. Vide Lelandum cap. 192 et Baleum III, 14.

EALREDUS, supra, ADILREDUS tom. 1. pag. 4. De eo Seldenus praefatione ad decem scriptores Historiae Anglicanae, Londini 1652, fol. pag. XXVII, seq. et tom. 2. Operum pag. 1152, seq. *Vita S. Eduardi*, Regis Angliae et Confessoris, defuncti An. 1066 prosario sermone scripta exstat cum notis Bollandi in Actis Sanctorum V. Januarii tom. 1. pag. 293.

EAMBALDUS, sive EANBALDUS Senior, ad quem Alcuini Epistola, Archi-Episcopus Eboracensis, defunctus Anno 796. Hujus Bibliothecam insignem celebrant, sed scriptorum memoriam nullam, Lelandus cap. 105. et Pitseus pag. 833. Idem Pitseus pag. 164. ad Annum 800 EANBALDI junioris, qui seniori in Archiepiscopatu Eboracensi successit, *Decretorum Synodalium librum* memorat.

EARNULPHUS *Lexoviensis*. Vide, ARNULFUS tom. 1, pag. 134.

EARNULPHUS ex Monacho Bellovacensi, Priore Cantuariensi et Petroburgensi Abbate, *Roffensis* in Anglia Episcopus. ib. pag. 134.

EBBEKESTORPENSIS Legenda apud Leibnitium tom. 1. scriptorum Brunsvicensium pag. 184. 191. de Martyribus tempore Ludovici Imperatoris interfectis in Hamburg et in Ebbekestorp reconditis.

EBBO Monachus, scriptor *Vitae S. Othonis*, Bambergensis Episcopi et Apostoli Pomeranorum, defuncti An. 1139. quem libris tribus constantem offerunt Acta Sanctorum tom. 1. Julii pag. 425. addito a recentiore manu libro quarto pag. 429. qui ad Canonizationem Othonis pertinet factam An. 1189. Confer notata a Johanne Baptista Solerio ibid. pag. 352. De aliis vitae S. Othonis scriptoribus supra in ANDREA Abbate S. Michaelis tom. 1. pag. 90.

EBBO Archiepiscopus ab Anno 822. *Remensis*, quum Lothario adversus Luduvicum Pium faventior fuisset, depositus A. 835. et post Ludovicum exstinctum demum An. 840. a Lothario restitutus: mox Caroli Calvi iram fugiens in Germania Hildesheimensis Episcopus obiit An. 851. Vide Sammarthanos tom. 1. Galliae Christianae pag. 482. seq. Ejus *Apologeticum* editum est a Dacherio tom. 7. spicilegii pag. 175. (tom. 3. editionis novae pag. 335.) Confer narrationem Clericorum Remensium de depositione duplici Ebbonis, apud Andream du Chesne tom. 2. scriptor. Franc. pag. 340. seq.

S. EBERHARDUS, sive EBRARDUS, vide infra, *Eberhardus Salisburgensis*.

S. EBERHARDI discipulus circa Annum 1186 scriptor Vitarum Archiepiscoporum Salisburgensium: S. *Ruperti*, a) Bavariae Apostoli, *S Virgilii*, b) Apostoli Carinthiae, *S. Eberhardi*, c) *S. Hartwici*, d) *S. Gebhardi Suevi*, e) quae editae ab Henrico Canisio tom. 2. Antiquar. Lectionum pag. 247. seq. et emendatiores tom. 6. pag. 1139. seqq. (editionis novae tom. 3. parte 2. pag. 282. seq. pag. 340. seqq.)

EBERHARDUS Monachus *Altahensis*, Ordinis Benedictini, Ratisbonensis Archidiaconus, scriptor Annalium de rebus Austriae, Bavariae, Sveciae ab Anno 1273. ad 1305. in multis convenientium cum Henrico Sterone, quem instituit continuare, multisque partibus locupletiorum. Edidit Henricus Canisius tom. 1. Lectionum antiquarum pag. 307. (editionis novae tom. IV. pag. 216-234.)

EBERHARDUS *Bethuniensis* Artesius, dictus *Graecista*, quia *anno milleno, centeno*

a) Acta Sanctorum 27. Mart. tom. 3, p 702.

b) De hoc Virgilio Surius edit. An. 1618 27, Nov. Hundius metropoli Salisburg. tom. 1, pag. 2, seq.

c) Acta Sanctorum tom. 4, Junii 22, pag. 261.

d) Acta Sanctorum tom. 6. Junii 14, pag. 151.

e) Acta Sanctorum tom. 6. Junii. 16, pag. 147.

bis duodeno (1124) *condidit Ebrardus* Graecismum *Bethuniensis*. Vide Henricum Gandavensem cap. 60. et ad eum notas Miraci et Cangium praefat. ad glossar. Latin. §. XLV. Oudinum tom. 3, pag. 37. Hic *Graecismus*, sive liber carmine hexametro scriptus de figuris deque octo partibus orationis, etc. capita XXVII. cum expositionibus *Joannis Vincentii Mehilini*, in Pictavensi Universitate regentis fol. sine anno et loco: atque cum Alexandri de Villa Dei Grammatica Latina, Lugduni 1490. 4. Incipit: *Est proprie meta trans Graece, formatio plasma. Elementa Grammaticae* Latine MSta Lovanii memorat laudatus Miraeus. *Labyrinthum*, sive carmen elegiacum *de miseriis Rectorum Scholarum* edidit Polycarpus Leyserus historia Poëtarum medii aevi pag. 796–809. cum altero de arte Rhetorica pag. 809–825. et tertio de versificatione pag. 825–854.

Ejusdem, sive alterius potius junioris, ut videtur, EBERHARDI Sec. XIII. *Antihaeresin contra Waldenses* haereticos, (cum *Bernardo*, Abbate fontis calidi, de quo tom. 1, pag. 213. et Ermengardo) vulgavit Jacobus Gretserus Ingolstadii 1614, 4. inde recusam in Bibliotheca Patrum Lugd. tom 24, pag. 1525. et inter Gretseri Opera tom. XII. Ebrardus *de XII. abusibus saeculi* citatur a Goldasto pag. 120. not. ad Isidorum de praelatis. *Epistolas* secundum artem dictatas Sanderus memorat Biblioth. MSS. pag. 203. *Proverbia Senecae in poësin versa*. MS. Cantabrig.

Antequam ad alios Eberhardos pergam, lubet ex Eberhardi Bethuniensis carmine tertio de versificatione, et ex laudati Leyseri historia pag. 825. apponere locum insignem, in quo recenset Poëtas, et plerosque ex illis mediae aetatis, quos illo tempore in scholis praelegi solitos innuit:

Viribus apta suis pueris ut lectio detur,
 Auctores tenero fac ut ab ore legas.
Elige quod placet, et leges, perlegis ecce sub uno
 Ordine, quos traxit gloria, fama mei.
Semita virtutum, cautus CATO, a) regula morum,
 Quem metri brevitas verba polire vetat.
Veri cum falso litem THEODOLUS b) arcet.
 In metro ludit Theologia sibi.
Instruit apologis, trahit a vitiis AVIANUS. c)
 Sed carmen venit pauperioro stilo.
ÆSOPUS metrum non sopit d) fabula flores
 Producit, fructum flos parit, ille sapit.
Quae senium pulsant incommoda maxima scribit
 Et se materiam MAXIMIANUS e) habet
Vulnus amoris habet in pectore PAMPHILUS f) illud
 Pandit in antidotum, subvenientis anus.
Ludit GETA g) gemens, quia captus Mercuriali
 Arte Jovem lectus Amphitrionis habet
Persephones raptum h) qui comtus carmine claudit,
 Arte nec ingenio claudicat ille suo.
STATIUS Æacidem i) stantem vultu muliebri
 Virtutem prodit calliditate viri.
Quam solemnis et hinc usus sit turba k) colenda
 OVIDIANA magis, quod facit illa placet.
Sunt libri satyrae Venusinae bis duo l) vultus.
 Sit licet his durus, utilitate valet.
Non juvenis satyra sed maturus JUVENALIS
 Nudat, nec vitium panniculare potest.
Versutiis animi non parcit PERSIUS alti
 Ingenii, quamvis sit brevitatis amans.
Circuit, et totum fricat ARCHITRENIUS m) orbem
 Qualis sit vitii regio quaeque, docet.
VIRGILIO n) servit triplex stylus. Haec tria thema
 Praebent: bos; et ager; historialis apex.

a) *Catonis* disticha, de quibus in Bibliotheca Latina IV, 1. 8.

b) *Theoduli*, qui saeculo X, scripsit, ecloga, sive carmen leoninum inter actores octo morales, et a Goldasto editum in manuali Biblico Francofurti 1620, 8. in quo colloquuntur ἀλήθεια, sive veritas et ψευστής mendax judice φρονήσει, sive prudentia, veritatemque miraculorum Veteris Testamenti, dictare docent a fabulis Poëtarum. Vide Leyserum p. 295, seq.

c) *Flavii Aviani* ab Avieno plane diversi fabulae nuper egregie illustratae a V. C. Henrico Cannegieter, Lugd. Bat. 1731, 8.

d) i. e. non impedit, quo minus versibus scriptae sint fabulae. Intelligit *Æsopum*, sive fabulas, quae prodiere inter Auctores octo morales. Incipit: *Ut juvet et prosit conatur pagina praesens*. Nota, *Phaedri* nullam ab Eberhardo mentionem fieri.

e) *Cornelii Maximiani*, Hetrusci, qui tempore Anastasii Imperatoris floruit, Elegiae VI, de incommodis senectutis, saepius editae cum Catullo, Tibullo, Propertio.

f) *Pamphili Mauriliani* libri III, de vetula, cum illius Pamphilo, sive elegiis LXIII, de arte amandi, editi a Goldasto in Catalectis Ovidii. Francof. 1610, 8.

g) *Hosidius Geta* auctor tragoediae, de quo in Bibliotheca Latina lib. I. c. 12 §. XI.

h) *Claudiani* tres libri de raptu Proserpinae.

i) *Statius* duobus Achilleidos libris.

k) Major numerus poëmatum *Ovidianorum*.

l) Satyrarum *Horatii*, et Epistolarum, libri VI.

m) Vide infra, *Johannes Kanvillensis*.

n) In Bucolicis, Georgicis, Æneide.

STATIUS eloquii jucundus melle, duorum
Arma canit fratrum a) sub duce quaeque suo:
LUCANUS clarae civi ia bella lucernae
Imponit, metro lucidiore canit.
Lucet ALEXANDER b) Lucani luce. Meretur
Laudes descriptas historialis honor.
Ruffini sordes, et virtutes Stiliconis
Cui dant thema c) sapit hic Heliconis ope.
Dat Phrygius DARES d) veraci limite causas
Exitii Trojae seditionis onus.
Instruit in Trojam Graecos, et pandit HOMERUS,
Quae vehat unda rates Argolicumque dolum.
Sidonii e) regis qui pingit praelia, morem
Egregium calamus SIDONIANUS habet
Christicolas acies SOLYMARIUS f) armat in hostes
Christi solius plenus amore crucis.
Herbarum vires declarat carmine MACER g)
Servat in officiis hunc medicina suis.
Naturas lapidum varias, variosque colores
Qui ponit lapidum h) non sapit ille metro.
PETRUS RIGA, petra cujus rigat intima Christus,
Legem mellifluo texit utramque stylo.
Contemnit paleas SEDULIUS. Eligit aptas
Res Evangelii, sedulitate metri.
Non aret serie metri, sed floret ARATOR
Doctus, Apostolica facta decenter arat.
Virtutem prudens PRUDENTIUS armat in hostes.
Quo, vitio victo gaudeat illa, docet.
Septenas quis alat artes describit ALANUS. i)
Virtutis species proprietate docet.
Tobias k) in agro veteri lascivit, et aeque,
Res novat, et metri nobilitate placet. l)
Ars nova scribendi m) speciali fulget honore,
Rebus cum verbis deliciosa suis.
Quod pueri potent tibi *doctrinale* n) propinat
Prisci doctoris o) utiliora legit.
Graecismus p) recitat, peperit quas Graecia voces.
Quas Latinum dat, quae significata ferant.
Hi tres conjungunt per se modulamina metri
Tali lectores alliciendo modo.
Fontibus ex sacris haurit, qui dogmata fundit
PROSPER doctrinae prosperitate sapit,
Scribendi regit arte stylum, RUFOQUE negante q)
Laudem MATTHAEUS Vindociensis habet
Enumerat, probat, eximius *liber aequivocorum*, r)
Dictio quot in se significata gerat.
Felici scribente stylo FELICE CAPELLA
Nubit Mercurio philologia DEO.
Eximia ratione beat BOETHIUS, ut det
Solamen misero philosophia viro.
Tractatum titulos laudis BERNARDUS s) habentem
De gemina mundi partitione docet.
Naturas PHYSIOLOGUS t) exponendo ferarum
Quarundam quae sit allegoria docet.
Hortatur propria per scripta PARACLITUS u) omnes
Peccantes. Veniam gratia donat eis.
Per tot personas duo testamenta figurat
SIDONIUS v) Judex philosophia sedet.
Quam plures alii metri dulcedine quadam
Docti se legi supposuere meae.
Hos taceo, quos fama tacet, etc.

EBERHARDUS, sive EBIRHARDUS Monachus *Fuldensis*, cujus *Summaria traditionum Fuldensium*, sive *donationum veterum S. Bonifacio legatarum*, exstant in V. C. Joannis Friderici Schannat corpore traditionum Fuldensium pag. 280-316.

EBERHARDUS Presbyter, qui ex Chronico Latino Gandersheimensi antiquo, versibus Saxonicis circa An. 1216 descripsit *fundationem et incrementa Ecclesiae Gandersheimensis* usque ad Henrici II, sancti Imperatoris tempora An. 1002. Edidit Leibnitius tom. 3 scriptorum Brunsvicensium pag. 149.

EBERHARDUS *Mainardus*, Moguntinus

a) Etheoclis et Polynicis, in *Statii* XII. libris Thebaidos.

b) *Philippus Gualterus* scriptor X. librorum Alexandreidos.

c) *Claudianus* libris duobus in Rufinum, et libris III. in Fl. Stiliconis utrumque Consulatum.

d) *Josephi Iscani* de bello Trojano libri VI. scripti culto heroico carmine, et sub *Daretis* vel sub *Cornelii Nepotis* Nominibus falso jactati.

e) Vide infra in *Sidonio*.

f) *Guntherus* Poëta de cujus poemate *Solymario* adhuc ineditio infra, in *Gunthero*.

g) *Macri* Ovidio laudati poema de herbis pridem intercidit, sed ab Eberhardo respicitur poema hujus argumenti quod saepius prodiit sub Æmilii Macri nomine. Vide Bibliothecam Latinam IV. 12. 7.

h) *Marbodeum* innuit, cujus de gemmis poema itidem frequenter vidit lucem.

i) De *Alani* ab Insulis anti Claudiano dictum tom. 1 pag. 91.

k) *Prudentius* in Psychomachia.

l) Tobias *Matthai* Vindocinensis.

m) *Gaufredi* poëtria nova.

n) *Alexander de villa Dei*, de cujus doctrinali supra tom. 1 p. 67. seq.

o) Utiliora quam Prisciani.

p) *Graecismum* suum Eberhardus Bethuniensis respicit, de quo supra pag. 218.

q) Glossa MS. *MATTHAEUS describit contra RUFUM Curialium doctrinas, et oblinet victorias et laudes contra ipsum.*

r) *Joannis de Garlandia.*

s) *Bernardus Sylvester*, de quo tom. 1 pag. 217.

t) *Theobaldi* Episcopi de naturis duodecim animalium.

u) Vide infra, *Paraclitus.*

v) *Sidonius Poeta, de duobus testamentis Novo et Veteri per duas personas, scilicet Judaeum et Christianum scripsit.* Glossa MS.

Carmelita circa Annum 1403. Cujus Possevinus et pag. 324. Alegrius nihil aliud memorant, quam *Sermones* per Adventum et per Quadragesimam, librumque *de triplici vita.*

EBERHARDUS *de Parentinis*, Ordinis Praedicatorum Provinciae Tolosanae, tractatus *super totum Officium Missae*, compositus An. 1339 et descriptus manu Jacobi Schuch de Eslingen An. 1454. MS. in Bibliotheca Caesarea, teste Lambecio II. pag. 775.

EBERHARDUS *de S. Quintino* Ordinis Praedicatorum, cujus *Sermones* quosdam An. 1273. Parisiis habitos enumerat Jacobus Quetif tom. 1. pag. 267.

EBERHARDUS *Ratisbonensis* Archidiaconus. supra, *Eberhardus Altahensis.*

S. EBERHARDUS Noricus, ex Biburgensi Abbate Archiepiscopus *Salisburgensis*, defunctus An. 1164 a Cangio et aliis quibusdam perhibetur auctor *Vitae S. Hartwici,* Episcopi Salisburgensis, extincti An. 1023. Sed illam scripsit aliquis ex S. Eberhardi hujus discipulis, qui circa Annum 1186 floruit, ut supra pag. 486 jam annotavi. Vide Acta Sanctorum tom. 6. Jnnii pag. 129 et tom. 4. pag. 261 ubi vita ejusdem Eberhardi a discipulo scripta, ex Canisiana editione exhibetur. *Oratio* EBERHARDI Truchsen Archiepiscopi junioris ab An. 1200 ad 1247. Salisburgensis *de Hildebrandi Anti-Christiano Imperio* dicta in Comitiis Ratisbonensibus sub Friderico II. Imperatore habitis, apud Aventinum VII. Annal. pag. 684 et Goldastum in Apologia pro Henrico quarto pag. 237.

* *Eberhardus Tegernseensis* monachus ab an. 1002 scripsit epistolas breves undecim vulgatas a PP. Pez et Hueber in Cod. Diplomat. pag. 135.

EBERWINUS, aliis EBROINUS, vel EVERVINUS, sub saeculi undecimi initia Abbas S. Martini Trevirensis, Ordinis Benedictini, scripsit *Vitam S. Magnerici*, Confessoris, Archiepiscopi Trevirensis circa Annum 596. quae cum notis Joannis Baptistae Solerii edita est in Actis Sanctorum tom. 6. Julii 25 pag. 183 *Vitam Simeonis reclusi*, qui diem An. 1035 obiit, Sanctisque adscriptus est An. 1042 obviam in iisdem Actis 1. Junii tom. 1. pag. 89 et in Mabillonii Sec. VI. Benedictin. pag. 372. Haec vita ab Eberwino dicata est Popponi, Archiepiscopo Trevirensi, qui praesulatum illum gessit ab An. 1016 ad 1047.

EBRACENSE Necrologium, Coenobii Cisterciensis in dioecesi Wirtzburgensi, a) vulgatum ab *Ignatio Gropp*, Bibliothecario Ebracensi, in monumentis sepulchralibus Ebracensibus. Herbipoli 1730 in 4.

EBRARDUS, supra, EBERHARDUS.

EBROINUS, vide, EBERVINUS.

ECBERTUS, *Eckbertus, Egbertus, Eckebertus,* Archiepiscopus ab An. 732 ad 767. *Eboracensis,* ad quem non diu ante obitum suum scripsit BEDA Epistolam de Christiani Praesulis officio, ut dixi tom. 1. pag. 180. Hujus Egberti *Dialogum de Ecclesiastica institutione* post editionem Jacobi Waraei Dublinensem 1664 in 8. recudi fecit Henricus Warthonus Lond. 1693, 4. cum nonnullis Bedae opusculis. Exstat etiam in editionibus Conciliorum Labbeana, Harduiniana et Veneta Coleti ad Annum 747. In iisdem Conciliorum editionibus, sicut in Regia quoque leguntur excerpta ex ejus *Constitutionibus Ecclesiasticis,* b) quas ab HUCARO, fani Germani in Corinia Diacono, studiose in compemdium redactas testantur Lelandus cap. 85et Pitseus p. 154. c) *CXLV. Capitula e dictis et Canonibus SS. Patrum. Capitula XXXV* ex Ecberti *Poenitentiali*, quod opus in quatuor libros tributum, in variis Angliae Bibliothecis MS. servari Caveus notavit: Utraque primus vulgaverat Henricus Speelmannus tom. 1. Conciliorum Angliae, Lond. 1639, fol. pag. 258 276. Exhibet priora etiam Johannes Morinus in silloge poenitentialium veterum, ad calcem operis de Poenitentia, post primam Parisiensem editionem An. 1651. recusi

a) Fortgesetzte Sammlung von Alten und Neuen A. 1732 pag. 264.

b) Adde Oudinum tom. 1 pag. 1794. seq.

c) Non soli Ecberto omnia tribuenda esse, disputat Clarissimus Gundlingius in Gundlingianis XXXVIII. pag. 258. seq.

Bruxellis 1685 et Venetiis 1702, fol. Sequuntur tituli *Capitulorum XCVII, de Sacerdotali Jure* apud eundem Speelmannum p. 278. Sed et *Capita XV*, de remedio peccatorum, quae ibi p. 281-288 sub BEDÆ a) nomine leguntur, et in Antonii Augustini collectione libellorum Poenitentialium, Tarracone 1582, 4. et Venetiis 1584, 4. nec non inter Bedae opera tom. VIII. pag. 961 atque in Conciliorum Tomis, Ecberto huic, quo Magistro profecisse se praedicat Alcuinus, b) tribuenda possunt videri. Vide, si placet, notata tom. XI. Bibliothecae Graecae pag. 74, seq. Omitto memorata a Baleo II, 15 et Pitseo pag. 154. Homilias, Lectiones ad erudiendos discipulos, ad Pastores Provinciae suae: Ad Zachariam Papam pro pallio, quod accepit An. 735 vide Warthonum tom. I. Angliae Sacrae pag. 697. Epistolas ad fratrem suum Egbertum Regem, ad Alcuinum etc.

* Excerptiones Ecberti praeter Speelmannum caeterosque novissime Wilkinsius in sua collectione Conciliorum Britanniae ad MSS. codices exactas recudit, et ex MS. Oxoniensi sexdecim alias nondum alicubi excusas adiecit. Vide tom. I, pag. 41 eiusd. operis.

ECBERTUS *Heresfeldensis* Presbyter circa Annum 1076 ad Hartwigum, Abbatem, scripsit *Vitam Heimeradi*, c) Presbyteri et Confessoris, defuncti An. 1019 quam post Browerum et Adolphum Overhamum cum vita Meinwerci, Episcopi Paderbornensis, edidit Leibnitius tom. I scriptorum Brunsvicensium pag. 565. Exstat etiam in Actis Sanctorum 28 Junii tom. V. pag. 386.

ECBERTUS Svevigena in Anglia Monachus *Lindisfarnensis* Ord. Benedict. defunctus circa An. 728 apud *Huenses* Monachas in Scotia, quos libro *de Paschali observatione* erudiit, ut ex variis Bedae locis notavit Lelandus cap. 66. Eidem Ecberto Baleus centur. 1. cap. 98 et Pitseus pag. 125 etiam tribuunt *Conciones* et *de ritibus Catholicorum* librum, nescio an confundentes illum cum Episcopo Lindisfarnensi.

ECBERTUS, Clericus *Leodiensis*, scripsit teste Sigeberto cap. 146. *metrico stylo de* Ænigmatibus rusticanis *librum primo brevem, sed ampliato orationis tenore scripsit de eadem re metrice alterum librum majusculum.* Eadem e Sigeberto Trithemius cap. 330. qui testatur circa Annnm 1060. floruisse.

ECBERTUS *Lindisfarnensis* Episcopus ab An. 802. ad 821. Vide Warthoni Angliam sacram tom. 1, pag. 698. Non ad hunc, sed ad Eboracensem Ecbertum scripsit Beda Epistolam de Praesulis Christiani officio: itaque commentitia sunt *Gratificationis* ad Bedam *responsa*, quae huic Ecberto tribuunt Baleus II. 4. et Pitseus pag. 127. Ex Bedae Epistola etiam puto sumtam occasionem, quod Guilelmus Butlerus atque idem Pitseus cum Baleo scribunt, finguntque Ecbertum hunc e sermone Latino in Anglo-Saxonicam linguam plures Bibliorum libros vertisse. Nam ut Lelandus cap. 86. cui recte suboluit Lindisfarnensem Bedam juniorem fuisse, Bedae Epistolam *plane aculeatam* appellat, *in qua multa de officio Episcopi, nec pauciora de Scriptura sacra in linguam Saxonicam vertenda, et quibus ea rationibus a plebe legenda.*

ECBERTUS Presbyter et Canonicus Bunnensis, Coloniensis dioeces. ac denique Monachus et post Hildelinum Abbas *Schoenaugiensis* a) S. Florini in dioecesi Trevirensi, Ordinis Benedict. circa Annum 1160. Opusculum *de laude Crucis*, et *Soliloquium*, sive *Meditationes* et *Stimulus amoris* in celeberrimi Bernardi Pezii Bibliotheca Ascetica tom. VII, pag. 13. 21. 37. Ratisbonae 1725, 8. *De obitu Sororis suae* Germanae

a) Supra tom. I pag. 516.

b) Epistola ad Carolum Magnum, apud Wilhelmum Malmesburiensem de gestis Pontificum Anglorum lib. 3. pag. 269.

c) Ita legendum pro *Nemoradi*, et pro *Jeremeradi* apud Anonymum Mellicensem c. 68.

a) Abbatiam Schoenaugiensem ab Abbatia S. Florini praeter rem diversam faciunt Vossius pag. 430. Oudinus tom. 2 pag. 1548. aliique.

S. Elisabeth, Virginis Abbatissae Schoenaugiensis, defunctae An. 1165. ad cognatas suas: prodiit in Actis Sanctorum tom. 3. Junii 18 pag. 607. cum hujus Elisabethae Visionum libris V. ut prius lucem viderat edente Jacobo Fabro, Stapulensi, Parisiis 1500. et deinde Coloniae 1628. etc. Vide infra, ELISABETHA. *Sermones XII. adversus haereses Catharorum*, haeresin *Manichaeorum* renovantes (cum *excerpto de Manichaeis* ex Augustino) ad *Reginoldum*, Archiepiscopum Coloniensem, Coloniae 1530. 8. a) et tom. XII. Colon. atque tom. XXIII. Bibliothecae Patrum edit. Lugd. pag. 601. Caetera quae huic Ecberto tribuuntur apud Trithemium cap. 403. de S. E. et illustr. Benedictin. II. 121. snnt: *In principium Evangelii Johannis*: *Super Magnificat*: *Super*: missus est Angelus: *Meditationes, Sermones* per annum, *Laudes Salvatoris*, et *Epistolas* ad diversos.

ECCARDI nomen varie scriptum reperio *Ecchardus*, *Eckardus*, *Eckerhardus*, *Egebardus*, *Eggehardus*, *Eggerardus*, *Ekkardus*, *Ekkerardus*, *Aichardus*, *Aicardus*, *Haycardus*, *Heccardus*, *Hegecartus*: itaque juvat utcunque expressum uno hoc loco Lectori exhibere.

ECCARDUS speculi Saxonici scriptor et interpres. vide infra pag. 492. ECCO *de Repgowe*.

ECCARDUS scriptor *Chronici*, quem laudat Hermannus Cornerus ad An. 1117. pag. 659. et alibi, et quem Vir doctissimus Johannes Georgius Eccardus, qui Cornerum tom. 2. Corporis histor. medii aevi edidit, putabat esse auctorem Chronici Magdeburgici, b) sive Annalium Saxonicorum, quos vulgavit illustris Leibnitius tom. 1. accessionum historicarum. Sed diversum esse Annalium horum auctorem a Corneri Eccardo, non sine ratione judicat Theodorus Hasaeus tom. 7. Bibliothecae Bremensis pag. 911. Caeterum Corneri Eccardus non diversus, ut videtur ab Eccardo, Urangiens Abbate, de quo infra, Chronicon vero, quod respicit, necdum in lucem datum, quod sciam.

ECCARDI quinque inter eos, qui Monasterium *S. Galli* decorarunt, celebrantur ab Hepidanno, Ratperto aliisque apud Goldastum in Alemannicis:

ECCARDUS I. senior, Decanus, temporibus Ottonis I. Imperatoris ab An. 958. ad 972.

ECCARDUS II. Palatinus et Magister Scholarum, defunctus An. 996.

ECCARDUS III. Decanus, et sub idem tempus.

ECCARDUS IV. *Junior*, Monachus *S. Galli* circa Annum 1040. carmine heroico scripsit *gesta Waltharii*, laudata ab Anonymo Mellicensi cap. 70. Ejus liber *de casibus Monasterii S. Galli*, quo RATPERTUM ab An. 891. ad 982. continuavit, legitur in Goldasti Alemannicis tom. 1, pag. 11-64. Eccardum continuavit BURKARDUS (de quo supra pag. 279. ab an. 982 ad 1204. apud Goldastum pag. 65-91. Cujus notae in Eccardum pag. 109. seq. Vide et tom. 2, pag. 165. Excerpta quaedam apud Andream du Chesne tom. 3, pag. 484-489.

ECCARDUS V. Minimus, Decanus tempore Innocentii III. et Friderici II. Imperatoris, sive circa Annum 1214. scriptor *Vitae Netkeri Balbuli*, eruditi Monachi S. Galli, qui An. 912. diem obiit, et de quo infra suo loco. Hanc vitam sed interpolatam edidere Henricus Canisius tom. 6. Antiquarum Lectionum pag. 934. et editionis novae tom. III. pag. 552. Goldastns tom. 1. Alemannicarum rerum pag. 226. Papebrochius additis notis in tom. 1. Actorum Sanctorum Aprilis 6, pag. 579. et Mabillonius Sec. V. Benedictin. pag. 11. Dicitur etiam hic Eccardus Latine vertisse *Vitam S. Galli*, quam Germanice scripserat Ratpertus. Vide Oudinum tom. 3, pag. 80.

ECCARDUS Saxo-Teutonicus, Ordinis Praedicatorum, Theologus clarus in Austria, et jam defunctus An. 1329. quo septendecim capita a Pontifice Johanne XXII. et An. 1330. quo undecim capita doctrinae ejus tanquam suspecta damnari contigit a

a) Hermanni ab Hardt Autographa tom. tertio pag. 195.

b) Aliud est, quod edidit Clarissimus Meibomius tom. secundo pag. 269. et cujus lacunam supplevit laudatus Leibnitius tom. 3 scriptorum Brunsvicensium pag. 749.

Theologis Heidelbergensibus. Vide Raynaldum ad Annum 1429. n. 70. et Natalem Alexandr. Sec. XIII. et XIV. pag. 103. seq. Trithemium cap. 537. qui haec ejus scripta memorat: *In Genesin, Exodum, librum Sapientiae, Cantica Canticorum, Evangelium Johannis*, et *super Orationem Dominicam. In IV. libros Sententiarum, Sermonem* in Capitulo Ordinis Praedicatorum: aliosque de tempore et de Sanctis, et *Positionum* suarum librum. Hisce ex Jacobo Quetif. tom. 1, pag. 507. licet addere, quod ascetica quaedam hujus Eccardi viderunt lucem inter Joannis Tauleri opera, *notabiles quaedam Institutiones: Institutiones quas in extremis constitutus amicis rogantibus reliquit. De duodecim ineffabilibus donis atque gratiis, quas Divina clementia digne communicantibus largitur. Convivium de paupertate spiritus.*

ECCARDUS Saxo Junior, Ordinis Praedicatorum, defunctus An. 1339. cui adscribitur, quae inter Taulerianas exstat Epistola XXV. *de perfecta resignatione et oblivione nostrum ipsorum et omnium, quae in schola DEI addiscuntur.* Vide Quetifum tom. 1, pag. 593.

ECCARDUS Canonicus *S. Victoris* Parisiensis Seculo XII. scriptor quorundam opusculorum asceticorum, quae Gallice et Latine edita a P. Gourdano Parisii 1729. *les oeuvres spirituelles d' Eccard.* Vide memorias litterarias Trevoltinas illius anni pag. 1299.

ECCARDUS, Abbas primus S. Laurentii *Vragiensis* in dioecesi Herbipolensi, Ordinis Benedict. defunctus An. 1130. Scriptor *Laternae Monachorum*, libris V. prosa et carmine ad imitationem Boëthii librorum de Consolatione Philosophiae. Praeterea *Sermones* ejus et *Epistolas* laudat Trithemius cap. 379. de S. E. et de illustribus Benedictinis II. 107.

ECCARDUS, Abbas Vragiensis junior, cujus Chronicon breve *de Episcopis Hildeshelmensibas* ad Egbertum, Corbejensem Abbatem, a Caroli Magni temporibus ad Annum 1280. edidit Christophorus Broweius, Moguntiae 1616. 4. cum vita Godehardi, Episcopi Hildesheimensis: et Leibnitius tom. 1. scriptorum Brunsvicensium pag. 772–774. qui et alia de rebus Hildesheimensibus dedit pag. 742. seq. sed quae ejusdem Eccardi esse, nescio quibus argumentis affirmat D. Johannes Fabricius Helmst. tom. 3. Biblioth. suae pag. 23. Sicut nec idem constat de Chronico Hildesheimensi ab An. 687. ad 1136. quod edidit Andreas du Chesne tom. 3, pag. 504-539. et Leibnitius pag. 740-741.

ECCO *de Repgowe*, al. *Ribikow*, qui aliis *Eckhardus, Eyko, Ebko, Ecke, Epho*, a) ille iudiciorum sub Hoyero Comite de Falckenstein per multos annos assessor, circa Annum 1240. ex consuetudinibus fori Saxoniae superioris digessit, et Latine primum scripsit *Speculum Saxonicum*, sive Jus provinciale Saxoniae, libris III. quod deinde Comitis Hoyeri hortatu vertit Germanice, confirmatum etiam a Carolo IV. b) Imperatore, et vehementer probatum Dieterico sive Theodorico Burgsdorfio, c) qui ex Doctore Lipsiensi Episcopus Numburgensis fuit ab An. 1453. ad 1466. Speculum idem Pontificibus Gregorio XI. A. 1373 et Eugenio IV. An. 1431. prohibendum visum. Latine superest adhuc MS. in nonnullis Bibliothecis, ut in Quedlimburgensi: ac verisimillima videtur Clarissimi Gaertneri sententia, qui non dubitat maximam partem Latini speculi Ecconis superesse in Latino illo, quod sine nomine auctoris in editione Zamoisciana An. 1602 cum variis Lect. MSS. Codicum, et una cum versione in idioma recentius Germanicum vulgatum est in editionibus *Zobelianis*, d) Lipsiae

a) Vide Tobiae Eckardi notitiam MStorum Quedlimburgens. pag. 59. et Pauli Christiani Hilscheri dissertationem de exercitu furioso §. 25. ubi de *fideli Eccarto*.

b) Tobias Eckardus loco laudato.

c) Johannes Martinus Schamelius in Numburgo litterato pag. 7. seq. ubi etiam Concordantias hujus Episcopi in illud speculum, et recensionem illius atque auctarium commemorat. Pro Burgsdorfio varie alii appellant, ut *Bockdorfium, Rogsdorfium, Buckendorfium, Buxtorfium* etc.

d) *Christophorus Zobelius*, Jurisconsultus Lipsiensis, morti vicinus opus hoc edendum tradidit *Georgio Menio*, qui post illius fata praelo illud commisit.

1561, 1582, 1591, 1614, fol. et quod ipse etiam non omisit addere in luculenta sua editione nupera ad MSto Codices et veteres editiones recensita illustrataque Vir Jurisconsultissimus D. Carolus Wilhelmus Gaertnerus, Lipsiae 1732, fol. de qua juvabit consulere Acta Eruditorum An. 1733. pag. 17, seq. Habet etiam Latinum junctum tribus Germanicis, duobus quidem stylo Saxonico veteri, et tertio recentiore D. Jacobus Fridericus Ludovicus, Jurisconsultus Hallensis, cujus Speculum Saxonicum lucem vidit Halae 1720, 4. De auctore glossarum D. Burchardo de Mangelfeld, aliis editionibus pluribus quam viginti, idem Ludovicus et Gaertnerus consuli possunt, quarum antiquissimae sunt Basileensis 1474. quam secutae An. 1482. August. 1516 et *Wolfi Lossenii* Lips. An. 1545. Omitto Eckonis *Chronicon* breve, cujus versionem Germanicam edidit Clariss. Menckenius tom. 3. pag. 350-359.

Alcinus ECDICIUS *Avitus,* supra in ALCMO, tom. 1. pag. 51.

Claudianus ECDICIUS *Mamertus*, in CLAUDIANO tom. 1. pag. 355.

Thomas ECKLESTON, (vitiose quibusdam *Ecleson)* Anglus, Ordinis Minorum circa Annum 1340 ad Simonem de Esseby, Franciscanum, scripsit *Chronicon de origine, incrementis et successu ordinis Franciscani in Anglia* ab adventu Agnelli a) Pisani usque ad tempora Guilelmi Nottingamii, b) Ordinis Minorum, in Anglia Provincialis. *Opus est*, inquit V, 58. Jo. Baleus, *instar libri Conformitatum Bartholomaei Pisani* c) *licet quantitate minus, fabulis, mendaciis ac blasphemiis plenum.* Ejusdem Thomae memoratur scriptum alterum *de impugnatione per Dominicanos* facta An. 1269.

Stephanus EDDIUS, sive HEDDIUS, Monachus et Presbyter Cantuariensis circa Annum 720 scripsit *Vitam S. Wilfridi I.* Eboracensis, atque inde Hagustaldensis Episcopi defuncti d) An. 709, 12. Octobr. Edita est ex MSto Sarisburiensi a Thoma Galeo inter scriptores quindecim, Oxoniae 1691, fol. pag. 40. cum minus integram e MSto Cottoniano vulgasset Mabillonius Sec. IV. Benedictin. parte 1. pag. 671 et parte 2. pag. 550 supplementum nactus ex Codice Sarisburiensi ab Eduardo. Vide et Lelandum cap. 77.

Guilelmus EDDIUS. sive EDYS, Abbas Burtonensis in Anglia Ordinis Benedict. circa Annum 1216 ab Oudino tom. 3. pag. 3 traditur composuisse *vitam* S. *Moduennae*, Virginis Hibernicae, quam S. Patricii temporibus vixisse ajunt defuncti An. Christi 460. Ac sane sub hoc nomine fertur in Catalogo Bibliothecae Cottonianae pag. 136. Apud Vossium autem pag. 784 ex Lelando scriptor vitae vocatur GALFRIDUS Burtonensis, et apud Lelandum ipsum c. 211. GALFRIDUS Burgodunensis Abbas Monasterii ad Terenti ripam, sive Trenti fluvii Angliae Borealis. Sed Joannes Pinius, Soc. Jes. qui vitam illam ex MS. Cottoniano primus edidit in Actis Sanctorum tom. II. Julii 6. pag. 297 tribuit eam CONCHUBRANO Scholastico de Gleanussen, defuncto An. 1082 et pag. 246 ex Varaeo docet GALFRIDI Burtoniensis nomen in Cottoniano Codice praefixum esse a recentiore manu: Porro Conchubranum, cujus etiam *duos Hymnos Alphabeticos* in Moduennam pag. 245 memorat, monet confudisse inter se sanctas duas cognomines earumque res et gesta, unam *Moduennam*, *Modwennam*, *Monuinam*, sive *Moninnam*, quae et *Darerca* virgo, extincta An. 518. et alteram juniorem, quae vixit circa Annum 640.

EDELBERTUS, *Adelbertus*, *Alibertus*, *Odilbertus*, *Oldibertus*, *Odelpertus*, Archiepiscopus ab An. 804. Mediolanensis, defunctus eodem, quo Carolus M. An. 814. Caroli M. encyclica Epistola circa Annum 811 data ad Edelbertum et alios Episcopos, cupientis ab eis edoceri *de rationibus rituum Baptismi,* una cum Edelberti responsione ad Carolum, atque indice XXIII, capitum

a) Ita recte Waddingus pag. 524. Lelandus, aliique: apud Pitseum pag. 442. minus bene *Aquelli.*

b) Apud Lelandum cap. 284. *Snotingamii*, Vossium pag. 518. et Oudinum tom. 3 pag. 962. *Nortingami.*

c) De quo supra tom. I p. 48. 164.

d) Henricus Warthonus tom. I Angliae Sacrae pag. 695.

libri de Baptismo, quem ad eundem misit, exstat apud Mabillonium in Analectis tom. I editionis novae pag. 75, sq. (prioris editionis tom. 1. pag. 25 et tom. 4. pag. 317.) *Praeceptum concessionis*, quo Arigauso, Abbati Monasterii S. Ambrosii An. 806 aedem S. Vincentii in Prato tribuit, editum est est ab Ughello tom. IV. Italiae pag. 75.

EDGARUS, sive ÆDGARUS, EADGARUS, Angliae Rex egregius ab An. 959 ad 975 et amplificata re Anglorum nautica et legibus variis promulgatis memorabills. Apud Speelmannum quidem tom. 1. Conciliorum Angliae, (atque inde in Conciliorum tomis, Regia tom. XXV. Labbei tom. IX. Harduini tom. VI, et Coleti tom. XI.) haec illius exhibentur : Post notitiam *Concilii* An. 959 ab Edgaro *Brondfordiae* convocati, Speelmannus pag. 430. *Privilegium pro Dorobernensis*, sive Cantuariensis *Ecclesiae primatu* pag. 432. *Charta de ejiciendis clericis uxoratis, et introducendis Monachis.* ibid. *De Concilio Londinensi* An. 965 pag. 435. *Charta duplex novo Wintoniae Monasterio Hydensi An.* 966 *tributa.* ibid. et 443. *Leges Ecclesiasticae, capita V.* Latine et Anglo-Saxonice, addita Latina versione ex Guilelmi Lambardi Archaeonomia pag. 444. Eaedem Leges ex antiqua versione, quae est apud *Joannem* BROMPTONUM pag. 870, sq. Chronici. *Canones LXVII, de ordinatorum vivendi formula*, pag. 446 et 447. *De Confessione, Canones X.* pag. 459. *De modo imponendi poenitentiam, Canones XLVI.* pag. 460. *De Satisfactione, Canones XIX.* pag. 469. *De Magnatum poenitentia, Canones IV.* pag. 474 singula Anglo-Saxonice et Latine. *Oratio* ad Dunstanum, Archiepiscopum Cantuariensem, Oswaldum Wigorniae et Ethelwaldum Wentanae Episcopos *de conjugatis clericis ejiciendis, introducendisque Monachis* pag. 476. *De injuncta Edgaro, quod claustralem virginem compressisset, septenni poenitentia.* pag. 481, seq. Haec apud Lambardum, Speelmannum et in Conciliorum tomis. Praeterea Johannes Seldenus notis ad Eadmerum pag. 105, seq. et tom. 2. Operum Seldeni primus Anglo-Saxonice et Latine edidit *Prooemium Regularis Concordiae Anglicae Nationis Monachorum, Sanctimonialiumque:* et deinde Latine *capita privilegii et Regulae novo Wintoniae Monasterio propositae*, ac denique *Orationem ad Episcopos et Coenobiorum Praefectos*, ex Adilredo, de qua jam dicere me memini tom. 1. pag. 14. Satis autem constat unum Edgarum Regem fuisse, licet velut duo apud Cangium ponantur.

* Cum post Speelmannum Conciliorum Anglicanorum collectionem ex integro reformandam edendamque susceperit ac tandem perfecerit David Wilkins, quem ille ordinem novum monumentis hisce ecclesiasticis Edgari regis constituerit, quid novi adiecerit indicare mihi hic visum est opportunum. Familiam hic ducunt (t. 1. pag. 225.) Canones editi sub Edgaro Rege Anglo Saxonice et Latine, sed versione multo quam Speelmannica diligentiori et elegantiori.

Sequitur charta Edgari *de eiiciendis clericis uxoratis* pag. 239. Pone succedunt *leges monachis Hydensibus* ab *Edgaro datae;* quas vulgavit Seldenus de quibus hic Fabricius. Additur *Charta Edgari* de novo Wintoniae Monasterio quae pariter in Speelmanno legitur Tum dantur Leges Ecclesiasticae capitibus V. Anglo Saxonice et Latine ex versione ut supra. Excipit haec *oratio* Edgari *ad Dumstanum* quam figmentum esse Alfredi Gevallensis in Genealog Reg. Angl. ad Henricum II, censet in nota Wilckinsius p. 246. Denique agmen claudit de *poenitentia Edgari regis narratio.*

EDILREDUS, supra, ADILREDUS tom. 1. pag. 14.

Chronicon Coenobii S. Crucis EDINBURGENSIS in Scotia, ab ingressu Julii Caesaris in Angliam usque ad Annum 1163. Hoc Chronicon omissis illis, quae ante Annum 596 ex solo Beda auctor contraxerat, editum ab Henrico Warthono tom. 1. Angliae Sacrae pag. 152-162.

EDIMERUS, supra, EADMERUS.

EDMUNDUS *Albanus,* supra, EADMUNDUS, pag. 485. Apud Cangium *Albonus*, ex Balei V, 64.

S. EDMUNDUS, sive EADMUNDUS, Anglorum Orientalium Rex, Martyr An. 870 cujus *passionem* circa Annum 980 scripsit Abbo Floriacensis, a) editam a Surio 20 Novembr. *Miracula* Anonymus Coenobii S. Edmundi Monachus circa An. 1090 quem vulgavit Edmundus Martene tom. 6 monumentorum pag. 822.

EDMUNDUS I. *Angliae* Rex ab An. 941 ad 946 cujus *Leges* quaedam in *Joannis* BROMPTONI Chronico pag. 858-862, et in Guilelmi Lambardi Archaeonomia: Plures apud Speelmannum tom. 1. Conciliorum Angliae pag. 415, seqq. Anglo-Saxonice et Latine: etiam prisca Legum illarum versio Latina ex MSto Jornalensi pag. 423 et *Charta donationis et privilegiorum* concessorum Ecclesiae S. Mariae Glastoniensi pag. 425. Leges illae e Speelmanno etiam Latine in Conciliorum tomis ad Annum 942 et 944.

EDMUNDUS II. *Angliae* Rex An. 1016, et 1017, sed. cujus nullae, quod sciam, Leges feruntur. Quod vero apud Cangium legas: *S. EDMUNDUS Confessor, Angliae Rex, cujus Leges Latine editae exstant, obiit prid. Non. Januar. An.* 1066. Non dubito legendum esse EDWARDUS. Vide, si placet, quae infra in EDUARDO.

S. EDMUNDUS Rich, sive Divitis, Archiepiscopus *Cantuariensis,* defunctus An. 1240 de quo supra pag. 485. Vita ejus scripta a ROBERTO fratre, obvia apud Surium XVI. Novembr. *Speculum Ecclesiae* ad Cistercienses Pontiniacensis Monasterii Monachos, in Bibliotheca Patrum Parisiensis An. 1589, 1624, 1644. tom. V, in Coloniensi tom. XIII, et in Lugdunensi tom. XXV. pag. 316. *Constitutiones Synodales XII,* apud Guilelmum Lindewoodum, sive de Tilio Nemore, in Provinciali Anglico, Parisiis 1505. Londini 1557 et Oxoniae 1664, 8. Vide Caroli de Visch Bibliothecam Cisterciensem pag. 88, seq.

a) Wilhelmus Malmesburiensis III. de gestis Pontificum Anglorum pag. 270. *Abbo Floriacensis Monachus, qui multam scientiae frugem Angliae invexit, passionem Edmundi Martyris jubente Dunstano* (Eborac.) *Archiepiscopo plenitudini litterarum adjecit.*

EDMUNDUS *Dinterus*, sive *de Dinter,* in agro Sylvaeducensi, Canonicus Lovaniensis, defunctus Bruxellis 1448. Scriptor *Chronici Brabantiae* nescio an editi, quod MStum fuit apud Gevartium, et Miraeum, teste Valerio Andrea pag. 203. et Sweertio pag. 229. Ejus *Genealogia brevis Ducum Burgundiae, Brabantiae, Flandriae, Hollandiae*, ab Hectore Trojano deducta, Francofurti et Argentorati prodiit An. 1529. 8. ab alio continuata ad Carolum V. obvia etiam in Freheri tom. 3. scriptorum rerum Germanicarum pag. 230. editionis novae Struvianae, post Gerhardum Noviomagum de Vita Philippi Burgundi.

EDMUNDUS *Divitis*, supra.

EDMUNDUS *Gryme*, sive *Grimaeus*, supra, EADMUNDUS.

EDMUNDUS *de Hadenham*, Anglus, Monachus Rossensis, scriptor *Annalium*, sive Historiae Ecclesiasticae ab Orbe condito ad Annum Christi 1307. qui MSti in Bibliotheca Cottoniana una cum continuatione Anonymi, pressiore stylo ad Annum 1377. Vide Henrici Warthoni praefationem ad Tomum 1. Angliae Sacrae pag. XXXI. et Caveum ad Annum 1307. qui multa eadem esse observant cum Matthaeo Westmonasteriensi. Sed in eo desiderantur *Annales Ecclesiae Roffensis,* quos ex *Historia Ecclesiastica Edmundi de Hadenham* ad An. 604. ad 1307. vulgavit laudatus Warthonus tom. 1. Angliae sacrae pag. 341-355.

EDMUNDUS *Monachus*, qui a Cangio memoratur e Pitseo pag. 199. quemque Pitseus ait claruisse An. 1120. et scripsisse *de discordia inter Anselmum et Regem* Guilelmum Rufum, et *de libertate Ecclesiastica*: neutiquam diversus est ab EADMERO, cujus haec ipsa scripta jam retuli supra p. 484.

EDMUNDUS *Rich*, supra.

EDMUNDUS *Sturtonus*, sive *Stuttonus*, Anglus, Monachus Ordinis Benedictini in Coenobio Glasconiensi, laudatus Baleo XII. 98. qui ejus *dialogum in Regulam S. Benedicti*, et librum *de nominibus Mariae et Johannis* memorat. Addit Pitseus pag. 835. librum *de laudibus B. Mariae Virginis.* Tempus, quo floruit, neuter prodidit.

EDUARDUS, *Eadveardus, Eadwardus, Anglus* Historicus, teste pag. 835. Pitseo

continuavit RADULPHI Nigri Historiam ad 1302. ita enim legendum pro 1202 etiam apud Cangium, cum idem Pitseus pag. 291 testetur Radulphum historiam suam usque ad Annum 1213. perduxisse.

EDUARDUS Senior, *Angliae* Rex, defunctus Anno CHristi 924 cujus *Leges* in Joh. BROMPTONI Chronico pag. 835-837.

EDUARDUS, *Angliae* Rex, Martyr An. 978. cujus Vita, Martyrium et corporis translationes, exstant in Actis Sanctorum 18. Martii, pag. 644. seq.

EDUARDUS, *Angliae* Rex, Confessor, defunctus An. 1066. cujus vitam scripsit ADILREDUS, tum prosa, tum carmine leonino ad Laurentium Abbatem Monasteriensem. De illa pridem edita dixi tom. 1, pag. 14. Carmen incipit: *Dum tibi Laurenti cogar parere jubenti.* A Rege Eduardo vel ejus auspiciis promulgatae *Leges,* sive *Chartae tres* una cum *Epistola ad Nicolaum II.* Papam exstant in Henrici Speelmanni Conciliis Angliae tom. 1, pag. 628. 630. 631. 632. atque inde in Conciliorum Tomis ad Annum 1066.

EDUARDUS tertius *Angliae* Rex, defunctus An. 1377. de cujus *Legibus* et *Epistolis* Pitseus pag. 517. 518. ey Balei VI. 57.

EDUARDUS *Cantuariensis* Monachus a) Ordinis S. Benedicti profitetur se *vitam S. Thomae*, Cantuariensis Archiepiscopi An. 1170. interfecti, scripsisse *partim, ut ab iis accepimus, qui viventi familiarius adbaeserunt, partim ipsi nostris oculis vidimus.* MS. in Bibliotheca Cottoniana, sed Surius *valde*, ut ait, *prolixam* in compendium misit atque edidit 29 Decembr. Alii scriptorem pro Eduardo EADMUNDUM *Gryme* vocant, quos secutus sum supra pag. 486 non uno enim exemplo hoc mihi constat, *Edmundi* atque *Eduardi* nomina invicem inter se confundi.

EDUARDUS *Dinlejus*, Novocastrensis in dioecesi Dunelmensi, Carmelita circa Annum 1450. cujus *Sermones* XXIV. iidem Baleus XII. 70. Pitseus pag. 642. neque plura Alegrius pag. 350. Carmelitici decoris memorat.

EDUARDUS *Kirketonus*, sive *Kirtonus*, cujus nihil aliud eodem loco Pitseus refert quam *Breviarium Sermonum.*

EGELMOTUS, sive ut apud Trithemium cap. 319. EGELNOTUS, supra tom. 1. pag. 6. ACHELNOTUS.

EGELNOTUS, supra, ÆLNOTUS tom. 1, pag. 25.

EGESIPPUS, vide, HEGESIPPUS.

EGILWALDUS, sive EGILWARDUS, Monachus S. Burchardi Wirtzburgensis, sive Herbipolensis in Germania, aliquo tempore post Annum 980. perhibetur scripsisse *vitam S. Burchardi*, Wirtzeburgensis a) ab An. 752. ad 790. Episcopi, quam dedit Surius 14. Octobris. Idem quoque existimatur composuisse *vitam S. Kiliani*, Episcopi Wirtzburgensis primi et An. 688. Martyris, b) quam vulgavit Henricus Canisius tom. IV. Antiquarum Lectionum parte 2. pag. 628. (tom. 3. editionis novae pag 174.) Et post eum Nicolaus Serarius in Opusc. Theolog. Mogunt. 1611. fol. et ex Serarii editione Johannes Petrus Ludewig in scriptoribus Wirtzburgensibus pag. 966. De Egilwardo auctore dubitat Vossius p. 501. sed non adeo idoneis argumentis.

EGINHARDUS, *Eynardus, Einartus, Æginardus, Agenardus, Egvinardus, Einchardus, Emchardus, Heinardus, Eginerus*, c) Germanus Oedenwaldensis, d) cognomento *Sapiens*, e) Carolo M. An. 814. defuncto, cujus gener, Archicappellanus, Cancellarius et Palatii Regaliis Notarius fuit, per multos annos superstes, Lotharium Ludovici Pii filium instituit, variasque gessit

a) Ita voco cum Pitseo pag. 239. Vossio aliisque. Nam si ita *aperte*, ut ait Oudinus tom. II pag. 1521 *a Clericis et Monachis* auctor *se distingueret*, nec Presbyteri titulus erat illi ab Oudino tribuendus.

a) Johann Peter Ludewigs Geschicht- Schreiber vom Bischoffthum Virtzburg pag. 588.

b) Id. pag. 534. Mabillon. SS. Benedict. III. p. 705.

c) Vide illustris Leibnitii Epistolas ad diversos pag. 591.

d) D. Nicolai Hieronymi Gundlingii Otia tom 2 pag. 202. seq.

e) Ita vocatur ab Odilone in historia translationis S. Sebastiani Martyris.

Abbatias, Blandinensem, Fontanellensem, S. Joannis Ticinensis, Gandensem, aliasque, defunctus post Annum 840. Epitaphium ei positum a Rabano Mauro, legitur inter Rabani opera tom. 6. pag. 228. Plura de Eginhardo, praeter editores ac praecipue C. V. Johannem Hermannum Schminckium, Mabillonius Sec. IV. Benedictin. parte 1. Joannes Weinskensius a) in Navarchia Seligenstadiana et in Eginharto illustrato ac vindicato, Francof. 1714. fol. Franciscus Dionysius Camusatus ad Bibliothecam Alphonsi Ciacconii, b) et Nicolaus Hieronymus Gundlingius secundo tomo Otiorum cap. V

Inter ejus scripta primum locum meretur *Vita Caroli Magni*, non minus accurate et fideliter scripta quam cultiore stylo, ita ut Svetonii et meliorum imitatorem scriptorum facile agnoscas. Edita primum in lucem est dicataque Carolo V. Imperatori a Comite Hermanno a Nuenare. Coloniae 1521. 4. cum Annalibus ab Anno 741 ad 829. Paucaque admodum sunt et a Codicis MSti varietate profecta potius, c) quae aliter ille exhibet, quam ut interpolatoris sibi partes sumere, vel auctori suo fidem vel testimonium detrahere voluisse possit jure argui. Prodiit hinc in collectione antiquissima Historicorum Hervagiana, cujus notitiam hoc loco in gratiam Lectoris subiungere liceat. Offeruntur igitur in illa: *Witichindi Saxonis, Monachi Benedictini,* rerum ab *Henrico et Otthone I. Imperatoribus* gestarum libri III. una cum annotationibus in eundem, per *Martinum Frechtum* scriptis pag. 1. Vita *Henrici IV. Imperatoris* Aug. a quodam coaetaneo scripta pag. 53. *Ducis Bavariae VII.* Epistolae, aliquot *Henrici IV.* ad *Pontificem Romanum et alios Principes* pag. 73. *Conradi Vecerii*, *Regii Secretarii*, libellus de rebus gestis Imperatoris *Henrici VII.* pag. 84. *Hermanni*, *Comitis Nuenarii*, brevis narratio de origine et sedibus priscorum Francorum, ad *Carolum V. Caesarem* pag. 102. Vita et gesta *Caroli Magni, Francorum Regis fortissimi, et Germaniae suae Illustratoris Imperatorisque optime meriti*, per *Eginhardum,* sive, ut alii habent, ALCUINUM b) conscripta pag. 107. *Æneae Sylvii, tit, S. Sabinae Cardinalis Senensis*, de Bohemornm, et ex his Imperatorum aliquot origine et gestis. Opus et integris periodis locupletatum, et ab innumeris repurgatum mendis, idque ex fide manuscripti exemplaris bonae notae. Ad *Alphonsum*, *Regem Arragonum*, pag. 126. *Luitprandi*, *Ticinensis Ecclesiae Levitae*, rerum, ab Europae Imperatoribus ac Regibus gestarum, libri VI. Ad *Raymundum*, *Liberitanae Ecclesiae in Hispania Episcopum.* pag. 219. Epitome Imperatorum Germanicorum, opera *Jacobi Wimphelingii*, *Selestadiensis et suorum* contexta, ac nuper per eruditum quendam recognita. Ad *Thomam Wolphium juniorem*, *Pontificii Juris Interpretem*, pag. 315. Chronicon rerum Moguntiacarum, per *Conradum Episcopum* conscriptum. Cum praefatione *Johannis Hervagii.* Ad *Beatum Arnoaldum Selestadiensem*, *Caroli V. Caesaris Secretarium.* Basil. 1532. fol. apud Johannem Hervagium, cum praemisso rerum memorabilium indice.

Ab eo tempore Eginhardus de Caroli Magni vita iterum subjectus praelis cum *Beati Rhenani* An. 1542. defuncti libris III. rerum Germanicarum, Basileae 1551. fol. et cum Anonymi Benedictini Annalibus Regum Francorum Pipini, Caroli Magni et

a) Acta Eruditorum, edita Germanice parte 26 et 27 tom. 2 p 145. 210.

b) Bibliotheque Raisonnèe tom. 7 pag. 114. seq.

c) Confer laudati Gundlingii Otia 1. 2 p. 215. seq.

a) *Sunt nonnulli*, inquit laudatus Schminkius, *qui hanc Vitam Caroli Eginharto abjudicant*, *et* Alcuino *tribuunt*, *ut MStum Cajogonvillense*, *Albericus Monachus ad Annum 770. Blondus*, *Petrarcha etc. sed in errorem deducti videntur, quod et Alcuinus res gestas Caroli conscripserit, ut Doctissimus Duchesnius ex MSto Moissiacensi in fine hujus libri notavit, quos foetus ignorantia inter se permutarunt ac confuderunt, tot enim exstant MSS. quae Eginharti nomen praeferunt, tot scriptores, qui in rebus Caroli eum* χατά ποδα *sequuntur et auctorem agnoscunt, ut nullum de genuino hujus libelli parente relinquatur dubium. Quibus accedit Lupus Abbas Ferrariensis, testis omni exceptione major, qui in Epistola sua prima ad Eginhartum, quam certissime librum hunc vero suo auctori vindicat.*

Ludovici Pii ab An. 741. ad 829: Coloniae 1561. 1562. 12. nec non in limine scriptorum de rebus Germanicis editorum a *Justo Reuberto.* Francofurti 1584. recusorumque Hanov. 1619. et *Georgio Christiano Johannis* curante, qui Reuberianam sillogen variis auctariis ornavit, et Eginhardo ex Schminckiana varias lectiones addidit, Francof. 1726. fol. cujus tamen editionis Johanneae exempla plura a) in incendio Francofurtensi eiusdem An. 1726. feruntur periisse: *Vita et gesta Caroli Magni per* Eginhartum, *illius quandoque alumnum et scribam adjuratum*, in *Marquardi Freheri* Corpore Franciciae historiae veteris atque sincerae p. 435. Hanov. 1613. fol. Praeter editionem Lips. 1616. 4. cum Annalibus ab An. 741. ad 829. et praefatione Comitis Nuenarii: Dicitur etiam Eginhardum edidisse et commentario illustrasse An. 1631. *Christophorus Helwich*, Vicarius Moguntinus, qui A. 1632. rebus humanis valedixit, et Francofurti A. 1631. 4. vulgavit Antiquitates Coenobii Laurishamensis, recusas in laudati Georgii Christiani Johannis tomo novo scriptorum, Historiae Moguntinensi inservientium, Francofurti 1727. fol. Exstat vero Vita Caroli Magni Eginhardiana in *Andreae du Chesne* scriptoribus rerum Francicarum tom. 2, pag. 93. Parisiis 1636 fol. recensita ad quinque Codices MSS. *Vita et conversatio gloriosissimi Imperatoris* Karoli *Regis* Magni *atque invictissimi Augusti, edita ab* Eginhardo *sui temporis impense doctissimo, nec non liberalium experientissimo artium viro, educato a praefato Principe, propagatore et defensore Religionis Christianae.* Et cum notis *Johannis Bollandi* in Actis Sanctorum 28. Januarii tom. 2, pag. 877. Antwerpiae 1643. fol. collatis duobus MStis et variis editionibus. *Johannes* etiam *Joachimus Frantzius* Argentoratensis, historiae Caroli Magni. quam ipse juvenis adhuc ex scriptoribus illorum temporum concinnavit, Eginhardi Carolum pag. 97. sed sine notis addidit. Argentin. 1644, 4. cum praefatione Johannis Henrici Boecleri. Singulariter autem laudandum studium *Johannis Friderici Besselli* Filsena Prussi, qui Eginhardum cum eruditis annotationibus publicavit Helmstadii 1667 4. ad quem deinde praestantissimus Meibomius misit lectiones Codicis MSti Florentini, cujus varias Lectiones annotavit etiam V. C. Tobias Eckartus in vita ALBERTI Stadensis pag, 54. seq. quem observat ex Eginhardo multa repetere ad verbum, ita ut emendando illi vel constituendae genuinae lectioni interdum utiliter inserviat. Obvia quoque Vita et gesta Caroli Magni Eginhardo scriptore in *Johannis Michaëlis Heineccii* et *Johannis Georgii Leuckfeldii* scriptoribus rerum Germanicarum Francofurti 1707. fol. Denique optimam hujus Vitae editionem debemus Clariss. Viro *Johanni Hermanno Schminkio* a) excusam nitide et emendate Trajecti ad Rhenum 1711. 4. Post praemissam historicam dissertationem de vita et scriptis Eginhardi, sequitur Eginhardus ipse distributus in capita XXXIV. cum notis integris Besselli, Bollandi atque editoris: Deinde post ineditas antea Goldasti animadversiones, et *Marquardi Freheri* diatribam de statura Caroli Magni ad caput Eginhardi XXII. cum florum sparsionibus et notis *Henrici Güntheri Thulemarii*, ex editione 1682, 12. Volumen claudit *Hermanni* Comitis *Nuenarii* brevis narratio de origine et sedibus priscorum Francorum, et praefatio ejusdem primae Eginhardi editioni An. 1521. praemissa ad Carolum V. et *Variantes Lectiones* ad Eginhardum ex variis MStis. In Bibliotheca Hohendorfiana, quae in Caesaream nuper transiit, parte 3. pag. 282. memoratur Eginhardus cum notis MSS. et pag. 269. *Lettre de* Msr. Pean *a Msr. Schmincke au sujet de son edition d' Eginhard, écrite en* 1712. *Notes et Observations du Sr.* Pean *sur la dite edition d' Eginhard.* In eadem Caesarea Bibliotheca Codices MSS. Eginhardi, e quibus plura loca emendavit Lambecius tom. II. pag. 263. 323. seq. 390. atque alibi. Praeclari Viri *Johannis Davi-*

a) Gelehrte Zeitungen Anno 1726. pag. 537. et 741.

a) Acta Eruditorum A. 1711. pag. 520. Memoirs of literature tom. 1 pag. 229. History of the works of the learned 1711. p. 429.

dis Koeleri dissertatio de Bibliotheca Caroli Magni ad Eginhardi cap. 33. prodiit Altdorfii 1727. 4. *Germanica* a) versione Eginhardum donavit *Joannes Augustinus Egenolfus* Lipsiae 1728. 12.

Caetera Eginhardi scripta sunt: *Epistolae LXII.* editae ex Codice MSto Laudunensi ab Andrea du Chesne tom. 2. scriptorum de rebus Franc. pag. 695. seq, et in Johannis Weinkensii Eginhardo vindicato et illustrato, Francofurti 1714. fol.

De translatione SS. Martyrum Marcellini et Petri, quorum sub Diocletiano et Maximiano circa Annum 303. passorum corpora ad Abbatiam Seligstadensem dioeceseos Mogunt. Ordinis Benedictin. ex urbe Roma circa Annum 826, adducta esse feruntur, *libri IV.* prosa scripti, quos edidit Surius 2. Junii, unde repetita in Actis Sanctorum tom. 1. Junii pag. 181. collata cum MSto Christinae, Reginae Svecorum. Conferenda quoque eadem Acta tom. VI, pag. 1, seq. et qui libros Eginhardi quatuor carmine epico reddidit Johannes Weinckens, Francofurti 1714 fol.

Acta Martyrii eorundem Sanctorum, expressa *carmine* trochaico, quod incipit: *Erat quidem exorcista (sanctus) Petrus nomine.* Hoc sine nomine auctoris in eodem Codice repertum Eginhardo tribuit Surius, ex quo idem offertur in Actis Sanctorum tom. 1. Junii pag. 174.

Annales ab Anno 741 ad 829. qui sub *Chronici Laureshamensis* nomine quibusdam veniunt, a Nuenario, aliisque sed sine nomine auctoris editos cum Eginhardo de vita Caroli Magni, parum probabili conjectura ad Eginhardum tanquam auctorem ab Andrea du Chesne referri, notare me memini supra in ADEMARO t. 1, p. 13.

Breviarium Chronologicum, sive *Abbreviatio Chronici* ex BEDA ab Orbe condito ad Annum Christi 809 res brevissime percurrens ac perstringens, quam ex Codice Caesareo edidit Lambecius tom. 2, pag. 395–398. atque Eginhardo deinceps vindicare conatur argumentis, quibus pro captu suo vel tribuet quisque vel denegabit fidem.

RODOLPHI Monachi *de miraculis S. Alexandri,* S. Felicitatis filii, liber a M. Eginhardo absolutus, cum ejusdem Eginhardi *Epistola ad Sundroltum* Presbyterum MS. apud Federicum Pacium, Lugduni Batavorum tantae antiquitatis, ut ipsum MEGINHARTI, (ita enim nomen exprimit in schedio, quod publicavit hoc ipso An. 1734.) autographum esse et seculo IX. exaratum non dubitet.

Diploma donationis loci in sylva Odonawalda, An. 815 a LUDOVICO Pio ad Eginhardum exstat apud Reuberum in praefatione: et in Actis Sanctorum tom. 1. Junii pag. 177.

Deperdita Eginhardi sunt liber *de adventu, moribus, bellis et superstione Saxonum,* ex quo fragmenta quaedam apud Adamum Bremensem lib. 1. hist. Eccles. cap. 6. seq.

Libellus *de Cruce adoranda* ad Lupum Ferrariensem, qui Epistola quarta ad Eginhardum, *libellum,* inquit, *de adoranda Cruce, meo judicio utilissimum, quem meo nomini dedicastis, ut par fuit, amplexus sum.*

Indiculus eorum, ad quos exstant EGINHARDI Epistolae.

A misso Dominico. 22.
Amalhario. 3.
Ansgiso. 1.
Blidthrut sorori. 15:
Magno Domino servus modicus. 42.
Dominae. 40.
Egilolfo et Humberto. 6.
Episcopo. 31.
Eremberto Vicedomino et Luithardo presb. 12.
Ev. S. S. 26.
G. Comiti atque Optimati, 45, N. W. et G. 61.
Geboino Comiti. 9.
Gerwardo. 14.
Gozberto Abbati. 2.

a) Metaphrasis vitae Caroli Magni versibus Teutonicis, sed ex alio Latino scriptore quam Eginhardo adornata ante annos quadringentos, MS. in Bibliotheca Caesarea teste Lambecio tom. 2 pag. 385. seq. et in Bibliotheca Gothana vide Rev. D. Ernesti Sal. Cypriani Catalogum MSS. pag. 104. sq. Titulus libri: *Daz ist der Kuns Karl, dem dients Rome unde Arl.*

Hattoni Comiti. 16.
Hermengardi Imperatrici Augustae. 62.
Hetti Archiepiscopo. 10.
Hludovici Imp. 19, 20, 21. *ad Emeritanos.* 39.
Hrabano Abbati (*Fuldensi*) 17.
Hirnotberto Comiti. 11.
Humberto et Egilolfo. 6.
Jacobo Episcopo. 5.
Ad Lotharium Imperatorem admonitio 34.
Luithardo Presbytero et Eremberto Vicedomino. 12.
Lupo Ferrariensi, Eginhardi Epistola tertium locum occupat inter Epistolas Lupi a Baluzio illustratas, ut Lupi ad Eginhardum, quem praeceptorem sum vocat, sunt prima, secunda, quarta, quintaque.
Magistro et praecipuo Cappellano domnae Imperatricis. 59.
Marchrado Vicedomino. 18. Hunc puto Marcwardum, cujus mentio in Lupi Epistola quinta.
Missis Imperatoris Comiti, Judici. 33.
N. 24, 32, 36, 38, 47, 48, 50, 51, 53, 55, 56, 58. venerabili. 25. Comiti. 27, 28, 56, 57. summi DEI Sacerdoti. 29. Abbati. 35, 46, 54. Vicedomino. 37. Episcopo. 43. Optimati. 49. Presbytero et Vicedomino. 52.
R. G. R. O. Episcopo. 8.
Otgario Archiepiscopo. 4.
Popponi Comiti. 7, 13.
E. E. S. S. 44.
M. V. 60.
Vicedomino. 23 vide Eremberto.
Vussin. 30.
N. W. et G. 61.

* Nemo hucusque prodidit, quid rei sit libellus Eginhardi de psalmis qui legitur in Catalogo vetustissimo Bibliothecae Bobiensis vulgato a Muratorio Antiq. Med. Aevi t. 3 pag. 822 his verbis: *libellus Einardi de Psalmis.* In bibliotheca Caesarea vidi ego libellum psalmorum dono missum a Carolo M. Rege ad Adrianum Papam I. cui apparatus quidam in libros S. Scriptura praemittitur. Praecedunt omnia versus more epistolae quam dedicatoriam dicimus. Num forte haec omnia praeter versus ab altero utique auctore dictatos Alcuino tribuenda sunt? Viderint docti.

EGINUS Monachus scripsit *Vitam S. Ansovini*, circa Annum 840. Confessoris et Episcopi Camerinensis in Piceni Umbriaeque confiniis ad Petrum Episcopum, quae edita est in Actis Sanctorum tom. 2. Martii 13. pag. 322-327.

EDMONDANUM Chronicon. Infra, JOHANNES de Leydis.

Johannes Baptista EGNATIUS gentilitio nomine *Johannes de Cipellis* a) natus Venetiis An. 1473 deinde discipulus Politiani, atque in patria successor Sabellici, cum ibi humaniores litteras per annos fere XL, magna laude docuisset, obiit An 1553 aetatis 80. Ejus scripta praeter *libros III, de Caesaribus* in Carolo V. desinentes, qui saepe prodiere cum Svetonio, notasque *in Svetonium*, et *in Historiae Augustae scriptores*, *in Ovidium*, *in Ciceronis Epistolas ad diversos*, *ad Romanae Urbis descriptionem*, et *in Dioscoridem*, versum ab Hermolao Barbaro, sint *De exemplis Virorum illustrium*, *Venetae praesertim Civitatis*: *Racemationes* in loca bonorum Auctorum a Grutero insertae tom. 1. Lampadis artium pag. 318-352 et laudatae Jacobo Gaddio de scriptoribus non Ecclesiasticis tom. 1. pag. 170, seq. *Panegyricus Francisco,* Regi Francorum b) ob victoriam de Helvetiis partam, Venetiis 1540, 4. Aliae *Orationes LXX. Oratio ad Meretrices. De Origine Turcarum. Epistolae XC.* Vide Nicolaum Comnenum Papadopoli tom. 2. Gymnasii Patavini pag. 200, seq. Baelium in Dictionario, et Sebastianum Corradum in Quaestura, sub init. ubi inter laudes ejus ait *melius eum dixisse quam scripsisse*.

S. EGWINUS, sive EUGENIUS, Monachus Ordinis Benedict. atque inde *Wicciorum*, sive *Vigorniensis* in Anglia Episcopus, scripsit vitam *S. Althelmi* c) Shirburnensis Episcopi, defuncti An. 709 et *aliorum Sanctorum*, nec non *de origine et istitutione Coenobii sui* Coveshamensis, et

a) Colomesius ad Gyraldum pag. 282. et ad Scaligerana pag. 258.
b) Essais de Litterature tom. 1 p. 291. seq.
c) De hoc ALTHELMO supra tom. 1 p. 142.

de suis apparitionibus. Rebus valedixit humanis An. 716 vitae scriptorem nactus S. BERCIVALDUM, sive BERHTWALDUM, d) Archiepiscopum Cantuariensem, qui diem obiit An. 731. Vide Lelandum cap. 68. Baleum Centur. 1. cap. 91. Pitseum pag. 121 et Vossium pag. 274, seq.

S. EIGIL, sive ÆIGIL, Abbas Fuldensis ab An. 818 ad 822. Vide supra, ÆGIL tom. 1. pag. 24 et de CANDIDO, qui Eigilis vitam scripsit, pag. 269. BRUUN.

EINHARDUS, supra, EGINHARDUS.

EINHARDUS de Catzenelebogen (Cattimeliboco) ex Abbate Limburgensi Episcopus ab An. 1057 ad 1067 a) *Spirensis*, scriptor *librorum quatuor de caerimoniis Ecclesiae*, quod insigne volumen vocat Cornelius Schultingius in Bibliotheca Ecclesiastica.

EITELREDUS, *Athelredus*, *Valredus*, Abbas Rivallensis, supra, ADILREDUS tom. 1. pag. 14.

EITELREDUS, sive ÆTHELREDUS, totius Albionis, sive Angliae Rex, cujus Charta data Vulfsino Episcopo et Coenobio Sciréburnensi An. 998 exstat in Henrici Wartoni Anglia Sacra tom. 1. pag. 170.

EITELWOODUS, EITELWOLFUS, infra, ETHELW.

ELBODUM *Venedotarum* in Anglia Archiepiscopum Vossius pag. 261. Cangiusque appellant, Baleum secuti Centur. 1. c. 72 et Pitseum pag. 105. Idem Elbodus apud Lelandum cap. 45 dicitur *Venetorum* Episcopus, rectius sane, ut intelligamus, Episcopatui eum praefectum Venetensi (*Gvent*) Paterni in Southwallia Angliae. ex lucubrationibus ejus nihil aetatem tulit, quanquam Baleus et Pitseus eum *de celebratione Paschatis* scripsisse, et *Historiam sui temporis* tradidisse referunt, clarum apud Cambros circa Annunm 610.

ELDADUS, sive HELDADUS, EALDADUS, Episcopus Claudiocestriensis, sive Glocestriensis circa Annum 490 in Anglia, cujus *Orationes invectivas in Saxones* memorat Pitseus pag. 90.

ELDEFONSUS, infra, ILDEFONSUS.

Philuppus Harvengius de ELEEMOSYNA, S. Bernhardi amicus, Abbas bonae Spei in Coenobio Hannoniae, Ordinis Praemonstratensis, defunctus post Annum 1180. Ejus scripta junctim edita Duaci a Nicolao Chamart, et ipso Coenobii bonae Spei Abbate, Duaci 1620, fol. Vide Caveum ad Annum 1140. Sweertium pag. 941. Valerium Andream pag. 772. Scripta illa sunt: *Epistolae XXI. Commentarius mysticus* et *Moralitates in Cantica Canticorum. De somnio Nabuchodonosoris. De lapsu primi hominis. De damnatione Salomonis. De clericorum dignatate, scientia, justitia*, *continentia obedientia et silentio. Vita S. Augustini Hipponensis* et *S. Amandi Abbatis Tungrensis, Passio SS. Cyriaci et Julittae, Salviique Martyris.* Vitae *SS. Foillani, Gisleni Abbatis, Landelini Abbatis, Odae Virginis*, a) *Waldetrudae Virginis. Passio S. Agnetis Virginis.* Varia *Carmina, Epitaphia* b) *logogriphi.*

ELEREDUS, supra, ADILREDUS, EALREDUS. Vide etiam in S. EDUARDO Rege.

ELERIUS Cambrius, Abbas in Cambria praesens An. 660 interfuit discessui *S. Wenefredae* Virginis ejusque vitam scripsit, ex quo profecit, c) qui circa Annum 1140 de eadem Virgine ejusque An. 1138. Salopiam translatione narrationem composuit ROPERTUS, Abbas Salopiensis, cujus compendium apud Surium 3 Novembris. Laudant Elerium Lelandus cap. 49. Baleus X, 10, et Pitseus pag. 109.

ELEUSIUS alio nomine GEORGIUS dictus, Monachus et discipulus *S. Theodori* Siccotae, Episcopi Anastasiopolitani, Archimandritae Coenobiorum in Galatia, defuncti An. 613 cujus *Vitam* scripsit non Latine autem, sed Graece, etsi Latine legitur apud Surium 22 April. ex versione Petri Francisci Zini, quam solam quoque

d) Henrici Warthoni Anglia Sacra tom. 1 pag. 158. Supra, BERTHOWALDUS et BRITHWALDUS.

a) Sammarthani tom. 5 Galliae Christianae p. 1037.

a) S. Odae vita in Actis Sanctorum t. 2 April. 20 pag. 575.

b) Epitaphium in Ivonem t. V Maji 20 p. 248.

c) Voss. pag. 267 Hist. Lat.

habet Henschenius Act. S. April. t. 3. p. 33.

S. ELEVTHERIUS Episcopus *Romanus* ab An. Christi 171. Junii 3 ad 185. Septembris 6 *Epistola* ei tributa *ad Ecclesias per Galliae Provincias Domino militantes* exhibetur et exploditur a Blondello in Pseudo-Isidoro pag. 209. De Lugdunensium et de Lucii Britannorum Regis ad hunc Elevtherium litteris vide Petri Coustant Epistolas Romanorum Pontificum pag. 87. seqq. quemadmodum et de *Decretis*, quae illi adscribuntur, atque de *Epistola Elevtherii ad Lucium*, Regem Britannorum, quam exhibet in appendice pag. 23 ex Usserii de Britannicarum Ecclesiarum primordiis capite 6. sed eam (ex quinque licet Codicibus MStis expressam) tempora Elevtherii minime sapere Usserius ipse pulchre annotavit: cui addendus etiam Johannes Owenus est in Theologumenis pag. 245, seq. et 253.

ELEVTHERIUS Blandinensis per novem, et per XXXI, amplius annos *Tornacensis* Episcopus defunctus An. 531 de quo Ægidius Bucherius in Belgio Romano XX, 4. pag. 586. seq. et Henschenius ad scriptores Vitae Elevtherii tres antiquos ANONYMOS pag. 187, 189, 206. et GVIBERTUM de Tornaco, Ordinis Minorum circa Annum 1260. pag. 196 et revelationem factam HENRICO Tornacensi An. 1141. pag. 195. Act. Sanctorum 20 Februar. tom. 3. Hujus Elevtherii sub nomine (non circa causam quidem illa suspecta sunt eruditis, vide Oudinum tom. 1. pag. 1335.) quae Andreas Schottus in Bibliotheca Patrum Coloniensi An. 1622 tom. XV, edidit, recusa deinde in Lugdunensi tom. VIII. pag. 1124 haec sunt: *Sermo et Confessio de SS. Trinitate. De incarnatione Domini. De Domini Natali. In Annunciationis festum*, et *Oratio* Elevtherii animum agentis *ad DEUM pro Fide et Ecclesia Tornacensi*. Sermo in Annunciationis festum incipit his verbis: *De tripartita solennitate beatissimae Virginis Mariae, fratres charissimi, in qua Angelus annunciat, Virgo concipit, Unigenitus Ingeniti Filius carne vestitur, pauca dicenda sunt, quamvis multimoda laude dignus sit, qui nunciat, dignior quae per aurem concipit, dignissimus autem ille, qui concipitur.*

ELFWARDUS, ELWARDUS, vide, ETHELWERDUS.

ELIAS *de Annibaldis*, Waddingo pag. 105 *de Nabinalis*, Ordinis Minorum, ex Archiepiscopo Nicosiensi An. 1342. Cardinalis, defunctus Avenione Anno 1363. Scripsit *in Apocalypsin, in quatuor libros Sententiarum*, et *de vita contemplativa*, nec uon *Sermones*. Vide G. Josephi Eggs purpuram doctam tom. 1, pag. 370. qui ab hoc Elia de Nabunal, Cardinali, distinguendum esse contendit ELIAM *de S. Heredio,* a) Ordinis Benedict. Episcopum Uticensem et Cardinalem sub Innocentio VI An. 1353.

* *Elias* de *Boideil* Petraconicensis Archiepiscopus Turonensis ab an. 1468 demum Cardinalis tit. S. Luciae in silice ab an. 1473. Anno dein sequenti 1484 defunctus, cuius extat libellus Pragmaticam Gallorum sanctionem confutans impressus Romae an. 1486. in 4.

ELIAS *Capreolus*, supra, CAPREOLUS, tom. 1, pag. 307.

ELIAS *Cortonensis,* Ordinis Minorum, cujus exstat *Epistola de obitu* Doctoris sui *S. Francisci* An. 1226. edita a Spoelberto, Waddingo aliisque.

(100 (Venuti Filippo) Vita di F. Elia da Cortona. Livorno 1755 e ivi 1763 con aggiunte. Affò (Ireneo) Vita di F. Elia. Parma 1783 e ivi 1819, 8. fig.

ELIAS *de Coxida*, supra, COXIDIUS.

ELIAS Abbas *Dunensis* Ordinis Cisterc. defunctus An. 1203. idem cum *Coxidio* et Sermo ille, quem pietate et doctrina refertissimum laudat Sanderus pag. 180. Bibliothecae Belgicae MS. is ipse est, quem vulgavit Carolus de Visch pag. 90. Bibl. Ord. Cisterc.

ELIAS *de Eveshamo*, Wigorniensis Monachus Ordinis Benedictini circa Annum 1270. scriptor *Chronici* nondum editi, quod sciam. Vide Pitseum pag. 351. Baleum IV. 33.

ELIAS *de S. Heredio*, supra, ELIAS *de Annibaldis.*

a) *De S. Irier* apud Lemovicenses, ut Cangio notatum, sed qui hunc cum priore eundem facit, ut Waddingus quoque.

ELIAS *de Nablnalis*, supra, ELIAS *de Annibaldis.*

Magister *Petrus* ELIAS Saeculi XI. Grammaticus, cujus Commentarium MStum in *Priscianum* memini me evolvere satis spisso Volumine. Ejusdem *Compendium metricum e Prisciano,* et *Lexicon metricum* MStum in variis Bibliothecis, ut dixi libro IV. Bibliothecae Latinae cap. 6. et 7.

ELIAS *Presbyter* et Ecdicus, auctor florilegii saeculo XII. a Cangio praeter rem inter Latinos scriptores refertur. Nam Graece scripsit, atque Anthologia ejus Gnomica ex praestantibus Philosophis, distincta capitibus CCLI. Graece MSta superest in variis Bibliothecis, ut in Bavarica Cod. LXXXIV. et in Bibliotheca Regia Parisiensi Cod. 378. 765. Ex hoc florilegio, florilegium Latine vulgavit Jacobus Pontanus a) Ingolstadii 1603. 4, cum Simeonis junioris sermonibus: recusum in Bibliotheca Patrum Parisiensi, Coloniensi et Lugdunensi tom. XXII. p. 756.

ELIAS non diu post Annum 1126 scriptor *Vitae S. Raymundi*, Rotensis et Balbastrensis Episcopi in Aragonia, editae in Actis Sanctorum t. IV. Junii 21. pag. 127.

ELIAS *Rubeus* Tripellanensi in Comitatu Cantabrigiensi Anglus circa Annum 1280. cujus librum *contra nobilitatem inanem* memorant Baleus IV. 48. et Pitseus pag. 363.

ELIAS *de Trickingham*, Anglus, Monachus Petriburgensis, Ordinis Benedictini, auctor *Chronici,* quod MStum in Bibliotheca illustris Clarendonii Comitis desinit in An. 1268, ut testatur Wilh. Nichols in Bibliotheca Historicorum Angliae pag. 63. Eundem Eliam laudant Baleus IV. 32. et Pitseus pag. 350. Baleus testatur Chronicon ejus incipere ab Anno CHristi 626. Praefixa Chronico brevis computatio de sex aetatibus Mundi, cujus hoc initium apud Caveum: *Ab origine Mundi in prima aetate seculi secundum Ebraicam veritatem computantur anni mille sexcenti quinquaginta sex.*

S. ELIGIUS Episcopus Veromandensis, sive translatâ sede Noviomensis (*Noion*) in Gallia ab An. 640. ad 659. Vita S. Eligii scripta ab AUDOENO, sive DADONE, a) libris tribus, quos integros vulgavit Dacherius tom. V. spicilegii pag. 147. (editionis novae tom. 2, pag. 76.) cum duos tantum sine prologo (quem vulgavit Labbeus tom. 2 Bibliothecae MSS, pag. 517. seq.) publicasset Surius ad 1. Decembris. Tres etiam dedit in Gallica sua versione Ludovicus Montignius, Archidiaconus Noviomensis, Parisiis 1626. ut ex Auberti Miraei auctario de scriptoribus Ecclesiasticis pag. 32. didici. Ex hujus Audoeni testimonio II. 15. et MSS. Codicum fide Eligio b) vindicatur *Sermo* ad omnem plebem *de rectitudine Catholicae conversationis*, qui inter S. Augustino adscripta saepe editus tom. IX. tractatu 20. et in novissima editione Benedictinorum tom. VI. pag. 746. Amstelod. De variis superstitionibus, a quibus in illo sermone Christiani removentur, videndus Carolus le Cointe tom. 3. Annalium Francorum pag. 484. seq. *Epistola* Eligii *ad Desiderium*, Episcopum Cadurcensem, edita inter alias ad eum scriptas Epistolas tom. quinto antiquarum Lectionum parte 2. tom. 1. editionis novae pag. 646. Ex *Homiliis* autem *XVI.* quae in Bibliothecis Patrum, ut novissima Lugdunensi tom. XII, pag. 300. seq. nonnullae etiam in Francisci Combefisii Bibliotheca Concionatoria leguntur, si non omnes, plerasque junioris longe aetatis esse, eruditi jam pridem monuere. Vide laudatum Cointium tom. 3, pag. 481. seq. Caveum ad Annum 640. Edmundum Albertinum de Eucharistia pag. 906. b. atque Oudinum tom. 1, pag. 1619.

ELIGIUS *Houcarius*, sive *Eucharius* potius, Gandavensis, sub Seculi XVI. initia scripsit carmine *Vitas S. Levini*, Episcopi et Martyris, *S. Coletae*, Virginis Gandensis, et *Bertulfi* Confessoris Comoediam de pa-

a) Vide Bibliothecam Graecam tom. X p 300, et 508.

a) Illis quae de DADONE supra pag. 420. et quae de *Epistola* ejus *ad Desiderium Cadurcensem*, *vita S. Remigii*, et *de libello de anima Dagoberti Regis* jam notavit Caveus, adde quod *Epistola* Dadonis *ad Rodobertum* Papam, sive Episcopum Parisiensem, cum Rodoberti Epistola ad Dadonem, vitaa Eligii apud Dacherium subiungitur.

b) Sirmondus notis ad Concilium Autisiodorense A. 578, tom. 1. Conciliorum Galliae p. 615.

tientia Chryselleidis. Paeana et laudes S. Agnetis et S. Catharinae, De poenitentia, Morales Institutiones. Gandavi 1511. 1513. 4. *Dialogum Charitatis et Gandae*, sive *Gandavi*. in Carolum V. A. 1519. electum Imperatorem. *Genethliacon CHristo JESU* ex Bucolicis Virgilianis, colloquentibus Gaspare, Melchiore et Balthasare: Carmen elegiacum *in laudem Servatoris e morte resurgentis*. Parisii 1511. 4. Gandavi 1519. 4. Dialogum *de moribus urbanorum et rusticorum*, versibus hexametris, Gandavi 1520. 1521. *Apologiam Annae Bynsiae* Virginis Antwerpiensis adversus haereticos, carmine elegiaco. Antwerpiae 1529. 8. Vide Sweertii Athenas Belgicas pag. 227. qui Eligium Eucharium ab Houcario praeter rem distinguit, Vossium pag. 649. seq. et Valerium Andream pag. 201. seq.

ELIMANDUS, sive ELYMANDUS, Carolo de Visch pag. 101. ELINANDUS, ea p. 140. HELINANDUS, aliis HELMUNDUS, Frigidi Montis Monachus Ord. Cisterc. in agro Galliae Belloucenasi, defunctus An. 1227. Jac. Phil. Bergomensi ad 1199. teste scripsit *Chronicon* ab initio Mundi usque ad sua tempora *libris XLVIII*. Praeterea librum *de reparatione lapsi*, nec non *Sermones* et *Epistolas*. Adde librum *de laude vitae claustralis*, et alium *de regimine Principum*. Commentar. *in Apocalypsin* aliaque de quibus Oudinus tom. 3. pag. 20. seq. Chronico ejus usi sunt praeter Jac. Philippum, Vincent. Bellovacensis, Ant. Florentinus, atque, ut Vossio pag. 441. notatum, magni auctor Chronici Belgici. Partem postremam ab A. 634. edidit Bernh. Tissier tom. VII. Biblioth. Cisterciensis.

ELIPANDUS Episcopus Toletanus circa Annum 780 de cujus et FELICIS Urgellensis haeresi videndus Petrus de Marca in marca Hispanica III. 12. Ejus *Epistola ad Alcuinum* plena bilis, inter Alcuini Opera pag. 910 seq. et alia *ad Felicem*, cum ille errori suo renunciasset pag. 995. seq. Confer, quae infra in FELICE.

S. ELISABETHA filia Andreae, Hungariae Regis, et Ludovici Pii Landgravii Hassiae ab An. 1221 uxor, defuncta An. 1231. de qua, praeter CONRADUM de Marpurg, de quo supra tom. 1. pag. 384. seq. et THEODORICUM Thuringum apud Canisium, de quo suo loco: Surius et Baronius 19. Novembr. Burchardus Gotthelf Struvius Act. Litterar. e MSS. tom. 2. sub init. Joannes Georgius Liebknecht in bina sanctarum Elisabetharum, testium veritatis Evangelicae in Hassia, memoria Giessae 1729. 4. pag. 21. seq. ut Johannis Balthasaris Happelii divam Elisabetham, Marpurgi 1645. Germanice editam praeteream. Hujus Elisabethae *Revelationes* An. 1227. factas exstare Cangius annotavit.

S. ELISABETHA Virgo Monialis Ordinis Benedict. et Abbatissa Schoenaugiensis in finibus dioeceseos Trevirensis, defuncta An. 1168. De ejus obitu frater germanus ECBERTUS (non Rex, ut est apud Vossium, Cangiumque, sed) Abbas S. Florini Schoenaugiensis, a) libellum scripsit, qui sexti libri vice visionibus hujus Elisabethae ab An. 1152, seq. factis subjicitur, ut dicere me memini supra pag. 490. *Visionum libri V*, prodiere edente Jacobo Fabro Stapulensi Parisiis 1513, fol. et cum Visionibus amicae ejus S. HILDEGARDIS, et S. BRIGITTÆ Colon. 1628, fol. Italice quoque Venetiis 1589, 4. In Actis Sanctorum autem tom. 3. Junii 18. pag. 607, seqq non integri quidem Visionum libri, sed ex Visionum b) et Ecberti narratione excerpta ampla exhibentur illisque inscribitur titulus: *Vita S. Elisabethae partim ab ipsamet dictata, partim ab Egberto fratre scripta*, una cum *Epistola* Virginis *ad S. Hildegardem*, Abbatissam Bingiensem, ex Johannis Trithemii Chronico Hirsaugiensi ad Annum 1165. Librum *de origine, inventione et nominibus virginum undecim millium* c) huic Elisabethae tribuit

a) De tribus Coenobiis, Schoenaugiae nomine claris in Germania, vide Miraei Auctarium de Scriptoribus Ecclesiasticis p. 66 seq. editionis a me curatae, et Oudinum tomo secundo pag. 1479.

b) Liber primus et secundus cum parte tertii, et totus sextus: caeteris duntaxat delibatis, quod minus ad historiam facerent. Nam in tertio, quarto et quinto *Sermones* quidam Virginis et *Epistola* continentur.

c) Secundum Jacobi Sirmondi conjecturam, ex *Undecimillae* Martyris nomine, undecim millium

Vossius pag. 413. de quo nihil apud alios reperio, quanquam de S. Ursula et undecim millibus decantata fabella apud Petrum Natalem IX, 87. Jacobum de Voragine Legend. aureae cap. 154. Surium et Baronium 21 Octobris, Hermannum Crumbach Soc. Jes. in S. Ursula vindicata Coloniae 1647, fol. ejusque auctario 1669, 4. quibus opponendus Pagius ad An. 383 num. V. Launojus parte 4. Ep. ult. et apud D. Reiserum p. 861. Usserius Antiquitatt. Eccles. Britanniae pag. 323, seq. Voëtius III, selectarum dissertationum pag. 474, sqq. et D. Iohannes Conradus Dannhaverus noster tom. 2 homiliarum Academicarum pag. 619. Johannis Davidis Koeleri Historische Müntz-Belustigung tom. 1. pag. 260, seq.

Thomas de ELMHAM Prior Monasterii S. Trinitatis Lentoniae Canonicorum Regularium S. Augustini, scripsit prosa et versu *Vitam et gesta Henrici V*, ab An. 1413 ad 1422. Angliae Regis. Primus ex MStis edidit Thomas Hearne Londini 1728, 8. De MStis Cottonianis vide Oudinum tom. 3. pag. 2333.

Chronicon breve ELNONENSE S. Amandi in Gallia ab An. 534 Sd 1223 editum ab Edmundo Martene et Ursino Durando tom. 3. Anecdotorum pag. 1390-1400.

Guilelmus ELPHISTON Episcopus in Scotia Aberdoniensis et Cancellarius circa Annum 1480 scriptor *Antiquitatum et Chronici Scotorum*, in quo Weremundum S. Andreae Archidiaconum et Johannem de Bello Campo sequi se fuit professus. Servatur MS. in Anglia vide tomum 2. MSS. pag. 217 num. 7006 et Oudinum tom 3. pag. 2670. *Conciliorum* etiam *statuta* reliquisse, Vossius pag. 635 annotat ex Joannis Balei XIV, 57.

ELPIDIUS, qui HELPIDIUS aliis, vel HELFRIDIUS Diaconus et Theodorici Regis Medicus, de quo adire juvabit Sirmondum ad Ennodium lib. VIII. Epist. 8. Alius ut mihi persuadeo *Rusticus* ELPIDIUS V. C. et INL. et Exquaestor, cujus sunt *tristicha* in XXIV, historias Veteris et Novi Testamenti, et *Carmen* epicum *de JESU Christi beneficiis*. Utraque in Georgii Fabricii Poëtis Christianis et in Bibliothecis Patrum obvia vulgavit etiam cum notis Andreas Rivinus Lipsiae 1652, 8. juncta poëmatiis non dissimilis argumenti veterum scriptorum *Lactantii, Merobaudis, Incerti* et *Amoeni*, sive Prudentii. Tristicha illa, Barthio *Historiarium*, cum Amoeni enchiridio exstant etiam in Goldasti manuali Biblico Francofurti 1610, 8. Vide Leyseri historiam poëtar. medii aevi pag. 74, sq. Intercidit ejus *Consolatio*, cujus mentionem facit in Carmine v. 45.

Hinc etiam nostro nugata est schema dolori
Garrula mendosis fingens satyromata Musis
Falleret ut trepidos cantatrix pagina questus etc.

Alexander de S. ELPIDIO, supra, ALEXANDER, tom. 1. pag. 60. Ejus scriptis addenda *Expositio Evangelii S. Johannis* cum *compendio librorum B. Augustini de Civitate DEI*, ad Franciscum Gaitanum Cardinalem. MS. in Bibliotheca Regia Parisiensi. Vide Oudinun tom. 3. pag. 882.

ELPIS uxor *Boëthii* An. 524 interfecti, erudita et virtute ac fide in maritum praestantiss. foemina traditur composuisse *hymnum duplicem* in Petrum et Paulum Apostolos, ex quibus prior incipit: *Aurea luce et decore roseo.* Alter: *Felix per omnes festum Mundi cardines.* Utrique Georgius Cassander locum dedit inter hymnos Ecclesiasticos, quos selegit ediditque Anno 1556. recusos deinde in ejus Operibus pag. 264, 265. Parisiis 1626, fol. Vide Mongitoris Bibl. Siculam tom. 1. 174.

ELPRICUS, *Chilpericus, Helpericus*, Monachus, cujus quaestio; *Cur Natalitia Sanctorum in laetitia, Parasceve vero in tristitia celebremus?* ad Alcuinum, legitur in hujus libro de Divinis Officiis, inter Alcuini Opera pag. 1054-1058.

ELREDUS, supra, EALREDUS et ADILAEDUS.

ELSWARDUS, infra, ETHELWERDUS.

ELVANUS *Avalonius* inter primos Christianos Doctores in Britannia, laudatus à Gilda, Matthaeo Westmonasteriensi circa A. C. 156 et Lelando c. 13 de Britannicis scriptoribus Ejus librum *de origine Eccle-*

fabulae ansa data, vide Hadriani Valesii Valesiana pag. 48.

siae Britannicae memorant Baleus 1, 27 et Pitseus pag. 97 sed neutri inspectum opinor. Itaque de eorum fide addubitat Vossius pag 170.

ELVODUGUS *Probus*, Britannus Monachus Bannochorensis à Pitseo pag. 103 traditur *Historiam Britannicam* scripsisse circa An. 590 adde Baleum Centur. I, c. 67 et quae infra infra in NENNIO. Non diversus esse videtur hic ELVODUGUS ab ELBODO de quo supra. Vide Lelandum cap. 45 et 57.

ELWACENSE Chronicon, vide mox ELWANGENSE.

Ex ELWANGENSI *Chronico* Abbatiae nobilis in Circulo Svevico Germaniae ad Jagistam fiuvium (Fagst) in Virguna (Virngrunde) excerpta per Matthaeum Mareshallum de Pappenheim ab An. 1095 ad 1477 in tom. I, scriptorum Freheri de rebus Germ. pag. 453 et editionis novae pag. 675-690. Idem Chronicon ex MS. Nevesheimensi integrum ab Incarnatione Domini usque ad An. 1473 communicatum a Magno Ster, Bibliothecario Neresheimiensi publicavit Bernardus Pez in tomo IV. anecdotorum parte 3. pag. 759 ad 892 sub titulo Chronici ELWACENSIS.

EMERICUS Monachus Ord. Benedict. Elefancensis a) sive Elwangensis, scripsit circa An. 870 jussu Lanthonis Episcopi Augustani *Vitam S. Magni* Abbatis et Confessoris, disciPuli S. Galli. Memoria Magni hujus recolitur 6 Septembr. Vide Arnoldum Wion tom. 2 ligni Vitae pag. 295, et 296.

EMICHO post Ecbertum Abbas Schoenaugiensis Ordin. Benedict. circa An. 1190. Ejus rhythmi in laudem S. Elisabethae Schoenaugiensis, editi in Actis Sanctor. tom. 3. Junii 18. pag. 605, 606. Vitam illius quam memorat Cangius, non vidi, et quod de laudibus Elisabethae Trithemius cum Emichonis hujus sermonibus commemorat, nihil fortasse intelligitur a rhythmis illis diversum.

EMO, sive EMMO, Abbas prImus Horti floridi Ordin. Praemonstratensis in agro Werumensi sive Wittowerano apud Omlandos Frisiae, scripsit *Chronicon* rerum sua aetate gestarum ab An. 1204 ad 1237 quod edidit Antonius Matthaeus in limine tomi 3. Analectorum Veteris aevi Lugdum. Batav. 1699, 8. et Carolus Ludovicus Hugo Abbas Stivagiensis in tom. 1, sacrae Antiquitatis monumentorum Historicorum Dogmaticorum et Diplomaticorum, Stivagii 1725, fol. pag. 429 addita pag. 504 continuatione MENCONIS, Abbatis Werumensis tertii ab An. 1237 ad 1272 et pag. 552-556 continuatione tertia ANONYMI ab An. 1276 ad 1297. Utraque etiam Antonius Matthaeus pag. 162 et 275 dicti tertii Voluminis subjunxerat.

EMMO nescio idem cum superiore an diversus, cujus scriptum *de qualitate Vitae futurae* memorat Antonius Sanderus in Bibliotheca Belgica MSta p. 271 et cujus *Praefationem* in *libros tres ex pratis SS. Scripturarum et Patrum sententiis excerptos* ad Wilhelmum, quem Reverendissimum in CHristo Patrem appellat, ex MSto ante 500 annos exarato vulgavit Edmundus Martene tom. 1. Anecdotorum pag. 667.

EMPORIUS Rhetor, qui saeculo sexto suppar Cassiodoro videtur floruisse, scripsit librum *de Ethopoeia ac Loco communi*, nec non *praecepta demonstrativae materiae et de specie deliberativa*, quae cum aliis veterum Rhetorum Latinorum scriptis lucem viderunt Basileae, Parisiis, atque inter Rhetores antiquos Latinos Francisci Pithoei, Parisiis 1599, 4. pag. 278, 283. Vide quae notavi in Bibliotheca Latina IV, 8.

EMUNDUS, qui vitam S. Anselmi, aliaque scripsit. Supra pag. 484. EADMERUS.

EMUNDUS Rex, EMUNDUS Divitis, EMUNDUS Dinterus etc. Supra EDMUNDUS pag. 495, seq.

ENCHIRIADES *sub Persona discipuli interrogantis et Magistri respondentis scripsit* Dialogum de ratione Musicae, *et in* tribus libris *multiformes Musicae regulas explicuit.* Haec de eo Sigebertus Gemblacensis cap. 109.

* In Codice MS. Biblioth. Ambrosianae extat opusculum sine titulo de musica tamen agens quod his clauditur verbis: *Finit regula Henckiradis et Boethii et Domini Guidonis* (Aretini). Proxime vero in co-

a) Corrupte *Elephantiarensis*.

dem Codice succedit. *Liber Henchiradis in Musica.* Incipit: *Sicut voces articulatae elementariae* etc. Dividitur libellus in partes duas; pars prior in libros totidem Haec Muratorius Antiq. III. 876.

ENCOLPIUS, quo familiarissime usum Imperatorem Alexandrum Severum testatur Lampridius cap. 17 eumque inter eos, qui Alexandri Severi Vitam scripserunt refert cap. 48. Hinc inter Historicos Latinos Encolpium celebravit Vossius vir praestantissimus pag. 177. At si credimus Thomae Elioto, a) equiti Anglo, Graece scripsit, non Latine. Prodiit enim An. 1549. Londini libellus Anglicanus inscriptus: *Imago Imperii*, sive *the image of Governance compiled of the Acts and Sentences notables of Alexander Severus,* quem in Epistola ad Proceres Anglicanos dedicatoria e Graeco sermone transtulisse se ait *Thomas Eliotus*, Eques auratus, atque exemplar Graecum commodato accepisse a Clarissimo quodam Neapolitano cui nomen Pudericus. Auctorem libelli affirmat fuisse Encolpium, Alexandro Severo a Commentariis. *Sed Graeculi alicujus recentioris commentum libellum istum fuisse, utcunque sane Lampridio subinde satis concordem, non dubito*, inquit Seldenus in notis ad Eutychium pag. 175 cui suffragatur Stephanus le Moyne ad Varia Sacra pag. 1109 et Tillemontius tom. 3. Historiae Imperatorum pag. 373. At Viri Clarissimi Wilhelmus Wotton in Historia Romana ab excessu Antonini Pii ad mortem Alexandri Severi, scripta Anglice editaque Londini 1701, 8. pag. 533, sq. eumque secutus Petrus Baelius in supplemento Lexici voce *Encolpius,* et Humfredus Hody ab ipso Elioto, inter cujus ingenii monumenta etiam illud refert Joannes Baleus, totum scriptum contendunt suppositum et confictum fuisse. Atque Humfr. Hodius quidem lib 1, de Bibliis Originalibus p. 108. *Historia Encolpii*, inquit, *quam citamus, prorsus ignota est viris litteratis, neque multis inter nostrates* (Anglos) *quorum lingua sola habetur, nota, forsan uni tantum aut alteri. Ex Graeco vero in sermonem Anglicanum traslata est (si ipsi titulo fides) a Thoma Elyoto Medico, et edita An. 1549. Sed non est, cur doleant viri eruditi, lingua solum Anglicana Historiam istam exstare. Quamvis enim ex Lampridio appareat, exstitisse olim Historiam Vitae Alexandri Severi ab Encolpio scriptam, tamen fidem dederim, non illius hanc esse, sed ab aliquo Christiano, ejus nomini suppositam. Neque Orationes quae in ea multae habentur, ex Codice Graeco conversae sunt, sed ab ipso, crede mihi, Elyoto compositae. Scio ego hominis ingenium, et Orationes confingendi morem ex aliis ejus scriptis. Imo totum librum ab ipso Elyoto compositum fuisse, mihi ego facile persvadeo, quamvis praetendat a nobili quodam Neapolitano exemplar Graecum se mutuo accepisse. De Historia hac plene nos alibi.* Sed satis citius concessit vir longiore vita dignissimus jam An. 1707. Itaque Antiquitates ejus Alexandrinas et alia praeclara ingenii monumenta incassum fortasse exspectamus. De Wottoni sententia vide sis Acta Eruditorum Lips. An. 1702 pag. 489. Idem judicium feras de historia conficta ac supposititia de Principe *Erasto*, filio Diocletiani Imperatoris, et VII. Philosophis, quae velut e Graeco translata Gallice prodiit Parisiis 1709, 12. In praefat. mentio versionis Italicae, Hispanicae, et veteris paullo prolixioris Gallicae. De Latina, Anglica et Germanica veteri, vide Erhardum sive Goldastum ad Petronium pag. 509 editionis Clarissimi Burmanni.

a) De hoc Elioto vide Johannem Baleum Centur. VIII. 77. Johannem Pitseum ad Annum 1546. pag 734.

ENERANDUS, infra, ENTRANDUS.

ENERVINUS, infra, EVERVINUS.

ENGELBERTUS, Abbas *Admontensis* in Stiria ad Anasum fluvium: Ordinis Benedictini a) ab An. 1297 obiit An. 1331 scriptor libri *de ortu, progressù et fine Romani Imperii*, quem Mundi finis proxime est insecuturus. Hunc post editionem Casparis Bruschii, qui cum hodoeporico suo Bavarico illam vulgavit. Basileae 1553, 8. et Joachimi Clutenii, Offenbaci 1610, 8. re-

a) Trithem. cap. 579. de S. E. et Illustr. Benedictin. II. 100.

cognovit Andreas Schottus, unde recusus prodiit in supplemento Bibliothecae Patrum Coloniensi An. 1622 et in Lugdunensi tom. XXV. pag. 363.

Carmen Engelberti heroicum, seu *Panegyricum in Coronationem Rodulphi Habspurgensis* An. 1273 scriptum, in quavis fere Historicorum Germanicorum collectione reperiri, ait Caveus, lapsus memoria, eumque secutus Oudinus tom. 3. pag. 555 nam quantum memini in nulla hactenus mihi occurrit.

Caetera, magnam partem adhuc inedita Engelbertus ipse memorat in *Epistola de studiis et scriptis suis* ad Ulricum Scholasticum Viennensem, quam edidit Bernhardus Pezius tom. 1. Anecdotorum pag. 429. Ex illa Catalogum lucubrationum Engelberti referam, annotatis iis, quae ejusdem Pezii industriae debemus in lucem jam prolata.

Primò in Theologia.

Primò Expositionis continuae super Psalmum: *Beati immaculati*, per totum usque: *ad Dominum cum tribularer.* Quod Opus incipit: *Vadam in agrum.*

Item de Gratiis et virtutibus Beatae Mariae Virginis, quod incipit: *Laetetur anima vestra.* Edidit laudatus Pezius tom. 1. Anecdotorum pag. 504 et partem secundam pag. 565 tertiam p. 585. Expositionem Cantici B. Mariae p. 617 partem quartam pag. 696.

Item de Articulis Fidei, quod incipit: *Qui confidunt in.*

Item Tractatum unum de Passione Domini et mysterio Crucis, qui incipit: *Circa magnum.*

(Tractatum super Passionem secundum Matthaeum, edidit Pezius tom. VIII. Bibliothecae Asceticae pag. 67–112.)

Item de Corpore Domini Tractatum, qui incipit: *Cum propter plures modos.*

Item Tractatum de Gratia Salvationis et justitia damnationis humanae, qui incipit: *Indica mihi.*

Item de Libero Arbitrio Tractatum, qui incipit: *Inter caetera plures.* editus tom. IV. Anecdotorum Pezii parte 2. pag. 121-147.

Item de Summo Bono hominis Tractatum, incipit: *Melius est videre.*

Item de Providentia DEI, qui incipit: *De Providentia DEI.* Edidit Pezius tom. VI. Bibliothecae Asceticae pag. 51-150.

Item de Miraculis CHristi, qui incipit: *Mirabilia testimonia.*

Item super duodecim Antiphonas: *O Sapientia etc.* Tractatum, qui incipit: *aspiciebam in visione.*

Item de Quaestionibus super Antiphonam: *Cum Rex gloriae*, Tractatum, qui incipit: *De illo laudabili.*

Item de Statu Defunctorum Tractatum, qui incipit: *Occasione ejus, quod legitur.* Edidit Pezius tom. IX. Bibliothecae Asceticae pag. 113-192.

Item de Quaestione illa: Utrum DEUS adhuc incarnatus fuisset, si primus homo non fuisset lapsus, Tractatum, qui incipit: *Utrum, si primus homo.*

Item super Evangelium: *in principio erat Verbum*, Tractatum, qui incipit: *Ad praeceptum tuum elevabis.*

Item de Sensu doloris CHristi in Passione, et de declaratione verborum Hilarii Tractatum, qui incipit: *Super quibusdam Verbis Hilarii.*

(Sermones.

Opus de Sanctissima Trinitate.

Orationes precatorias ad JESUM et Mariam.)

De Philosophia Naturali.

Primo super Librum Aristotelis de Mundo, unum magnum Commentum, quod incipit: *Inter plura capitula.*

Item super Librum de Inundatione Nili unum Scriptum, quod incipit: *Post librum Aristotelis.*

Item de Fascinatione Tractatum, qui incipit: *Cum secundum Philosophum.*

Item de Naturis Animalium Tractatum, qui incipit: *De Naturis.*

Item de quibusdam Naturalibus Tractatum, qui incipit: *Super exceptivis.*

Item de causis et Signis mutationis aëris et temporum.

Item de Causa longaevitatis hominum

ante Diluvium Tractatum: qui incipit: *Quaestionem difficilem.* tom. 1. Anecdotorum Pezii pag. 437-502.

Item in Musica Tractatum, qui incipit: *Propter amicorum instantiam.*

Item in Philosophia Morali.

Tractatum de Regimine Principum. Incipit: *Philosophus dicit.*

Item Tractatum, qui dicitur Speculum Virtutum. a) Incipit: *Gloriosis Dominis*:

Alberto et Ottoni, Ducibus Austriae. Edidit in XII. partes tributum laudatus Pezius in Ascetica Bibliotheca cujus totum Volumen tertium occupat.

Item de Officiis et Abusionibus eorum. Incipit: *Cum libros etc.*

Item de Ortu et Fine Romani Imperii. Incipit: *Cansedentibus.* De hujus libri editionibus dictum pag. 507.

Item de eo, utrum Sapienti competat ducere uxorem, Tractatum, qui incipit: *Narrat Satyrus.*

Item Dialogum Concupiscentiae et Rationis. Incipit: *Quoniam, ut dicit Seneca.*

Item Tractatum Metricum de Consilio vivendi, qui incipit: *Consilium vitae cupiat qui discere rite.*

Item de Electione Regis Rudolphi, qui incipit: *Sclavica qui tumidi confregit cornua Sceptri.*

Item de passione beatae Katharinae Opus, quod incipit: *Inclyta qui sanctae Katharinae Virginis acta.*

Quae tria sola metrice sunt dictata etc. Si quae adhuc Opera complenda habemus in manibus, praedictis addi possunt, cum completa fuerint DEO dante. *Hactenus Engelbertus.*

* Quamvis integra eius expositio in Psal. *Beati immaculati in via* nondum prodiit; eius tamen commentationis Praefatio vulgata est a PP. Pez et Hueber Cod. Diplom. p. 3. pag. 6.

ENGELBERTUS alius, de quo Albericus in Chronico ad Annum 1177. *Apud Cabillonem* Engelbertus *ordinatur Episcopus*, *qui post annos tres Episcopatum dimisit, sed tamen Ordines et Benedictiones celebrat.*

ENGELBERTUS Abbas Ordinis *Cisterciensis* circa Annum 1250. scripsit *Vitam S. Hedwigis,* Ducissae Poloniae, a) et postea monialis Coenobii Trebrucensis in Silesia, ex qua profecisse se profitetur scriptor, qui ejusdem Hedwigis vitam scripsit editam a Surio 15. Octobris. *Ex iis etiam*, inquit, *quae frater* Engelbertus, *Ordinis Cisterciensis, de hac sancta scripsit, quaedam notatu digna illis adjunxi.*

S. ENGELBERTUM *Coloniensem, illustratum ex Archivis* vulgavit Ægidius Gelenius Coloniae 1633.

ENGELBERTUS Abbas *Corbejensis.* Vide, ANGILBERTUS, tom. 1, pag. 97.

ENGELBERTI Cultificis Tractatus de *Simonia vitanda in receptione Novitiorum*, memoratur a Sandero tom. 2. Biblioth. Belgic. MSS. pag. 214.

ENGELBERTUS S. Matthiae Trevirensis Abbas Morellanus Ordinis Benedictin. ab Eisengrenio et Possevino traditur vixisse An. 987. scripsisseque carmine heroico *Passiones duodecim Apostolorum.*

ENGELHARDUS Abbas in Lanckhaim, Ordinis Cisterciensis, Dioecesis Bambergensis, scripsit *vitam S. Mechtildis*, sive *Mathildis*, cognatae Friderici I. Imperatoris, Abbatissae in Diessen et postea Eitelsteden inter Augustam et Ulmam, defunctae circa Annum 1160. Edidit Henricus Canisius tom. V. antiquarum Lectionum parte 2. pag. 8. (editionis novae tom. III, pag. 532.) unde recusa cum commentario praevio et notis Henschenii tom. VII. Actorum Sanctorum Maji 31. pag. 444. Engelhardum circa Annum 1200. scripsisse Cangius ait, Vossium secutus, recte ni fallor. Nam Oudinus, qui tom. 3, pag. 691. utrisque eo nomine manifestum impingit errorem, debebat evidenter demonstrare, quod ait Mechtildem post Annum 1280 e vivis migrasse.

ENGELHARDUS *Funck*, sive *Scintilla* Svobacensis Francus, clarus Romae circa Annum 1494. teste Trithemio c. 927 et de

a) Acta Eruditorum A. 1721. pag. 485.

a) Matertera hæc S. Elisabethæ Regis Hungariæ filiæ, de qua supra pag. 280.

scriptoribus Germaniae cap. 282. qui memorat ejus Carmen elegiacum *de laude Patriae suae*, carmen *de annulo sibi donato*, *Epigrammata* et *Epistolas*.

Theodoricus ab ENGELHUSEN, siva *Engelhusius* Einbeccensis, ex Canonico Hildesneimensi Presbyter monasterii in a) Wittenborch, defunctus An. 1430. scripsit *Chronicon-Chronicorum* minime contemnendum ab Orbe condito ad Annum 1420. quod primus post Basiliis Joannis Heroldi, et Guilelmi Budaei, Medici Halberstadensis intercepta consilia, b) in lucem edidit Joachimus Johannes Maderus, ex IV. MSS. Helmst 1671. 4. Excerpta quaedam ediderat in Antiquitatibus Brunsvicensibus, ibidem 1661. 4. Idem Chronicon emendatum et ab Auctore continuatum ad Annum 1433. legitur in tomo secundo scriptorum Brunsvicensium illustris Leibnitii pag. 977. seq. De *Matthiae* DOERINGII continuatione ab An. 1420. ad 1464. et alterius (Thomae forsan WERNERI) ad Annum 1497. dixi supra pag. 449. Idem Engelhusius traditur *Commentarium* scripsisse *in Psalmos*, et *Vocabularium* ab auctore *Engelhusen* dictum, quod Brunsvici in Codicibus aedis San-Blasianae servatum notavit Rev. Philippus Jul. Rehtmeyerus in Antiquitatibus Brunsvicensibus Germanice editis, appendice ad tomum 1, pag. 81. nec non *Chronicon Erfordiense*, de quo infra. Non audet laudatus Leibnitius Engelhusio tribuere *Poësin Ducum Brunsvicensium*, sive poëma de Ducibus Brunsvicensibus, quod allegatur sub titulo. THEODORI, sive THEODORICI LONGI *de Einbecke*. Nam *ut distinguendos*, inquit, *judicem*, *facit non tantum, quod Meibomius*, c) *editor poëmatis leonini de Saxonia, Tidericum Langium ejus auctorem*, *Canonicum Gosslariensem et Einbeccensem vocat, sed et, quod in poëmate inter Saxoniae dynastas adhuc vigentes, quosdam recenset*, *velut Homburgios*, *qui Engelhusio florente jam extincti erant.*

a) Vide Buschium apud Leibnit. tom. 2 Brunsv. pag. 842.

b) Idem praefat. ad Tomum 2. pag. 54. atque ex eo Oudinus tom. 3 pag 2312. seq.

c) Tom. 1 scriptorum rerum Germanicarum p. 806-812.

Genealogiam brevem Ducum Brunsvicensium Engelhusio auctore idem exhibet Leibnitius tom. 2, pag. 20. seq. Indicem scriptorum, quibus Engelhusius in Chronico est usus, hoc loco interserendum existimavi:

Catalogus Scriptorum, *quorum Testimoniis in Chronico suo usus est ENGELHUSIUS.*

Ambrosius.
Aristoteles.
Augustinus de Civitate Dei.
Aureum speculuum D. Alberti Engelschalc, Theologi Parisiensis. De eo Auctor sub Gregorio XII.
Bedae gesta Anglorum.
S. Bernhardus.
Boëthius.
Caesarius (Heisterbacensis.)
Caldrini Repertorium.
Chronica Martiniana. (Martini Poloni.)
Chronica Trevirorum.
Chronica Slaverum.
Chronicon Goslariense.
Chronicon Caroli.
Chronicon S. Michaëlis in Hildesheim.
Chronicon Amelungsbornense, citatum saepe litterà A. solum.
Claudianus.
Corpus Juris Canon.
Damasi Chronicon Romanorum Pontificum.
Egesippus.
Epiphanius.
Epistolae variorum.
Epitaphia varia.
Estadius. Citatur, ubi de Phaleg et Jano.
Eusebii Historia Ecclesiastica.
Extravagantes.
Freculphi Chronica.
Gaufredi Chronica Britonum.
Gennadius.
Glossa Juris Canon.
Gobelini Personae Cosmodromion. De eo Auctor sub Innocentio VI.
Gotfridus Viterbiensis.
Gregorii Dialogi.
Gregorius Turonensis.
Gualterus de Vita Alexandri.

Guido de Columnis, de bello Trojano. Citatur, ubi de Troja.

Ejusdem Chronica Britannorum. Citatur in Praefatione Auctoris.

Hebraeorum Traditiones.

Helinandus.

Henricus Rosla Nienborgensis Poëta. Citatur in Praefatione Auctoris, alibi passim.

Hieronymi Chronica.

Hilarius.

Historia Scholastica Comestoris.

Homerus.

Honorii Solitarii Historia solemnis. Praefat. Auctoris. Citari solet litterà H.

Honorii Solitarii gemma animae : in Praefatione.

Hugo Floriacensis , in Praefat.

Hugo Bambergensis in Historia Poëtarum. Vide Auctorem sub Rodulpho Habsburgensi.

Joachimi Abbatis prophetia.

Jorad.

Jordani, Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, Chronica de Germanis Regibus. De eo Auctor in Gregorio IX.

Josephus.

Irenaeus.

Isidori Libri Etymologiarum.

Julius Celsus.

Libellus Mosis contra Belial.

Liber Virorum illustrium Ordinis Cisterciensis.

Lucanus.

Methodius.

Orosii Ecclesiastica Historia.

Ovidius.

Petrus Damianus.

Philo.

Plauti Comoediae.

Poëma, Aurora Petri de Riga. De eo Auctor sub Anastasio IV.

Poëtria nova Gaufredi sub Calixto II.

Prosperi Chronica.

Ruffinus.

Sallustius.

Seneca.

Septuaginta Interpretes.

Solinus.

Statuta Imperatorum.

Theodulus.

Theodoricus de Niem.

Theodori Longi de Eimbeke Poëma.

Trogus Pompejns.

Turpini Remensis Chronica Francorum.

M. Tydericus minor. Vide in Alexandro III. Videtur non esse alius a Theoderico de Niem.

Versus Variorum.

Vincentii Speculum Historiale.

Virgilius.

Vita S. Hermachorae. (Hermagorae.)

Wilhelmus Parisiensis.

ENGELMODUS Episcopus Svessionensis, cujus carmen epicum in laudes Paschasii Ratberti, Abbatis Corbejensis, quem constat diem obiisse supremum An. CHristi 851 edidit cum Ratberti scripti Sirmondus Parisiis 1618, fol. recusum inde in Patrum Bibliothecis et novissima Lugdunensi tom. XIV. pag. 353, 354.

ENGOLIMENSE a) Chronicon breve ab An. CHristi 814 ad 991 in Labbei Bibliotheca MSS. tom. pag. 323-325.

Magnus Felix ENNODIUS, Arnulpho Lexoviensi b) propter obscuritatem *Innodius*, Bernhardo Sacco *Ænnodius*, Episcopus ab An. 511 ad 521. Ticinensis, defunctus anno aetatis XLVIII. De illo Acta Sanctorum tom. 4. Julii 17. pag. 271, seqq. Varia scripsit versu et prosa, quorum pleraque edita in Orthodoxographis An. 1569 tom. 1. pag. 269-480 et ab Andrea Schotto Tornaci 1610 sed emendatiora, auctioraque a Jacobo Sirmondo, Parisiis 1611, 8. ad Nicolaum Fabrum, cum eruditis notis, et tom. 1. Operum Sirmondi junctim editorum Parisiis 1696 atque inde Venetiis 1729, fol. Recusà quidem etiam sunt in Bibliothecis Patrum Parisiensibus recentioribus, Coloniensi et Lugdunensi ex Sirmondi recensione, sed notis ejus omissis. Versibus scripta sunt: XXI. *Carminum* liber, in quo Itinerarium Brigantionis castelli; et hymni varii ac laudes: tum Liber *Epitaphiorum* atque *Epigrammatum* CLI. Caete-

a) *Angoulesme* in Aquitania Galliæ, sub Archiepisc. Burdegal.

b) Joannis Golfr. Olearii Biblioth. scriptor. eccles. pag. 222.

ra, quae prosa scripsit, sunt *Epistolarum* ad diversos *libri IX* quibus indicem eorum ad quos missae sunt, Sirmondus praemisit. *Panegyricus* Theodorico Regi Ostrogothorum dictus Mediolani vel Ravennae An. 507 vel 508. editusque etiam cum Sirmondi notis in vita Theodorici Regis. post Jo. Cochleum Ingolstad. 1544. 4. edita a Johanne Peringskiöld, Stockholmiae 1699, 4. *Libellus Apologeticus pro Synodo* IV. Romana An. 502 obvius etiam in Tomis Conciliorum. Hic est quem Trithemius cap. 203 vocat: *De Fide Catholica ad Symmachum Papam,* ubi male *Evodius* dicitur pro *Ennodio*. Ibidem refert Trithemius Anastasium Imper. cum missus ab Hormisda, Papae ad eum mandata ferret Ennodius, refutasse ea his verbis: *Quid nobis mandato porrigitis qui sub nullius ditione sumus? Oportet Romanum Pontificem nobis obedire, non etiam praecipere.* Caetera Ennodii sunt: *Vita B. Epiphanii*, Episcopi Ticinensis ab An. 466 ad a. 498 et *B. Antonii*, Monachi Lirinensis. *Eucharisticon de Vita sua*, postquam gravi morbo liberatus esset Ennodius, ad Elpidium Diaconum et Medicum. *Paraenesis didascalica* ad Ambrosium et Beatum. *Praeceptum* quando jussi sunt omnes Episcopi *cellulanos* habere, sive contubernales Clericos, vitae suae actuumque testes. *Petitorium* quo absolutus est, sive manumissus in Ecclesia Gerontius, puer Agapiti. *Benedictiones* duae *cerei Paschalis Dictiones,* sive Declamationes breves XXVIII, in quibus sacrae quaedam seriaeque, aliae Scholasticae, et Controversiae Rhetoricae. Hisce a Sirmondo editis addenda *Dictio in Natali Laurentii*, *Mediolanensis Episcopi*, quam cum brevi ad Venantium *Epistola* ex MSto S. Remigii Remensis edidit Edmundus Martene tom. V. Anecdotorum pag. 61, 62.

ENOCH Patriarcha Hierosolymitanus a Carmelitis perhibetur Auctor *Vitae S. Angeli* Carmelitae Martyris An. 1220 quae prodiit Panormi 1527. et cum Papebrochii censura et observationibus legitur in Actis Sanctorum tom. 2. Maji V. pag. 803-834. Vitam illam scriptam esse ab Enocho An. 1227 contendit Thomas Bellorosius, a) qui eam separatim recudi curavit, et contra Papebrochium aggressus est vindicare. Bononiae 1691 in 4.

ENTRANDES, sive ENTRANDUS, vel ENERANDUS Diaconus Sec. XIII, cujus Chronicon *de rebus Francofurtensibus* in Bibliotheca Laurishamensi inspectum sibi testatur Franciscus Irenicus. b) Ex Laurishamensi in Palatinam Heidelbergensem, ex Heidelbergensi in Vaticanam fieri potest, ut pervenerit, qui tamen proferret in lucem, hactenus fuit nemo.

EPHIBIUS Abbas de Geniciaco Villa, cujus Testamentum a Childeberto Rege roboratum An. 696 vulgavit Dacherius tom. XII, spicilegii pag. 101. (editionis novae tom. 3. pag. 318, sq.)

EPIPHANII Episcopi Salaminae Cypri *Epistola ad Johannem Hierosolymitanum*, et altera *ad Hieronymum*, Latine legitur inter Hieronymi Epistolas sexagesima et septuagesima tertia, (Epist. 110 et 63 tom. 4 editionis Marcianae), sed ex Hieronymi versione, nam Epiphanius Graece illam scripserat, et Hieronymum, ut verteret, rogaverat. Vide, si placet, librum V. Bibliothecae Graecae cap. 11. §. 4, num. 5, 6.

EPIPHANIUS *Catanensis* Diaconus, Synodo Nicaenae secundae An. 787 interfuit *loci Servator*, sive vicem gerens *Thomae*, c) Archiepiscopi Sardorum Insulae, habuitque *Sermonem Laudatorium*, qui ex veteri Latina Anastasii Bibliothecarii versione superest tom. VII. Labbei p. 617 et Harduini tom. IV. pag. 502-508. Incipit: *Beatus Propheta Esaias*. Alius videtur Epiphanius Diaconus et Cubicularius, (κουβουκλείσιος) qui in eadem Synodo Actione VI, legit *refutationem* ὅρου, sive *Definitionis cultui imaginum oppositae*. Et Definitio illa et refutatio

a) Vide Ughellum tomo 1. pag. 1079. ubi etiam Ennodii Epitaphium, sicut etiam apud Bernbardum Saccum VIII. 1. Hist. Ticinens.

a) Giornale de' Letterati in Modena An. 1692. 4. pag. 176.

b) H. C. schenckenberg praef. ad tom. 1 select. Juris et Hist. pag. 7.

c) Vide Harduini Concilia tom. IV pag. 129. 293. ubi Thomas ille tantum ἐπίσκοπος Σαρδινίας dicitur, sed pag. 502. *Archiepiscopus*.

Graece scripta utraque, edit. Harduin. pag. 326-443 divisa in tomos sive sectiones VI.

EPIPHANIUS *Scholasticus*, clarus circa Annum 510 et amicitia Cassiodori, a) atque suscepta ejus precibus versione Latina insignium Graecorum scriptorum, famam non obscuram consecutus. Hic est, qui *Historiam Ecclesiasticam Socratis Sozomeni et Theodoreti* misit in compendium, cui digesto in duodecim libros imposuit nomen *Historiae tripartitae*, b) qui lucem primum viderunt Augustae Vindelicorum 1472, fol. per Johannem Schüssler *non quidem chrirographati, sed ipsa quae a Summo demissa est arte quam diligenter impressi*. Hinc Parisiis sine anni nota in octavo apud Franciscum Regnault et postea ex Beati Rhenani recognitione Basileae 1523, 1528, 1533, 1539, 1568. et Parisiis apud Nivellium 1562, fol. 1566, 8. atque Francofurti 1588, fol. una cum historia Ecclesiastica Eusebiana, quam Latine vertit Rufinus et duobus libris additis continuavit. Denique Johannes Garetius, Monachus Benedictinus, in nova Operum Cassiodori editione Historiam tripartitam ad MStos Codices recensuit, et locorum Socratis, Sozomeni ac Theodoreti, quae Epiphanius interpretatur, paginas ex Valesiana editione, utili instituto annotavit. Rothomagi 1679, fol. *Gallica* versio Jacobi Billii, cujus ipse facit mentionem libro 1. Observationum sacrarum cap. 26 nescio an lucem viderit. Aliam Ludovici Cyanei, Parisiis 1568, fol. apud Ægidium Gourlinum excusam memorat Franciscus a Cruce in Bibliotheca Gallica pag. 293. *Hispanica* Johannis Crucii, sive a Cruce, Ordinis Praedicatorum, prodiit Ulyssipone 1541 et Conimbricae 1554, fol. *Germanice* quoque cum Eusebio et Rufino tripartitam vulgavit Caspar Hedio Argentorati 1545 in folio.

Ex Cassiodori capite XI libri Divinarum Lectionum constat etiam Epiphanio huic deberi Latinam versionem *Codicis Encyclici* (*totius Orbis Epistolarium* vocat idem Cassiodorus) sive Collectionis Epistolarum Synodalium An. 458 pro defensione Concilii Chalcedonensis ad Leonem Imperatorem. Opus eximium Ecclesiasticae antiquitatis, quod Graece quoque extare peroptabat Valesium pag. 72 ad Evagrium. Latinam Epiphanii versionem primus, sed omisso interpretis nomine ediderat Surius in sua Conciliorum editione An. 1562 hoc titulo: *Epistolae illustrium personarum pro Concilio Chalcedonensi*. Surium secutus Nicolinus est An. 1585 et in prima sua Conciliorum editione An. 1606. Binius: sed in editione Romana An. 1608 alia inserta huic collectioni, quae ad eam non pertinent, alia magni momenti detracta ac praetermissa, tum Epistolarum ordo mutatus contra mentem collectoris et interpretis. Editionem Romanam imitati Binius in editionibus An. 1618 et 1638 tum Regia tom. IX et Labbeus tom. IV, qui pag. 890 meminit quidem Codicis Bellovacensis, sed ita ut inspexisse se neget, licet collatum illum a Labbeo annotet tom. 2. pag. 689. Harduinus. Verum primus Baluzius Labbeanam editionem contulit cum Bellovacensi et Corbejensi, utroque octingentorum annorum Codice, et post eruditam praefationem lectiones utriusque Codicis ad paginas editionis Labbeanae annotavit in sua Conciliorum editione Paris. 1683, fol. pag. 1412-1446. Ex Baluzii restitutione deinde Codicem encyclicum Actis Concilii Chalcedonensis subjunctum exhibent tom. 2. Harduinus et in novissima Veneta Conciliorum editione tom. IV. Nicolaus Coletus.

Versio vetus *Antiquitatum Judaicarum Flavii Josephi* itidem Epiphanio a viris doctis tribuitur, et sub ejus nomine etiam edi coepit Oxoniae 1700. fol. Sed ex Cassio-

a) Vide Cassiodori Divinas Lect. cap. 17. et praefat. in Hist. Tripartitam.

b) Miraeus ad Sigeberti cap. 12. annotat *Epiphanium Cassiodoro postulante Theodoreti, Socratis, et Sozomeni historiam Ecclesiasticam ex Graeco Latinam fecisse: Cassiodorum autem ex translatione Epiphanii, Historiam tripartitam contexuisse*. Ac si Cassiodori praefationem in illam Historiam consulas, verum dixisse Miraeus videbitur: Si vero attendas verba capitis 17. Institut. Divinar. Lect. veriorem pronunciabis Sigeberti sententiam, qui ait Epiphanium (non Cassiodorum) tres historias (suadente Cassiodoro) in unam compegisse. Versione hac Epiphaniana jam usum se esse innuit Liberatus cap. 2. breviarii. De qua non repetam, quae dixi libro 3. Bibliothecae Latinae cap. 16.

dori verbis cap. 17. Institut. Divinarum Litterarum recte colligas, Epiphanium si in eo posuit operam, certe non solum id fecisse, ut jam notare me memini libro IV. Bibliothecae Graecae cap. 6.

Ex *Clementis Alexandrini* ὑποτυπώσεων, sive *adumbrationum* libris brevia scholia habemus *in priorem Petri, in Judae Epistolam*, et *in primam ac secundam Johannis*, saepe excusa Latine in Bibliothecis Patrum, et curante Joanne Fello ad calcem libri Clementis de divite salvando Oxoniae 1683. 12. nec non in B. Doctoris mei, Thomae Ittigii supplemento Operum Clementis, Lipsiae 1700 8. et in novissima Operum Clementis editione Oxoniensi, quam Johanni Pottero debemus 1715. fol. p. 1006. Hanc quoque versionem Epiphanio viri docti tribuunt, quia adumbrationes se hujusmodi, Clementis curasse transferri testatur Cassiodorus Divinarum Litterarum institut. capite 8. ubi expositionis *Didymi* etiam *in septem Epistolas Canonicas* meminit, et capite quinto ejusdem *Didymi in Proverbia*, atque *Epiphanii* Antistitis *Cyprii* voluminis brevis *in Canticum Canticorum*, quae tria *ab amico suo viro disertissimo Epiphanio* refert rogante se Latine reddita fuisse, sed nemo adhuc, quod sciam, in lucem protulit.

EPKO *de Repkow*, supra, ECCO pag. 492.

ERACLIUS (apud Baronium et alios ERADIUS) Hipponensis Presbyter, S. Augustino valde probatus, et ab eo An. 426. 26. Septembr. designatus a) successor in Episcopatu Hipponensi. Huic tribuitur, et sub ejus nomine editus est in Combefisii Bibliotheca Concionatoria *Sermo* XIV. inter LXIV. Augustinianos de Verbis Domini, sive de Verbis Evangelii. In novissima editione Benedictinorum tom. V. in appendice, num. LXXII. Ejusdem Eraclii *Sermo* alius praesente Augustino habitus, qui incipit: *Puto, fratres, quod meam sarcinam sentiatis*, exstat in eodem tom. V. post sermonem Augustini CCCXCV. De eodem idem Augustinus sermone 15. de diversis (editionis novae 356.) *Diaconus Eraclius ante vestros oculos versatur: opera ejus* (erogatae pecuniae) *lucent coram oculis vestris* etc.

a) Vide Augustini Epistolam 110. (editionis novae 213.)

ERASMUS STULER, a) sive STELLA, *Libanotanus*, sive Lipsiensis, b) *Hippocenius* h. e. Ephippiarii filius, Medicus et An. 1513. Consul Zwickaviensis, denatus An. 1521. Primus hic duobus brevibus libellis complexus est *Antiquitates Borussiae* An. 1510. in gratiam Friderici Saxoniae Ducis, Sacro-sanctae militiae Ordinis Divae Virginis Teutonicorum Protomagistri. Prodiere primum Basileae 1510. 4. de quibus Vossius pag. 650. notans eodem Erasmo dictante *Johannem Garzonem*, Bononiensem, Erasmi praeceptorem, Annales Misnenses, sive de rebus Saxoniae composuisse, ad quos Lectorem suum ablegat Georgius Fabricius libro sexto Originum Saxonicarum. Annales Garzonis, eidem Friderico Duci Saxoniae dicatos et libris duobus digestos edidit Erasmus Stella Basileae 1518. 4. unde recusi sunt in sylloge, cui titulus: *Opus Historiarum nostro saeculo convenientissimum*, ibid. 1541. fol. Deinde cum Monacho Pegaviensi de vita Viperti Marchionis Lusatiae, curante Reinardo Reineccio, Francofurti 1584. fol. Denique praemissis eruditorum de Garzone testimoniis in Clarissimi Menckenii scriptoribus rerum Germanicarum tom. 2, pag. 1015--1056. cum notis W. E. Tentzelii. Neque vero lucem viderunt Erasmi hujus *Historia Borussica* quam decem voluminibus complecti volebat: nec Liber *de eduliis IV.* aut *Chronica succincta Zwickaviensis* MSta Cygneae sive Zwickaviae, cui non adeo multum tribuit Tobias Schmid in Chronico Cygneo, edito A. 1756. 4. *Libri duo de Germaniae vetustatibus*, utraque lingua scripti (Latina et Germanica,) sive commentarii duo ad Fridericum Electorem Saxoniae: *de populis et rebus priscis orae inter Salam et Albium, de origine et rebus Tubantinorum, Cygneorum, Libanotanorum et Misnensium, Chroniconque Plissense*, praeter brevia *paralipomena* vul-

a) Melchior Adam de vitis Medicorum pag. 5.

b) Christiani Schoetgenii Diplomatische und curieuse Nachlese von Ober-Sachsen III. pag. 500. seq.

gata a laudato Menckenio tom. 3. scriptorum de rebus Germanicis pag. 2040-2052. *de origine, vetustate, appellatione et regionibus Tubantinorum, Cygneorum, Libanotanorum, Misnensium*, et carmen epicum *Molbii fluminis* (Mulde prope Cygneam) descriptionem complexum. Caeterum Antiquitates Borussicae non modo recusae sunt in Simonis Grynaei novo orbe, Basileae 1532. fol. pag. 573. et An. 1555. pag. 511. et in Joannis Huttichii simili collectione, Basileae 1536. fol. atque in Joannis Pistorii Corpore historiae Polonicae, tom. 1. Francofurti 1582. fol. verum etiam in Clarissimi Michaëlis Lilienthal Actis Borussicis, Regiomont. 1730. 8. tomo primo pag. 99-141. Interpretamentum gemmarum sive libellus eximius *de gemmis* ad Jobum Domenek, Episcopum in Borussia Pomesanensem, Norimberg. 1517. 4. et cum excerptis de eodem argumento e Plinio, Argentorati 1530. in 8.

ERASMUS *Vitellius*, Episcopus a) in Polonia Plocensis (minus recte aliis Blocensis) in Comitiis Augustanis 20. Augusti nomine Sigismundi I. Poloniae Regis An. 1518. habuit Orationem ad Maximilianum I. Imperatorem de bello Turcis inferendo. Prodiit edita primum a Jacobo Spiegelio, Selestadiensi, Secretario Imperiali, cum praefatione ad Erasmum Roterodamum, Augustae Vindelicorum 1518. 8. deinde in tomo tertio scriptorum Johannis Pistorii de rebus Polonicis pag. 7. et Alexandri Guagnini tom. 3, pag. 513 et in Nicolai Reusneri, Consiliarii Saxonici, delectu Orationum de bello Turcico tom. 1, pag. 65. Non alium puto esse librum de victoria Sigismundi adversus Turcas, quem relictum a Vitellio, et Maximiliano I. dicatum scribit Vossius p. 646.

De *Desiderio* ERASMO, qui sal et sol aetatis suae et renascentium litterarum fuit, meritis laudibus et scriptis dixi in dissertatione de religione Erasmi, edita Hamburgi 1717. 4.

ERCHAMBERTI fragmentum ex *breviario Regum Francorum et Majorum domus* a Chlodhario usque ad Theodoricum Dagoberti junioris filium, sive ab An. 613 ad 727. apud Freherum tom. 1. scriptorum Francorum pag. 167. apud Andream du Chesne tom. 1. scriptorum de rebus Francorum pag. 780. 781. et apud Ruinartum ad Gregorium Turonensem p. 1352. Vide et Carolum le Cointe t. 4. Annalium p. 176.

a) Gabr. Groddeck schediasmate de scriptoribus rerum Polonicarum §. XX.

ERCHAMBERTI, sive ERCAMBERTI, nescio an ejusdem cum superiore, *Annotationes in Evangelium S. Johannis*, MStae Parisiis in Bibliotheca Collegii Jesuitarum, teste Jacobo le Long in Bibliotheca Biblica tom. 2, pag. 714.

ERCHANBALDUS, infra, ERGANBALDUS.

ERCHEMBERTUS, aliis REMBERTUS, EREMBERTUS, vel HEREMPERTUS, HEREMBERTUS, Langobardus, a) Diaconus, Monachus Cassinensis, Ordinis Benedictini, scripsit *Chronicon*, sive *Historiam Langobardorum* fusiorem, quae videtur intercidisse. Tum fusioris historiae epitomen, *Historiam Longobardorum Beneventi*, a tempore Algelsis b) et a capto per Carolum Magnum Desiderio, sive ut Caracciolus: *de gestis Principum Beneventanorum* ab An. 774. usque ad 889. Haec Pauli Diaconi historiam pulchre continuans historia edita primum ab Antonio Caracciolo, Ordinis Clericorum Regularium Presbytero, una cum Lupo Protospatha, Anonymo Cassinensi et Falcone Beneventano: Neapoli 1626. 4. et ex emendatiorum Codicum collatione a Camillo Peregrino, in historia Principum Longobardorum, Neapoli 1643. 4. tum ex editione Peregrini in thesauro scriptorum Italiae Burmanniano tom. IX. et Muratoriano tom. 2, pag. 237. parte 2. pag. 167. nec non in Joannis Georgii Eccardi tom. 1. scriptorum medii aevi pag. 50—90. Sed et in tomo quinto thesauri Muratoriani statim sub initium occurrit ex Caraccioli editione Herempertus de gestis Principum Beneventanorum ab An. 745. ad 912. et ex *fusiore ejus historia fragmenta* ex MSto Codice excerpta a Joanne Baptista Bolvito pag. 31. At Petrus Diaconus de viris illustribus Cas-

a) Vide Leonem Ostiensem libro I. cap. 46. et Johannem Georgium Eccardum praefatione ad tomum 1 scriptorum medii aevi §. VIII. atque Oudinum tom. 2 pag. 341. 451. sq.

b) Labbeus Bibliotheca nova MSS. p. 10.

sinensibus cap. 14. testatur Erchembertum scripsisse *de destructione et renovatione Cassinensis Coenobii,* nec non *de Ismaelitarum incursione*: quod utrumque argumentum ètiam in illa Historia a Caracciolo et Peregrino edita attingitur. Adde Pagium ad Annum CHristi 827. num. 5. Idem Erchembertus traditur carmine scripsisse *vitam Landulphi I.* Capuani ab An. 851. ad 879. Episcopi, atque *Acta translationis Matthaei Apostoli.* Vide Johannem Baptistam Marum notis ad Petrum Diaconum pag. 173. editionis a me curatae.

* Hanc ipsam auctoris huius historiam *Longobardorum* una cum coeteris a Peregrino editis nova recensione a se castigatis, cum notis suis fusioribus aliorumque ineditorum Opusculorum adiectione in lucem produxit Franciscus M. Pratillius tom. tribus in 4. Neapoli an. 1750 et 1751.

ERCHINFREDUS tertius Abbas Mellicensis in Austria, scripsit *historiam martyrii et miraculorum Colomanni* natione Scoti, qui An. 1012. in oppidulo Austriae inferioris vocato martyrium subiit: editam a Lambecio tom. 2. de Bibliotheca Vindob. pag. 611-618. et Hieronymo Pez tom. 1l scriptorum Austriacorum p. 94. Vide et p. 97.

ERCOMBERTUS Anglus, Ordinis Benedictini Monachus Glasconiensis, Grammaticus, cujus librum *de octo partibus orationis* et *Regularum Grammaticalium* Pitseus pag. 837 commemorat.

ERDWINI ERDMANNI, Consulis Osnabrugens. defuncti An. 1505. *Chronica Episcoporum Osnabrugensium* a fundata a Carolo Magno Ecclesia Osnabrugensi An. CHristi 772. ad An. 1453 sive ad tempora Conradi de Diepholtz, Osnabrugensis Episc. quo hortante opus auctor suscepit, editum a Meibomio in scriptoribus rerum Germanicarum tom. 2. pag. 195-264. Vide Oudinum tom. 3. pag. 2706. *Chronicon Comitum Schauenburgensium et aliorum heroum*, quod Conradi hujus Episcopi svasu collectum ab Erdwino notat Hermannus Hamelmannus, lucem non vidit, quod sciam.

EREMBERTUS, supra, ERCHEMBERTUS.

a) Oudinus tom. 3 pag. 2317.

Chronicon breve ERFORDENSIS Civitatis ab An. 438 quo Erfordia coepit primo fundari, ad An. 1422 auctore, ut credunt, *Theodorico* ENGELHUSIO, quod e MSto Bibliothecae S. Crucis Hanoveranae descripsit Joannes Georgius Eccardus, ediditque Johannes Burchardus Menckenius t. 2, scriptorum rerum Germanicarum p. 561-566.

Anonymi *Chronicon* ERFORDIENSE ab An. 1223 ad 1254 vulgatum a V. C. Johanne Friderico Schannat in Vindemiarum litterariarum collectione prima, Fuldae et Lipsiae 1723, fol. pag. 91-106.

ERPHURDIANUS *Antiquitatum Variloquus* ab initio fundationis ejus Civitatis ad Annum 1517 cum brevibus notis laudati Eccardi. apud eundem Menckenium pag. 461-560.

ERPHESFORDENSIS Anonymi, Ordinis S. Benedicti, a) non indiligentis scriptoris Historia de Landgraviis Thuringiae duplex, una prolixior ab ultimis usque Noachi temporibus ad Annum 1426. et altera brevior desinens in An. 1253 utraque in Pistorii tom. uno pag. 908-955 et 956-960.

Ex *Chronico* ERFURTENSI antiquiori ab An. 1078 ad 1181 excerpta apud Menckenium tom: 3. pag. 226, seq.

Chronicon ERFURTENSE *Sanpetrinum* (post paucissima quae ab An. CHristi 31, breviter perstringit) ab An. 1036 ad 1355 in tom. tertio scriptorum laudati Menckenii pag. 202-344 ex Codice, quo olim usus Petrus Albinus cui Chronicon Misnense debemus. Omitto Annales Erfurtenses Germanicos ab eodem vulgatos Menckenio ab An. 1440 ad 1467 tom. 3. pag. 1186-1238.

ERPHESFORDIENSIS Monachi ad LAMBERTUM Schafnaburgensem additiones ab An. 1068 ad 1352 cum superiori Chronico Sanpetrino multa similia habent, et addito auctario annotationum quarundam recentioris scriptoris Anonymi, quarum ultima est de Erphordiae incendio An. 1472. prodiere in tom. scriptorum Pistorii pag. 253- 265.

ERGANBALDUS, sive ERCHANBALDUS Abbas S. Trudberti in Brisgoia Ordinis Benedictini, scripsit *Vitam S. Trudperti,* sive *Rudberti* Hiberni Martyris An. 607 quae in

duos divisa libros, sed interpolata occurrit cum notis in Actis Sanctorum tom. 3. Aprilis XXVI. 427-440. Sinceriorem sed sine nomine auctoris exstare in variis Sveviae Bibliothecis notat Mabillonius in Analectis pag. 20 editionis novae, hoc initio: *Cum merita Sanctorum recoluntur* etc. Auctoris nomen tamen prodi hisce ad calcem versibus:

Has Erchanbaldus, Trutberti martyris almi
Praesul, post cineres renovando struxerat aedes,
Tactus amore DEI, venerandos scribere sancti
Actus non piguit, sed et id pro posse peregit *etc.*

Hanc demum in lucem dedit celeberrimus Bernardus Pez a) in Epistola ad P. Marcum Hanzizium Soc. Jes. Viennae Austriae 1731, 4. Putat Ergambaldum scripsisse circa Annum 700. Videtur autem Pezianae editioni deesse prologus, quia non incipit illis verbis, quae apposui e Mabillonio, sed his: *Cum igitur innumerabiles martyres.*

ERHARDUS Monachus Benedictinus circa An. 1050. Hujus *Commentarium in Pentateuchum* et ejusdem *Homilias* laudat Trithemius cap. 337 de S. E et lib. 2. cap. 82 illustrium Benedictinorum, Arnoldus Wion tom. 1, ligni vitae p. 414. Idem hic apud Possevinum, atque deinde apud Cangium vitiose ETHARDUS.

ERHARDI *de Lainitz*, Abbatis San-Petrensis Salisburgi, Ordinis Benedictini An. 1436 defuncti, expositio moralis Psalmi XII, edita a Bernardo Pez tom. 2 thesauri anecdotorum pag. 23.

ERICUS IX. Mendvidius, Daciae sive Daniae Rex ab An. 1287 ad 1319. *Regni sui Annales* scripsisse traditur. Vide Jo. Molleri τοῦ μακαρίτου praefat. ad Bibl. septentrionis eruditi pag. 27.

ERICUS X. Daniae Rex, Wratislai VIII. Ducis Pomeraniae filius, qui regno praefuit ab An. 1412 ad 1438. Ejus *Historica narratio de origine Gentis Danorum et de Regibus ejusdem Gentis* a Dano usque: *deque eorundem rebus gestis* ad Annum 1288 in Erpoldi Lindenbrogii scriptoribus rerum septentrionalium pag. 292 et in editione a me curata pag. 262-276 atque in Jani Gualtheri sive Gruteri Chronico Chronicorum Politico, tom. 1. pag. 425-459.

a) Acta Eruditorum A. 1731. p. 242.

ERICUS, sive HERRICUS, corrupte *Liricus*, vel *Firicus*, Monachus *Antissiodorensis* Ordinis Benedictini circa Annum 980 teste Sigeberto Gemblacensi cap. 100 scripsit carmine ad Carolum Crassum jam Imperatorem: *Vitam S. Germani Antissiodorensis* libris VI, in Actis Sanctorum tom. septimo Julii 31 ex edit. Paris. 1543, 12. Caspar Barthius, qui plura loca vitae Germani illustrat in suis Adversariis, etiam *hymnum* publicavit XXXIV, 20. Libros duos *de miraculis* ejusdem Germani prosa scriptos jam ediderat Labbeus tom. 1. Bibliothecae novae MStor. pag. 531-569. *Sermonem* adhuc ineditum in hunc Germanum laudat Mabillonius. *Vita S. Albani* Martyris, quam versibus scriptam Possevinus memorat (Ericus hic illi est HENRICUS *Luxoviensis*: confer Vossium pag. 332.) exstat initio quarti libri vitae S. Germani, ut in Actis Sanctorum tom. IV. Junii pag. 831 recte observatum. *Epistolas* ejus plures et *Sermones* laudat Trithemius cap. 289 de S. E. et illustrium Benedictinorum II, 56. Ex sermonibus illis nonnulli leguntur in homiliario Pauli Diaconi, quos a recentiore manu additos esse oportet. Vide si placet tomum XIII. Bibliothecae Graecae pag. 795. Ex homiliis ejus in Joannem nonnulla Combefisius Bibliothecae suae Concionatoriae inseruit, qui vocat *luculenta, erudita, et sat stylo nitida:* Thomas Aquinas citat jam sub *Bedae* jam sub *Alcuini* nomine. His addere denique juvat, quod Mabillonius pag. 422, seq. Analect. (editionis veteris tom. 1. pag. 413.) in lucem protulit *Versus elegiacos ad Hildeboldum* Antisiodorensem Episcopum, quos Heiricus hic Monachus praemiserat *Collectaneis* suis, de quo haec annotat editor doctissimus: *Heiricus seu Hericus, Ericusve natus est in agro Antisiodorensi, in vico ab ipsius nomine dicto* Hery, *duabus leucis infra Urbem, ad fluvium Armentionem: qui locus hactenus Coenobio S. Germani subjectus est. Puer, ut puto, eidem Monasterio traditus, HAYMONEM, postea Halberstadiensem Episcopum, et LUPUM, Abbatem Ferrariensem,*

Praeceptores habuit adolescens, uti ipse in his versibus testatur, a) *quae* Praefatio *est* in Collectanea *ex ore praeceptorum suorum excerpta. Haec* Collectanea *in Codice Corbejensi ante annos septingentos manu descripto cum* vita S. Adelhardi Abbatis *compacta reperiuntur. In his fragmenta referuntur primo ex* Valerio Maximo : *tum ex Patribus*, Hieronymo, Augustino, Beda *et aliis. Plura alia scripsit Hericus*, *ut* gesta Episcoporum Antisiodorensium, *collaborantibus RAINOGALA et ALAGO Canonicis, ut patet ex capite* 39 *ubi Hericus* Theosophus simul et Monachus *appellatur. Denique et* homilias in Evangelia *composuit*, *testante inprimis Honorio Augustodunensi IV*, 49 cui consentit Jo. Trithemius c. 289 etc.

ERICUS OLAI S. Theologiae Professor Ecclesiaeque Upsaliensis circa Annum 1464 scripsit libris VI. *Historiam Svecicam* ab Erico sapiente circa CHristi nati tempora, usque ad restitutionem Caroli Canuti Regis An. 1464 b) primus edidit c) Johannes Messenius, Holmiae 1615, 4. inde Johannes Loccenius cum notis, Upsaliae 1654, 8. ut editionem Svecicam Johannis Silvii omittam, quae prodiit An. 1678.

* ERINFRIDUS Monachus circa A. C. 806 cuius carmen jambicum rythmicum non inelegans *de rerum humanarum inconstantia* vulgatum a Casp. Barthio Adversar. 32. 12 pag. 1486 ubi plura eiusdem talia et *Epistolas* quoque MStas habere se est testatus.

ERISHAMENSIS Monachus, *de vita Richardi II.* Regis Angliae (ab An. 1377 ad 1399) editus a Thom. Hearne, Londini 1729, 8.

Israël ERLANDI F. Ordinis Minorum, ex Priore Monasterii Sictonniensis, Episcopus in Svecia Arosiensis, scripsit *vitam et miracula S. Erici* Regis Sveciae et Martyris An. 1151 cujus memoriam recolit Ecclesia 18 Maji. Edidit Joannes Scheferus Holm. 1675, 8. Hanc Scheferi editionem non profitetur se vidisse Henschenius, qui Vitam illam ex Codice MS. Reginae vulgavit cum notis in Actis Sanctorum tom. IV. Maji 18. pag. 188 auctoremque vocat *Israëlem*, *Canonicum Upsalensem.*

ERMANRICUS, infra ERMENRICUS.

ERMENGARDUS, sive ERMENGAUDUS, Scriptor Sec. XII. vel XIII. Hujus opusculum *contra Waldenses* a) extrema parte mutilum et XIX. tantum ejus capita vulgavit Jacobus Gretserus Ingolstad. 1614 4. cum BERNARDO Abbate fontis calidi et EBRARDO Bethuniensi, de quibus supra pag. 213. et tom. II pag. 486. Inde recusa haec trias scriptorum anti-Waldensium in Bibliothecis Patrum Parisiensi Anno. 1644 1655. tom. IV. et Lugdunensi Anno. 1677. tom. XXIV. Debet etiam iterum comparere inter Gretseri opera tom. XII.

Alius, ut non dubito, ERMENGAUDUS, Comes Urgellensis, cujus litterae quibus An. 1162. abdicat consuetudinem quam ab Antecessoribus suis habebat capiendi bona mobilia et immobilia Episcoporum Urgellensium defunctorum, exstant apud Baluzium tom. 2. Misc. pag. 225.

ERMENOLDUS. Vide mox ERMENRICUS, et ERMOLDUS.

ERMENRICUS, sive ERMANRICUS, Walafridi Strabonis Abbatis Augiensis discipulus, Monachus ipse *Augiensis,* post Walafridum An. 849. extinctum scripsit *librum de Grammatica* ad Grimoldum Archicapellanum. Ex eo fragmenta, in quibus multa de viris illustribus S. Galli, edidit Mabillonius tom. IV. Analector. tom. IV, pag. 329. (edit. novae in fol. pag. 420-422.) Opusculum breve, quod *de inceptione Augiensis coenobii et fratrum ibidem DEO famulantium vita,* ad Gozhaldum Episcopum misisse se Ermenricus testatur, nemo hactenus in lucem protulit.

ERMENRICUS b) Rudolfi Fuldensis, qui Rabani praeceptoris sui vitam scripsit, di-

a) Hic praeceptorum sunt ludicra pulchra duorum,
Quis ego Praesulibus ingenium colui,
His LUPUS, his HAIMO ludebant ordine grato cc.

b) Male MCCCCXLIV. excusum apud Oudinum tom. 3 p. 2464.

c) Johannis Schefferi Svecia litterata pag. 14. seq. Johannis Molleri hypomnem p. 558.

a) Pamelius in Cypriani Epist. LXIII.

b) Idem ERMENOLDUS quoque apud Canisium et Vossium.

scipulus, et ab An. 845. Abbas in Svevia Elwangensis Ordin. Benedict. scripsit Diaconus adhuc et Monachus ad Gundramnum, cujus *conlevitam* se vocat, *vitam Solae* sive *Soli* Angli, (vulgari nomine *Svalonis*) Abbatis Solenhovensis in Norico, disciupli S. Bonifacii, defuncti circa An. 790. Edidit primus Canisius tom. IV. lect. Antiquar. Parte 2. pag. 544. atque edit. novae tom. 2. Parte 2. pag. 169. ubi Jac. Basnagius praemisit *hymnum* ejusdem Hermanici ἀκρόστιχον in Solum, quem Canisius ad calcem tomi sexti ediderat, nec non, *Epistolas Gundrammi et Erminrici* mutuas, *versusque Adonicos* in Solum et Erminrici *ad Ruodolfum* didascalum suum *Epistolam*, quae Canisius exhibuerat sub extremum tomi quarti pag. 732. Contulit Basnagius quoque editionem Mabillonianam, qui eandem vitam dedit in Actis SS. Benedict. Saeculo III. Parte 2. pag. 429. Idem Basnagius tom. 1, pag. 654. negat *Vitam S. Magni* sive *Magnoaldi* ab Ermenrico sive scriptam sive interpolatam, quod visum Mabillonio Sec. II. ad Annum 665. Ermenrico Possevinus ex Arnoldi Wion ligno Vitae tom. 1, pag. 414. etiam tribuit *dialogum de vita et miraculis S Hariolphi*, Abbatis primi Elwangensis, sed editam neuter indicat.

ERMENTARIUS Abbas Tornusiensis sive Trenorchiensis a) in Insula Herio apud Pictones circa Annum 863. scripsit ad Hilduinum *libros duos de translatione corporis S. Philiberti Abbatis ex Heriensi monasterio* tempore Ermentarii ob Normannorum irruptiones *in varia loca deportati.* Edidit Petrus Franciscus Chifletius Soc. Jes. in Tornutiensis Abbatiae et Civitatis historia b) Gallice edita Divione 1664. 4. et post Chifletium Mabillonius Sec. IV. Benedictin. pag. 537. Vide Carolum le Cointe tom. 8. Annal. Francor. pag. 863. seq.

ERMOLDUS *Nigellus*, ob nescio quod delictum a Ludovico Pio Imper. multatus exilio, ad ejus reconciliandam sibi gratiam scripsit poëma elegiacum *de rebus gestis Ludovici Imp.* ab An. 781. ad 826. in *quatuor* digestum *libros*, praemisso carmine hexametro invocationem ad Christum complectente, quod carmen ex Codice Caesareo, qui antea Wolfg. Lazii fuerat, vulgavit Lambecius pag. 359. seq. ex quo exordium libri primi etiam atque ultimi finem (utraque repetita apud Oudinum tom. 2, pag. 78. seq.) cum attulisset, subjungit pag. 362. *Quod porro ad causam, propter quam* Ermoldus *in exilium pulsus fuit, et an Ermoldus hic idem sit atque* Ermoldus Abbas *quem coaetaneus Vitae Imperatoris Ludovici Pii scriptor a Petro Pithoeo primum editus pag.* 407. a) *refert a jam memorato Imperatore An.* 834. *missum esse ad filium Pippinum in Italiam, cum mandato,* ut res Ecclesiasticas quae in regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi praeripuerant, absque cunctatione Ecclesiis restituerent b): *utraque de re cum integrum illud* Ermoldi exulis *poëma posthae a me publicabitur, opinionem meam aperiam.* Quod vero nec Lambecius neque Nesselius, qui ejusdem Ermoldi editionem promiserat, morte praeventus potuit efficere, tandem feliciter praestitum est studio illustris Muratorii, c) qui recensitum hoc poëma integrum a Lambecii Nesseliique successore Gentilotto, eruditis notis illustravit ediditque in limine partis secundae tomi secundi scriptorum rerum Italicarum, Mediolani 1726. fol. Videturque laudato Muratorio quoque verisimillimum, Ermoldum hunc exulem non diversum, ab *Ermoldo*, sive *Hermenoldo* Abbate Anianensi, quem ad Pipinum Ludovici Imperatoris filium ablegatum notaverat etiam Baronius ad Annum 834. num. 4.

ERNALDUS, sive ARNOLDUS, scriptor *vitae S. Bernhardi.* Vide supra t. 1, p 131.

a) Abbatem Gemmeticensem vocat Ermentarium praeter rem Cangius. Primus vero Abbas Gemmeticensis S. Philibertus fuit, de cujus translatione Hermentarius scripsit. Vide Sammarthanos tom. 4 Galliae Christianae pag. 868. et 465. sq.

b) Histoire de l'Abbaye Royale et de la ville de Tournus, avec les preuves.

a) Tom 2 Andreae du Chesne pag. 312.

b) Hoc deinde factum diligenter, *omniaque invasa* Pipinum *obedienter restituisse*, idem scriptor pag. 413. edit. Pithoei (Chesnianae p. 315.) testatur.

c) Acta Eruditorum. An. 1727. p. 381. sq.

ERNESTUS Abbas Benedictinus, A. 1048. Palaestinam adiit, quem *de laude martyrum* scripsisse, martyrem ipsum, sepultumque Antiochiae, Possevinus ex Eisengreinio retulit.

ERNESTUS, Monachus S. Galli, non diu post S. Bernardum vixit. Ex ejus *expositione sive meditatione super Salutationem Angelicam* nonnulla affert Joannes Jacobus Hottingerus appendice ad Historiam Ecclesiasticam suam Helveticam, Germanice editam tom. IV, pag. 123. Tiguri 1719. 4.

ERNULFUS, sive EARNULFUS, Episcopus Roffensis. Vide supra, ARNULFUS, tom. 1, psg. 373. Caveum ad Annum 1114. et Oudinum tom. 2, pag. 1064. seq.

ERPHESFORDIENSIS, supra, ERFORDIENSIS.

ERRICUS, vide ERICUS. Etiam infra, HENRICUS.

ERTWINUS ERTMANNUS, supra ERDWINUS.

ESAIAS Abbas, inter Latinos scriptores censetur a Cangio aliud agente, et a secuto Bellarminum refertur ad Seculum septimum: quanquam, quo loco, ex qua Monachorum disciplina, quo tempore Abbatem egerit, non satis constat: Scriptor Graecus *Praeceptorum ad fratres qui cum ipso vivebant*; sive *sermonum XXIX*, qui ex versione Petri Francisci Zini prodiere Venetiis 1574, 8 cum nonnullis Nili, Ephraeni, Marci, saepiusque recusi sunt in Biblioth. Patrum, etiam novissima Lugdunensi tom. XII. pag. 384-417. Sermone vigesimo sexto continentur *B. Esaiae dicta quae PETRUS Abbas, discipulus ejus ex illo accepit et litteris commendavit* pag. 413. Sermoni septimo respondent Esaiae Abbatis κεφάλαια περὶ ἀσκήσεως καὶ ἡσυχίας *Capitula XIX, de religiosa Exercitatione et Quiete*, Graece et Latine edita in thesauro ascetico Petri Possini pag. 315-325. Parisiis 1684, 4. Eadem κεφάλαια quae MSta memorat Lambecius IV. pag. 145 quae vero pag. 146, seq. περὶ καταστάσεως ἀρχαρίων καὶ περὶ τῶν μονο. κελλίτων καὶ τῶν θελόντων οἰκῆσαι ἐν κοινοβίῳ *de Novitiis, Monocellitis et de iis qui habitare volunt in Coenobio*: respondet sermoni inter Esaiae Latine editos tertio. Confer, quae inter Apophthegmata Patrum, Abbatis Esaiae afferuntur apud Cotelerium I, monument. pag. 445, seq. Zini interpretis locum ex Graeco Codice Colbertino emendat idem Cotelerius in notis p. 802, seq. et 809 qui etiam de hoc Esaia scriptore videndus pag. 808. Codicem illum Colbertinum 1509 decimi saeculi laudat praeterea celeberr. Montfauconus Palaeographiae Graecae pag. 47. Si idem hic sit Esaias de quo Palladius in Lausiaca cap. 15, 16 et 55, seq. nemo dubitabit antiquiorem et cum Ægypti Ascetis ad seculum IV, referendum esse. Et *Petrus* fortasse idem de quo Theodoretus religiosae historiae cap. IX. Inter scripta Ascetica insigniora commendatur Esaiae liber a Joanne Antiocheno apud Cotelerium I. Monument. pag. 167.

Joannes ESCHWIDUS, Anglus, Mathematicus, cujus exstat liber An. 1489, fol. Venetiis curante Johanne Lucilio Santritter, Heilbronnensi, excusus hoc titulo: *Summa Astrologiae judicialis de accidentibus Mundi, quae* Anglicana *vulgo nuncupatur.* Vide V. C. Christiani Gottlieb Schwartzii indicem librorum quorundam saeculo XV, impressorum pag. 35, seq.

ESTODIUS, infra, EXTODIUS.

ESYTIUS, vide, HESYCHIUS.

ETHARDUS, Monachus Benedictinus, supra, ERHARDUS.

ETHELBALDUS. Vide ADELBOLDUS.

ETHELBERTUS, sive EDILBERTUS, Cantiorum in Anglia primus Rex Christianus, qui An. 616. Februarii 24 obiit. Hujus scriptum nullum exstat, sed Baleus pag. 73 et Pitseus pag. 105 ex Beda notant scripsisse *Decreta judiciorum*, sive *primam illam magnam Chartam* a) caeteris etiam Heptarchiae in Anglia probatam Regibus, de qua praeter Davidem Wilkinisium tom. 1. Legum veterum Anglorum, Londini 1721, fol. vide quae nuper notavit Thornagh Gourdon in historia Parlamenti, Anglice edita Londini 1731, 8. et *Epistolarum* librum maxime *ad S. Gregorium* Papam, et ad *S. Augustinum*, Anglorum Apostolum

a) Bibliotheque Britannique tom. 3, pag. 9.

et primum Archiepiscopum Cantuariensem. De Ethelberto hoc Baronius et Acta Sanctorum 24 Februarii. De Augustino illo ad 26 Maji.

ETHELNOTUS, aliis ut Guilelmo Malmesburiensi pag. 76 idem aliis ACHELNOTUS, de quo supra tom. 1. pag. 6.

ETHELREDUS, sive ÆTHELREDUS, Angliae ab An. 979 ad 1016. Rex, cujus leges in Joannis Bromptoni Chronico pag. 893-903 et in Guilelmi Lambardi Archaeonomia, nec non Privilegium Ecclesiae Cantuariensi concessum et Concilium Ænhamense generale sub Ethelredo habitum, Legesque Ecclesiasticae, tom. 1. Conciliorum Angliae Henrici Speelmanni pag. 504 510, seq. 530-532 atque inde in Conciliorum tomis. Vide etiam supra EITELREDUS, pag. 501.

ETHELREDUS, Abbas *Rhienvallensis.* Supra EALREDUS pag. 486 et ADILREDUS tom. 1. pag. 11.

ETHELREDUS, sive EDILREDUS, Anglus, Abbas *Wardensis*, Ordin. Cisterc. quem circa Annum 1220 claruisse scribit Baleus III, 80 non ut Pitseus p. 205 eumque secutus Cangius, illo anno obiit. Scripta quae ad eum referuntur, sunt *Homiliae in Lucam*, et *Speculum, charitatis* sive liber *de vinculo perfectionis*, aliusque *de tribus hominibus*, tum *Epistolae*, *Sermones*, et *locorum* S *Scripturae explicationes.*

ETHELSTANUS, ÆTHELSTANUS, sive ADELSTANUS, Eduardi F. Angliae Rex ab An. 923 ad 941. de quo haec Joannes Lelandus cap. 121. *Paucis abhinc annis fui in* Badunensi *Bibliotheca*, *ubi repperi aliquot non indoctos libros, venerandae vetustatis thesauros, ab ipso* Ethelstano, *ut ex inscriptionibus apparuit*, *monachis dono datos. Ex illis unum, captus eum antiquitate tum majestate operis, erat enim* de Synodis Pontificiis, *in palatinam Bibliothecam illustriss. Regis* Henrici octavi *transtuli*, *at prius hoc hexasticho inscriptum:*

ETHELSTANUS erat nostrae pars maxima curae
Cujus nota mihi Bibliotheca fuit.
Illo sublato, sexcentos amplius annos
Pulvere delitui squalidus atque situ.
Donec me pietas Magni revocavit ad auras
HENRICI, digno restituitque loco.

Rem litterariam coluisse Ethelstanum testantur etiam hi cujusdam non ineruditi laudatoris ejus a) *versiculi:*

Ad patris edictum datus in documenta scholarum
Extimuit rigidos, ferula crepitante, magistros,
Et potans avidis doctrinae mella medullis
Decurrit teneros, sed non pueriliter, annos.

At quae Guilelmus Meildunensis adfert, longe certiora sunt, scribit enim Ethelstanum usum fuisse calamo, atque adeo se vidisse librum ab eo scriptum, *quamvis in illo Latinae linguae puritatem desideret.* Haec Lelandus, quem non dubito a sententia Guilelmi aberrasse. En tibi ejus verba: *De Æthelstano Rege non invalida apud Anglos fama seritur, quod nemo legalius vel litteratius Remp. administraverit. Quanquam litteras illum scisse, pauci admodum dies sunt quod didicerim, in quodam sane volumine vetusto, in quo scriptor* (non sane Æthelstanus ipse, sed alius, res traditurus Æthelstani et laudes) *cum difficultate materiae luctabatur, judicium animi sui non valens pro voto proferre. Cujus hic verba pro compendio subjicerem, nisi quod ultra opinionem in laudibus Principis* (Æthelstani) *vagatur eo dicendi genere quod* suffultum *rex facundiae Romanae Tullius in Rhetoricis appellat. Eloquium excusat consuetudo illius temporis: Laudum nimietatem adornavit favor Æthelstani adhuc viventis.* Mirum quoque est unde hauserit Baleus quod II, 27. Guilelmo Malmesburiensi teste laudato scribit Æthelstanum *Scripturas Divinas verti fecisse in Anglo-Saxonicum idioma ex purissimis Hebraeorum fontibus per quosdam Hebraeos ad Christianismum ut credere par est in suo regno conversos.* Sed eodem Baleo notante Æthelstanus *Leges* antiquas correxit, novasque utiles condidit quarum initium: *Ego Ethelestanus consilio Rus.* Edictum *ad subditos* quod incipit: *Ethelstanus Rex notifico vobis.* Praeterea *Constitutiones cleri* et *Astrologicum Opus.* Inter leges Ecclesiasticas et in Concilio Grateleano, Rege Athelstano sancitas apud Speelmannum tom. I, Concil. Anglorum pag. 403 et 396, seq. memo-

a) Apud Guilelmum Malmesburiensem lib. 2 p. 49.

rabilis est haec pag. 399. *Praeterea autem statuimus, ut unus per omnem ditionem nostram, atque idem sit numus, eumque nemo extra oppidum cudito. Atque si monetariorum quisquam nummos corruperit, ei manus scelere violata praeciditor, atque nummariae conspicienda fabricae affigitor. Sin nummi adulterati postulatus aliquis, criminis suspicionem diluere voluerit, candentis ferri quaestione manum sceleris puram, atque immunem ostendito. Quin si ipsa Ordalii sententia reus extiterit, ita, uti antea à nobis dictum est, fiat.*

Cantuariae monetarii septem sunto, quorum quidem quatuor regi, duo praesuli, ac unus coenobiarchae deservito.

In civitate Roffensi tres sint, Regis duo, tertius Episcopi.

Londini sint monetarii octo.

Vintoniae sex.

In vico Lewisio 2.

In vico Aastingo 1.

Cicestriae unus sit.

Hamtonae duo.

Werhamiae duo.

Excestriae totidem.

Schafresbyriae duo.

Ad aliud quodque oppidum monetarius unus esto.

Facile adducor, ut mihi persuadem, confictum esse a Pitseo 838. ETEHLSTANUM Doctorem Anglum a Rege diversum, cujus consilio usus fuerit Rex Alfrèdus Magnus.

ETHELULFUS, sive ETHELWOLPHUS, vel ATHULPHUS, sive ATHELULPHUS, Egberti Magni filius, Rex Angliae ab An. 836-857. Hujus *Leges* pro denario S. Petri persolvendo, et *Epistolam haereditariam*, sive *Testamentum* memorant Baleus II, 20 et Pitseus pag. 165. *

* Leges illas pro denario S. Petri nihil esse, aliud censeo quam tabula donationis decimae regni sui partis in proventum Anglicanae Ecclesiae; quas tabulas ab ipso Ethelulpho dictatas, et subscriptas in conspectum producit Wilkinsius Concil. Britan. tom. 1, pag. 183.

ETHELWERDUS, *Etheveardus*, *Elwardus*, *Elswardus*, sive ETHELWARDUS, *illustris* apud Anglos *Patricius*, *Consul Fabius Quaestor* e Regio procreatus sanguine, *ad Mathildem* consobrinam suam scripsit *breves quatuor libros Chronicorum* de rebus Anglicis, quorum *primus* decurrit a nato Christo usque ad Annum 592. *Secundus* ab adventu Augustini a Gregorio M. in Angliam missi usq; ad Annum 787. *Tertius* inde pergit usque ad Annum 860. *Quartus* denique usque ad Regem Eadgarum et Annum Christi 973. Patet inde, falli Baleum (nisi de aliis ei perinde, ut Lelando cap. 114. Ethelwerdis sermo est,) qui X. 33 ait Ethelwerdum defunctum An. 920. Rectius Lelandus eumque secutus Pitseus obitum hujus refert ad Annum 1090. Rectius quoque Pitseus initium Epistolae ad Mathildam affert hoc: *Dilectissimae et vere Christi*, cum Henricus Savilius, a) qui Ethelwerdum cum Wilhelmo Malmesburiensi, Henrico Huntidoniensi, Rogero Hovedeno et Ingulpho vulgavit Londini 1595 et Francofurti 1601, fol. pag. 831 ediderit: *Disertissimae et verae Christi ancillae Ethelwerdus in Domino Patricius Mathildi salutem.*

ETHELWOLDUS, sive ATHELWOLDUS, ÆTHELWOLFUS, Anglus, discipulus S. Dunstani: atque ex Monacho Glasconiensi Ordinis Benedictini, et Abbate Abindoniensi Wentanus, sive Wintoniensis Episcopus ab An. 961 ad 984. Calendis Augusti defunctus. Huic Ethelvoldo Lelandus cap. 152 nulla, Baleus II, 36 varia scripta tribuit, ut *contra presbyteros fornicarios*, et *de suis visionibus* b), nec non *de planetis et climatibus Mundi.* His apud Pitseum pag. 178 adduntur: *De sua in Presbyteros potestate* ad Johannem XIII. Papam. *De regibus, regnis et Episcopatibus totius Angliae. De tempore Regum Britannorum.* Etiam li-

a) Supra tom 1. pag. 268.

b) Vitiose apud Pitseum pag. 179. ex Eysengrenio et Possevino *de suis visitationibus*, sed pag. 858. *de suis visionibus*, et ex Possevino *de suis missionibus.* Quam recte autem *Monachum Wintoniensem* ETHELWOLDUM eiusdem aetatis ab Episcopo diversum cum Possevino faciat, et huic visiones illas, non Episcopo adscribat, alii viderint. Pitseum secutus Cangius et ipse Monachum ab Episcopo, praeter rem, ut opinor, distinguit.

ber *de Abbatibus Lindisfarnensibus*, sed qui potius est Ethelwulfi Bernicii. Vide Oudinum tom. 2. pag. 470 ubi notat MStum in Cottoniana: sed et Anglo-Saxonice librum Ethelwoldi Wintonienfis *de Consuetudine Monachorum Ordinis S. Benedicti*, nec non in Bibliotheca Cantabrigiensi Collegii Corporis CHristi *Regulam S. Benedicti* Saxonice versam ab hoc Ethelwoldo.

ETHELWOLFUS, ÆDILWUPHUS, *(Lupus nobilis)* patria *Bernicius* Anglosaxo, Monachus Lindisfarnensis, Ordinis Benedictini circa Annum 820 a) cujus est Carmen epicum ad Egbertum Episcopum Lindisfarnensem, *de Abbatibus* et viris piis Coenobii S. Petri in insula *Lindisfarnensi*, de quo jam in ETHELWODO dixi, et quod ex Codice Cantabrigiensi vulgavit Mabillonius Sec. IV. Benedict. parte 2. pag. 302. Laudat Lelandus cap. 109.

ETHELWOLFUS, sive EITHELWOLFUS *de Lapide*, Svevus, ex Magistri Graftonis Udenheimii Sletstani disciplina clarus circa Annum 1494 scripsit *de laudibus heroum et virorum illustrium* ad Georgium de Lapide, avunculum suum, atque *Epistolare* quod cultissimum vocat Trithemius cap. 932 qui videndus etiam c. 295 de script. German.

ETHERIUS, sive HETERIUS b) Episcopus in Hispania Uxamensis una cum BEATO Presbytero Asturicensi circa Annum 785 *duobus libris de adoptione Filii DEI* oppugnavit *Elipandum* Toletanum, qui extrema parte mutili primum prodiere in Petri Stevartii auctario, Ingolstadii 1604, 4. inde in nova Canisii Lectionum editione Basnagiana tom. 2. pag. 297-375 nec non in Bibliothecis Patrnm, Parisiensi, Coloniensi et novissima Lugdunensi tom. XIII. pag. 353. Basnagius eruditam de Elipandi haeresi et adversariis diatribam praemisit. *Fragmentum* vero, quod *Folmaro* oppositum velut iisdem Beato atque Etherio auctoribus editum a Stevartio pag. 243 scripsit Caveus, jam supra in ADAMO Reicherspergensi. et BEATO, notavi illorum minime esse, cum Folmarus qui tempore Alexandri III, circa An. 1160 vixit, ab Etherio et Beato oppugnari neutiquam potuerit. Fragmentum vero a Stevartio vulgatum est praefatio atque initium operis, quod Folmaro opposuit ADAMUS Reicherspergensis, exstatque in editione nova Canisii Basnagiana tom. 3. parte 2. pag. 200-204. Heterio hoc rogante Commentarium sive Catenam ex Doctoribus Ecclesiae adhuc ineditam *in Apocalypsin* Beatus composuit eamque Heterio dedicavit, quem his verbis a) alloquitur: *Haec ego, sancte Pater* Heteri, *te petente, ob aedificationem studii fratrum tibi dicavi, ut quem consortem perfruor Ordinis, cohaeredem etiam faciam mei laboris.*

EVAGRIUS *Antiochenus* ab An. CHristi 388. Episcopus, ut Graece alia, sic nonnulla etiam Latine scripsit, atque adhuc *Presbyter*, teste cap. 125 de S. E. Hieronymo *Vitam S. Antonii* ab Athanasio scriptam ex Graeco Latine vertit. Eam versionem dicatam Innocentio, post editiones Bonini Mombritii, in Legendario edito Mediolani 1474, 4. fol. Suriique ad 17 Januar. et aliorum, emendatius vulgatam cum notis, Evagrioque b) vindicatam habemus, ab Heriberto Rosweido in vitis Patrum tom. 1 pag. 25 et Bollando tom. 2. Januarii pag. 120. Exstat quoque in nova editione Operum S. Athanasii Montfauconiana tomi primi parte altera.

De EVAGRIO juniore, quem a notissimo illo Pontico Graeco Asceta (de quo cap. XI dixerat) distinguit, ita Gennadius Massiliensis in libro de scriptoribus Ecclesiasticis (scripto non ante An. CHristi 493.) cap. 50. *Evagrius alter scripsit* altercationem SIMONIS Judaei et THEOPHILI Christiani, *quae paene omnibus nota est.* Eadem de illo (Gennadii ut solet insistens vestigiis) Marcellinus Comes, qui Justiniani Imp. tem-

a) Non An. 750 ut Baleum II. 12 seculi Pitseus pag. 145. Vossius pag. 284. et Cangius. Vide Caveum.

b) Vide Nicolaum Antonium VI. 2. Bibliothecae veteris Hispanae tom. 1 p. 325.

a) Id. pag. 326.

b) Contra eorum sententiam, qui Hieronymo tribuunt. Vide Vossium de hist. Lat. pag. 202. Vicissim *Prologus* Latinus *in vitas Patrum*, qui saepius editus, exstat sub Hieronymi nomine, idem in MSto Burdigalensi, teste Possevino, tribuitur nescio cui EVAGRIO *Diacono*.

poribus claruit, in Chronico ad Annum Christi 423 et Honorius August. de S. E. lib. 2. cap. 19. Hanc altercationem sive dialogum huncce cum Simone Judaeo, qui a Theophilo ad Christi fidem amplectendam persuasus et ab eodem tinctus sive baptizatus est, primi ex Codice Vindocinensi vulgarunt monachi eruditi Benedictini Edmundus Martene et Ursinus Durandus in limine tomi quinti, thesauri anecdotorum, Parisiis 1717 fol. pag. 3-13. Quoniam vero et aetas et scribendi genus non male convenit, etiam Evagrio huic tribuere non dubitant, quam in eodem Codice Vindocinensi praemissam illi repererunt:

Collationem sive *altercationem* ZACHÆI Christiani cum APPOLLONIO Ethnico Philosopho, tribus distinctam libris, quos primus Lucas Dacherius ediderat ex Codicibus MSS. duobus Thuanae Bibl. et uno Bibl. S. Arnulfi Metensis, in tom. X, spicilegii Patrum Paris. 1671, 4. et postea ad calcem tomi XIII. An. 1677 subjunxit Varias Lectiones ex MS. Codice Bibliothecae S. Martialis Lemovicensis, ante Annum 1010 jussu Ademari Cabanensis exarati. Illis adhibitis, sicut etiam lectionibus Codicis Vindocinensis, quas publicavit Edmundus Martene tom. V, thesauri anecdotorum pag. 1845, seq. opus hoc recensuit, notasque suas addidit Ludovicus Franciscus Joseph de la Barre, Tornacensis in nova editione spicilegii Dacheriani Parisiis 1723, fol. statim in limine tomi primi.

Libro *primo* consultationis hujus, sive collationis respondet Zachaeus ad Apollonii varia objecta, et Christianam fidem Philosopho persuadet ita, ut manus ille det rationibus et testimoniis victum se confiteatur. Etiam de divinitate Legis Mosaicae et contra fatum et Mathematicos sive Astrologos et de aliis capitibus acute disserit. Cultum imaginibus Imperatorum exhibitum damnat cap. 28. et ab districtioribus Christianis horreri testatur.

Libro *secundo* breviter confutatis Judaeis oppugnat haereticornm errores Manichaeorum, Marcionitarum, Photinianorum, Sabellianorum, Patripassianorum, Arianorumque et denique Novatianorum.

Libro *tertio*, formam conversationis Catholicae, sive vivendi et abstinentiae praecepta persequitur, quibus Christianos universe, speciatim Monachus Monachos hortandos suscipit, et de resurrectione atque adventu Christi ad judicium commentatur, finem impositurum saevitiae Anti-Christi, quem Judaismum conaturum instaurare existimat. Tempus, quo scripsit, indicat lib. 3. cap. 8. *Regnis insuper regna confligunt, et insuspicabiles sceptris justarum sedium Augustos depellunt.* His enim verbis non obscure tangit, quae ab Odoacro Herulorum Rege gesta An. Christi 470. Certe Augustino tribui non potest, non tantum ob temporis notam, sed etiam ob stylum et scribendi genium, qui est valde ab Augustiniano diversus, quamvis in Catalogo Bibliothecae Nobilissimi Viri, atque nuper Francofurto suae bonisque litteris, quas impense ornabat erepti, Conradi Zachariae ab Uffenbach Parte 2. pag. 11 reperio MS. *S. Augustinum de contentione Zachaei et Apollonii.* De aliis Evagriis, qui Graece scripserunt dictum ad Hieron. cap. 125 de S. E. et tom. VI. Bibliothecae Graecae pag. 126 ubi de Evagrio Histor. Eccles. scriptore et 128 et ubi de Evagrio Pontico tom. VIII. pag. 364, seq.

EVAGRII Monachi *Sententiae ad eos qui in coenobiis et xenodochiis habitant fratres*, quae incipiunt: *Heredes DEI, audite Sermones DEI.* Et *Sententiae ad Virgines*, quarum initium: *Dilige Dominum et amabit te*: Latina versio vetus ab Holstenio edita in appendice Regularum Rom. 1661. 4. et Paris. 1663. 4. et tom. XXVII. Biblioth. Patrum Lugdun. pag. 469-471. auctore ut videtur *Rufino* vel potius *Gennadio* Massiliensi, quem vide cap. XI. de S. E. Auctor Evagrius Ponticus, defunctus An. 399.

EVANGELISTA MANELMUS Vicentinus, cujus exstat *Commentarius de quibusdam gestis in bello Gallico* quo *Franciscus Barbarus*, praefectus Brixiae, illam civitatem adversus exercitum Gallorum, *Philippo* Mediolanensium Duce Urbi extrema minantem per tres menses An. 1438. fortiter tutatus est. Primus illum Brixiae 1728. 4. e MS. Codice Monasterii S. Euphemiae Urbis Brixiensis edidit notisque et observationibus

illustravit ejusdem Archivarius, D. Joannes Andreas Astezatus, Brixianus, Monachus Benedictinus Cassinensis, olim in Brixiana Academia Matheseos, Professor publicus, additis praeter diploma Henrici Imp. et Francisci Barbari gratiarum actionem ad populum Brixianum, dissertationibus tribus, de anno coronationis Caroli Crassi Imp. De anno primo regni Desiderii, Regis ultimi Longobardorum, et de nova epocha Ludovici II. Imp. Confer, quae de Francisco BARBARO supra tom. 1, pag. 160. et CHRISTOPHORUS a Soldo in Annalibus Brixianis a celeb. Muratorio nuper in lucem editis.

EVANTUS, sive EVANTIUS, Abbas *Hispanus*, ab Evantio Viennensi in Gallia Episcopo An. 586. a) defuncto diversus, eoque junior, scripsit *Epistolam contra eos, qui* Caesaraugustae *sanguinem animalium immundum esse judicant et carnem mundam esse dicunt.* In hac laudat S. Gregorii ab An. 590. Papae b) librum Pastoralem, qui nondum scriptus erat cum Evantius Viennensis jam diem obiisset. Primus edidit Epistolam hanc Henricus Canisius tom. V. Lect. antiqu. parte 2. pag. 553. (edition. novae Basnagianae tom. 1, pag. 522.) recusam inde in Bibliothecae Patrum supplemento Morelliano An. 1639. atque in vulgatis ab eo tempore Bibliothecis, Coloniensi tom. VI. et in novissima Lugdunensi tom. XI. pag. 1092. Exstat quoque ad calcem Luitprandi Ramiresiani pag. 526. et in Cardinalis Agvirrii Conciliis Hispaniae tom. 3, pag. 87. qui probat Evantium hunc fuisse Archidiaconum Toletanum, Apud Nicol. Antonium nullam Evantii inter scriptores Hispanos mentionem reperio.

EVARISTUS, sive, ut Eusebio vocatur, EVARESTUS, Episcopus Romanus ab An. 95. vel, ut alii, 100 ad 109. traditur scripsisse, quae in Pseudo-Isidori sylloge, atque inde in Conciliorum tomis, collectionibusque Lamberti Gruteri, Francisci Joverii et aliorum exstant, *Epistolas duas*, unam *ad fratres universos Africae regionis Episcopos* et alteram *ad omnes per Ægyptum Domino conglutinatos fratres.* Utramque falsitatis convictam exhibet Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 147. et 151. *Decreta*, quea ad eundem Evaristum referuntur apud Gratianum, Ivonem, Burchardum etc. longe juniorum temporum esse notavit Petrus Coustant tom. 1. Epist. Romanorum Pontificum pag. 51. quem opponere juvat Ludovico Jacobo a S. Carolo pag. 64. Bibl. Pontificiae, aliisque.

EVAX de gemmis. Vide infra, MARBODEUS, et quae jam notavi in Bibl. Latina IV. 12.

Augustinus EUCADIUS. Supra, AUGUSTINUS.

EUCHERIUS illustri genere, ex Senatorio Viro et Consulari Monachus Lirinensis, atque inde ab An. 434. ad 455. Episcopus laudatissimus *Lugdunensis*, amicus *Paulini* Nolani Episcopi, (cujus Epistolam ad Eucherium et uxorem ejus *Gallam* edidit Chifletius) *Salviani* Massil. cujus Epistola 2. et 8. est ad Eucherium: *Rustici* Burdegalensis, cujus Epistola ad Eucherium legitur in Sirmondi notis ad Sidonii lib. 2. cap. XI. tom. 1. Operum Sirmondi pag. 900. *Domino vere Sancto Papae Eucherio Rusticus .... Ora pro me, vere sancte atque amice DEI, et mihi in CHristo omni cultu suspiciende Papa*: ac ne multos alios referam *Joannis Cassiani*, qui ex Collationibus suis quasdam illi dicavit, et *Hilarii* Arelatensis, qui eodem quo Eucherius anno diem obiit, et cui Eucherius dicavit libellum de laude eremi. De hoc Eucherio adeundos prae caeteris suadeo Vincentium Barralim in Chronologia Abbatum Lerinensium, Lugduni 1613. 4. Tillemontium tom. XV. memoriarum hist. Eccles. Petrum Franciscum Chiffletium parte 1. Paulini illustrati cap. 14. seq. Sammarthanos in Gallia Christiana novae editionis tom. IV. Parisiis 1725. Dominicum de Colonia tom. 1. historiae litterariae Lugdunensis, Gallice nuper editae parte 2. pag. 192. seq. Josephum ejusque fratrem Carolum Anthelmium in assertione pro unico Euche-

a) Sammarthani tom. 1 Galliae Christianae pag. 795. 796. Miraeus auctario de scriptoribus Ecclesiasticis pag. 29.

b) Vide Sam. Basna e tom. 3 Annal. ad Annum CHristi 586. num. 6. pag. 891. et Jacobum Basnage ad Canisium tom. 1 p. 521.

rio Lugdunensi, Henischium tom. IV. Actorum Sanctorum Junii 22. pag. 249. seq. et Pagium ad Annum Christi 441. quos qui attentius lustraverit, facile poterit respondere ad ea, quae pro altero *juniore* EUCHERIO *Lugdunensi* objiciuntur a Baronio ad Annum 529. (qui ipse notis ad Martyr. 16. Novembr. veriora tradiderat) Theophilo Raynaudo in indiculo sanctorum Lugdunens. (tom. VIII. Operum pag. 48. seq.) Labbeo tom. 1. de S. E. pag. 293. seq. Mabillonio ad vitam S. Consortiae Eucherii filiae tom. 1. Actor. Sanctorum Bened. aliisque.

Scripta S. Eucherii sunt:

1. Ad filios suos, quos e Galla susceperat, postea Episcopos *Veranium* et *Salonium*, a) liber *formularum spiritalis intelligentiae*, distributus in undecim capita, Bedae lectus diligenter, obscurasque Sacrae Scripturae locutiones pandens, cum praemissa ad *Veranium* Epistola. Prodiit additus aliis Eucherianis Basileae 1531. fol. edente Joanne Alexand. Brassicano, et Romae 1564. fol. apud Manutium, tum ad calcem clavis Scripturae, quem Matthiae Flacio debemus, et in Vincentii Barralis Chronologia Lirinensi, et in Bibliothecis Patrum, ut tom. 6. Lugd. pag. 824. Hic est liber Eucherii *de mysticis verborum significationibus*, quem cum Caesarii admonitionibus MStum exstare in Bibliotheca Helmstadiensi, notant Conringiana pag. 152. Primam editionem Paris. 1520. 12. sinceriorem esse, caeteras interpolatas notavit Oudinus tom. 1, pag. 1220.

2. *Instructionum* ad *Salonium* b) filium libri duo, quorum priore dissolvit difficiliores de Veteris et Novi Testamenti locis quaestiones, altero nomina sacrarum litterarum Hebraica, ponderaque et mensuras et alia scitu digna nec obvia interpretatur. Hos libros Rustico valde laudatos, post Brassicanum, Basileae 1530. et Romanam editionem 1564. recensuit in Lirinensibus suis Vincentius Barralis Lugduni 1613. 4. tum Joannes Ludovicus de la Cerda cap. 115. pag. 204. cap. 259. pag. 390. seq. et cap. 164. pag. 423. seq. Adversariorum sacrorum. Lugd. 1626. fol. Denique recusi in Bibliothecis Patrum, ut Lugd. tom. 6, pag. 853. Confer Isidorum Hisp. VII. 6. seq. Originum, et Bedae interpretationes tom. 3. Operum pag. 371. seq.

3. *Epistola paraenetica* ad *Valerianum* cognatum, *de contemtu Mundi* b) *et saecularis Philosophiae*, scripta, ut videtur, ex Lirinensi secessu An. 432. Hanc ante Brassicanum et Romanam Manutii editionem vulgaverat Erasmus An. 1520. cum scholiis in 4. atque inde 1531. 4. et cum notis Heribertus Rosweidus Antwerpiae 1621. et minore forma Philippus Labbeus 1646. et apud Vincentium Barralim et in Bibliothecis Patrum ut Lugdunensi tom. 6, pag. 857. Gallice etiam vertit post. J. Canagium et Antonium Godellum, Arnaldus Andilius: Hispanice Ludovicus Granatensis, Italice G. Jolitus, H. Vaughanus Anglice. Hujus scripti meminit Gennadius cap. 63.

4. Opusculum ad *Hilarium* Arelatensem c) Antistitem Lirinensis eremi deserta petentem, *de laude eremi*, quod *luculentissime et dulci sermone dictatum* laudat Isidorus Hisp. de S. E. cap. 15. Primus edidit Gilbertus Genebrardus Paris. 1578. 8. et cum superiore Epistola Rosweidus Antwerp. 1621. 8. Vincentius Barralis quoque: deinde Bibliothecae Patrum editores, ac novissimae Lugdunensis tom. VI, pag. 862.

5. *Historia passionis S. Mauritii* et sociorum *Agaunensium Martyrum Legionis Felicis Thebaeae* An. C. 286. in Codicibus interpolatis perinde ac sincerioribus ad Eucherium auctorem refertur. Interpolata exstat apud Boninum Mombritium, una cum Epistola ad *Sylvium* (sive *Salvium*) Episcopum Octodorensem in Vallesia Galliae, et minus emendate etiam apud Surium 22. Septembris, et in editione quam cum notis

a) Gennadius cap. 63. Tillemont tom. XV pag. 151. seq.

b) Hunc Salonium Eucherius celebrat Institutum edoctumque ab Honorato Massiliensi, Hilario Arelatensi, Massiliensi Salviano et Vincentio Lirinensi.

a) Al. *de contemtu rerum humanarum*. Alii minus bene, *de vita solitaria*.

b) Hoc scriptum respicit Honoratus in vita Hilarii Arelatensis cap. I. §. 6. apud Surium et in Actis Sanctorum die V. Maji. *Relationi huic scripta B. Eucherii praebent attestationem, qua ad eum directa testantur.*

in lucem emisit Petrus Stevartius Ingolstad. 1617. Sinceriorem vulgavit Petrus Franciscus Chifletius in parte 1. Paulini Nolani illustrati, qui prodiit Divione 1662, 4. Theodericus Ruinartus in Actis selectis Martyrum pag. 289. edit. Parisiens. in 4. (Amstelod. in fol. pag. 271.) Curatores Bibliothecae Patrum Lugdunens. tom. VI, pag. 866. seq. et cum Gallica versione Johannes Dubourdieu in dissertatione Historico-Critica Gallice edita, qua et traditioni de illo Martyrio, detrahere fidem, et Eucherio suppositum hoc scriptum ostendere contendit. Amst. 1705. 12. Sed malo accedere Tillemontio, qui Eucherio nostro vindicare tanquam (*l'ouvrage le mieux ecrit*) non dubitat tom. XV. memoriarum p. 131. Prosam Eucherii metro epico complexus est MARBODEUS Rhedonensis, teste Sigeberto cap. 158. quod carmen post editionem veterem Rhedonensem An. 1524. exstat pag. 1535. seq. operum Marbodei, ad calcem Hildeberti, Parisiis 1708. fol. Videndus etiam Venantius Fortunatus ll. 15. carminum, tom. XV. Bibliothecae Patrum Lugdunens. pag. 537. E. et Walafridus Strabus tom. XV, pag. 220. F. Rudolfus Abbas in Actis translationis militis e Legione Thebaea An. 1121. tom. VI. monumentorum Edmundi Martene pag. 1015

6. Epistola ad *Faustinum* Presbyterum Insulanum *de situ Judaeae, Urbisque Hierosolymitanae* ex Josepho, Hieronymo etc. edita primum a Philippo Labbeo tom. 1. Bibliothecae novae MSS. pag. 665-667. Paris. 1657. fol.

7. Eucherium MS. *in Psalmos* nactum se Coloniae, scripsit Nicolaus Heinsius Epistola An. 1673. data ad Graevium tom. IV. sylloges Burmannianae pag. 171.

8. Commentariorum *in Genesin* libri III, et *in libros Regum* libri IV, a) post editiones Basil. 1530 et Romanam 1564 recusi in Bibliothecis Patrum, ut Lugdum. tom. VI. pag. 868 et 939-1014. Horum commentariorum auctorem post Cassiodorum et Augustinum, Anglorum Apostolum, scripsisse et Britannum fuisse videri, primus observavit Latinus Latinus, cujus vide Biblioth. sacram et profanam tom. I. pag. 166. Sixtum Senensem IV. Bibl. S. p. 226 et Tillemontium tom. XV, memoriar pag. 133.

9. Ex *Sermone* Eucherii locum referens Claudianus Mamertus his eum verbis celebrat lib. 2 de statu animae cap. 9. *Haud quaquam tamen Eucherium praeterierim, mihimet vivente doctrina et praesentaneis coram disputationibus cognitum, non porro nunciis aut lectione compertum, qui scilicet viridis aevi, maturus animi, terrae despuens, coeli appetens, humilis spiritu, arduus merito ac perinde ingenii subtilissimus, scientiae plenus, eloquii profluus, magnorum saeculi sui Pontificum longe maximus, editis in rem fidei multijugis variorum operum voluminibus, ad populum quoque his* super statu animae *concionatus est.* Sermones sub Eucherii nomine qui exstant duplicis sunt generis, alii qui variis aliorum permixti et An. 1545 primum editi leguntur, de quibus infra in EUSEBIO *Emeseno*: alii a Jonne Livinejo, Canonico Antwerpiensi post Catecheses Theodori Studitae editi Antwerp. 1602, 8. de quibus Combefisius notat Labbeum *graviter hallucinari, dum quas Livinejus* Echerii homilias *evulgavit, illas, ipsas esse ait quae toties* Eusebii Emeseni *nomine, tumque* Eusebii Gallicani *sunt editae: cum nihil sit inter utrasque commune, vereque profiteatur Livinejus vir doctus, deque Graecis litteris bene meritus, quas producit Eucherii homilias, nunquam antehac fuisse editas, suntque Pseud-Eusebianis illis pauciores, stylo sane nitentes, ac forte solae Eucherianae, ex quibus aliquas in hanc Concionatoriam Bibliothecam derivavimus.* Haec ille. Sermones illi ex Livineji editione recusi in Bibliotheca Patrum Paris. An. 1624. etc.

a) Dionysius Faucherius haec velut Isidori Hispal. ex cap. 15. de scriptoribus Ecclesiasticis affert de Eucherio, sed quae in nullo Codice veteri, in nulla editione Isidori leguntur: *Scripsit alia in multos sacros libros commentaria non minus necessaria quam utilia, praecipue vero in* Genesin, et libros Regum *ad Salonium et Veranium fratres Episcopos, opus prolixum et doctissimum.* Vide Vossium de Historicis Latinis II. 17. pag. 228.

10 *Exhortatio ad Monachos* duplex, una quae incipit: *Quid vobis exhibeamus, fratres charissimi.* Et altera, cujus initium: *In hunc fere modum artifex Mundi Deus.* Exstat in Codice regularum Holsteniano Romae et Paris. edito p. 55, 57. Appendicis et in Bibl. Patrum Lugdun. tom. 27. p. 180, 181. ubi non debebat omitti, quae in eadem appendice p. 60 legitur Eucherii *admonitio ad Virgines*, quae incipit: *Si diligenter attenditis, venerabiles filiae.*

11. Gennadio cap. 63 teste *Joannis Cassiani quaedam* a) *opuscula lato tensa sermone, angusto verbi resolvens tramite in unum coegit volumen.* Epitome illa Cassiani cum aliis Eucherii scriptis edita Romae 1564, fol. et Graeca Epitomes versio in Athanasio Montfauconiano tom. 3. pag. 366. Vide supra in Cassiano, tom. 1. pag. 328. Quanquam vero Cassiani scripta amavit Bucherius, Semipelagianis tamen accenseri propterea non meruit. Consule Norisium hist. Pelag. II, 13 et Tillemontium tom. XV, memoriar. p. 131, seq. Oudinum tom. 1. pag. 1213, sq. Honoratus in vita *S. Hilarii* Arelatensis cap. 1. §. 15 apud Vinc. Barralim, et ad 5 Maji Surium, Henscheniumque: *Sed ne quis me existimet falsa fortassis asserere, testimonium B. Eucherii, Episcopi Lugd. justum credidi adhibendum, qui Hilarii volumine prosa versuque percepto ita respondit*: Dictum difficile est, quanti mihi pretii fuerint litterae sanctitatis tuae, in quibus ita expertam facundiam recognovi, sicut tenes in aliis modestiae morumque operibus principatum. Ignosce de te studiose minora dicenti, quia semper in praedicatione sui virtus erubescit, cum hoc ipsum verecundiae genus pars magna virtutis sit.

Ex *laterculo* sive Calendario *Ptolemaei* sive *P. Annaei* SYLVII ad Eucherium Episcopum An. 449. Mensem Januarium et de Paschate, et de mensibus aliis excerpta quaedam exhibet Joannes Bollandus praefat. ad tom. 1. Actor. Sanctor. Januarii pag. XLIII. seq. Idemne hic sit Sylvius, cui Eucherius passionem Legis Thebaeae dedicavit, disquirit Tillemontius tom. XV. pag. 134.

a) Quatuor libros de institutis Coenobiorum.

EUCHERIUS, non Lugdunensis, sed alterius sedis, Provinciae, ut videtur, Arelatensis Episcopus, qui interfuit subscripsitque Conciliis Arelatensi IV. An. 524. Carpentoratensi An. 527. Arausicano et Vasensi An. 529. Hic amicus Caesarii Arelatensis, de quo Cyprianus Tolonensis in Caesarii vita cap. 22 apud Surium 27. Aug Eucherius iste ibi quidem *Lugdunensis Episcopus* appellatur, sed in quatuor Codicibus MStis, quos inspexit Antelmius, vox *Lugdunensis* desideratur.

EUCHERIUS, Aurelianensis Episcopus, sed An. 727 missus in exilium, et in coenobio Trudonis in Belgio defunctus An. 743. Ejus *vita* a synchrono scriptore tradita extat apud Surium 20 Febr. et sincerior in Actis Sanctorum Februarii tom. 3. pag. 217. In iisdem Actis ad eandem diem pag. 177, seq. de EUCHERIO Tungrensi et Trajectino ad Mosam Episcopo, defuncto An. 526.

EVERARDUS, infra, EVRARDUS.

EVERBINUS, infra EVERVINUS.

S. EVERHARDUS Dux Forojuliensis, gener Ludovici Pii Imp. et Pater Berengarii Italiae Regis. *Testamentum* An. 835 scriptum edidit Florentius Haraeus libro Gallice edito de Castellanis Insulensibus, Insulis 1611, 4. et post eum Aubertus Miraeus in notitia Ecclesiarum Belgii, Antwerp. 1630, 4.

EVERHARDUS *de Vilelenis*, Prior S. Catharinae de Cultura, ex Ordine Vallis Scholarium, Doctor Paris. An. 1267. Ejus *summa de festis*, sive *sermonum de sanctis et festivitatibus per annum* volumen MStum. Vide Oudinum tom. 3. pag. 492.

EVERHARDUS *Nurembergius*, Ord. Praed. circa Annum 1430 laudatur a Joanne Nydero IV, 12 formicarii, pluraque Concionatoribus utilia scripsisse perhibetur. Vide Jacobum Quetif tom. I. pag. 780.

EVERHELMUS, EVERHELINUS, ex Altimontensi in Hannonia, Blandiniensis

a) Vide Oudinum t. 2 p. 645. Vossium p. 369.

An. 1058 prope Gandavum in Flandria Abbas Ord. Bened. defunctus An. 1069. a) Scriptor *vitae S. Popponis* Abbatis Stabulensis, cui morienti praesens adfuit An. 1048, 25. Januar. Edidit Surius ad 25 Jan. et breviatam Pranciscus Haraeus, Zacharias Lippeolus, Jacobus Doubletius. Sinceriorem Jo. Bollandus Act. Sanctor. tom. 1. Januarii pag. 638. Praemittitur ONULPHI Monachi praefatio, ad Everhelmum, qua se ejus rogatu Vitam S. Popponis scribendam suscepisse profitetur. *At fortassis*, inquit Bollandus, *eam non perfecit (nam hominem inconstantem fuisse patet ex Everhelmi narratione :) aut si perfecit, minus forte probata est Everhelmo, qui aliam propterea scribere est aggressus, aut illam ita ipse recudit, ut ejus non* Onulphi *opus censeri deberet. A se quidem Vitam illam compositam ipse fatetur.*

Joannes EVERISDENUS, sive EVERHESDEN, EVERISTINUS, Monachus Anglus in Coenobio S. Edmundi Buriensis, Ord. Benedict. scripsit *seriem temporum* ab initio Mundi ad An. 1336. quod opus MS. adhuc in Anglia a) servatur. Librum *de Regibus et Episcopis Angliae*, nec non *Concordantias Divinae historiae*, et *Concordiam Decretorum.* Etiam carmine alia scripsisse Baleus V, 40. auctor est, ex quibus memorat *Legum medullam*, quae incipit : *Disce quid humanum Jus Divinumque.* Confer Pitseum pag. 434, 435.

EVERWINUS, EVRINUS, EBROINUS, EVERBERO, sive EVERBINUS, S. Mauritii Dolejensis in agro Trevirensi Monachus, atque inde Abbas S. Martini Trevirensis Ord. Cluniacensis, scripsit ad Popponem ab An. 1016 ad 1047. Trevirorum Archiepiscopum *Vitam S. Simeonis, Syracusani*, Monachi reccluri Trevirensis An. 1035 defuncti, quam post Surium 1 Junii, integriorem ex octo Codd. MSS. exhibent Acta Sanctorum tom. I. Junii pag. 89. Praeterea *Vitam S. Magnerici* Trevirensis ab An. 573 ad 595. Archiepiscopi, quae exstat tom. 6. Julii 25. pag. 183-191 notis Johannis Pinii illustrata. Etiam *gesta Popponis*, de quo jam dixi, Archiepiscopi Trevirensis scripsisse testatur Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Vide Vossium pag. 368.

a) Oudin. tom 3. pag. 909.

EVERWINUS, sive HERVINUS, Steinfeldensis Monasterii, Praemonstratensis Ordinis, Coloniensis Dioecesis Praepositus primus, a) circa Annum 1146 scripsit *Epistolam ad S. Bernardum de haereticis sui temporis*, quorum dogmata refellit idem Bernardus sermone LXV, et LXVI, in Canticum. His praemissa ab ultimis editoribus operum Bernardi illa Epistola legitur. Vide editionem novissimam Mabillonianam tom. 1. p. 1490, seq. et Mabillonii praefationem ad Bernardum §. 76, sqq. notationemque Mabillonii, subjectam eidem Epistolae, editae primum An. 1682 in Analectis tom. 3. pag. 452. (novae edit. pag. 473.) ubi typorum errore identidem Evervinus hic *Steinteldensis* Praepositus perperam pro Steinfeldensi appellatur, etiam apud Pagium ad An. 1146, n. 7.

Monachus EVESHAMENSIS, b) Anglus, cui debemus *Historiam vitae et regni Richardi II*, ab An. 1377 ad 1399. Angliae Regis. Eam ex MS. Cottoniano in lucem primus nuper produxit Thomas Hearne Oxon. 1729, 8.

EUGENIUS, ab An. 480. Archiepiscopus *Carthaginiensis* et tempore Vandalorum Africam vexantium Confessor : missusque in exilium ab Hunnerico, deinde a Gontamondo revocatus An. 487 atque hinc iterum dejectus a Thrasamondo, diem obiit An. 505. De hoc Eugenio diligentissime, ut solet, Tillemontius tom. XVI memoriarum. De ejus scriptis unus audiendus Gennadius cap. 97. *Eugenius Carthaginis, Africae civitatis Episcopus, et Confessor publicus, admonitus ab Hunerico, Vandalorum Rege,* Catholicae fidei expositionem, *et maxime verbi homousii proprietatem disserere cum consensu omnium Africae, Mauritaniae, et Sardiniae, atque Corsicae Episcoporum et Confessorum, qui in Cat-*

a) Vide Joannis le Paige Bibliothecam Praemonstratensem pag. 305.

b) Acta Eruditorum A. 1730. p. 477.

holica permanserunt fide. Composuit a) librum fidei, *non solum sanctarum scripturarum sententiis, sed et Patrum testimoniis communitum, et per collegas confessionis suaè porrexit : Jam vero asportandus pro fidelis linguae remuneratione in exilium*, Epistolas *velut commonitorias fidei, et unius sacri, et conservandi Baptismatis, ovibus suis quasi pastor sollicitus dereliquit*: Altercationes *quoque, quas cum Arrianorum Praesulibus, per internuncios habuit, conscripsit, et relegendas per majorem domus Hunerico transmisit: Similiter et* preces *pro quiete Christianorum eidem velut* apologias *obtulit. Vivere adhuc* b) *ad confirmationem Ecclesiae dicitur.* Ex hisce omnibus Eugenii scriptis nihil ad nos pervenit, nisi quod ejus esse creditur *Professio fidei Catholicorum Episcoporum, Hunerico Regi oblata* XII. Cal. Maj. An. 484 quae implet totum librum tertium Historiae Victoris Vitensis, quam de persecutione Vandalica composuit, tom. 8. Bibliothecae Patrum Lugdunens. pag. 683 atque inde sub *Eugenii* nomine, quod Victor omisit, eadem legitur in tomis Conciliorum. Quo minus tamen illa sit Confessio, de qua Gennadius, videtur obstare, quod hic testatur Eugenium Confessionem suam *non solum SS. Scripturarum sententiis, sed et Patrum testimoniis communitam* porrexisse, in hac autem, quae apud Victorem exstat, sola ex sacris litteris repetita testimonia afferuntur : nisi partem alteram a Victore de industria praetermissam esse dixeris. Vide, si placet, Tillemontium tom. XVI pag. 561.

S. EUGENIUS, supra pag. 500. EGWINUS.

EUGENIUS I. Romanus, Rufiniani filius, ab An. 654. Septembris 7 ad An. 657 31 Maj. Ecclesiae Romanae Episcopus, cujus nulla quidem scripta, sed haec decreta quatuor apud Gratianum, Jacobum Philippum Bergomatem, aliosque feruntur : 1) *ut quilibet Episcopus carceres haberet ad poenitentiam delinquentium clericorum.* 2) *ut juxta Ecclesias, domicilia Sacerdotum construerentur.* 3) *ne Monachi quavis ex causa sine sui superioris licentia claustrum exirent* : et 4) *ut nullus invitus Monachus in monasterio teneretur.*

EUGENIUS II. Boëmundi filius, Papa ab An. 824. Junii 5 ad Annum 827. Augusti 27. cujus *Epistola ad Bernardum*, Episcopum Viennensem, exstat in tomis Conciliorum, in Bibliotheca Floriacensi, in Baronii Annalibus ad Annum 827 num. 2. in antiquitatibus Johannis Lieurei Viennensibus a) Gallice editis Viennae 1623, 8. etc. *Epistola ad Episcopos* apud Carolum le Cointe tom. VII. Annalium Francorum pag. 706. seq. *Diploma datum Yrolfo*, Laureacensis Ecclesiae Archiepiscopo, in Christophori Gewoldi appendice ad Chronicon Reicherspergense pag. 17. Monachii 1611, 4. *Epistola* in Synodo Parisiensi (An. 825 contra cultum imaginum habita) nomine Romani Pontificis *ad Michaëlem atque Theophilum*, Imperatores Graecorum, in Goldasti Imperialibus decretis de cultu imaginum pag. 723. *Decreta XI*, ex Concilio Remensi, quae pleraque ad Eugenium III, spectare notarunt Conciliorum editores, sicut de illis quoque, quae apud Gratianum sparsim exstant, monuit Baronius ad Annum 626 num. 7. Sub eodem Eugenio II. An. 826. *Concilium Romanum* Episcoporum LXIII, in quo conditi *Canones XXXVIII*, in Holstenii collectione Romana 1662, 8. parte 2 et in tomis Conciliorum, in quibus etiam Epistola Ludovici et Lotharii Imperatorum ad hunc Eugenium data An. 824. adde Carolum le Cointe tom. 7. pag. 792.

EUGENIUS III, antea *Petrus Bernardus* Pisanus, Ordinis Cisterciensis, inde Papa ab An. 1145. Februarii 14 ad An. 1153. Julii 8 cujus *Epistolae* LXXXVIII, exstant in Conciliorum tomis, et in Angeli Maurici sive Mauriquez Annalibus Cisterc. tom. 2 in Bertrandi Tissier Biblioth. Cisterciensi etc. Ex illis Epistolae XII, ad Hispanos apud Aguirrium tom. III. Conciliorum Hispaniae pag. 355, seqq. His accedunt Epistola ad Petrum Regensem et

a) An. 484.
a) Scripsit haec Gennadius A. 494.

a) Ludovicus Jacobus Bibl. Pontific. pag. 65.

Bertrandum Forojuliensem Episcopos in Baluzii Miscell. tom. 2. pag. 222. Epistolae duae ad Abbatem et Monachos Beccenses, in iisdem tom. 7. pag. 140, seq. Ad Yvonem et Serlonem Abbates, Epistolae duae apud Edmundum Martene tom. 1. Anecdotorum pag. 404 alia ad Bermundum, pag. 412 et ad Sugerium Abbatem duae pag. 416. Aliae item Epistolae XV, in ejusdem Martenii atque Ursini Durandi nova collectione tom. 2. p. 627, seqq. *Diplomata* sparsim obvia, ut in Bibliotheca Cluniacensi Andreae du Chesne pag. 1411 in Arnoldi Oihenarti notitia utriusque Vasconiae lib. 1. cap. 3 etc. Vide Caroli de Visch Bibliothecam Cisterciensem pag. 103. seq. Carolum Jacobum pag. 65, seq. Primum fuisse Eugenium III, qui jussit in tribunalibus Ecclesiasticis judicari secundum GRATIANI decretum, notat Franc. Pagi in breviario de vitis Pontificum tom. 3. pag. 27 qui *Diploma Canonisationis Imperatoris Henrici II*, a) affert pag. 30 quod habes etiam apud Baronium An. 1152 et in Laurentii Cherubini bullario tom. 1. pag. 61 atque alibi: Idem Pagius etiam adeundus de Conciliis sub Eugenio habitis, *Trevirensi* An. 1148. in quo scripta S. HILDEGARDIS examinata, tum *Remensi* eodem An. 1148. in quo damnatus EUDO, sive EON haereticus et GILBERTUS Porretanus. Canones XVII, hujus Concilii edidit Edmundus Martene in Collectione, Rothomagi 1700, 4. edita pag. 232 et tom. 4. Thesauri Anecdotorum pag. 141. (101. Vide Lupetti G. Elogium in II. vol. *Illustri Pisani* Pisa 1791).

EUGENIUS IV, antea *Gabriel Conaelmerius*, Venetus, Papa ab An. 1431. Martii 6 ad Annum 1447. Februarii 18. Hunc Oratione funebri atque epitaphio celebravit Æneas Sylvius · *Vitam* a scriptore coaetaneo traditam vulgavit Baluzius tom.

a) De hoc Gretserus in Divis Bambergensibus et in Johannis Petri Ludewig scriptoribus rerum Bambergensium: Acta Sanctorum tom. III. Julii 14, pag. 711 seq. Johannes Conradus Dietericus in historia Augusta Imperatorum Germanicorum familiae Saxonicae, Giessae 1616, 4. D. Joannes Henricus Feltzius in selectis ex historia Henrici sancti, Argentorati 1712, 4. etc.

7. Miscellan. pag. 506. Eugenii IV, *bullam adversus Prosperum de Columna, Cardinalem*, pag. 513. De *Epistolis* ejus pluribus, quae in tomis Conciliorum, et in Actis Concilii Basileensis An. 1431 et Ferrariensis ac Florentini An. 1439 et Frisingensis An. 1440 et apud Bzovium, Raynaldumque, et in Waddingi Annalibus Ordinis Minorum tom. V, leguntur, longum est referre. In Laërtii Cherubini bullario exstant ejus Constitutiones XXIX tom. 1. pag. 338-373 ex quibus XV. pag. 351 est *de Cardinalium dignitate* praestantiore caeteris Ecclesiasticis dignitatibus. *Decretum* XVII. pag. 353 *de unione inter Romanam et Graecam Ecclesiam* illustravit Cardinalis *Johannes de Turrecremata*, Ordinis Praedicatorum, qui An. 1468. 26 Septembris diem obiit. Praeter editiones in Actis Concilii Florentini, prodiit Venetiis 1561, 4. Adeundus etiam Antonius Florentinus in summa histor. tit. XXII. cap. 11 tom. 3 pag. 529, seq. De numo Eugenii IV. An. 1439 cuso in unionem Latinae, Graecae et Armenicae Ecclesiae, vide V. C. Joannis Davidis Koeleri delicias historicas numismaticas tom. 1. pag. 73. Decretum *de Armeniorum Concordia*, apud Cherubinum est XIX. pag. 355 cum *septem articolorum declaratione*. Et *de Concordia Jacobitarum* in Ægypto, XXIII. pag. 361. Ejus *librum contra Bohemos et Hussitas*, quem Franciscus Pagius tom. 4 de vitis Pontificum pag. 650 memorat, non memini me videre. *Decretum contra Fratricellos* apud Raynaldum ad An. 1430 n. 24. pag. 107.

* Non est hic praetereunda annotatio quaedam manu Felini descripta in fine Cod. 122 in eius Bibliotheca, *Eugenius IV an. 1434 Florentiae dicitur fecisse constitutionem de multis festis non observandis, nec non et de multis aliis*. Haec nunquem me alibi legisse succurrft.

EUGENIUS Helladii discipulus, inter Toletanos Episcopos primus hoc nomine, subscripsit Conciliis Toletanis V, et VI.

a) Nicolaus Antonius tom. 1. Bibliothecae Hispanae pag. 281. Arnoldus Wion tom. 2. ligni Vitae pag. 368.

An. Christi 636 638. a) Huic qui An. 646 successit EUGENIUS II, ad Annum usque 657. Toletanus Episcopus, teste Ildefonso cap. 14 de scriptoribus Eccles. *studiorum bonorum vim persequens*, cantus *passivis usibus vitiatos*, *melodiae cognitione correxit*: Officiorum *remissos ordines*, *curamque discrevit*. *Scripsit* de Sancta Trinitate *libellum*, b) *et eloquio nitidum et rei veritate perspicuum*: — *Scripsit et* duos libellos, c) *unum diversi carminis* metro, *alterum diversi operis* prosa *concretos*: *Libellos quoque* DRACONTII d) de creatione Mundi *conscriptos*, *quos antiquitas protulerat vitiatos*, *ea quae inconvenientia reperit*, *subtrahendo vel meliorando*, *ita in pulchritudinis formam coegit*, *ut pulchriores de artificio corrigentis*, *quam de manu processisse videantur auctoris*. *Et quia de die septimo idem Dracontius omnino reticendo*, *semiplenum opus visus est reliquisse*, *iste et* sex dierum recapitulationem singulis versibus *renotavit*, *et* de die septimo, *quae illi visa sunt*, *eleganter dicta subjunxit*. Testimonia Eugenii *de resurrectione carnis et beatitudinis statu* producit Julianus Toletanus III, 17, et 24 prognosticorum futuri saeculi. De *Missa S. Hippolyti Martyris*, quem praeterae Eugenius fertur scripsisse, et de commentitia *correctione Itinerarii Provinciarum Antoniniani*, quam illi Pseudo-Julianus Chronici scriptor tribuit, videndus Nicolaus Antonius V, 4. Bibliothecae veteris Hispanae §. 259 260. Defuncto An. 657 die 13 Novembris Eugenio successit idem, quem modo laudavi, ILDEFONSUS, de quo suo loco.

EUGESIPPUS Christianus scriptor, cujus brevem tractatum *de distantiis locorum terrae sanctae* An. 1040 compositum e MSto Codice Caroli Moroni vulgavit Leo Allatius in συμμίκτοις pag. 104-120. Colon. 1653, 8.

EUGIPPIUS a) Italus, S. Severini et Gelasii Papae discipulus, Presbyter et Abbas Lucullanensis prope Neapolin Campaniae, scripsit biennio post Consulatum Importuni, b) hoc est An. Christi 511. *Vitam S. Severini*, Abbatis et Noricorum Apostoli, dicatam Paschasio Diacono, quam mutilam Surius 8 Januarii, sed integram primus ex Bibliotheca S. Emmerani Reginoburg. edidit scholiisque illustravit Marcus Velserus Augustae Vindelicorum 1595, 4. recusam inter Velseri opera pag. 635. praemissa Paschasii ad Eugippium, qua ei gratias agit Epistola. *Epistolam* Eugippii *ad Paschasium* edidit Henricus Canisius tom. 6. Antiquarum Lectionum pag. 453. (edit. novae tom. 1. pag. 411.) Ex Velseri et Canisii editione legitur etiam haec vita atque Epistola in Surii vitis iterum cum auctario vulgatis, atque in Actis Sanctorum tom. 1. Januarii pag. 484 cum notis Joannis Bollandi, et ex recensione Hieronymi Pez in tom. primo scriptorum de rebus Austriacis pag. 64. Praeter hanc Severini vitam, cujus loca quaedam illustrantur a Lambecio tom. 2. pag. 12, sqq. Eugippius ab Isidoro Hisp. cap. 13 de S. E. et Honorio III. 15 traditur etiam scripsisse *Regulam Monachis consistentibus in Monasterio S. Severini*, *quam eisdem moriens quasi testamentario jure reliquit*. Verum haec jam videtur intercidisse, antequam Concordiam regularum conderet

b) Hunc libellum hodie desideramus.

c) Ex his duobus priorem carmina XXXI. complexum vulgavit Sirmondus Parisiis 1619, 8. et tom. II. Operum pag. 879. Liber alter *diversi operis prosa* concretus, nusquam hodie extat. Priorem ex Sirmondi editione repetiit Andreas Rivinus Lipsiae 1651, 8. et Bibliothecae Patrum editores, ut Lugdunensis tom. XII, pag. 345. In illo libro num. XXI exstat notum hexastichon Petro Crinito pridem laudatum de litterarum inventoribus:

Moyses primus Hebraeas exaravit litteras,
Mente Phoenices sagaci condiderunt Atticas:
Quas Latini scriptitarunt, condidit Nicostrata.
Abraham Syras, et idem repperit Chaldaicas,
Isis arte non minori protulit Ægyptias.
Gulfila promsit Getarum quas videmus ultimas.

d) Etiam hos vulgavit Sirmondus. Vide supra in DRACONTIO p. 189.

a) Philippo Bergomati in Chron. Sabellico VIII 2. et Platinae *Egisippus*, Francisco Irenico III. 14. *Cregiptius*. Aliis *Eugiptus*, *Eugepius*, *Eugypius*, *Eugippus*. Vide Velferi Opera pag. 652.

b) Vossius pag. 256. Sirmondi Opera tom. IV. pag. 757. Lambecius tom. 2. pag. 25. Mabillonii Analecta pag. 61.

circa Annum 810. Benedictus Anianensis, in qua Eugippii nusquam meminit. Quod vero Sigebertus Gemblacensis cap. 39 ait Eugippium Abbatem *hortatu Renducis*, sive Reducis *Neapolitani* in Campania *Episcopi deflorasse libros S. Augustini* et Probae virgini dedicasse, vixisseque tempore Pelagii II, et Tiberii II, hoc est circa Annum 580 id ansam dedit viris doctis duos fingendi Eugippios, alterumque hunc juniorem Afrum, quod Neapolitanum intelligerent cum Chioccarello de Neapoli Africae, et Augustino deflorando non crederent nisi Afrum hominem operam suam libenter impensurum fuisse. Sed Sigebertum decepit subscriptio Excerptorum, sive deflorationum Eugippianarum Codici MSto diu post Eugippi mortem exarato adjecta, qualem vidit Mabillonius, et subscriptionem illam publicavit in Analectis tom. 2. pag. 11. (editionis novae pag. 60.) in qua Codex ille traditur Reduce curante transcriptus et oblatus fuisse circa Annum 580. Ecclesiae Neapolitanae, neutiquam vero opus ipsum ab auctore compositum, qui *beatae recordationis EGIPIUS Presbyter et Abbas* appellatur. De eodem jam defuncto Cassiodorus cap. 23. Divinarum Lectionum: *Convenit etiam ut Presbyteri Eugipii opera necessario legere debeatis, quem nos quoque vidimus, virum quidem non usque adeo saecularibus litteris eruditum, sed Scripturarum Divinarum lectione plenissimum. Hic ad parentem* a) *nostram* Probam, *virginem sacram ex operibus* S. Augustini *valde altissimas quaestiones ac diversas res deflorans in uno corpore necessaria nimis dispensatione collegit, et in CCCXXXVIII. capitulis collocavit. Hoc* opus Eugippii Jo. Heroldus a) edidit Basileae 1542, fol. duobus Voluminibus, sub titulo *Thesaurorum* ex Operibus Augustini: recusum etiam Venetiis 1543. Praefationis exordium hoc est: *Dominae merito venerabili, et fructu sacrae virginitatis in CHristo gratia semper illustri* Probae Eugipius *omnium servorum DEI famulus, in Domino salutem dicit.* Excerptorum *codicem, quem de nonnullis operibus* S. Augustini, *cohortante domno meo* Marino *Abbate vel caeteris ejus sanctis Fratribus, quomodocunque compegeram continuo transferri vobis sancto quo polletis studio voluistis* etc. Ad eandem Probam exstat Fulgentii Ruspensis Epistola 3 et 4 qui Epist. 2 ad Gallam pag. 159 ait eam *avis atavisque natam Consulibus, et deliciis regalibus enutritam.* Ejusdem FULGENTII Epistola quinta ad Eugippium legitur, quem *compresbyterum suum* appellat. Legitur et Epistola *Fulgentii* FERRANDI, Diaconi Carthaginiensis, in appendice ad Fulgentium Ruspensem pag. 11 et in Ferrando Petri Francisci Chifletii pag 332. Denique Epistola DIONYSII Exigui, qua Eugippio versionem Gregorii Nysseni de opificio hominis dedicavit, apud Mabillonium in limine tomi secundi Analectorum, et editionis novae pag. 59.

a) Propinquam.
a) De hac editione videndus Possevinus.

EUGUBINUM Chronicon ab An. 1350 ad 1472 editum in laudatissimi Muratorii tom. XXI, scriptorum de rebus Italicis, auctorem habet Guernerium Bernium, Eugubinum; sed scriptum est non Latine verum Italice. De hoc Guernerio vide Acta Eruditorum An. 1733. pag. 447.

S. EULOGIUS Cordubensis b) Martyrium passus in persecutione quam Christianis moverunt Saraceni in Baetica Hispanica, Rege Cordubae Habdaraghmane II. Anno CHristi 859. De vita hujus Eulogii scripta ab ALVARO dixi supra tom. 1. pag. 71. Eadem praefixa Eulogii operibus, quae ex Petri Poncii Leonis recensione cum notis vulgavit Ambrosius Morales, Compluti 1574, fol. unde recusa fuere in tom. quarto Hispaniae illustratae, atque in Patrum Bibliothecis Parisiensi et Coloniensi tom. IX. et novissima Lugdunensi tom. XV. Sunt autem haec:

1. *Memoriale Sanctorum*, sive de Martyribus Cordubensibus libri III. p. 243. Edi-

b) Quod Monachum Benedictinum alii, alii Archiepiscopum Toletanum faciunt, neutiquam idoneis argumentis constat. Vide Nicolaum Antonium VI, 6. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 540.

tionem hujus operis integriorem promisit Joannes Maldonatus p. 19. Epist. Nam ut Thomas Malvenda a) lib. 1 de Antichristo cap. 24. pag. 58. *S. Eulogius* quidem *libro* 1. *Memorialis Sanctorum cap. 7 ex* Speraindeo *Abbate: et lib. 2. cap.* 1 *ex* Perfecto *martyre multa de abominandis et turpissimis Mahometi operibus et dogmatibus percensuerat: quae magna ex parte sustulit Morales in sua S. Eulogii operum editione: quod sane ab eo non satis recta ratione nobis factum videtur: quantumvis id ipse excuset: opera enim Patrum non sunt eo modo attingenda, aut mutilanda; nam nec Gnosticorum foedissima et spurcissima exempla a S. Epiphanii libris derasa sunt: et apud alios Patres et Scriptores antiquos ejusmodi detestandae et horrendae haereses descriptae reperiuntur: siquidem et eas nosse non parum intererat, nec sine valida et forti refutatione referebantur. At S. Eulogius acerrime semper, ut tantum virum decebat, in pravos Mahometi errores invectus est.* Ex hoc memoriali depromta sunt, quae de *Georgio Diacono, Aurelio, Felice, Natalia* et *Liliosa* exstant apud Surium 24 August. et quae de *Perfecto* Presbytero in Actis Sanctorum tom. 2. April. XVIII, p. 585 et de *Isaaco* Monacho tom. 1. Junii III. pag. 325.

2. *Apologeticus Sanctorum Martyrum* cum gestis et martyrio Ruderici et Salomonis pag. 286 adde Acta Sanctorum tom. 2. Martii XIII. pag. 328.

3. *Documenta Martyrii*, sive *adhortatio ad Martyrium*, quam Eulogius in carcere positus misit Virginibus sacris Florae et Mariae itidem carcere compeditis pag. 293 subjuncta pro iisdem Virginibus *Oratione ad DEUM* pag. 297.

4. *Epistolae* 1) ad *Wilesindum*, Pampilonensem Episcopum, pag. 298. 2. 3. 5) ad *Alvarum*, quem charissimum in DOMINO JESU CHRISTO fratrem suum appellat, pag. 303 cum duabus ALVARI ad Eulogium pag. 303 306. 4) ad *Baldegotonem* sororem pag. 305. De Epistolis hisce videndus Nicolaus Antonius pag. 342 et Chronologica notatio eorum, quae in historia et Epistolis S. Eulogii ab An. 850 ad 859 continentur, auctore Ambrosio Morale, apud Aguirrium tom. 3. Conciliorum Hispaniae pag. 144-148.

Petro de Alva et Astorga Franciscano, qui librum S. Eulogii *de scriptoribus Ecclesiasticis* in Bibliotheca Ecclesiae Toletanae vidisse se scripsit, teste Labbeo in Bibliotheca Bibliothecarum, fidem derogat idem Nicolaus Antonius.

EULOGIO et THEODULO ut coaevis afficta *Acta* apocrypha *S. Eleutherii* Episcopi cum Antia Matre sub Adriano passi martyrium, leguntur in Actis Sanctorum tom. 2 Aprilis XVIII. pag. 530. adde Tillemontii memorias tom. 2 pag. 227. 587.

EUMENIUS Augustodunensis Rhetor, de cujus *Panegyricis* intra Annum CHristi 297. et 311. habitis dixi in Bibliotheca Latina II. 22.

EVODIUS Tagastensis, ex Agente in rebus, Uzalensis in Africa Proconsulari Episcopus, et amicus S. Augustini, e primis scripsit teste Sigeberto cap. 15. *librum de miraculis in Africa ostensis per reliquias Stephani* a) *Protomartyris noviter inventas, quas detulit in Africam Orosius Augustini discipulus* An. 416. S. Augustinus sermone 323. b) num 3. *Apud Uzalim, ubi est Episcopus frater meus Evodius, quanta miracula ibi fiant quaerite et invenietis.* et lib. XXII. de Civitate DEI cap. 8. *Uzali etiam, quae Colonia Uticae vicina est, multa praeclara per eundem martyrem* (Stephanum) *facta cognovimus, cujus ibi memoria longe prius quam apud nos ab Episcopo Evodio constituta est.* Qui autem exstant *libri duo* de hoc argumento ad calcem librorum Augustini de Civitate DEI, tom. VII. Operum edit. Benedictinor. non Evodium auctorem habent, c) sed alium qui ejus jussu videtur eos com-

a) Malvendae verba expressi ex edit. Lugd. 1647 fol. nam in Romana haec non exstare notavit praestantissimus Caveus.

a) Confer quae supra in AVITO Braccarensi t. 1. pag. 404. seq.

b) Tom. V. editionis Amstelod. pag. 891. (in aliis editionibus serm. 52. de diversis.)

c) Adde Oudinum tom. 1, p. 1005.

posuisse. Librum *de Fide seu de unitate SS. Trinitatis, contra Manichaeos*, qui inter Augustini scripta saepius est editus. Evodio vindicant Codices MSti, teste Sirmondo in historia Praedestinatiana cap. 1. a) In Benedictinorum editione exstat in appendice tomi octavi pag. 26. *Epistola ad Innocentium I.* Papam, et *quatuor ad Augustinum* inter Augustinianas leguntur n. 95. et n. 98. 246. 247. et 258. (in Benedictinorum editione 177. 163. 160. 161. et 143.) et fragmenta Epistolae *ad Monachos Adrumetinos* edita a Sirmondo cap. 1. historiae Praedestinatianae, et a Benedictinis ad Epist. 216. (in aliis editionibus 256.) Augustini ad Evodium tractatus de anima CHristi apud inferos, atque Epistolae exstant quatuor, 159. 162. 164. et 169. editionis Benedictinorum. (veteris 100. 101. 99. 102.) De hoc Evodio prae caeteris adeundus Tillemontius tom. XII memoriarum p. 581. seq.

EVODIUS Episcopus Caesareensis, scriptor Graecus *Martyrii quadraginta Martyrum Sebastenorum* sub Licinio. Antiqua versio Latina JOHANNIS Diaconi Neapolitani exstat in Actis Sanctorum tom. 2 Martii X. p. 22.

EUPOLEMIUS, sub quo nomine liber scriptus carmine, fuit Helmstadii apud Polycarpum Leyserum τον μακαριτων Incipit: *Contra Messiam violenti praelia Caci.*

EVRARDI Comitis, et Coniugis ejus, GISLÆ *Testamentum* A. 867. edidit Miraeus in Codice Donationum cap. 21. Dacherius tom. XII spicilegii pag. 490. (tom. 2 editionis novae pag. 876.) et Johannes Georgius Eccardus in quaternione monumentorum pag. 38.

Guilelmus EVRARDUS, [*Erardus, Everardus*,] Lingonensis in Regio Gymnasio Navarrae Parisiensi Doctor inclytus interfuit Concilio Ambianensi An. 1422. et Basileensi An. 1431. et Avaricensi Biturigum A. 1438. Denique ex Canonico et Cantore Rothomagensis Ecclesiae Decanus diem obiit A. 1444. Ejus *Epistolae quinque Basilea datae ad nationem Franciae* exstant in Bulaei historia Academiae Parisiensis tom. quinto. De Evrardo ipso Launojus in Gymnasii Navarrae historia parte 3. lib. 2 cap. 5. tom. quarto operum: (editionis primae Paris. 1682. 4. p. 585. seq.) qui inter alia refert eum Anglis Puellam Aurelianensem vexantibus favisse, et Rothomagi cum ad populum verba faceret, contra illam, ut veneficam, atrociter declamasse. Ad hunc Evrardum Baccalareum in Theologia, Nicolai Clemangis Epistola 136. Adalium Everardum Morisite, Archidiaconum, Ducis Biturigensis Secretarium Epistola 49.

* In codice MS. Aquicinctensi inter multas orationes coram Basiliensibus Patribus habitas occurrisse sibi pariter Guillelmi Evrardi Ambasciatoris Universitatis Parisiensis orationem ibidem habitam Dominica IV. Adventus testantur PP. Martene et Durand in II. Itinerar. Litterar. pag. 80.

EVRARDI *de Tremangonio*, J U. Doctoris, propositum factum An. 1371. Cangius evolvit in Codice Bibl. S. Germani Paris. Cod. 645.

EVRESIUS sive EPHESIUS, Episcopus in Asia Luciferianus, contra quem edictum Arcadii a) lib. XVI. Codicis Theodos. tit. V. de haereticis, lege 28. De eodem Marcellinus et Faustinus Luciferiani in libello precum, qui *sanctitate et fidei aemulatione ferventem* injuste a Damaso pressum et exagitatum contendunt. Vide Jacobum Gothofredum tom. 6. pag. 147. Tillemontium tom. VIII. pag. 419. et Pagium in limine tom. 2 Annalium ad Annum 395. num. 5. seq.

EUSEBIUS Episcopus *Bononiensis*, qui S. Ambrosium Mediolani audivit verba facientem de Virginitate. De eo Baronius

a) Tom. IV. Operum p. 402.

a) Verba edicti ad Aurelianum Proconsulem Asiae haec sunt: HÆRETICORUM *vocabulo continentur, et latis adversus eos sanctionibus debent succumbere, qui vel levi argumento a judicio Catholicae Religionis et tramite detecti fuerint deviare. Ideoque experientia tua* Evresium *haereticum nec in numero sanctissimorum Antistitum habendum esse cognoscat.* Ad hanc definitionem haeretici operae pretium est conferre, quae monuit laudatus Jacobus Gothofredus.

ad Martyrolog. Romanum 26 Septembris.

EUSEBIUS *Bruno,* Episcopus ab Anno 1047. ad 1081. *Andegavensis,* de cujus Epistola ad Berengarium, dixi supra in BRUNONE tom. 1 p. 268.

EUSEBIUS *Carthaginiensis.* Vide supra p. 530. EUGENIUS.

* EUSEBIUS *Corradus* *Mediolanensis* Canonicus Regularis pro asserendo Canonicor. suorum jure adversus Eremitanos fratres, et Benedictinos Monachos calamum strinxit. Cum enim quatuor Ecclesiae Doctorum statuae in principe Mediolanensi Ecclesia collocandae essent, Regulares Canonici apud fabricae praefectos institerunt, ut S. Augustinus canonica veste indutus effingeretur, vicissim Eremitani more suo cucullatam volebant. Eusebius nonnulla ea occasione scripsit, inter quae *responsis pro venerabili et erudito Dei praedicatore Domno Dominico* (Tarvisino) *Can. Regulari, clara, atque verissima. Item brevis annotatio ad errores Pauli* (Lulmei) *Bergomensis, et Coriolani* (Corani) *ad Sixtum IV.* Haec duo opera innotuerunt mihi ex Pennotto Historia ordinis Canonici Lib. 3 pag. 791. Ea pariter occasione scriptum credo opusculum quod vidi in Archivo Abbatiae S. Petri in Caelo aureo Papae inscriptum: *Eusebii Corradi Mediolanensis Can. Reg. Congreg. Lateranen. ad Sistum IV Pont. Max. adnotatio verissima in errorem scribentium S. Augustinum fuisse Eremitam.* Forte tamen idem est opus cum superiori Pennotto haud ignoto. Vicisse Eremitanos notat Saxius in Historia Typograph. Mediol. pag. 183.

Litem aliam inter Canonicos regulares et Benedictinos Monachos agitatam in se suscepit Eusebius; utri nam praestantior in solemnibus Ecclesiasticis supplicationibus locus dandus esset Benedictinis ne vel canonicis. Hac forse occasione Eusebius librum dedit *de ordine ac dignitate Canon. regul.* cuius meminerit Pennottus. An iste sit libellus Eusebii e Mediolano Can. regularis *in quo impugnat opinionem Doctorum* ignoro. In hac causa pro Monachis scripserunt plures, quorum consilia habes post consilia Francisci Zabarellae Lugduni an. 1552 excusa, unde verba illa accepi, quae hic de Eusebio dedi. Prodiisse typis excusum libellum illum Eusebii contra Benedictinos disco ex dialogo pro Benedictinis ibidem excuso, ubi haec lego; *libellus ille fuit impressus Romae sunt anni 16. vel circa.*

EUSEBIUS *Cremonensis,* amicus Hieronymi, in cujus gratiam ille Epist. 101. de optimo genere interpretandi testatur se Epistolam Epiphanii ad Jo. Episc. Hierosol. e Graeco in Latinum vertisse. Hujus aliqui esse putant quod Gennadius cap. 34. et ex eo Honorius II. 34. memorant Eusebii *de Crucis Domini mysterio et Apostolorum, praecipueque Petri constantia, virtute Crucis indepta.* Trithemius cap 126. ei tribuit *Epistolam* post S. Hieronymi opera saepius editam *de transitu,* sive obitu laudati *Hieronymi,* sed quam longe recentioris scriptoris esse Erasmus et alii viri docti jampridem monuere. De *Epistola ad Cyrillum Alex.* quam edidit Baronius ad Annum 419. num. 15 consulendus Tillemontius tom. XIII. memoriarum pag. 1012. qui etiam de hoc Eusebio quaedam annotavit tom. XII pag. 208. cui junges Pagium ad Annum 417. num. 10. et Vitam sed dubiae fidei editam a Francisco Ferrario, Mediolani 1612. 4. et in Actis Sanctorum tom. 1 Martii V. pag. 369. seq. Francisci Arisii Cremonam litteratam tom. 1 pag. 46. seq. Diarium Eruditorum Italiae tom. X p. 268.

* Ex antiquo Ambrosiano Codice MS. vitam S. Hieronymi per Eusebium Cremonensem edita vulgata est a Cl. Vallarsio in novissima editione operum S. Hieronymi Veronensi in mantissa pag. 297. inter testimonia veterum.

EUSEBIUS *ab Emissa.* sive *Emesenus,* cognomento Pittacas, a) *concitatus orator,* Galli Imperatoris jussu interfectus Anno 354. Vide Ammianum Marcellinum XIV, 7. Hunc ab Eusebio Emeseno Episcopo jure meritoque distinguit Tillemontius tom. VI. pag. 757.

EUSEBIUS *Emesenus* in Phoenicia Epi-

a) Vitiose in aliis editionibus: *Eusebius in Mysiae, pietatis cognomento.*

scopus, Semi-Arianis favens, et An. Christi 360 defunctus, de quo idem Tillemontius tom. VI. Memoriarum Hist. Eccles. pag. 314. Graece scripsit non Latine: et genuina ejus scripta Hieronymo cap. 91 de S. E. memorata interciderunt, praeter κατασυλλογισμὸν πρὸς τοὺς Ἰουδαίους qui MS. exstat Graece in Bibliotheca Vindobonensi, teste Lambecio lib. IV. pag. 184 et Syriace una cum Quaestionibus in Vetus Testamentum et homilia de Stephano, quae memorat Hebed Jesu apud Assemanum tom. 3. Bibliothecae Orientalis pag. 44. Alias tres homilias: 1 de Johanne Baptista, Christi adventum apud inferos praedicante, 2 de proditione Judae, et 3 in Diabolum et infernum post proditum a Juda Christum, in eadem Caesarea Bibl. Graece exstare testatur Lambecius lib. V. pag. 135, seq. Hic est Eusebius Phoenix, qui contra Manichaeos scripsit, teste Epiphanio LXXVI, 21 et Theodoreto lib. 1. cap. 28 de haeret. fabulis, sed quod opus itidem intercidit. Confer Allatium de Georgiis pag. 306. Caeterum *Homiliae X, ad Monachos* a) vulgatae Coloniae 1531, 12. illisque junctae aliae *Homiliae XLVI, ad populum*, et sub ejus nomine editae Latine a Johanne Gagnejo Parisiis 1547, 8. atque ibidem 1561, 8. et Antwerp. 1555 recusae, atque sub nomine EUSEBII *Gallicani* recensitae ab Andrea Schotto in Bibliotheca Patrum Coloniensi tom. V. An. 1618. atque inde tom. VI, editionis Lugdunensis: farrago sunt variorum scriptorum Latinorum, *Hilarii* Arelatensis, *Eucherii* Lugdunensis, *Fausti* Regiensis, qui et ipse *Eusebius* dictus, *Caesarii*, *Maximi* Regiensis vel Taurinensis, *Gregorii M. Isidori, Bedae.* Vide Tillemontium t. 6. p. 314, sq. Edmundum Albertinum de Eucharistia p. 877. Combefisium in Bibliothecae Concionatoriae t. 1, in recensione auctorum pag. 12 et 18. Labbeum tom. 1 de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 297, 310. Etiam du Pin Bibliothecae Ecclesiasticae tom. 4. pag. 175 et qui uberius hoc argumentum excussit, Oudinum tom. 1. pag. 390-425 tum Latini Latinii Bibliothecam sacroprofanam tom. 1. pag. 114, seq. ubi castigationes quaedam ad illas homilias exhibentur. Aliae sunt homiliae CXLV, de tempore et Sanctis in Evangelia, festosque dies, Parisiis 1554 et in Bibliotheca Concionatoria Lugduni 1588 et Combefisiana: atque una cum prioribus editae Parisiis 1575, 8. et tom. VI. Bibliothecae Patrum Lugdunensis, quae Schottus potius pro Bedae vel Rabani collectaneis ex B. Augustino, Gregorio aliisque Patribus habere se affirmat, quaeque inter Brunonis Astensis An. 1131 defuncti opera prodierunt Venetiis 1651 in fol. Alias quae EUCHERIUM Lugdunensem auctorem habent, edidit Johannes Livinejus Antwerpiae 1602, 8. de quibus supra pag. 362, seq. De Vita hujus Eusebii Emeseni a Georgio Laodiceno Episcopo scripta vide Socratem II, 9 et Sozomenum III, 6. Nicephorum IX, 5. Allatium de Georgiis pag. 305.

XIV. Opuscula et *Homilias* quas Latine sub EUSEBII Caesariensis nomine vulgavit Sirmondus, ab antiquo scriptore versas e Graeco, praestantissimus Caveus suspicatus est Eusebio Emisseno tribuendas esse, conjectura minime verisimili. Vide tomum VI. Bibliothecae Graecae pag. 102 atque Oudinum tom. 1. pag. 313 et 423.

Sub EUSEBII *Episcopi* nomine exstat Latine a Carolo Fabiano versa oratio *de commemoratione Sanctorum* ex editione Thomae Galleti, in supplemento Bibliothecae Patrum Parisiensi An. 1639 tomi 1. pag. 826. In hac refertur, quid Eusebius, Episcopus nescio quis, responderit Alexandro roganti, quem fructum ferant qui sanctos ac beate defunctos colunt.

EUSEBIUS *Gallicanus.* Vide supra, in *Emeseno.*

EUSEBIUS ab An. 449 ad 464. *Mediolanensis* a) Episcopus, in quem Ennodii epigramma XXCIV. Hic ante habitam Chalcedonensem b) Synodum scripsit suo et XVIII. Episcoporum nomine *Epistolam ad Leonem Papam*, quae post Leonis Episto-

a) Vide Oudinum tom. 1, pag. 592. seq.

a) Confer Ughellum tom. IV, pag. 50.
b) Vide Quesnellum ad Leonem pag. 482.

lam LXXVII, legitur pag. 291 editionis novissimae Paschasii Quesnelli, Lugduni 1700, fol. Huic Eusebio praeter rem Cangius tribuit Orationem de commemoratione Sanctorum, quam constat esse Graeci scriptoris. Eusebii Alexandrini, Graece obviam in Bibliotheca Caesarea, teste Lambecio tom. V. p. 24 et in Escurialensi. Incipit : δέομαί σου τίμιε ἐπίσκοπε. Eam Graece edere voluit Holstenius, eodem Lambecio teste tom. 1. pag. 112. Latine ex Graeco vertit Carolus Fabianus, edidit Thomas Galletus, recusam in supplemento Bibliothecae Patrum Morelliano, Parisiis 1639 tom. 1. pag. 826 et in Bibliotheca Patrum Coloniensi, tom. ultimo, et in Lugdunensi tom. XXVII. p. 479. Verisimilius Eusebio Mediolanensi tribuunt alii scriptum *de Crucis mysterio*, quod Gennadio memoratum et Honorio, ad Eusebium Cremonensem ab aliis referri supra pag. 390 annotavi.

EUSEBIUS *Nanneticae Civitatis* Episcopus interfuit et subscripsit Concilio Turonensi An. 461. Vide Sirmondi Concilia Galliae tom. 1. pag. 126.

EUSEBIUS Graeci Medici filius, Episcopus Romanus An. Christi 310 a) a die 10 Maji ad Septembris 26. Hujus nomine *tres Epistolas* commentitias Isidorus Mercator collectioni suae inseruit, recusas in Conciliorum tomis atque aliis Collectionibus saepissime: unam ad Episcopos per *Gallicanas* Provincias constitutos, alteram ad fratres per *Alexandriam* et *Ægyptum* Domino militantes, tertiam ad Episcopos per *Campaniam* et *Tusciam*. Exhibet hasce, additisque notis, fraudis convincit Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 403, seq. De *quinque Decretis* quae ad eum a Gratiano et in aliis Canonum collectionibus referuntur, videndus Petrus Coustant in Epistolis Romanorum Pontificum pag. 319, seq. ubi etiam Epigramma Damasi in hunc Eusebium :

HERACLIUS b) vetuit lapsos peccata dolere,
Eusebius miseros docuit sua crimina flere.
Scinditur in partes populus gliscente furore,
Seditio, caedes, bellum, discordia, lites.
Exemplo pariter pulsi c) feritate tyranni d)
Integra cum Rector e) servaret foedera pacis,
Pertulit exsilium summo sub judice laetus
Littore Trinacrio f) mundum vitamque reliquit.

EUSEBIUS Lector *Romanus*, infra in Eusebio *Vercellensi*.

EUSEBIUS Presbyter *Romanus* et Martyr sub Constantio An. 357 ob Liberium Papam et Constantium Imperatorem Arianismi fautores liberius reprehensos. Vide narrationem hac de re editam apud Baluzium tom. 2. Miscellan. pag. 141, 142 quae inscribitur : *Vita S. Eusebii Presbyteri Romani.* De eo quod Eusebius hic in Martyrologiis XIV. Augusti colitur, vide Tillemontium tom. VI. pag. 776, seq.

EUSEBIUS *Sardus*, ex Romanae Ecclesiae lectore primus *Vercellensis* ab Anno 340. Episcopus, et An. 371 aetatis 88. Martyr, qui Calendis Augusti colitur. Ad eum diem consulendus, qui jam vulgari coepit tomus primus Actorum Sanctorum Augusti. Jungenda est praeter S. Ambrosium lib. X. Epist. 32. et sermone qui incipit. *Ad sancti* : Homilia LVIII, seq. S. Maximi Taurinensis, t. 6. Bibliothecae Patrum Lugdunensis p. 38. De hoc Eusebio nolo repetere quae ad Annum Christi 354 praeclare Guilelmus Caveus, et Tillemontius tom. VII. pag. 529, seqq. tantum addo Vitam ejus et passionem ab antiquo auctore scriptam, legi apud Ughellum Italiae tom. IV. pag. 750-761 ex qua Acta Concilii Mediolanensis An. 355 habiti dedit Baluzius pag. 29. Concil. Eadem Vita edita est cum veterum testimoniis de hoc Eusebio a Joanne Francisco Bonhomio, Episcopo Comensi, Novicomi 1581. vide Francisci Arisii Cremonam litteratam tom. 2. pag. 363. Exstat etiam vita hujus Eusebii diligenter scripta a Joanne Stephano Ferrerio. Commentariorum Eusebii Caesareensis in Psalmos ab Vercellensi Latine translatorum meminit Hieronymus cap. 96 de Scriptoribus Ecclesiasticis, et adversus Vigilantium Epist. 76 his verbis : *Sit in culpa ejusdem confes-*

a) Tillemont. tom. V. memoriarum pag. 650.
b) Novatianus, lapsos prohibens a poenitentia.
c) In exilium Marcellini Papae.
d) Maxentii.
e) Eusebius.
f) Obiit in Sicilia.

sionis, *Vercellensis Eusebius, qui omnium Psalmorum Commentarios haeretici hominis vertit in nostrum eloquium, licet haeretica praetermittens, optima quaeque transtulerit.* Denique Epistolae in exilio scriptae *ad Constantium* Imperatorem apud Baronium ad Annum 355 num. 6 *ad Presbyteros*, et *Plebes* Italiae, et *ad Patrophilum*, leguntur quoque apud Surium 1. Augusti, et in supplemento Bibliothecae Patrum Morelliano Parisiensi tom. 1. pag. 627. et in editione Bibliothecae Lugdunensi tom. V. p. 1227. Epistola ad *Gregorium* Episcopum *Spanensem* Baeticum, in S. Hilarii Pictaviens. fragmento XII. pag. 1356 editionis novae Benedictin.

* Codex evangeliorum ipsius Eusebii manu descriptus qui servari fertur Vercellis in maiori eiusdem urbis Ecclesia hodie tandem lucem publicam adspexit curante primum viro insigni Joanne Andrea Irico Tridinensi Collegii Ambrosiani Doctore, qui et praefationem,notas et concordantias aliorum codicum adiecit. tom. 1 in 4 Mediolani an. 1747. Dein recusus est in splendido opere nuper vulgato Romae tom. 4 in fol. curante eruditissimo Blanchinio,cuius operis titulus hic est: *Evangeliarium quadruplex. Romae* 1749.

EUSIGNIUS de Vita S. *Basilisci* Martyris sub Maximiano et Maximino tyrannis exstat in Actis Sanctorum tom. 1. Martii III. pag. 237-241.

EUSTACHIUS *de Balneo regio*, Cardinalis Albanensis, qui Cangio defunctus traditur An. 1283. non diversus est a BONAVENTURA, de quo, scriptisque ejus dictum supra t. 1. p. 234, seq. sed simul demonstratum quod diem obiit non An. 1283, sed 1274.

EUSTACHIUS Platesius *Bononiensis*, Ordinis Praedicatorum Procurator Generalis, defunctus An. 1519. Reliquit Commentarios *in libros Sententiarum*, et tractatus *de incarnatione Verbi, de beata Virgine, de Angelis, de SS. Trinitate*, et *Orationes* plures tam eleganti stylo, si Jacobum Echardum audimus tom. secundo pag. 40 ut in tractatibus disserere Lactantium, in Orationibus Ciceronem ipsum verba facere censueris.

EUSTACHIUS Abbas *de Flay*, cum S. Fulcone ex Normannia in Angliam trajecisse, et sacris Concionibus miraque patrando, corda multorum convertisse traditur. Vide Bzovium ad Annum 1200 num. 18 et Raynaldum num. 21 ex Rogero Hovedeno.

EUSTACHIUS *Leusius*, Vallis Serenae Abbas circa Annum 1216. Ordinis Praemonstrat.

EUSTACHIUS *Normanvillius* Anglus, J. U. Doctor et Academiae Oxoniensis Cancellarius, circa Annum 1280. Hujus doctrinam efferunt, scripta nulla signant Lelandus cap. 251. Baleus X, 75. Pitseus p. 838, et Lucas Waddingus in Bibl. Ordinis Minorum pag. 108.

EUSTACHIUS, sive EUSTATHIUS Afer *vir disertissimus* circa Annum 440. *S. Basilii homilias IX, in hexaëmeron ita transtulit in Latinum, ut ingenium doctissimi Viri* (Basilii) *facundiae suae viribus aequiparasse videatur.* Ita de eo Cassiodorus capite 1. Divinarum Lectionum. Dicavit versionem eam Eustathius *Syncleticae* Diaconissae, cujus ut aequalis suae meminit Sedulius in praefatione Operis Paschalis. De editionibus dicere me memini tom. 8. Bibliothecae Graecae pag. 69 neque omittendum quod novissime recensita prodiit ad calcem tomi 1. Operum S. Basilii, Graece et Latine luculenter nuper vulgati Parisiis 1721, fol. curantibus Monachis Benedictinis Juliano Garnerio et Francisco Faverolles.

EUSTASIUS, sive ESTATHIUS, discipulus et successor S. Columbani, Abbas ab An. 610. Luxoviensis, *Regulam S. Columbani* in Synodo Matisconensi An. 626. fortiter asseruit, atque scripsit ejusdem Magistri sui exulis *Itinerarium*, quo deperdito, certe adhuc inedito, usus in vita Columbani JONAS Scotus. Vide quae supra tom. 1. pag. 371.

EUSTHENIUS, cujus argumenta in Æneidem, aliique versus et epigrammata exstant, ingenio certantis cum aequalibus suis undecim: *Asclepiadio, Asmeno, Basilio, Euphorbo, Hilasio, Juliano, Maximiano, Palladio, Pompejano, Vitali* et

Romano. Leguntur in veteribus poëmatibus Petri Pithoei, Parisiis 1590, 12. et Genevae ac Lugduni 1596, 8. Hunc, ut opinor, aetate antecessit *Claudius* EUSTHENIUS, de quo supra in CLAUDIO t. 1. p. 358.

EUSTOCHIUS Latine vertit *Vitam Pelagiae*, Virginis Antiochenae sub Diocletiano passae, scriptam Graece a Jacobo Diacono. Vide Vossium pag. 702 de Hist. Lat. et Bibliothecam Graecam tom. IX. pag. 132, seq. Latina versio Vitae Pelagiae exstat apud Lipomannum tom. VI, ad octavum Octobris pag. 322 sine Interpretis nomine.

EUTRANDUS, vide infra, LUITPRANDUS.

Flavius EUTROPIUS, Italus, tempore Constantini Magni, Juliani et Valentis Imperatorum clarus *Sophista*, a Christi alienus nomine, ad Valentem Imperatorem scripsit *breviarii Romanae historiae usque ad sua tempora*, sive ad Joviniani obitum, *libris X*, de quorum editionibus, continuatoribus et interpretibus dixi III, 9. Bibliothecae Latinae. Vide et infra PAULUS Diaconus, et LANDULPHUS.

Attendendum sitne diversa *Historia* EUTROPII *Martiniani*, quae MSta memoratur apud Thomasinum pag. 32. Catalogi MSS. Bibliothecae Cardinalis Bessarionis, quam Venetiis etiamnum asservari constat.

EUTROPIUS *Medicus*, quem laudat Marcellus Empiricus in praefatione.

EUTROPIUS *Presbyter*, Augustini discipulus, circa Annum 430 auctor *duarum Epistolarum* consolatoriarum ad suas sorores, ancillas Christi propter monasticam Vitam exhaeredatas a parentibus. Vide Gennadium cap. 49 de Scriptoribus Ecclesiasticis. Hodie illae Epistolae non exstant, quod sciam: certe falluntur, qui cum Trithemio cap. 81 huic Eutropio etiam Chronicon tribuunt ad sua usque tempora, hoc est eundem eum faciunt cum Eutropio breviarii historici scriptore, cum hic et aetate Presbyterum antecedat, et ab eo dissideat vitae et religionis instituto.

EUTROPIUS *Presbyter* junior *Longobardus*, cujus tractatum de juribus ac privilegiis Imperatorum in Imperio Romano, scriptum circa Annum 900 edidit post Flacium in Catalogo testium Veritatis aliosque, Goldastus in opere de Monarchia Imperii tom. 1. pag. 8-11. Incipit: *Priscis temporibus Imperiale decus effloruit Romae.*

EUTROPIUS *Abbas* Servitanus Ordinis S. Benedicti, non diversus ab Episcopo *Valentinae* Ecclesiae in Hispania, circa Annum 599. cujus scriptum *de octo vitiis ad Petrum* Papam, sive Episcopum Ittabicensem, et Epistola *de districtione* a) *Monachorum et ruina Monasticorum*, directa b) Romae ad eundem *Petrum* Papam, exstat tom. XXVII. Bibliothecae Patrum Lugdunensis pag. 480, et 482, 483, et in supplemento Morelliano Parisiensi An. 1639, tom. 1. pag. 831. Epistola etiam in Holstenii appendice ad Codicem Regularum pag. 82-86. Eam memorans Isidorus Hispalensis cap. 32 de Scriptoribus Ecclesiasticis, addit etiam scriptam ab eo valde utilem *Epistolam ad Licinianum*. Carthaginis Spartariae Episcopum, in qua petit ab eodem *pro qua re baptizatis infantibus chrismatis unctio tribuatur.* Hanc nos hodie Epistolam desideramus, nec videtur vidisse Trithemius, qui meminit cap. 227 et II, 14, illustrium Benedictinorum. Sicut interciderunt etiam Liciniani Epistolae, quas ad Eutropium plurimas scripsisse idem Isidorus cap. 29 testatur. Confer Nicolaum Antonium Bibliothecae veteris Hispanae tom. 1. pag. 211 et 214, seq.

EUTROPIUS *Grammaticus* laudatur a Prisciano lib. 1. pag. 540 una cum Servio in Donatum.

EUTYCHES Episcopus, qui cum aliis Episcopis ad Cornelium, Episcopum Romae, misit Epistolam, quae inter Cyprianicas est LVII, edit. Oxon. Johannis Felli: in Pamelii et Baluzii LIV, et in veteribus editionibus lib. 1. Epist. 2.

EUTYCHES, sive EUTYCHUS, Grammaticus, auditor Prisciani. Ex ejus libello *de adspiratione* leguntur quaedam apud Cassiodorum cap. 9 de Orthographia. Ejus

a) Perperam apud Honorium III, 58. et Caveum de *distinctione*.

a) Ita recte Holstenius, non *Romam*: nullus enim Romae post Apostoli tempora Petrus Romae.

libri duo de discernendis conjugationibus, editi cum Victorini et Servii quibusdam, a Joachimo Camerario Tubing. 1537, 4. et integriores in Grammaticis Eliae Putschii Hanov. 1605, 4. pag. 2143-2191. SEDULII nescio cujus commentarium in hos libros exstare MS. in Bibliotheca Tigurina, Simlerus annotavit, qui etiam libellum ejus *de arte versificandi* memorat, dubito an adhuc editum.

EUTYCHIANUS Lunensis e Tuscia, Episcopus *Romanus* ab An. 275. Jan. 4. et Martyr An. 283. Decembris 7. *Epistolae duae* ab Isidoro Mercatore suppositae sunt una ad *Johannem* et constitutos per *Baeticam* Episcopos: altera ad Episcopos per Siciliam. Utramque exhibet atque additis notis convincit falsitatis Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 365, seq. De *Decretis* duodecim quae ad hunc Pontificem referuntur, accurate disputat Petrus Coustant in Epistolis Pontificum pag. 299, seq.

EUTYCHIANUS *Adanensis* in Cicilia Clericus circa Annum 538. Graece non Latine scripsit *Historiam poenitentiae et conversionis S. Theophili,* MS. in Bibliotheca Caesarea. Vide Lambecium tom. 8. pag. 75. Sed vetus Latina versio auctore PAULO, Diacono Neapoleos, exstat in Actis Sanctorum tom. 1. Februarii IV. pag. 483 nam Lipomannus quam dederat et Surius, tantummodo recentiorem narrationis ejusdem argumenti interpretationem offert, expressam ex Simone Metaphraste.

Stephanus EXNOTTIS ex solo mihi notus Koenigio, qui in Bibliotheca sua annotat eum composuisse librum *de remissione a poena et culpa* editnm Mediolani Anno 1500.

De *Julio* EXSUPERANTIO aliisque hoc nomine dixi in Bibliotheca Latina IV, 4.

EXSUPERIUS Rhetor, de quo Ausonius, ab EXSUPERIO Episcopo Toletano distinguendus. Vide Pagium ad Annum 405, num. 18.

EXTODII Chronico usum se profitetur Martinus Polonus. Theodorico Engelhusio idem est ESTODIUS, ubi de Phaleg et Jano disserit. Sunt qui legunt METHODIUM, de quo adhuc ampliandum putem.

Albertus ab EYB, supra tom. 1. pag. 39, ALBERTUS.

Nicolaus EYMERICUS Gerundensis Catalanus, Ordinis Praedicatorum, in Aragonum regno Inquisitor Generalis per annos quatuor et quadraginta, defunctus Gerundae An. 1399. de quo praeter Altamuram pag. 142, seq. et Oudinum tom. 3. pag. 1024 consulendus inprimis Jacobus Quetif in Bibliotheca Dominicanorum tom. 1. pag. 709, seq. et Nicolaus Antonius Bibliothecae veteris Hispanae IX, 7 tom. 2. pag. 124 sq.

Quamplurima scripsit, ex quibus primo loco memorari debet compositum ab eo An. 1376. Avenione, *Directorium Inquisitorum haereticae pravitatis,* quod Barcinone 1503, fol. vulgavit Guilelmus de Caselles, Inquisitor in regno Majoricarum, sive insulis Balearibus. Vide eundem Quetifum tom. 2. pag. 9. Deinde prodiit cum commentario Francisci Pegnae, sive Pennae, Hispani, (qui Decanus Rotae Romanae diem obiit An. 1612.) et plus simplici vice, praemissa Eymerici vita recusum est Romae 1578, 1587. Venetiis 1591, 1607, fol.

Vita F. Dalmatii Moner Ordinis Praedicatorum, sui olim in tyrocinio religionis Magistri, defuncti An. 1341 edita in Francisci Diagi historia Provinciae Aragoniae pag. 259-265. Barcinone 1599, fol.

Adversus haereticaliter asserentes S. Johannem Evangelistam, filium naturalem B. Mariae, tractatus scriptus An. 1395 ad F. Bonitum Litelli, Inquisitorem Carcassonensem. Error fuit, ut ajunt, *Nicolai* BONETI cujusdam et *Francisci* MAROGI a) factam fuisse transsubstantiationem corporis S. Johannis in corpus Christi per illa verba Joh. XIX, 26. *Ecce Filius tuus*: adversus quem, Belgas duos scripsisse, JOANNEM *de Ecoute* et JOANNEM *Tinctorem*, in Bibliotheca Belgica Valerii Andreae legitur. Quod Theophilus Raynaudus in suo Johanne Evangelista, puncto 10 vix credit, Bo-

a) Ita legendum apud Nicolaum Antonium tom. 2. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 125. pro *Francisci-Maironis.* Vide supra in ANDREA *Boucher* tom. 1 pag. 87.

netum scilicet et Marogum potuisse sic monstrose insanire. Quanquam non diffitetur eodem tempore scripsisse adversus eundem errorem DOMINICUM *de Dominicis*. de quo supra pag. 647. Ex illo Eymerici tractatu haec Jacobus Quetif tom 1. pag. 712. *Iste articulus,* quod Johannes vi verborum CHristi fuerit effectus Matris Christi filius naturalis, *ut praedicitur*, *haereticalis, est articulus antiquus*, *et non noviter inventus. Fuit enim jam Romae praesente D.* Urbano V, *sanctae memoriae Papa*, *per quendam Magistrum in Theologia* Ordinis Minorum *praedicatus, et idem Praedicans fatigatus, ut audivi a D. Cardinali Hostiensi illius temporis* Ordinis Praedicatorum (Guilelmo Sudre) *qui multum audire dictum articulum abhorrebat*, *et ipsum fore haereticalem asserebat. Iste etiam articulus fuit praedicatus Avenione nuper per Episcopum Pergamensem*, *Magistrum in Theologia*, *etiam* Ordinis Minorum, *me praesente*, *audiente*, *et cum Magistris aliis reclamante coram D. P.* Clemente VII. *Qui Episcopus in collatione post prandium fuit per Magistros sic durius affrontatus*, *ut fuerit fassus quod non poterat defensare: sed ibidem per Papam fortiter reprehensus, de ejus mandato coactus est revocare, et creditur et merito abjurasse, nisi exortum Schisma noviter in Ecclesia eum adjuvisset. Quare contra assertores articuli antedicti est, sed juste et juridice procedendum.*

Caetera Eymerici scripta inedita, undecim enim Volumina in fol. MSta in Conventu Dominicanorum Gerundensi servantur, sunt Postillae litterales, sive Commentarii *in Matthaeum*, *Marcum*, *Lucam*, *Johannem. Epistolam ad Romanos*, *ad Galatas*, *ad Hebraeos.*

Tractatus *contra Daemonum invocatores*, et *de Jurisdictione Ecclesiae et Inquisitorum contra infideles, daemonia invocantes*: et *contra infideles agentes contra nostram sanctam Fidem.*

Tractatus *contra Alchymistas*, ad Abbatem Rosarum Ampuriarum Comitis Cancellarium.

Contra doctrinam Raymundi LULLI, et *dialogus contra* LULLISTAS. adde Baluzium tom. 1. pag. 1115 de Papis Avenionensibus, et Bzovium ad An. 1372 num. IV seq.

Correctorium Corruptorii, sive Censura libri *de vilitate conditionis humanae* Anno 1396.

Elucidarius Elucidarii, quod S. ANSELMO praeter rem tributa scripta legi, dictum est supra tom. 1. pag. 107.

Epistolae ad Cardinales Anagniae agentes contra electionem Urbani VI. An. 1378 adde Baluzium ad Papas Avenionenses pag. 1235.

Contra emissum An. 1495 *in conclavi per Papam* Benedictum *et Cardinales promissorium juramentum, et contra Epistolam Parisiensium Magistrorum. Contra Universitatem Parisiensem, DEI Ecclesiam impugnantem, responsiones ad XXIX quaestiones.*

Tractatus *contra praefigentes certum terminum finis Mundi*, ad Joannem, Comitem Amouriarum, An. 1395.

Contra Astrologos imperitos atque necromanticos de occultis perperam judicantes, ad Thomam Ulzinam, Ordinis Minorum, Regis Aragoniae Confessorem. An. 1395.

Super declaratione XXII articulorum Magistri Sententiarum, *in quibus communiter non tenetur.* An 1397.

Incantatio Studii Ilerdensis super XX articulis per quendam ANTONIUM Riera, studentem Valentinum inibi seminatis, cum bulla GREGORII XI, eidem opposita A. 1395.

Confessio Fidei Christianae An. 1396.

Contra calumniantes praeeminentiam CHristi et Virginis Matris ejus.

De admiranda sanctificatione DEI et Hominis Genitricis, ad Martinum Aragoniae Regem An. 1396.

De duplici natura in CHristo, et *de tribus in DEO personis, seu an Sacramentum Eucharistiae sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus* contra haeresin PETRI SEIPLANIS Sillae Pastoris ad Valentiam. An. 1389, adde Baluzii Papas Avenionenses tom. 1. pag. 1368, seq.

De peccato originali et *de conceptione B. Virginis*, ad Clementem VII. An. 1384.

De potestate Papali seu summi Pontificis.

Volumina *Sermonum de tempore* Anno 1366. *De Sanctis* An. 1373.

De Logica, de principiis naturalibus, et *in librum I. Physicorum Aristotelis* ad F. Arnaldum de Fedaria, Ordinis Praedicatorum.

EYNARDUS, supra, EGINHARDUS, pag. 496.

EYNWICUS, sive AINWICUS Praepositus Canoniae S. Floriani in Austria, dioecesis Laureacensis ab An. 1289 ad 1313, et antea Confessionarius *Wilburgis* Virginis. Hujus An. 1289 defunctae *vitam* scripsit, quam cum dissertatione isagogica a) et notis vulgavit Bernardus Pez, Augustae Vindelicorum 1715 in 4.

EZELO Monachus, infra, GILO.

LIBER VI.

Conradus de FABARIA. Vide supra in CONRADO tom. 1. pag. 380.

Conradus FABER, haereticus sub decimi quinti saeculi initia, de quo Joannes Gottlob Hornius in vita Friderici bellicosi Electoris Sax.

Felix FABER Tigurinus, Ordin. Praedicat. apud Ulmenses, una et altera An. 1479 et 1483. Hierosolymam suscepta peregrinatione celebris, scripsit An. 1489. *Historiae Svevorum* libros II, vulgatos a Goldasto in rerum Svevicarum scriptoribus Francof. 1605, 4. Ulmae 1727, fol. Ejus *Hodoeporicon* sive descriptio itineris quod cum Bernardo Breitenbachio a) in Palaestinam suscepit, edita non Latine sed Germanice a Jac. Eysengreinio An. 1560. *Peregrinationem* aliam ineditam, ipsius Fabri exaratam manu, fuisse apud Heinzelium, Patricium Augustanum, notat Goldastus. Fortasse hóc est illius *Evagatorium*, lectum Martino Zeilero, de quo Joannes Fridericus Fellerus ὁ μακαρίτης in semestribus p. 144 ubi etiam *Chronicon Ulmense* a Felici Fabro scriptum suspicatur. Idem Goldastus praeterea ineditos ejus *de Offenhusano monasterio* comentarios commemorat. Vide Jacobum Quetif. tom. 1. pag. 871.

a) Acta Eruditorum A. 1716. pag. 457.

Joannes FABER, Burdegalensis, Engolimae sive Angolismensis dioecesis, medio saeculo XIV, suppar Bartolo, causas in foro cum egisset, Jus docuit ea laude, ut Doctoris *subtilis*, et *perspicacissimi*, et *fundamentalis* elogia meruerit. Vide Marcum Mantuam pag. 472 et Pancirollum de Legum Interpretibus lib. 2. cap. 61. Ejus Commentarius *in Institutiones* Juris Civilis prodiit Venet. 1488, fol. hoc titulo: b) *Opus excellentissimi Juris utriusque Monarchae* Domini Joannis Fabri *super Institutionibus*, *sine quo Legum incunabula incassum juvenculus animus assequi laborat.* Et ad calcem Voluminis: *Famosissimi utriusque Juris Consulti* Joannis Runcini, *dicti* Fabri Gallici *super libro Institutionum Commentarii finiunt*, *a celeberrimo Juris Consulto* Petro Albignano Trecio *castigati*, etc. Ejusdem laudatur *Breviarium* sive brevis *in Codicem* Commentarius.

* De Fabro hoc judicium tulit Aegidius Bellamera consil. 110. *Joannes Fabri qui fuit magis practicus quam speculativus.* An consilium istud Bellamerae typis editum sit ignoro. Ego ex MS. Cod. Felini accepi.

Joannes FABER Parisiensis, in Patria Decretorum Doctor, et ex Monacho Ordin. Benedict. Tornusiano dioecesis Cabilonensis An. 1379. Abbas S. Vedasti Atrebatensis, ac denique *Carnotensis* Episcopus ab An. 1379 ad 1390. Pro Clemente VII, adversus Urbanum VII, scripsit *dialogum de planctu bonorum*, MS. in Bibliotheca Colbertina, et oppositum Joannis de Lignano libro quem An. 1379 *de fletu Ecclesiae* c) emiserat. *Diarium rerum gestarum ab An.* 1381 *ad* 1388 scriptum Gallice, ex quo passim d) quaedam affert Baluzius in notis ad vitas Paparum Avenionensium. *Expo-*

a) Vide supra tom. 1 pag. 592. seq.

b) Index librorum Saec. XV. impressorum, quos possidet V. C. Christianus Gottlieb Schwartzius p. 78.

c) Baluz. Pap. Avenionens. tom. 1 pag. 1401 sq. et 1085.

d) Confer Oudinum tom. 3 pag. 1197. sq.

sitionem rerum in Gallia tum gestarum, editam a Bulaeo in historia Academiae Paris. tom. IV. pag. 523. *Orationem* nomine Caroli V. Francorum Regis habitam Anno 1376 ad Gregorium XI MS. in Bibliotheca Colbertina. Huic Fabro Ludovicus Jacobus a S. Carolo pag. 362. Biblioth. Pontificiae, praeter tractatus aliquot de schismate, tribuit librum, quod Petrus Romae sit sub Nerone Martyrio affectus.

Joannes FABRI, *natione Svevus, satus ex urbe Werdea, Artium et utriusque Juris Studii Lipzensis Doctor, Collegiique Ducalis. Disputavit de quolibet. et conscripsit*: Carmina de novem Musis. De Philosophia librum 1. De Prosodia lib. I. De modo praedicandi lib. I. De conditionibus boni Praeceptoris, sive artificis. Item proverbiorum, metrice librum I. Super regulas Juris lib. I, *et quaedam alia. Floruit An. Domini* 1500. Haec de eo auctor Centuriae Maderianae num. 50. Ejusdem Fabri libellus, *an licitum sit diebus festivis intendere bonarum artium disciplinis*, excusus Lipsiae in 4. itemque alius *de privilegiis pauperum* et tractatus *de mediis quibus ad beatam vitam pervenitur*. Alius *Joannes* FABER Weertensis Brabantus, quem accuratum et exactae diligentiae Grammaticum vocant, scripta ejus de recta pronunciatione et de arte metrica referentes Franciscus Sweertius et Valerius Andreas.

His duos adhuc liceat jungere ex Dominicanorum ordine, unum *Joannem* FABRUM de Carvinio Artesiae, circa Annum 1477 cujus Compendiosa ex variis libris *exhortatio ad omnes CHristi fidelium status* prodiit in 4. sine loci nota vel anni, in qua etiam Commentarius in Psalmum LXXVIII. *DEUS, venerunt gentes*. De aliis vide Jacobum Quetifum tom. 1. Biblioth. Dominicanorum pag. 856 Alterum *Joannem* FABRUM Daventriensem, cujus virtutem et doctrinam An. 1520 magnis elogiis commendavit Erasmus. De Codice MS. Graeco Novi Testamenti qui olim fuit B. D. Hinckelmanni, et nunc in Bibl. divite successoris ejus dignissimi, Rev. Jo. Christophori Wolfii, asservatur, in Catalogo MStorum laudati Hinckelmanni num. 168 annotatur: *Fuit hoc exemplar* Johannis Fabri, *Daventriensis, Monachi Dominicani, quem magnis laudibus ornat et studiose commendat Erasmus Roterodamus in Epistolis. Contulit is hoc suum exemplar cum alio vetustissimo, quod ipse in fronte Voluminis prioris, his verbis testatur*: Quatuor Evangelia non semel collata magno labore cum vetustissimo exemplari membranaceo, quod fuit Magistri Wesselii Groningensis, cujus jam possessores Fratres Regulares in monte Divae Agnetae apud Swollam. Non facile dixerim, quantum laborem mihi peperit collatio, non occurrente et ad manus existente, qui auscultaret, ut ego recognoscerem. *Haec ille*. Omitto alios Fabros juniores, quorum aliquot attinguntur a B. Johanne Mollero in Homonymoscopia pag. 669, seq. et longe plurimos adjungere est animus in tertia quartaque Fabriciorum centuria, quibus Fabros, Schmidiosque comites dare juvabit.

Jacobus FABER *Stapulensis*, tenuibus parentibus natus ante An. 1440. Stapulis maritimo pago in Picardia, eximium in illis locum meretur qui virtute et ingenio praeclaram in restituendis litteris etiam sacris operam praestiterunt, defunctus centenario propior Neraci Navarrae ditionis civitate An. 1537. De ejus vita, meritis et concertationibus exspectamus Commentarium Clarissimi Viri Friderici Jacobi Beyschlagii, cujus sciagraphiam capitumque argumenta dedit in sylloge variorum opusculorum edita Halae Svevorum 1727, 8. pag. 261 seq. Epitaphium Fabri in templo Neracensi hoc olim legisse se testatus est Florimundus Remondus in historia haeresium VII, 3.

Corpus humo, mentemque DEO, bona cuncta relinquo
Pauperibus. Faber haec dum moreretur ait.

De ejus obitu Colomesius in Colomesianis pag. 810 edit. a me curatae, et Salomo Macrinus libro 3, hymnornm pag. 119 ex quo haec laudata etiam Bernardo Monetae notis ad Menagiana pag. 272.

Ævi peracto jam prope seculo,
Morbo gravatus quam senio minus,
Efflavit instar dormientis
Sanctam animam tenues in auras:
Senis loquentis CHRISTUS ad ultimum

Versatus ore est : unaque vox fuit,
Laus una CHristus, cantioque.
Et dubitem hunc adiisse coelum ?

Scripta Fabri Stapulensis sunt :

Psalterium quincuplex, Gallicum, Romanum, Hebraicum, Vetus, Conciliatum, cum Fabri ad singulos Psalmos brevibus notis. Paris. 1509 et 1513, fol. De hoc opere videndus Richard. Simon tom. 1. Censurae Gallice editae in Bibl. Ecclesiasticam Dupinianam pag. 562, sq. et Bibl. selectae tom. 1. cap. 5. Editionem Cadomensem An. 1515 praeter Dupinium memorat etiam Jacobus le Long pag. 719. Bibliothecae Biblicae.

Commentarii initiatorii in quatuor Evangelia, Meldis 1522, fol. apud Simonem Colineum, et Coloniae apud M. Godefridum Hittorpium sine anni nota in 4 et absque loco 1526, fol. Colon. 1541, fol. Apud laudatum Longum refertur etiam editio Basil. 1523, fol. et Colon. 1541, fol.

Commentarius in Epistolas Pauli, cum *versione* earum Latina duplici, Vulgata et Fabri quam vocat *Intelligentiam*. Paris. 1512, 1515, 1531. Basileae 1527, fol. Coloniae 1531, 4. Antwerpiae 1540, 8. Adjuncti libri duo qui feruntur sub *S. Lini* nomine de passionibus Petri et Pauli : nec non Epistolae Apocryphae Pauli *ad Senecam* et *ad Laodicenses.*

In Epistolas Joannis, Petri, Jacobi et Judae. Meldis 1525. Antwerp. 1540, 8. Vide Richardum Simonem lib. III, hist. Crit. Novi Test. cap. 34.

Liber exhortationum super Epistolas et Evangelia, pro usu Meldensi. Parisiensis Facultatis decreto condemnatus An. 1525. Confer ejusdem Simonis Censuram Dupinianae Bibliothecae tom. 1. pag. 576, seq.

Disceptatio de Maria Magdalena, triduo CHristi resurgentis, et ex tribus una Maria. Paris. 1518, 4.

Disceptatio secunda. ibid. 1519, 4. Sententia Fabri de Maria Magdalena diversa a Maria Bethanica et a peccatrice poenitente, propugnata etiam a Jodoco Clichtoveo ac deinde a Guil. Estio, ab Anguelino aliisque, oppugnata a Natali Beda et Marco Grandivalle, gravique Censura Sorbonicorum notata est An. 1521. Haec legitur in Rich Simonis Bibliotheca Critica tom. 2. c. 19. p. 186 et in Actis Sanctorum tom. V. Julii 22. pag. 189 et in vita Francisci Picarti scripta ab Hilarione a Costa, Minimo, et Gallice edita Paris 1658, 8. pag. 325.

Versio Gallica totius Novi Testamenti, Paris. 1523, 8. duobus voluminibus, et sine nomine auctoris adjuncta versioni Gallicae Bibliorum. Antwerpiae 1530 et 1534. De hac versione a) videndus Rich. Simon in censura Bibl. Dupinianae tom. 1. pag. 570, seq. Biblioth. Critic. tom. 4. cap. 15 et in novis Observationibus ad histor. Criticam Novi Test. pag. 146,

Latina vetus versio Epistolarum SS. *Ignatii* et *Polycarpi*, scriptorumque quae feruntur snb *Dionysii* Areopagitae nomine. Paris. 1498, fol.

Eaedem Epistolae, quibus argumenta Faber praefixit, recusae Basileae 1520, 4. atque alibi, ut dictum in Biblioth. Graeca lib. V. cap. 1. Argentor. 1527, 8. Compluti 1541, 8.

Versio nova Latina librorum IV. *Joannis Damasceni* de orthodoxa Fide, Paris 1507, 4. et cum Jodoci Clichtovei commentario 1512 et 1519, fol. atque saepius alibi : et in Damasceni editionibus ut dixi lib. V. Bibl. Graecae cap. 30.

Scholia in *Dionysium* Areopagitam de Coelesti Hierarchia. Venet. 1556.

Contemplationes IDIOTÆ, editae Paris. 1519, 4.

Paraphrasis in libros *Logicos Aristotelis*. Paris. 1525, fol.

Paraphrasis in *Aristotelis Physica* cum Scholiis Jod. Clichtovei. Paris. 1525, fol.

Commentarius in *Aristotelem de Coelo*, Salmanticae 1535.

Introductio in *Aristotelis Ethicam, Politicam, Hecatonomiam et Oeconomicam,* cum ejusdem Clichtovei annotationibus Paris. 1514, 1516, 1527, fol.

Introductorium Astronomicum. Parisiis 1515 et cum Clichtovei commentario 1517.

Commentarius in Sphaeram *Joannis de*

a) *La prèmiere qui ait èlè fuite en nôtre langue avec quelque exactitude.* Rich. Simon p. 571.

Sacrobosco. Venet. 1508 additó commentario Licelis Esculani et Francisci Capuani de Manfredonia. Et inter plura scripta variorum Astronomica, Venetiis 1531, fol.

Elementa Musicalia, sive *Musica*, IV, libris demonstrata. Paris. 1514, 1551, 4.

Rhythmomachia, seu *Ludus Numerorum*.

Algorithmus seu *praxis numerandi*.

Introductio in arithmeticam *Jordani*. Paris. 1514.

Adversarios Jacobus Faber habuit praeter 1) *Erasmum* in c. 2 ad Hebraeos, et singulari apologia, tom. 9. Opp. Erasmi p. 18. cum quo tamen mox in gratiam a) iterum rediit. 2) *Petrum Sutorem* Cartusianum, qui vehementer in eum invehitur capite 21 libri de translatione Bibliae et novarum reprobatione versionum pag. LXXXII, seqq. sicut in Erasmum capite 20. Parisiis apud Joannem Petitum, sine anni nota in fol. 3) *Natalem Bedam* Doctorem Parisiensem, cujus exstant libri tres, primus in Commentarios Fabri super Epistolas Pauli, Secundus in Commentarios ejusdem super quatuor Evangelia, et tertius in Erasmi Paraphrases super Evangelia et Epistolas omnes Apostolicas. Parisiis 1526. fol. et Colon. 1526, 4. b) et ejusdem Bedae declaratio sententiae et ritus Ecclesiae de unica Magdalena, contra Clichtoveum et Fabrum edita Paris. 1519, 4. 4) *Didacum Lopesium de Stunica* c) Theologum eruditum Salmanticensem, cujus Annotationes contra Erasmum ex edit. Veneta 1520, fol. Criticis sacris insertae leguntur: nam idem quoque adversus Fabrum annotationes et antapologiam edidit, excusam Compluti 1519 et Paris. 1522, fol. 5) *Marcum Grandavillem* denique, Canonicum S. Victoris Paris. cujus Apologia pro unica Magdalena, ejusque Apologiae tutamen et anchora Fabro opposita prodiit Pariis 1518 in 4.

Commentarium *in Ecclesiastem* et in *Danielem*, qui Fabro tribuitur apud Guil. Crowaeum, nusquam puto exstare.

De studio Fabri ad scientiae incrementum exteras lustrandi regiones, duo testimonia, laudato Bernardo Monetae observata in gratiam lectoris adscribere juvat. Unum est Symphoriani Champierii in Epistola ad Fabrum data Lugduni 24 Maj. Anno 1507. *Instar item Pythagorae atque Platonis, aliorumque insignium Philosophorum, exteras lustrasti regiones, atque diversos adiisti populos, nec non ipsam per universum Orbem famatissimam Italiam, doctorum ingeniorum altricem laboriosissime peragrasti, tum ut eos quos ex libris atque fama noveras, coram quoque videres, tum ut ab eis bonas litteras ad tuos adveheres.* Alter est Bartholomaeus Chassanaeus in Catalogo Gloriae Mundi parte X, consideratione IV. p. 204. *Quibus etiam adjungemus illum virum omnium litteratorum in omni scibili perfectissimum* Jacobum Fabrum, Stapulensem, *qui causa discendi, totam Europam et Asiam transfretavit, et partem Africae etiam transcurrit, ut viros doctos et perfectissimos litteris Graecis, Latinis, Hebraicis et Chaldaeis inveniret.*

* Ex epistola eius data Parisiis ad Joannem Langrenum Minoritam, quae extat in libello inscripto *duellum epistolarum Symphoriani Camperii* haec scribit de operibus suis: *His diebus misimus ex officina philosophiam Aristotelis integram cum duplici translatione. Nunc resumimus labores in emittendis agonibus martyrum, deinde si Dominus dederit, aggrediemur gesta confessorum.* De simultate sua cum Erasmo haec in eadem epistola scribit: *Inter me et Erasmum ex parte mea nulla simulatio nullaque malevolentia in illum et hac de causa nolui ad invectivam Erasmi, quidquam respondere, ne eum imitarem; quamvis haberem quo in promptu meam defenderem assertionem . . . petebat responsionem ad epistolium suum, revera adeo sum indispositus ad scribendum ut nullo praemio,*

a) Hermannus ab Hardt historia Reformationis pag. 49. seq. D. Val. Ernestus Loescherus in Actis Reformationis plenioribus tom. 1 pag. 564. seq.

b) Rich. Simon III. hist. Crit. N. T. pag. 524. et Epist. select. tom. IV. Epistol. 15 pag. 104.

c) Rich. Simon III. 36. Hist. Crit. Nov. Test. pag. 552. seq. et tom. 1 censurae Biblioth, Du Pinianae p. 589. 605. seq.

vel nulla prece id a me quisquam extorquere possit. Edidit etiam et praefatione sua illustravit *opusculum Bernonis de sacrificio Missae* editum Parisiis an. 1510. Vide BERNO.

*Ex epistola etiam Camperii, cuius pauca hic Fabricius recitat disco caeteris Fabri scriptis adiungendos esse commentarios in Mercurii Trismegisti *Opuscula duo unum de sapientia et potestate Dei, alterum de voluntate divina.*

FABIANUS, Episcopus Romanus ab An. 236. Januar. 16 et Martyr An. 251. Jan. 20 a) Sub ejus nomine *tres Epistolae* commentitiae apud Isidorum Mercatorem, 1) *ad Catholicae Ecclesiae comministros*, 2) *ad Orientales Episcopos cunctosque fideles* et 3) ad dilectissimum fratrem *Hilarium Episcopum.* Has cum notis, quibus falsitatis convincuntur, exhibet Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 286, seq. De decem *Decretis* quae ad Fabianum referuntur, vide Petrum Coustant in Opere de Epistolis Pontificum pag. 118, seq. ubi etiam de Origenis ad Fabianum *Epistola* et Fabiani *ad Privatum* Episcopum Lambesitanum.

* FABIANUS *de Giocchis* de Monte S. Savini Advocatus consistorialis dedit tractatum, quem Pancirolus vocat insignem, *de emptione et venditione* impressum Senis per Magistr. Henricum De Colonia an. 1483 quo vivebat author. (102 et dein Venetiis ad sign. Jurisconsulti 1575 in 8. etc.) Huius Fabiani ex filio nepos fuit Julius II. Romanus Pontifex. Excusa est etiam ibid. an. 1492 per Henricum Harlem eius *repetitio C. de inoffic. testam.*

FABIUS *Cerilianus*, supra in CERILIANO tom. 1. pag. 342.

FABIUS *Claudius Gordianus Fulgentius* et FABIUS *Fulgentius Placiades*, infra FULGENTIUS.

FABIUS *Marcellinus*, scriptor *Vitae Alexandri Severi,* Lampridio laudatus in vita ejusdem Alexandri cap. 48. et Vopisco in vita Probi cap. 2. Idem fortasse Fabius Marcellinus in veteri Inscriptione Tarraconensi apud Vossium pag. 703.

a) Acta Sanctorum tom. secundo Januarii pag. 252. seq.

Ægidius FABRI, supra, tom. 1. pag. 18.

FABRICIUS Tuscus, scriptor *Vitae Aldhelmi*, infra FARICIUS.

FABULARIUS *Conradi a Mure*, de quo supra tom. 1, pag. 386.

FACETUS, poëma Anonymi leoninum de officiis cujusque erga DEUM, alios homines et seipsum. Incipit:

Cum nihil utilius humanae credo saluti
Quam rerum novisse modos, et moribus uti.
Quod minus exequitur morosi dogma Catonis,
Supplebo pro posse meo, monitu rationis.

Exstat inter Auctores octo morales a) qui scholiis illustrati prodierunt Colon. 1520 4. Allegatur ab Ugutione Pisano, qui scripsit circa An. 1192. vide Cangii praefat ad glossarium Latinum §. 45.

Bartholomaeus FACIUS e Spedia (*Spezzia*) Genuensis ditionis, gravis Laurentii Vallae adversarius, eodem quo ille Anno 1457. b) Romae Valla Augusto, Facius Neapoli mense Novembri diem obiit c).

Ne vel in Elysiis sine vindice Valla susurret,
Facius haud multos post obit ipse dies.

Reipubl. Genuensis et Alphonsi I. Regis Neapolitani a secretis et apud eum gratiosus fuit.

Scripta ejus sunt: Latina versio librorum septem *Arriani de rebus Alexandri M.* atque *Arriani Indicorum*, quae per *Jacobum Curlum* sive *Currulum* d) suppleta et expolita prodiit Pisauri 1508. fol. et Graecis subjecta, Basileae apud Robertum Winter 1539. 4. atque iterum separatim Lugd. 1552, 12. et Bernae 1554. 8. Quanquam vero Bonav. Vulcanius multa deinde melius reddidit et accuratius, e) tamen Facii

a) Hi sunt Cato, Theodulus, Facetus, Carmen de contentu Mundi, Tobias Matthaei Vindoc. Alani parabolae, Fabulae Æsopi, et Floretus, addito Jo. Sulpicii Verulani carmine de moribus puerorum.

b) Diarium eruditorum Italiae tom. XI. pag. 324. Augustinus Oldoinus in Athenaeo Ligustico pag. 91.

c) In eandem sententiam Joannes Matthaeus Toscanus in peplo Italiae lib. I. n. 15. in Facium.

Quin, apud Elysias extincto (*Vallae*) insultes ut umbras,
Haud mora, defunctum subsequitur moriens.

d) Raph. Sopranes de scriptoribus Liguriae pag. 124.

e) Adde Bibliothecam Graecam lib. IV. cap. 8. pag. 275.

quoque versionem, elegantem certe, loca nonnulla Arriani rectius quam Vulcanium expressisse notavit Jacobus Gronovius, in cujus Arriano, Vulcanii versio subinde emendata exhibetur.

De bello Veneto Clodiano cum Genuensibus gesto An. 1377. Lugd. 1568 1578 8. et in thesauro Italiae Burmanniano tom. V. parte 4.

De rebus gestis ab Alphonso I. Neapolitano Rege usque ad obitum Nicolai V. Papae An. 1455. *commentariorum libri X.* editi a Jo. Michaële Bruto Lugd. 1560. 4. recusique An. 1562. 1566. et cum Guicciardino per Coelium secundum Curionem Latine verso, Basileae 1566. fol. et in tomo nono laudati thesauri parte tertia ante Jo. Joviani Pontani historiam Neapolitanam. Septem priores libri etiam a Francisco Philopono editi Mantuae 1563. 4. ut versionem Italicam librorum decem a Jacobo Mauro Venet. Gioliti 1580. 4. praeteream. Confer Jac. Gaddium de scriptoribus non Ecclesiasticis t. 1, p. 183. seq. Diarium eruditorum Italiae tom. XI, pag. 190. et Nisseroni memorias Virorum illustrium, Gallice editas tom. XXI, pag. 320.

Historia suorum temporum. Basil. 1577. 8. tribus Vol. in Bibliotheca Barberiniana, non diversum ut videtur ab opere superiore.

Historiarum et Chronicorum Mundi epitome Venet. 1533. 8.

Ad Carolum Ventimilium, *de origine belli inter Gallos et Britannos* a) An. 1415. Primus edidit Franciscus Dionysius Camusatus additionibus ad Bibliothecam Alphonsi Ciacconii pag. 883. Incipit: *Quod me rogasti, Carole generose..*

De vitae felicitate ac praestantia hominis seu de summi boni fruitione Dialogus inter Antonium Panormitam, Guarinum Veronensem et Joannem Lamolam ad Alphonsum Regem. Antwerp. 1556. 8. et cum Felini Sandaci de Regibus Siciliae et Apuliae epitome, edente Frehero, Hanoviae 1611. 4.

De rebus Siculis commentarium, et alium *de differentiis verborum Latinorum*, quos in Bibl. Regis Christianissimi exstare testatus est Labbeus pag. 313 et 330. Bibl. MSS. nemo adhuc in lucem protulit: nec librum *de viris sui aevi illustribus*, quem Alphonso Regi dedicasse et tradidisse se testatur Facius Epistola a) ad Æneam Sylvium, qui Facio quod locum sibi in eo dederit, gratias agit Epistola 251. ubi semper *Factius* pro Facio dicitur. Refert etiam Poggius invectiva secunda in Vallam, magnum Volumen contextum a Facio, quo notaverat *errores Vallae quos in historia de gestis Regis Aragonum* visus illi est commisisse: Alii *de immortalitote animae* librum Facii contra Vallam memorant. *Epistolae* quaedam ejusdem leguntur ut inter Æneae Sylvii ita inter Epistolas Antonii Panormitae, editas Venet. 1553 4.

Laurentii Vallae invectivarum seu recriminationum in Bartholomaeum Facium et Antonium Panormitam libri quatuor exstant in Vallae operibus pag. 460.

Commentarius in Persium, quem Oldoinus nostro pag. 92. Athenaei Ligustici, et ex eo Lexicon eruditorum, tertium jam Lipsiae editum tribuit, non Bartholomaei Facii est, sed *Bartholomaei* FONTII, de quo infra. Puto etiam commentum esse quod *elenchus scriptorum omnium* Facio apud Oldoinum adscribitur, qui in Lexico illo recte est omissus.

*Operis adhuc inediti *de viris illustribus aevi sui* MS. Cod. extare apud eruditum virum P. Benedictum Bandinellum Senensis Benedictinorum coenobii praepositum, et antiquiorem in alia Senensi Bibliotheca tradit summa cum laude semper celebrandus Cardinalis Quirinus in diatriba praeliminari ad epistolas Francisci Barbari pag. DXLIX, et ex eo libro elogium Francisci Barbari producit exsuccum plane et exile.

Animadvertendum est etiam scripsisse Facium opusculum de excellentia et praestantia hominis, quem Fabricius male confundit cum libro *de humanae vitae felicitate* cum duo sint distincta opuscula exi-

a) Apud Nisseronum tom. XXI. memoriar. pag. 322 perperam: *inter Gallos et Hispanos.*

a) Inter Epistolas Æneae 233.

beanturque seorsim ambo in editione Hannoviana an. 1611 in 4. Monet autem Cl. Zeno in dissert. Voss. t. 1. pag. 69 dedicationem postremi op. ad Pium II, non esse eiusdem authoris cum libellus iste in Cod. Vaticano n. 3662 dicatus ab authore reperiatur Nicolao V. Pont.

Opusculum Facii de viris sui aevi illustribus cum epistolis eius XV, addita eius vita et notis dedit Cl. Mehus Florentiae 1745, in 4.

FACIUS, sive BONIFACIUS, vel etiam FATIUS *de Ubertis*, Florentinus, scripsit tempore Caroli IV. Imp. post Anno 1355. sed non Latine ut persuasum Vossio, qui Latinis eum Historicis pag. 528 accenset et refert ad tempora Æneae Sylvii, sed Italicis versibus opus Geographicum cui titulus *Dittamondo*. Venet 1501 4. (102 Et primum *in Vicenza* an. 1476, fol. postea vero *in Milano*, *Silvestri*, 1826, in 16: stud. Julii Perticari.) Vide Diarium eruditorum Italiae tom. IX, pag. 155. seq. et Julii Nigri historiam scriptorum Florentinor. pag. 161.

*Non nego equidem erratum a Vossio cum Italicorum carminum scriptorem inter Latinos accenset, sed hallucinationis hujus causam juvat hic indagare. Sub ipsis Aeneae Sylvii temporibus florebat Franciscus de Ubertis Caesenas vates non ignobilis, qui carmina plura Latina et historica etiam Latina nonnulla dedit; hinc natus Vossii error, qui ea quae debebantur Francisco de Ubertis, dedit Facio de Ubertis, itemque Facium de Ubertis aetate multo anteriorem Francisco de Ubertis ad tempora eiusdem Francisci reduxit. Franciscus igitur qui ad hanc Bibliothecam pro suo jure spectat scripsit.

Epistolarum carmine scriptarum de rebus sui temporis libros duos.

Epistolam pro deligendo summo Pontifice tunc scriptam, cum praecedens electioni Sixti IV. Conclave haberetur. Epistolam aliam ad Malatestam Novellum Caesenatensem dominum et alia id generis.

Centum *epigrammatum* libellum in quo Carmina varia ad viros tunc temporis clarissimos scribuntur; ut ad Titum Vespasianum Strozzam Ferrariensem, ad Marsilium Ficinum Florentinum etc. Est etiam eius libellus *de spiritibus* ad Christophorum Viterbiensem Episcopum Caesenatem.

Libellus alter epigrammatum quibus laudes Alexandri VI, et aliorum doctorum virorum celebrantur.

Denique *orationes* eius sunt duo, altera pro pace et libertatis recuperatione; funebris altera in obitu Dominici Malatestae Caesenatensis principis. Haec omnia in duplici MS. Cod. qui servatur in Bibliotheca Malatestarum Caesenatensis contineri docuit me per literas vir doctus P. Muccioli Minor conventualis eius Bibliothecae meritissimus praeses.

Francisci Uberti Vitam scripsit, ac typis vulgavit Nicolaus Magini Etrusco, ut puto, sermone, neque enim editionem hanc videre uspiam contigit.

FACUNDUS, Hermianensis in Africa Episcopus, cum Vigilio Papa contra Menam Patriarcham Constantinopol. *tria Capitula* a) damnantem, illa probavit, et *pro eorum defensione* CPoli An. 547 ad Justinianum Imp. scripsit insignes illos libros XII, moderatius ut ait ipse et ordinatius digestos, quam fuerat *prior responsio* jam pridem deperdita, quam jussu Magistri officiorum scripsisse se intra septem dierum spatium, et tria millia versuum excessisse testatur. Libri illi duodecim, ex Codice quo usus fuerat Baronius, prodierunt Parisiis 1629, 8. cum Sirmondi notis, addito ejusdem Facundi jam exulis libro *contra Mocianum* sive Mucianum Scholasticum, in quo nec Vigilio parcit, (qui retractata sententia et recepto in communionem Menna Constitutum sive Judicatum b) contra tria capitula An. 553 promulgarat) Mucianum vero acri-

a) Decantatissima in rebus illorum temporum *tria Capitula* sunt: 1) Epistola *Ibae* Edesseni ad Marim Persam. 2) *Theodorus Mopsvestenus* ejusque doctrina. 3) *Theodoreti* libri contra Cyrillum Alex Inprimis pro Theodoro Mopsvesteno acriter decertat Facundus, cujus Facundi opus *grande et eximium eleganti styló scriptum et magnis veterum auctoritatibus instructum* vocat Trithemius cap. 208.

b) Exstat apud Baronium ad Annum 553. num. 50.

ter reprehendit, qui Africanis vertit vitio quod se a Vigilio ob illud Judicatum segregassent. Recuso Sirmondi Facundo, curante Philippo Priorio cum libris Optati contra Donatistas, Parisiis 1675, fol. et in tom. secundo Sirmondi Operum junctim vulgatorum Parisiis 1696 et Venetiis 1721, fol. pag. 843 subjicitur etiam *Epistola fidei Catholicae* in defensione trium capitulorum damnatorum ab Acephalis, quam ediderat Dacherius c) tom. III, spicilegii pag. 106. (editionis novae tom. 3. pag. 307.) Haec Epistola omissa in tom. decimo Bibliothecae Patrum Lugdunensis An. 1677 in quo Facundus cum Sirmondi notis legitur. Interciderunt autem *duo libelli de duabus Naturis JESU CHristi* ad Justinianum, in quibus *caute nimis luculenterque* argumentum illud tractasse Facundum, *venerabilem Episcopum, haereticorum penetrabili subtilitate destructorem*, judicat Cassiodorus in Psalm. 138. pag. 473. Nam significasse eum tantum primora libri primi duo capita, eorum quos Facundi habemus, aegre accredam Oudino tom. 1 pag. 1428. Facilius venio in eam sententiam, Volumen in Bibliotheca Dominicanorum Bononiensi, in quo Ambrosius Camaldulensis gesta Conciliorum Veterum pulcherrime descripta reperit, et inprimis Chalcedonensis Synodi per actiones distincta, pulcherrimis et antiquissimis litteris, et libros Facundi *de* ipsius *Concilii Chalcedonensis gestis, contra detrahentes*, nihil aliud quam libros XII. Facundi editos, quos Honorius III, 13 *de professione Catholicae Ecclesiae* appellat, continuisse. Hunc Codicem invenire se potuisse negat Clarissimus Mabillonius pag. 202. Itineris Italici. Harduini parum credibilem sententiam qui Facundum et qui ejus cum honore meminerunt Cassiodorum, Victorem Tonnonensem scriptorem Chronici, atque Isidorum Hispalensem de scriptoribus Ecclesiasticis; praeterea Liberatum quoque et Marium Mercatorem a nescio quo scriptore Gallo multa post saecula confictos ac suppositos fuisse existimavit, confutat Ludovicus Ellies du Pin praefatione ad Bibliothecam Ecclesiasticam sexti a nato CHristo saeculi. Plurima docere Facundum quae usui Theologis futura sunt, recte judicat Sirmondus tom. quarto Operum pag. 657.

c) Vide H. Hugium de Bibliothecis Patrum pag. 174.

Hugo FALCANDUS Siculus circa Annum 1190 tradidit *historiam de rebus gestis in Siciliae regno* praecipue ab An. CHristi 1154 ad 1169 et de calamitatibus sub Wilhelmo I, et II. Regibus, ad Petrum, Panormitanae Ecclesiae Thesaurarium. Prodiit vulgata primum a Gervasio Tornacaeo, sive Tornacensi, Canonico Svessionensi, ex Bibliotheca Matthaei Langogaei, Svessionensis Episcopi, Paris. 1550 in 4. Deinde emendatior Francofurti apud Wechelos inter rerum Sicularum scriptores 1579, fol. pag. 247. tum in tom. primo Bibliothecae historicae regni Siciliae, quae curante Johanne Baptista Carusio prodiit Panormi 1720, fol. nec non in Clarissimi Muratorii scriptoribus rerum Italiae, tomo septimo, Mediolani 1725, fol. pag. 147 ac denique in thesauro antiquitatum Siciliae Burmanniano, parte quinta. Auctorem hujus historiae GUISCARDAM vocat Thomas Fazellus, qui veteri Codice usum se testatur in extremo capite quarto libri septimi decadis posterioris pag. 463. additque sub nomine Hugonis Falcandi (non Johannis, ut apud Vossium pag. 781 excusum est) dum pararet ipse libros suos de rebus Siculis edere, Lutetiae impressum. Prima Fazelli editio lucem vidit Panormi An. 1558, fol. Antoninum vero Mongitorem miror, scriptorem diligentissimum, quem et de Guiscarda et de Falcando incassum consului.

Nicolaus Langmann de FALCKENSTEIN, sive *Valckenstein*, Caesareus Capellanus et Legatus, scriptor *historiae desponsationis et Coronationis Imperatoris Friderici tertii et ejus Augustae Dominae Leonorae, filiae Eduardi Portugalliae Regis*, MS. Latine in Bibliotheca Caesarea, teste Lambecio tom. 2. pag. 971, seq. Hunc libellum Germanice editum Augustae An. 1503 profitetur se habuisse Freherus, ex quo Latinam versionem sive concinavit ipse sive

publicavit tom. 2 scriptorum rerum Germanicarum pag. 55-80. auctoremque scripti vocat Nicolaum, Episcopum Ypponensem, cum tamen Nicolaus Ypponensis se testetur diversum a Nicolao Falckensteinio, cujus scriptum Germanice edidit et Maximiliano I. Imperatori, Friderici III, et Eleonorae filio, dedicavit, ut Clarissimo Struvio jam observatum.

FALCO *Beneventanus*, Scriba S. Palatii Innocentii II. Papae, et Judex Beneventanus, *de rebus aetate sua gestis* ab Anno CHristi 1102 ad 1140. exstat in Antonii Caraccioli quatuor antiquis Chronologis, qui sunt Herempertus, Lupus Protorpatharius, Anonymus et Falco, Neapoli 1626, 4. nec non Camilli Peregrini in historia Principum Longobardorum recensita et carptim illustrata, ibid. 1643, 4. in Joannis Baptistae Carusii Bibliotheca historica Siciliae tom. 1. Panormi 1720, fol. in laudatissimi Muratorii tomo secundo et quinto Corporis Mediolanensis scriptorum de rebus Italiae pag. 82 cum appendicibus historicis, et in thesauro antiquitatum Italiae Burmanniano tom. IX. Novam quoque editionem promisit Antonius de Amico, Messanensis, in rerum Sieularum scriptoribus, ex Codice MS. D. Annibalis Mascambruni, Beneventani, postea Episcopi Stabiensis. Vide Pagium ad Annum CHristi 1113 num. 1, seq. et 1140 num. 13 et Miraeum in auctario de S E. p. 56 qui Falconem res Beneventanas praesertim ita accurate ait descripsisse, *ut qui eas legit, non legere, sed praesens interesse videatur.*

Omitto *Benedictum de* FALCO, qui Civis Neapolitanus, *Antiquitates Neapolis atque amoenissimi ejus agri* non Latine scripsit, sed Italice, saepius recusas post primam editionem Neapolitanam 1539, 8. 1568, 1580, 1589, 8. donec denique vertit Latine V. C. Sigebertus Havercamp, ex Italica editione emendatiore sexta Neapolitana 1679, 4. exhibuitque in limine tomi noni Thesauri Antiquitatum Italiae Burmanniani.

FALCO *Monachus,* auctor *Chronici Trenorchiensis*. quod Petrus Franciscus Chifletius vulgavit in historia Monasterii Tornutiensis, sive Trenorchiensis, Divione 1664, 4.

FALCONIA *Proba* Centonem *de fabrica Mundi et Evangeliis,* Virgilianis cooptatum versiculis composuit. Hanc *Centonum Virgilianorum* Poëtriam, Gentilium carmina ad obsequium Fidei retorquentem, *Falconiam Probam,* civem Hortanam, non FALTONIAM appellandam esse, et nec cum *Anicia* FALTONIA *Proba*, trium Consulum matre, (de qua Baltellus a) in dissertatione de sarcophago marmoreo Probi Anicii et Probae Faltoniae in templo Vaticano, Romae 1705, 8.) nec cum *Valeria* PROBA, uxore Adelfii Pro Cos. b) quicquam habere commune docet Vir eruditissimus Justus Fontanini libro 2 de Antiquitatibus Hortae Coloniae, cap. 1, seq. c) Romae 1708, 4. et tom. III, thesauri scriptorum Italiae parte 3. oppugnans virum itidem praestantissimum *Thomam de Simeonibus,* qui in dissertatione de duabus Probis, d) in cujus calce cento ipse exhibetur, Bononiae 1696, 4. Valeriam Faltoniam Probam Adelfii e) uxorem centones illos composuis-

a) Memoires de Trevoux A. 1708. pag. 876. De Anicio Probo praefecto Praetorio sub. Valentiniano, Probaque uxore Jacobus Gronovius tom. tertio thesauri Antiquitatum Graecarum rrrr Probae Probique tumulus in Ferreti Musis lapidariis III. 45. pag. 215. et in Pauli Aringhi Roma subterranea II, 10. pag 181.

b) Confer Ephemerides Eruditorum Paris. A. 1694. pag. 249. seq. et Pagium ac Samuelem Basnagium ad Annum CHristi 395. Notas ad Augustinum tom. 2 editionis Amstelod. pag. 289. Pagium etiam ad Annum 458. num. 7.

c) Acta Eruditorum An. 1709. pag. 6. Memoires de Trevoux A. 1708. pag. 1904. Giornale de' letterati d' Italia tom. XXIV pag. 140. seq.

d) Giornale de' letterati di Modena An. 1692. pag. 247.

e) Ita certe Isidorus Hispalensis de scriptoribus Ecclesiasticis cap. 5 *Proba uxor Adelfii Pro Cos. foemina, inter viros Ecclesiasticos idcirco posita sola, pro eo quod in Laude CHristi versata est, componens centonem de CHristo, Virgilianis coaptatum versiculis. Cujus quidem non miramur studium, sed laudamus ingenium. Quod tamen opusculum legitur inter Apocryphas scripturas insertum.* Gelas. dist. 15. cap. 3. *Centimetrum de CHristo Virgilianis compaginatum versibus, Apocryphum.* His adde quod ad calcem Codicis MSti Centonum, saeculo X. exarati, qui

se contendit. Scripti sunt post Annum Christi 393 ad Honorium cum jam Augustus atque Imperator esset:

Haec relegas servesque diu, tradasque minori
Arcadio; haec legat ille tuo generi, haec tua semper
Accipiat, doceatque suos Augusta propago.

Post Venetam editionem a) 1472, fol. et Romanam An. 1481, 4. Bibliotheca Barberina obviam, *Johannis Philippi de Lignamine,* Equitis Siculi, quam pro prima habet V. C. Justus Fontaninus: prodiere Antwerpiae, sive in opido Mercuriali Antwerpiensi per Gerhardum Leonis 1489. quam editionem evolvit Henricus Stephanus: et Brixiae 1496, 8. Deinde ab Aldo una cum Sulpicio Severo, Homerocentonibus, quos Probae imitatione deinde composuit Eudocia Augusta, Juvenco, etc. Venetiis 1501, 4. a qua ἐκδοσει plurimum differt altera itidem in quarto circa idem ut videtur tempus sine loci et anni notatione vulgata. Praeterea prodierunt Daventriae 1505, 4. Parisiis 1509, 4. apud Johannem Petitum, et Lugduni 1516, 8. cum Mantuano et aliis, per *Stephanum de Basignana Gorgonum*, Carmelitam Doctorem Theologum, *Probae Centonae vatis clarissimae a Divo Hieronymo comprobatae de Fidei nostrae mysteriis e Maronis Carminibus excerptum opusculum.* Et Oppenheimii An. 1517. Francofurti 1541, 8. curante *Petro Brubachio*, una cum Homerocentonibus et Nonno. Tum Parisiis apud Franciscum Stephanum An. 1543, 8. apud *Henricum Stephanum* d) 1578, 12. cum Homerocentonibus c) Eudociae et Nonni paraphrasi Evangelii Johannis. Praeterea curante *Julio Roscio* Romae 1588, 12. qui ex Codicibus Vaticanis et Hortano castigavit, praefationemque Probae restituit, quam Sedulio alii perperam tribuere: commentarios etiam pollicitus, sed qui lucem nunquam viderunt. Exstat et cum Capiluporum et *Henrici Meibomii* aliorumque Virgiliocentonibus, curante eodem Meibomio, Helmstadii 1579, 4. Omitto editfones alias ut Coloniensem 1601, 8. et quae in Bibliothecis Patrum occurrunt. Sed prae caeteris laudandum studium *Joannis Henrici Kromayeri*, qui centones hos notis et indice ornatos vulgavit Halae 1719, 8. signatis accurate ad singulos versus versibus Virgilii, quibus centones illi constant. Novam editionem expectare nuper a se jussit in Ephemeridibus litterariis Germanice editis Lipsiae An. 1710. pag. 1010. atque iterato in novis litterariis An. 1719. pag. 33. praeclarus Vir *Johannes Gottlieb Krause.* In *Laurentii Legati,* Cremonensis, primitiis musei poëtriarum editis Bononiae 1668, 4. de Ælia Eudoxia Augusta, de Proba Valeria Falconia, et de Sulpicia, earundemque vita carminibus et opusculis disseritur, consultis etiam Inscriptionibus antiquis. MStos quosdam Codices Oxoniae, Lugduni Batavorum et Londini obvios notat Oudinus tom. 1. pag. 900, seq Jampridem Probae centones una cum Tancredo Philippi Beroaldi, Gallice convertit Richardus le Blanc Parisiis 1553 apud Robertum Messalinum, teste Crucimanio pag. 440. Bibliothecae Gallicae.

exstat in Bibliotecha Monasterii S. Benedicti Padolironensis non procul a Mutina, haec leguntur teste Bernhardo de Montfaucon Diarii Italici pag. 36. *Proba uxor Adelphi, mater Olibrii et Aliepii* (Alypii) *cum Constantii* (Constantini) *bellum adversus Magnentium conscripsisset, conscripsit et hunc librum.* Uxorem Adel i vocat etiam Isidorus Hisp. libro 1. Originum cap. 28. et ex eo Vincentius Bellovacensis libro 3. speculi doctrinalis cap. CXI. qui Virgiliocentonum etiam meminit lib. 1. cap. 32. ex Hieronymo ad Paulinum. Pluribus quoque eam celebrat Johannes Boccacius libro de claris mulieribus.

a) Illius primae editionis titulus ita refertur a C. V. Michaele Maittaire in Annalibus Typograph. pag. 98. *Ausonii Peonii Poëta disertissimi Epigrammaton libri.* Probae Centonae clarissimae foeminae excerptum e Maronis Carminibus ad testimonium Veteris Novique Testamenti. *Ovidii Consolatio ad Liviam: Calphurn i Bucolicum carmen: Publ. Greg. Tiferni hymni et alia Poëmata*, Venetiis 1472. fol.

b) Caspar Barthius ad Claudianum pag. 47. ubi de Proba Falconia: *Teritur manibus editio Henrici Stephani, qui non aeque bene ac de aliis de hoc libello meritus est: illud vero facinus commisit illaudabile, quod notas librorum Virgilianorum marginibus depulit, unde sedes argute traductorum in Centones versuum et hemistichiorum, memortà eximuntur.* Adde ejus Adversaria XV. 15.

c) De Homerocentonibus Patricii, Eudociae, Pelagii dixi libro 2. Bibliotbecae Graecae cap. 7. §. 4.

FALCUINUS scriptor a) vitae *S. Pharonis*, sive *Faronis*, Episcopi Meldensis post saeculi septimi medium, b) ex qua fragmenta in Andreae du Chesne tom. 1. scriptorum de rebus Francorum pag. 567-715. Vide et Surium ad 28. Octobris.

* FARDULFUS Abbas, de quo Sirmondus ad Theodulfum t. 2 pag. 1119.

FARFENSIS Coenobii, in Ducatu Spoletano *Chronicon* auctore GREGORIO Monacho et Chartophylace, ab Anno Christi 681. ad 1104. exstat in thesauro Italiae laudatissimi Muratorii tom. 2. parte 2 pag. 287. Excerpta Chronici Monasterii ACUTIANI, sive Farfensis, apud Andream du Chesne tom. 3, pag. 650-671.

* Historiam litterariam coenobii huius non satis accurate tradenti Fabricio subveniendum hic mea opera censui. Gregorius monachus et Chartophylax non Farfense tantummodo chronicon elaboravit, sed et ante illud alia duo volumina confecit, quibus chartas omnes archivi Farfensis complexus est. Duobus hisce tertium aliud adiecit Joannes Grammaticus eiusdem coenobii, eiusdemque aetatis monachus. Porro collectionem illam Gregorii usque saltem ad an. 1100 continuavit Todinus sive Teodinus eius consanguineus. Ex his omnibus voluminibus prodiit, authore Muratorio Farfense illud chronicon, de quo Fabricius. Idem pariter in tom. V. antiquitat. Medii aevii pag. 687. etc. dedit *catalogum nonnullarum chartarum* collectionis illius, quam Joannes Grammaticus compegit. Incipit a chartis anni 691. et cum chartis an. 717. absolvitur, quae sane chartae modo supersunt, cum reliquae interciderint.

Denique Muratorius in praefatione ad Chronicon Farfense testatur incidisse se olim in opusculum MS. de *destructione Monasterii Farfensis editam a Venerabili P. Hugone Abbate eiusdem Monasterii.* Hugo iste anno 997. coepit.

FARICIUS Monachus Abindonensis Ordinis S. Benedicti, quem Baleus XIII. 18. ait ex Tuscia, sive Hetruria in Angliam venisse et praeter *Epistolas* circa Annum 1110. scripsisse *vitam Aldhelmi* Episcopi. Possevino hic vitiose, ut opinor, FABRICIUS Tuscus appellatur. Aldhelmus iste Abbas fuit et Episcopus, de quo An. 709 defuncto supra tom. 1, pag 51.

Hugo Abbas, *dictus* FARSITUS *scripsit* miracula *multa* B. Virginis, *quae faciebat in Ecclesia ejusdem gloriosae Virginis Suessionensis.* Haec de eo Henricus Gandavensis cap. 36. Videtur ille esse Hugo Abbas Cluniacensis, cujus obitum Sigebertus Gemblacensis in Chronico refert ad A. C. 1109.

FASCICULUS *temporum*, omnia antiquorum Chronica succincte complecti se professus ab Orbe condito usque ad Annum Christi 1474. prodiit Spirae 1477. Argent. 1488. fol. Paris. cum addit. apud Johannem Petitum 1512. 4. et cum *Joh.* LINTURII appendice ab An. 1475. ad 1514. in Pistorii scriptoribus rerum Germanicarum tomo secundo. Etiam Germanice versum exstare testatur Arnoldus Bostius de viris illustribus Carthus. Ordinis cap. ult. Auctor fasciculi hujus WERNERUS c) *Roelevinck* Carthusiensis, domus S Barbarae Coloniensis, de quo infra suo loco.

* Neque hic a Fabricio, neque in tom. VI. v. VERNERUS indicatur editio Veneta in fol anni 1481. et alia 1484. per Erhardum Ratedolt Augustensem. Additamentum haec praefert ab an. 1474. ad annum 1481. Viri illi doctissimi qui Commentarios de MSS. Codicibus Biblioth. Universitatis Taurinensis scripserunt tom. II. Cod. 555. ignorasse videntur operis huius crebras adeo impressiones: Alioqui ab integra praefatione repetenda abstinuissent. Nec feliciori coniectura ducuntur rati codicem suum MS. eiusdem scriptoris autographum habendum esse; neque enim ullam opinionis suae idoneam rationem praeferunt.

FASTI Consulares Cuspiniani, sive *ignoti auctoris opusculum*, *ubi nomina Consulum traduntur*, ad quod passim provocat *Jo-*

a) Sammarthani tom. 5 Galliae Christianae pag. 695

b) Vossius pag. 705. ex Hieronymi Rubei hist. Ravennat. lib. 2.

c) Non *Walterus*, ut apud Possevinum legitur

hannes Cuspinianus in Commentario ad fastos Consulares Cassiodori, edito Basileae 1553. fol. Illud integrum videre desiderabat Ægidius Bucherius ad Victorii Canonem Paschalem pag. 246. Vulgavit illud tandem, Codicis MSti Bibliothecae Caesareae apographum a Magliabechio nactus, *Henricus Norisius* Florentiae 1690, 4. recusum cum libro de anno et epocha Syromacedonum Lipsiae 1696 4. et tomo secundo Operum laudatissimi Norisii, Veronae 1729. fol. Recudi etiam curavit Graevius tom. XI. thesauri antiquitatum Romanarum pag 232. Desinunt hi fasti in Anno CHristi 354. Apud *Bucherium* pag. 247 exstant fasti similes ab Anno 205. ad 353. quos itidem exhibet Graevius pag. 384. una cum *Idatianis* pag. 247. desinentibus in An. CHristi 468. De his infra in IDATIO.

* Fasti illi quorum primum nomen ex Cuspiniano audiri in mundo coepit, in lucem pubblicam per hos dies iterum vulgati sunt ab Eccardo in corpore histor. tom. 1. pag. 1. ad MS. Cod, Vindobonensem iterum recensiti, et cum additamento ex eodem Cod. ab. an. 354 usque ad an. 407 nempe ad Theodosium II. et Honorium.

FASTIDIOSI Ariani Episcopi *sermo* contra Homousianos et Donatistas, qui incipit: *Dicimus, prudentissimi Fratres*, subjicitur Epistolae nonae Fulgentii Ruspensis, cujus temporibus vixit sub saeculi sexti initia. Vide Fulgentii Opera edita Parisiis 1684 4. pag. 210. et pag. 340. ubi FULGENTII liber contra sermonem Fastidiosi Ariani scriptus ad Victorem.

FASTIDIUS apud Gennadium cap. 56 in MSto Corbejensi, tantum simpliciter *Britto* a) appellatur, in aliis autem et apud Honorium II. 55. Trithemium cap. 129 ac Lelandum cap. 21 et in Veronensi Codice, quem emendatiorem Corbejensi laudat Norisius tom. IV. Operum pag. 884. *Britannorum Episcopus*. Archiepiscopum tamen Londinensem, quod vult pag. 86. Pitseus ad Annum CHristi 420 neutiquam fuisse, probat Usserius Antiquitatum Britannicarum pag. 171. seq. Eodem Gennadio teste Fastidius scripsit ad Fatalem, *de vita Christiana* librum unum, et alium *de viduitate servanda*, ex quibus librum priorem *de vita Christiana* superesse credunt viri docti, eundemque qui sine nomine auctoris saepius editus est inter S. Augustini Opera a) scriptus ad Viduam quam *dilectissimam sororem* auctor appellat, et cujus nomen itidem nullum additur. Incipit: *Ut ego peccator*. Huic libro, Fastidii nomen inscriptum reperit Lucas Holstenius in veteri Codice Cassinensi, itaque auctori suo restitutum edidit Romae 1663 8. Quoniam vero Pelagianismi b) in eo vestigia insignita exstant, ideo Pagius ad Annum 420 num. 29 negat hunc esse librum, de quo Gennadius, *sanam et DEO dignam doctrinam* in eo celebrans. Ac verba ipsa hujus scripti ex libro PELAGII ad viduam refert Augustinus libro de gestis Pelagii cap. 6. Ex uno Fastidii libro duos fecisse Gennadium, non crediderim: quanquam in extremo libri de vita Christiana paucis etiam, qualis vidua debeat esse, perstringitur. Illud longe magis credibile, quod Baleus et Pitseus ex Gennadii verbis quatuor nobis Fastidii libros procuderunt; 1. *de fide et vita Christiana*. 2. *de doctrina Spiritus*, sive, ut Pitseus: *de doctrina DEO digna et spirituali*. 3. *de viduitate servanda sana*. et 4. *librum admonitionum piarum*. Neque quisquam oculis usurpavit *Chronicon Scotorum*, quod compositum a Fastidio ait Thomas Dempsterus historiae Scoticae lib. VI num. 536. cui in rebus gentis suae multa comminiscenti condonandum hoc esse monet praestantissimus Caveus.

FASTREDUS Abbas Claraevallensis, cujus *Epistola* ad Omnibonum, Veronensem Episcopum, de Concilio Tolosano Anni 1162. in quo Alexander III. rejecto Victore, Pontifex agnoscitur: et de Synodo Papiensi

a) *Fastidius Priscus* Baleo fortasse Centur. I. c. 41. atque inde Pitseo, pro Fastidio Brittone.

a) Tom. sexto editionis novae Benedictinorum, Amstelodami recusae pag. 665-672.

b) Vide Norisium hist. Pelag. lib. 1. cap. 19. Benedictinorum admonitionem libello illi praemissam, et Tiliemontium tom. XV Memoriarum pag. 17. Oudinum tom. 1 pag. 1001.

pro Victore III. Antipapa: exstat in tomis Conciliorum, ut Harduinianae editionis t. VI. parte 2. pag. 1585 et in tomo tertio Bibliothecae Patrum Cisterciensium Bertrandi Tissierii. Vide Pagium ad Annum 1159. num. 10. An. 1160. num. 1. et An. 1161. num. 9. seq.

FATIUS *de Ubertis*, supra, FACIUS.

Remus FAVINUS in Codice Abbatiae Morbacensis a) atque iu editionibus quibusdam, ut Lipsiensis Æolici An. 1494 b) auctor perhibetur Carminis saepissime editi de ponderibus et mensuris, quod alii Codices ad PRISCIANUM, alii ad Q. RHEMNIUM FANNIUM PALÆMONEM, Plinio Majori ac Svetonio laudatum Grammaticum referunt, de quibus dixi in Bibliotheca Latina. Incipit: *Pondera Poeoniis veterum memorata libellis.*

FAUSTINUS, Presbyter Luciferianus, teste Gennadio cap. XVI, scripsit *ad Flacillam*, c) primam Theodosii Magni conjugem, quae An. 385 obiit, libros septem *adversum Arianos, et Macedonianos,* sive librum in septem capita divisum, qui in Codicibus quibusdam exstat d) et plus simplici vice prodiit in Bibliothecis Patrum tom. VIII. Paris. 1575 et tom. IV. Anno 1589 sub titulo GREGORII Baetici Hispaniensis, Episcopi Eliberitani, cum Epistola ad Flaccillam, priore parte manca, qualis etiam exstat in editione operum Faustini Oxoniensi 1678, 8. pag. 65. sed Epistola integra praefigitur eidem libro sub *Faustini* vulgato nomine iu Orthodoxographis utriusque Basil. 1555 et 1569, fol. et in Bibliothecis Patrum Paris. 1575 tom. V, et An. 1589, 1624, 1644. tom. IV, et Colon. 1618 tom. IV, et Lugd. tom. V, pag. 637. Scripsit etiam eodem Gennadio teste Faustinus *libellum precum* ad Imperatores Valentinum, Theodosium et Arcadium circa Annum CHristi 384 pro defensione suorum (Luciferianorum) quem cum MARCELLINO quodam *Presbytero* eis obtulit. Hunc libellum, multa quae alibi incassum quaeras, nos docentem primus edidit Jacobus Sirmondus Parisiis 1650, 8. recusum in ejus Operibus tom. 2. pag. 229. et cum libro adversus Arianos in Bibliotheca Patrum Lugdunensi An. 1677. tom. V. pag. 652 et cum notis partem ex Paschasii Quesnelli dissertatione XIV, ad Leonem Magnum depromtis, Oxoniae e Theatro Sheldon. 1678, 8. sub. titulo: *Faustini Presbyteri, Scriptoris seculi quarti, et fidei Orthodoxae adversus Arianos vindicis acerrimi opera.* In Codice Canonum et Constitutorum Ecclesiae Romanae quem laudatus Quesnellus tomo secundo Operum Leonis Magni edidit, capite XXXVIII exstat *Expositio Fidei Catholicae* (MARCELLINI fortasse) *contra haeresis Arianam:* et capite XXXVIII. Faustini Presbyteri *Fides missa Theodosio Imperatori*: de quibus duobus scriptis idem Quesnellus dissertatione XIV. pag. 378. Libello precum Sirmondus praemisit *praefationem* de schismate Ursini et qui illud extinxit Damasi, Episcopi Romani: sed Tillemontius notat illam nihil cum libello precum habere commune. Vide tom. VIII, memoriarum pag. 766, seq. *Rescriptum* autem *Theodosii* Magni *ad Cynegium*, quod libello precum subjectum legitur, omnino Faustini et Marcellini petitioni concedit locum, quos *plenissimos fidei Sacerdotes* Imperator appellat, *qui communicantes Gregorio Hispaniensi et Heraclidae Orientali, sanctis sane et laudabilibus Episcopis, optant in Fide Catholica sine oppugnatione alicujus ac mole-*

a) Voyage litteraire de deux Religieux Benedictins tom. 1 parte 2. pag. 159.

b) Polycarpus Leyserus pag. 1057. hist. poëtarum medii aevi.

c) Ita recte Gennadius, ut ostendit Paschasius Quesnellus dissertatione XIV ad Leonem M. etsi in editionibus Faustini et Codicibus quibusdam pro Flacilla, *Gallae Placidiae* nomen legitur, quo appellatam esse constat uxorem Theodosii Magni secundam. In numis prior conjux vocatur *Ælia Flacilla.* Vide Mediobarbum pag. 519 editionis novae.

d) Vide Montfauconi Diarium Italicum pag. 85. Sed Faustino rectius vindicatur hoc scriptum: nam GREGORII Baetici liber *de Fide* memoratus Hieronymo cap. 105. de S. E. est potius alter, qui inter S. Ambrosii scripta legitur *de Fide Orthodoxa contra Arianos*, etiam tom. 1 Operum Gregorii Naz. pag. 727. Vide Bibliothecam Graecam tom. 7 pag. 521. seq. Tillemontium tom. VII Memoriarum pag. 767. tom. IX pag. 727. et tom. XVI pag. 801.

stia vivere. Alius Faustinus, de quo Symmachus lib. 1. Epist. 118. Et de aliis tribus Jacobus Gothofredus in prosopographia Codicis Theodosiani. De Faustino Presbytero et Martyre Brixiensi, Acta Sanctorum 15 Februarii t. 1. p. 805, seq.

FAUSTINI Episcopi *Sermonem* contra superstitiosos quosdam ritus *Calendis Januariis* a) frequentatos, ex MS. Accincti Monasterii eruit Petrus Franciscus Chifletius, ediditque Bollandus in limine Actorum Sanctorum Januarii. Fragmentum sermonis de *arca diluvii* edidit Dacherius t. 7 spicilegii pag. 118. (editionis novae t. 1. pag. 215.) Ex S. Faustini Episcopi in *Dominica ante Quadragesimam* fragmentum apud Æneam Parisiensem libro contra Graecos cap. 176 id. pag. 140, seq. Homilia *de passione Domini*, quae incipit: *Beneficia DEI nostri*, apud Edmumdum Martene tom. V. Anecdotorum pag. 37-40.

FAUSTINUS Episcopus Lugdunensis inter eos, qui ad Cornelium Episcopum Romanum miserunt Epistolam Cypriani LVII, in edit. Oxon. (Pamel. et Baluz. LIV. Erasmi lib. 1. Epist. 2.)

FAUSTINI Buturini *Carmen de genere vestimentorum* MS. in Bibliotheca Carmelitarum excalceatorum Claromontensium in Arvernia, memorat Labbeus in Bibl. nova MSS. pag. 207.

FAUSTUS S. Benedicti in monasterio Cassinensi a septimo aetatis anno discipulus, deinde S. Maurum secutus in Galliam, in Abbatia ad Ligerim Glannafoliensi cum ille annis amplius quadraginta exactis, post eundem An. 584 extinctum rediit Cassinum ibique diem obiit circa Annum 620. Vide Leonem Ostiensem Chronic. Cassinens. lib. 1. cap. 3. Petrum Diaconum de illustribus Cassinensibus cap. 6. notasque Johannis Baptistae Mari, et Acta Sanctorum 15 Februarii tom. 1. pag. 839, seq. Scripsit rogatu fratrum Cassinensium et praecipue Abbatis Theodori, *Vitam S. Mauri*, quam ipse testatus se ostendisse Papae Bonifacio III. (A. C. 607.) Exstat apud Surium XV. Januar. pag. 1039 subjuncta pag. 1051 historia translationis S. Mauri, scriptore ODONE Abbate Coenobii S. Mauri, ad Adelmodum Archidiaconum. Exhibet etiam Mabillonius tom. 1. Actorum SS. Benedictin. pag. 274. Quae contra fidem hujus Vitae disputata sunt a Bailleto in novis vitis Sanctorum, Gallice editis, et a Jacobo Basnagio lib. XXI. Historiae Ecclesiasticae cap. 4. tom. 4. pag. 1261, seq. discutere instituit Theodoricus Ruinartus in libro edito Paris. 1702, 8. a) *Apologie de la Mission de S. Maur, Apôtre des Benedictins en France, avec une addition touchant S. Placide, premier Martyr de l' Ordre de S. Benedict.*

FAUSTUS Presbyter, discipulus S. Severini, Abbatis Agaunensis, defuncti An. 506 a superiore Fausto utique distinguendus, scripsit *Vitam* jam dicti *Severini*, quam in compendium redactam Surius XI. Februarii: interpolatam ab Anonymo veteri saeculi IX, exhibent Acta Sanctoctorum tom. 2. Februarii pag. 547 et Mabillonius tom. 1. Actorum Sanctorum Benedictin. pag. 568.

FAUSTUS e Britannis Gallis b) supra Ligerim Monachus, et post Maximum Abbas Lerinensis et ab An. 472. Episcopus itidem post Maximum Rejensis, sive Regensis in Gallia (*Riez*) quem ultra Annum 493 vitam produxisse disputat Tillemontius tom. XVI, memoriarum pag. 433 qui diligentissime de hoc scriptore commentatur. Semipelagianorum principibus adscribere non dubitant Vossius lib. 1. cap. 8. et Norisius historiae Pelagianae lib. 2. cap. XI, et in dissertatione de quinta Synodo pag. 114, seq. aliis Faustum defendenti-

a) In easdem superstitiones indignas Christianis invehuntur Augustinus sermone septimo inter editos a Sirmondo et undesexagesimo de diversis (editionis novae 198. et 196. tom. V) Petrus Chrysologus sermone 155. Maximus Taurinensis sermone decimo: atque e Graecis Asterius homilia quarta, et Chrysostomus sermone, qui incipit: κοδαπες χορὸς tom. 1 editionis Montfauconianae p. 697.

a) Nouvelles de la Republique des lettres A. 1702. Novembre pag. 595.

b) Sirmondus ad Facundum tom. 2 Operum pag. 826.

bus, ut faciunt Sirmondus historiae Praedestinatiana c. 8. tom. 4. Operum pag. 420, seq. et Ruardus Tapperus apud Baelium: a) vel certe resipuisse statuentibus, vide Sammarthani Galliam Christianam tom. tertio pag. 936. Etiam pro Sancto habentibus nonnullis, de quibus laudatus Tillemontius pag. 434, seq. scripta Fausti a Gennadio cap. 85 memorata haec sunt:

1. *Liber de Spiritu Sancto*, qui videtur intercidisse, nisi cum Oudino tom. 1. pag. 1304, seq. et 1339, seq. velis affirmare Fausti esse libros duos de Spiritu Sancto, qui a Gregorii Magni jam temporibus feruntur sub nomine PASCHASII, Diaconi Romani.

2. Opus *de Gratia DEI qua salvamur, et liberae mentis arbitrio*, sive ut ipse Faustus, *de tenuitate liberi arbitrii.* Ili sunt libri duo hoc de argumento, quos habemus, contra *Lucidum* scripti An. 475 suasu Synodorum Arelatensis et Lugdunensis. Vide Sirmondum tom. 2. Concilior. Galliae p. 147, 152. Ludovicum Thomasinum tom. 1 ad Concilia, diss. XIII. pag. 435, seq. et Tillemontium tom. XVI. pag. 425. In hoc opere *docet*, ut est apud Gennadium, *Gratiam DEI semper et invitare et juvare* b) *voluntatem nostram, et quicquid ipsa libertas arbitrii labore piae mercedis acqisierit, non esse proprium meritum, sed Gratiae donum.* Primus edidit Joannes Heroldus in Orthodoxographis, Basileae 1555, fol. recusos in editione 1569 et in Bibliothecis Patrum universis et in novissima Lugdunensi tom. VIII. pag. 525.

3 *Adversus Arianos et Macedonianos* parvus libellus, et alius *adversus eos, qui dicunt esse in creaturis aliquid incorporeum.* Haec creditur esse Epistola ad nescio quem *Reverendissimum Sacerdotem*, quam a parte anteriore integriorem primus vulgavit Henricus Canisius, decimam sextam earum quas edidit tom. V. lectionum antiquarum (tom. 1. editionis novae Basnagianae pag. 362.) recusam inde in Bibliothecis Patrum, ut Lugdunensi tom. VIII. pag. 548. Hujus Epistolae prior pars contra Arianos disputat (contra Macedonianos in illa ne γρῦ) Posteriore parte Angelos et animas corporibus adscribit. Hanc tribus libris de anima confutavit CLAUDIANUS Mamertus, a) quibus subjuncta etiam est a Casp. Barthio pag. 214. et in Orthodoxographis atque Bibliothecis Patrum, ante Canisium saepius edita. Confer Sirmondum ad Sidonii IV. 3. tom. 1, pag. 931. et Tillemontium tom. XVI, pag. 419. 778.

4 *Epistola ad Gratum*, Diaconum Nestorianum, quem *Graecum* alii *Gregorium* appellant. Edita a Petro Pithoeo una cum aliis quibusdam Fausti scriptis in collectione veterum aliquot Galliae Theologorum, Parisiis 1586. 4. Biblioth. Patrum tom. VIII. pag. 553, De Graeco illo, sive Grato vide Tillemontium tom. XVI, pag. 412. seq. infra, GRÆCUS.

5 *De poenitentia et timore DEI* ad *Felicem*, Praefectum et Patriciae dignitatis virum, Epistola in eadem Petri Pithoei sylloge aliquot veterum Galliae Theologorum, Parisiis 1586 4. et tom. VIII. Bibliothecae Patrum Lugdunensis pag. 552.

Praeter haec a Gennadio memorata exstant.

6 *Responsio ad objecta quaedam de ratione Fidei Catholicae*, in eadem Petri Pithoei sylloge.

7 *De variis quaestionibus* ad *Benedictum Paulinum*, diversum a Paulino Nolano, jam defuncto An. 431. Vide Oudinum tom. 1, pag. 1302. et Tillemontium tom. XVI p. 416. Etiam hoc scriptum publici juris factum est a Petro Pithoeo in laudata sylloge, et recusum tom. VIII. Bibliothecae Patrum Lugdunensis pag. 550.

8 *Sermones* varii inter eos, qui sub EUGENII et EUSEBII Emeseni nomine feruntur, praesertim ille *de S. Maximi decessoris sui laudibus*: vide Vossium de hist.

a) Baelii Dictionaire in *Tapper*. nota F.

b) Ita Codex Veronensis. In editis: *et invitare, et praecedere et adjuvare.* Sane vero mirum erat *praecedentem Gratiam* commendatam vel a Gennadio vel a Fausto, quam ut minus necessariam praeteritam a Semi Pelagianis est notissimum.

a) Supra tom 1 pag 1047.

Lat. pag. 233. seq. et Hist. Pelag. tom. VI. Opp. pag. 565. et *de vidua, quae duo aera misit in gazophylacium*, vide Labbeum tom. I. de S. E. pag, 316. Sermo ad *Monachos*, qui incipit: *Instruit nos atque hortatur*. tom. VIII. Bibliothecae Patrum Lugdunensis pag. 545. adde Oudinum tom. I, pag. 1310. seq. *Admonitio*, cujus initium: *Modo*, *fratres charissimi*, edita a Canisio tom. V. antiquarum Lectionum (editionis novae tom. I, pag. 350.) et in Bibliotheca Patrum tom. VIII, pag. 547.

9. *Epistola* ad *Lucidum* Presbyterum Praedestinatianum, cum LUCIDI retractatione, apud Baronium ad Annum 490. num. 18. seq. Canisium tom. V. (editionis novae tom. I, pag. 352 354.) Sirmondum in Conciliis Galliae tom. I, pag. 150. et in Conciliorum tomis, nec non tom. VIII. Bibliothecae Patrum pag. 524. Confer, si placet, Tillemontium tom. XVI. memoriarum pag. 422.

10. Ad *Ruricium*, Episcopum Lemovicensem, *Epistolae V.* in Bibliotheca Patrum pag. 554. seq. ex eodem Canisio.

11. *Professio Fidei* ad *Leontium* Papam sive Episcopum Arelatensem, contra negantes cum Manichaeis liberum arbitrium, et Fatum asserentes cum Gentilibus id. pag. 523.

12. *Sermones sex* ad Monachos Lerinenses, in Edmundi Martene nova collectione monumentorum veterum tom. IX. pag. 142-158. Paris. 1733. in fol. Ex sermone alio *de revelatione corporis S. Stephani*, quem habuit ineditum Sirmondus, exordium affert notis ad sermonem XXV. Augustini tom. I. Operum Sirmondi pag. 339. De illa revelatione supra pag. 534. seq. et tom. I, pag. 143.

FAUSTUM *Manichaeum* a Rejensi distinctus et hujus scripta ab Odone Abbate mitti sibi expetens Lupus Ferrariensis Epist. 112. *Faustum*, inquit, *dirigi postulavi, non quem refellit Augustinus, sed quem notat in decretis* a) *Gelasius*. Faustus Manichaeus ille patria Milevitanus fuit e Numidia, inter sectae suae homines Episcopus magnae auctoritatis, qui tamen cum An. 382 Carthagine consuleretur ab Augustino, nato tum XXIX. annos, dubiis ejus satisfacere neutiquam potuit, unde studium quo per annos ferme ipsos novem jam Manichaeis adhaeserat, non parum refrixit. Vide Augustini Confessiones lib. V. cap. 6. et e recentioribus Tillemontium tom. XIII, pag. 42 seq. Hujus Fausti *Volumen*, quod post ADIMANTI scriptum *Semi-Christianis*, quos vocat opposuit, ita libellis XXXIII. solide confutavit idem Augustinus, ut verba Fausti semper ipse praemittat, illisque suam subjungat responsionem, utque adeo integrum certe quoad summam rerum, Fausti scriptum videatur conservasse. Libro secundo quaestionum in Heptateuchum, quaestione in Exodum secunda *opus* suum *de vita Patriarcharum adversus Faustum* Augustinus memorat, sed recte a Tillemontio tom. XIII, pag. 292 est notatum, intelligi librum XXII illorum, quos contra Faustum habemus, saepius editos inter Augustini opera, atque obvios in tomo octavo editionis novissimae Benedictinorum, Parisiis semel iterumque et Amstelodami ac Venetiis praelis subjectae.

FELICIARIUS Episcopus *Arelatensis*, cujus opusculum *admonitionum atque interpretationum* Locorum aliquot Sacrae Scripturae difficilium, prodiisse Coloniae 1531. 8. notat Daumius, cum HONORII Augustodunensis Speculo Ecclesiae, sive sermonibus de tempore et Sanctis. Vide tomum XIII. Bibliothecae Graecae p. 805. Apud Sammarthanos tamen nullum Feliciarium Arelatensem Episcopum invenio, sed Felicem circa Annum 680 tom. I. Annalium Francorum pag. 612 typorum vitio Feliciarium pro CÆSARIO expressum a Coloniensibus fuisse.

FELINUS *Sandeus*, sive *Sandaeus*, apud Vossium typorum vitio *Sanderus*, Ferrariensis, in patria et Pisis Jus Civile docuit, et ab Innocentio octavo praefectus Rotae Romanae circa Annum 1486. atque inde Hadriensis ac denique An. 1499. Lucensis Episcopus obiit An. 1503. Vide Ughellum

a) Decretum idem memorat Epist. 128. *Opuscula Fausti Rejensis Galli apocrypha.*

tom. 1. Italiae sacrae pag. 827. seq. Ejus *Epitome de Regibus Siciliae et Apuliae, nominatim de Alphonso Arragonum Rege* ad Alexandrum VI. edita a Frehero cum Barthol. Facii dialogo, (de quo supra p. 547.) Hanov. 1611. 4. et cum Freheri praefatione ac notis recusa nuper in thesauro antiquitatum Siciliae Burmanniano parte V. Nihil aliud est, ut notat Vossius, quam centones ex Pandulpho Hostiario, Ottone Frisingensi, Antonino, Pio secundo, Blondo, Poggio, Platina, Matthaeo Palmerio, Bernhardo Justiniano, Leonhardo Aretino et Philippo Bergomate: quorum et nomina singulis excerptis subjungit. Ejusdem Felini *de indulgentia plenaria* sermo in illud: *hodie mecum eris in paradiso*, Luc. XXIII. 43. in Oceano Juris, sive tractatu tractatuum tom. XIV, pag. 157. Commentarius *in V. libros Decretalium*, Venetiis 1498. Lugduni 1519. 1549. 1587. Venetiis 1570. fol. cum additionibus A. Mocenigi, Philippi Simonet et Johannis a Gradibus. Varii ejusdem tractatus ut: *Quomodo puniatur conatus*: *Quando litterae Apostolicae noceant Patronis Ecclesiarum*, aliique memorati in appendice Trithemii et apud Gesnerum, qui exstant in ejus *Consiliis*, Lugduni 1553 1587. fol. Venetiis 1570 1582. fol. Basileae etc.

* *Felinus Maria Sandeus* (ita enim appellatus in Codice quodam MS. Bibliothecae eiusdem) Ferrariensis patria, origine Lucensis fuit, apud quos Sandea Familia diu florens, modo jacet extincta. Natum an. 1444 inde colligo, quod in nota ipsius MS. ad oram codicis cuiusdem Bibliothecae suae anno 1466 aetatis egisse se secundum supra vigesimum admoneat. In patria urbe Canonici dignitatem obtinuit; Lucae vero an. 1464 Rector hospitalis S. Catharinae renunciatus est, quod ipse in Cod. Bibliothecae suae 143 testatur posteris manu sua reliquit. Juvenis adhuc anno scilicet 1466 aetatis 22 vel forte 21. Juris Canonici Cathedram in Urbe patria obtinuit, tenuitque septennio integro, donec anno 1474 Pisas accitus venit, ut jura legeret, quod ex eius annotatione in Cod. 307. Bibliothecae eius discimus. Anno demum 1484 invitatus est Romam a Sixto IV. Pontifice, a quo sponte ne rogato quidem Auditoris sacri Palatii munere ac dignitate ornatus est, quod ipse Felinus totidem fere verbis scripsit in epistola ad Oliverium Cardinalem Neapolitanum, quam opusculo suo *De Rescriptis* praefixit. Id vero adnotaverim, ne fides habeatur Pancirolo lib. 3. cap. 42. qui commenta plura unica periodo complexus est, scribens Romam contendisse illum an. 1488 ut secessione illa sua discrimen pugnae litterariae, quae sibi committenda erat cum Decio celebri Juriconsulto declinaret. Non enim Romam venit nisi invitatus a Pontifice, nec ab alio Pontifice, nisi Sixto IV, a quo insperato Romani Palatii auditor est declaratus. Anno 1495 teste Ughellio Pennensem, et Hadriensem Episcopatum obtinuit; eodemque pariter anno coadiutor Sandonnino Lucensi Episcopo accessit cum spe futurae successionis. Eumdem demum Episcopatum, quem post obitum Sandonnini quinque tantum mensibus retinere potuit deserere coactus a Juliano Card. Roboreo, qui eamdem Ecclesiam Lucensem ab Alexandro VI, obtinuit administrandam; tandem pleno jure acquisivit an. 1501 et ad obitum usque retinuit. Obiit an. 1503, mense octobri, moriensque refertissimam pro privato homine Bibliothecam suam Capitulo Majoris Ecclesiae Lucensis legavit, quas supremas voluntates suas executione demandandas credidit singulari patrono suo Francisco Piccolomineo S. R. E. Cardinali Pii II. Pontificis nepoti, eidem nempe, qui anno ipso Felino emortuali in Pontificiam cathedram assumptus sub Pii III appellatione, eodem, quo dignitatem obtinuit anno, et fere dixerim mense interiit. Extant in MS. Cod. archivi Canonicorum Lucensium huius jam Pontificis literae ad Canonicos post obitum Felini datae, quibus et Bibliothecam Felinianam committit, et quae necessaria judicabat eius conservationi iniungit.

Vir fuit Sandeus Juris scientia clarus summis Pontificibus Innocentio praesertim VIII, et Alexandro VI, charus et in praetio, quibus in administratione rerum maximi momenti adstitit, operamque praesti-

tit egregiam. Qui viri memoriam celebrarunt aevo illo fuerunt plures, quibus tamen palmam praeripuit Michael Fernus (non Ferrus ut male apud Ughellium) superbo elogio apud eumdem Ughellium legendo virum commendans; sed et de illo adhuc in vivis agente mira praedicavit idem Fernus in sua ad eumdem Felinum epistola ad calcem epitomes de Regibus Siciliae ab eodem Felino scripta, eodemque curante Ferno excusa, de qua infra.

Plura scripsit, quae typis vulgata sunt, plura etiam nondum edita in pluteis Bibliothecae eius servantur. Adhuc in vivis agens plura opuscula sua evulgavit, quae dein post annos plures transiisse in consiliorum volumen recte Fabricius monet. Priores tamen illorum editiones indicabo. *Super Proemio Decretalium* opus anno 1487, absolutum editumque Ferrariae recusum dein ibid. An. 1492. Extat editio ipsa in Biblioth. Felini multis ad oram pagellae adnotationibus eius manu scriptis ornata. In eodem compactum volumine est compendiosum opus super titulo *de Rescriptis et nonnullis aliis* vulgatum vetustis typis sine anno et loco. Direxit illud Felinus Oliverio Caraffa S. R. E. Card. Neapolitano et Sabinensi Episcopo, a quo epistolam retulit gratulationibus, et gratiarum actionibus refertissimam, quibus ipse vicissim novis libris paria rependit. Utramque epistolam et Cardinalis ad se, et suam ad illum Felinus sua manu in Codice Bibliothecae suae descripsit; quae ambae cum breviores sint hic dantur.

Carissime et excellentissime vir amice noster praecipue.

Exprimere non possumus quanto nos gaudio et voluptate affecerit Commentarii vestri munus, quo certe nihil gratius hoc tempore nobis contingere potuit; quippe qui nihil a doctissimo ingenio vestro nisi egregium et rarum provenire posse existimemus. Videmur profecto a vobis phoenicem ex Arabia accepisse, et donum omnibus margaritis exornatum allaturum nobis, cum legerimus, ingentem voluptatem. Ob quod gratias vobis agimus immortales, et quantas possumus; daturi in posterum operam, ne tanti muneris immemores videamur. Compaginavimus jam illud cum alio opere, ut faciendum suasistis, et conveniens fuit et utrumque nunc inter res nobis charissimas, et pretiosas tenemus. Non desistimus merito tanto iterum gratias agere. Bene valete.

Romae 24 Aprilis 1485.

Alia manu.

Dominum Franciscum Aretinum nostrum nostro nomine salutate.

Totus Vester O. Episcopus Sabinensis Cardinalis Neapolitanus M. P.

A tergo literarum

Clariss. ac Excellentiss. Domino V. J. Consulto insigni Amico nostro charissimo.

Replicatio mea

Reverendissime etc. Nunc vigilasse juvat, dulce est meminisse laborum. Quoniam ex humanissimis literis R. D. V. plane percepi, quam gratum eidem fuerit munusculum a me transmissum. Caeterum dum eas mihi partes tribuit R. D. V. quae in quocumque Iurisconsulto non mediocres essent, hoc efficit eiusdem humanitas daturam se operam, ne muneris immemor videatur; ego vero ex nunc datam video operam, et quidem maximam, posteaquam eiusdem servitorum dilectorum numero adscriptum me esse perspicio. Id enim ad existimabile mihi peculium existimo. Bene valeat R. D. V.

De litis contestatione opusculum sine loci adscriptione an. 1484. *Sermo de indulgentia. Quando literae Apostolicae noceant patronis Ecclesiarum. Additio ad opus principiatum Abbatis in Decretum.* Haec simul opuscula sine loco et annis vetustis typis prodierunt.

Felini *repetitio cap. 1. et 2. de sponsalibus* Bononiae 1498. *Commentarii de exceptionibus, praescriptionibus et sententiis* quibus accedit *tractatus quando conatus puniatur*, Pisciae 1489. Huic postremo tractatui in Cod. Biblioth. Felinianae adiunguntur eius manu adnotationes ad oram pagellae

plures. *De Commentariis eius in 5. libros Decretalium* dictis hic a Fabricio addendum nihil succurrit. *Epitome de Regno Siciliae* diu ante prodiit, quam a Frehero vulgaretur, jam enim inde ab anno 1495 lucem viderat absque adscriptione loci, curante editionem hanc Michaele Ferno Mediolanensi. In fine editionis huius legitur editoris ad Felinum epistola excusantis factum suum, quod ipso inscio opus vulgaverit. Claudit omnia epigramma Ferni ad authorem, quod hic proferendum judico, cum editio illa rarissima sit et paucis nota.

Ad D. meum Felinum Michael idem.

Quaeque Solon et quae Caesar sanxere periti,
Et quae Pontifices jura, Feline, tenes
Quae cecinit Clio totum, vel gesta per orbem
Et quae confinxit quisque poeta, tenes
Dic age, num una est an plures? in corpore quae te
In cunctis foveat condita dic anima?
Unus homo est quae tanta fuit concordia Divis
Multorum spires unum ut ingenium?
Cur ego non video, superest quae sola laborum
Gloria cardineo connumerare choro.
Ex quae non deerit virtuti pulchra corona
Irradiet capiti denique fixa tuo?
Certe erit ut video; nam sunt in culmine coeli
Fata, ego quae vates certa futura cano.

In codice Bibliothecae Felini extat idem opus fere totum manu ipsa authoris scriptum; collatumque illud a me cum edito Ferni satis fideliter expressum deprehendi, si tantummodo excipias raras quasdam, et parvi momenti additiones ad oram pagellae adscriptas, quae negligi tuto possunt.

Felini opera inedita haec perquirens reperi in eius Bibliotheca. In Codice 223 MS. sunt *diversae juris Civilis et Canonici conclusiones, et lecturae per Felinum publice disputatae, et expositae cum oratione ab ipso habita ad auditores.* In Cod. 224. sunt *Additiones Felini ad tractatum Bartholomaei Bellincini de Heremitis, coeco, et Bannitis.* In Cod. 244. *est Consilium eiusdem quod professi religiosi non possunt petere legitimam ante mortem naturalem.* In Cod. 232. sunt *Adnotationes Felini ad Jus civile et Canonicum quas tempore proximo pueritiae suae* scripsisse se ibidem manu sua adnotavit. In Cod. 304. extant *Lectiones Juris Canonici habitae vel dictatae in Gymnasio Patavino* (sic lego) *a Felino Sandeo, dum ibi legeret vel studeret.*

Ex aliis eiusdem Bibliothecae codicibus haec ad Felini scriptiones spectant. *Relatio facta Alexandro VI dum diceretur Gallos venire in Apuliam.* Ad illam scilicet pro suo ut obtendebat jure vindicandam. Suadet Pontifici Felinus, ut se dominum Feudi agnoscat, nec alium patiatur arbitrum in ea lite judicanda.

Epistola Innocentii VIII. non publicata dictata per *Felinum Sandeum propter petitionem Concilii factam a Ferdinando, et alia.* Ferdinandus Aragonius Siciliae Rex censum feudi Pontifici pendere retractaverat. Offensus Pontifex recepturum sibi Siciliam minitatus est. Ferdinandus ad futurum Concilium, quod statim postulabat cogi, provocavit. Hoc epistolae argumentum.

Fundamenta Regis Ferdinandi excusantis se cum Rege Franciae, quare non teneatur solvere censum Ecclesiae; et refutatio eiusdem scripti, eodem Felino authore.

Replicatio ad responsiones Regis Ferdinandi recusantis solvere censum octo millium unciarum auri Papae dictata per Felinum, et missa ad Regem Franciae, et Regem Ferdinandum.

Informatio facta Innocentio VIII mortuo Matthia Rege Hungariae, et Maximiliano adspiranti ad illud Regnum. Porro Maximilianus ex pactis conventis an. 1463. Imperatorem inter et Matthiam Regem deberi sibi Regnum illud contendebat, cum Matthias sine liberis decessisset. Monet Felinus Pontificem ne, causa incomperta, aliquid decernat.

Epistola Innocentii Papae VIII ad Herculem Ferrariensem Ducem, quem monet ne angarizet rusticos. Hanc Epistolam quamquam Felini nomen non praefert, eo dictante exceptam fuisse credo, cum sit in Codice, in quo Feliniana scripta continentur. Deberi etiam eidem authori arbitror epistolam aliam Alexandri VI ad Regem Hungariae recusantem accipere relictam Regis Matthiae ab eo desponsatam.

Consilium pro Cardinali Senensi (Francisco Piccolomineo) *ne populus Senensis imponat collectas clero*, id quod se jure posse contendebat authoritate Pontificii Brevis jam

olim sibi concessi; id vero nequaquam juris esse Pontificii contendit Felinus, ut sine causa permittat, quae jure divino vetantur. Nullam autem subesse in ea re causam evincere conatur.

Contra falsas doctrinas quibus Illustrissimus Rex Ferdinandus miserabiliter a suis adulatoribus decipitur conclusiones demonstrantes Regem illum e jure Regni excidisse, nec potuisse ad concilium provocare. Quid esset consilii Pontificii in ea causa suggestum dein in scriptis subiicit Felinus, narratque pariter, quid tunc Cardinalis S. Marci suaserit.

Post haec omnia in Cod. subiicitur scriptum manu ipsa Felini, *num liceat Pontifici remittere oppignoratam juratamque sponsalibus a Christianissimo Rege Franciae fidem cum filia serenissimi Regis Romanorum.* Tum in eodem scripto disquirit, *num concedenda sit dispensatio coniugii rati, et non perfecti inter Regem Romanorum et Ducissam Britanniae.* Evincitque argumentis Juris id esse Pontificii, et merito in re praesenti praestari.

Post haec scripta alia quaedam nactus sum opportune catalogo operum Felinianorum adiicienda. Sunt vero: *Epistola Felini Sandei JC. ad Joannem Medices Apostolicum protonotharium Laurentii Medices patritii Florentini Filius.* Excusa legitur in opere Antonii Panormitae *de dictis et factis Alphonsi Regis* editionis Pisanae an. 1485. in 4.

Multa etiam nec proletaria adnotavit manu sua codici edito Decadum Blondi, qui hodie pariter in eius Bibliotheca servatur. Adnotationum istarum specimen hoc exhibeo: *Suadent Florentini Sfortiae ut a Paulo Guinisio ob avaritiam desistat. Suadent itidem Guinisio, ut urbem Lucam cum eis permutet, accepturus castella in Romandiola et auri summam priusquam Luca in potestatem Sfortiae veniat. Philippus* (Vicecomes) *avertit animum a Guinisio statuens spoliare eum imperio Lucensi, et divitiis quibus abundabat. Literis quoque Florentinorum magna astutia fictis odia seminantur inter Guinisium et Sfortiam adeo ut tandem Nicolaus Petrucius Senensis, qui multa pro Guinisio fecerat, tandem ipsum cum altero filiorum comprehenderit. Paulo post alter filius, qui cum Sfortia militabat, Lucam captus perducitur. Supellex Guinisii, et omnia eius bona partim populo Lucensi, partim Sfortianis applicantur. Sfortia recedit acceptis 48 millibus auri a Florentinis etc.*

Felini etiam sunt adnotationes quaedam ad librum Petri de Monte falso inscriptum *De Monarchia* editae cum eodem opere, loco et tempore, de quo Fabricius. V. PETRUS *de Monte.*

Denique adnotationes etiam crebrae eius manu descriptae passim occurrunt in codicibus eius in Bibliotheca Feliniana adhuc servatis, ut in operibus Antonii de Butrio, Panormitani Archidiaconi, aliorumque. *

Gesta purgationis FELICIS, Episcopi *Aptungitani* habita Carthagine Anno CHristi 314 atque edita a Papyrio Massono cum gestis collationis Carthag. recusa post Optatum, et in appendice ad tomum nonum Augustini pag. 12. editionis Amstelod. et cum notis a Baluzio tom. 2. Miscellan. pag. 81 et a Dupinio ad calcem Optati inter monumenta vetera ad historiam Donatistarum pertinentia pag. 163–165.

FELIX Diaconus *Carthaginiensis*, cujus famosam Epistolam de Maxentio Imperatore circa Annum 809 scriptam memorat Optatus lib. 1. cap. 17.

FELIX *Croylandensis*, sive Gerwensis, Monachus Ordinis Benedictini, scripsit ad Ethelbaldum, Orientalium Anglorum ab An. 720 ad 749. Regem, *vitam S. Guthlaci* anachoretae in Croylandia, defuncti An. 714. Exstat apud Surium XI. April. et in Mabillonii Sec. 3. Benedict. pag. 263. et cum notis Henschenii in Actis Sanctorum XI. Aprilis tom. 2, pag. 38-0. Narrationem de translatione S. Guthlaci An. 1136 facta, quam idem dat Henschenius pag. 54 longe junioris scriptoris esse patet, quanquam Felici eidem adscribitur a Baleo Centur. 1. cap. 100. qui eidem quoque tribuit *Gesta Abbatum Croylandiae.* Baleum sequitur Pitseus pag. 126. De eodem Felice Lelandus cap. 57. et 106.

FELIX *Faber* supra pag. 543.

FELIX MALLEOLUS (Germanico nomine *Hàmmerlein*) Patria Tigurinus, Decretorum Doctor Bononiensis, Praepositus Soloduriensis et ab An. 1428. Cantor Thuricensis, sive Tigurinae Ecclesiae, obiit An. 1456. Ejus *Passionale* MStum Tiguri, et Gesnero inspectum est *Dialogus auctoris et patientiae* consolantis ipsum, quo toto fere hoc agit teste Hottingero pag. 22. Scholae Tigurinae, ut doceat *Canonicos sui temporis ineptos plerosque fuisse et officii immemores, ingloria ventris mancipia.* Alterum *Passionale virginum nubilium nondum nuptarum, cum Mundo degentium.* Ejusdem *Repertorium copiosum utriusque Juris. De nobilitate et rusticitate Dialogus*, ad Ducem Africae. *De assasinis in mortes Principum tendentibus. De misericordia captivis et defunctis impendenda. De aëris distemperatione propter quorundam hominum cadavera non rite sepulta. De balneis naturalibus* in sylloge Veneta de balneis pag. 290. *Processus judiciarius coram omnipotente DEO inter nobiles et cives Thuricenses ex una, et Svitenses cum complicibus ex altera parte.* Ejusdem variae delectationis Opuscula excusa Basileae 1497, fol. et Argentorati 1532, 4. quibus abusus suorum temporum fortiter et cordate reprehendit: *Contra validos mendicantes* a) *Contra Anachoretas, Beghardos Beghinasque sylvestres. Lollhardorum descriptio. Glossa bullarum per Beghardos impetratarum. De negocio Monachorum. De plebanis et religiosis mendicantibus. De religiosis proprietariis praecepta Domini praedicantibus. Tenor Epistolae de coelis missae per Patronos Ecclesiae Thuricensis, contra negligentes Divinum cultum. De novorum officiorum Divinorum institutione. De oblatis et solutis pecuniis pro Praebenda, seu beneficio in Ecclesiis vel Monasteriis percipiendo. Dialogus de anno Jubilei. De benedictionibus aurae cum Sacramento faciendis. Tractatus de exorcismis.* Alius *exorcismorum et adjurationum. De credulitate daemonibus adhibenda*, (quae tria inserta etiam tomo secundo mallei maleficarum.) *De arbore torculari ducendo in die festo. De matrimonio seu sponsalibus. De furto reliquiarum et aliis rebus nuper in monasterio B. Virginis loci Eremitarum per tres personas miraculose commisso et deducto et finaliter reperto et recuperato. Epistola contra quendam superbum Clericum. Forma appellationis contra quendam Cardinalem, qui in Germania vellet intrare Ecclesiam Cathedralem. De libertate Ecclesiastica. De boni et mali occasione. De emtione et venditione unius pro viginti. De contractibus, qui obstagia dicuntur, et vulgariter Gisel* a) *Doctoratus in stultitia. Tenor litterarum Doctoratus in stultitia.. Contra iniquos Judices. Dialogus de consolatione inique suppressorum.* Vitam hujus Malleoli Germanice non longe post excessum ejus scriptam memorat Hottingerus scholae Tigurinae p. 24. in qua non studia minus ipsius quam mores, liberalitas praesertim in pauperes commendantur. *Theologica, Juridica, Historica, Physica ita* Felix *tractavit, ut quamvis multa et accuratius et melius dicere potuisset, grassantis tamen barbariei flagellum fuerit.*

* In recensendis viri huius docti opusculis Paulo maiorem diligentiam in Fabricio desideres, cuius proinde defectus hic supplendus est.

Igitur unum eius in folio volumen vetustis typis sed absque adscriptione loci, et anni impressum omnia haec viri docti opuscula continet. *De nobilitate et rusticitate dialogus; item de Svitensium ortu nomine, confoederatione moribus, et quibusdam aliis (utinam bene) gestis. Item processus judiciarius coram Deo habitus inter nobiles Juricenses ex una, et Svitenses partibus ex altera; cum sententia definitiva et eius executione. Item epistola Caroli Magni ad Fridericum III Imp. qua de Coelo eum hortatur ut de Svitensibus vindictam sumat.* Haec in uno volumine.

a) Hoc Malleoli scriptum Germanice versum edidit Goldastus in Reichs Hendeln Parte XIX. p. 768. ein Rechts gegrindeter Dialogus Wiber die Bettel Menche im Heill. Romischen Reiche.

a) *Geissel*, obsides, vide Cangium in voce *Gisilet*.

In altero vero itidem in fol. continentur *variae oblectationis* (non delectationis, ut hic habet Fabricius *opuscula* Basileae an. 1494. non 1497, ut a Fabricio creditum.) Errat pariter Fabricius, dum in tractatu *variae oblectationis* recenset dissertationes 28 cum revera sint 30. omisit enim *recapitulationes* nimirum libr. *contra validos mendicantes* et alteram Dialogi *de anno Jubilaei.*

Huius *Felicis Haemmerlim* Canonici et cantoris Thurricensis, tractatum de nobilitate sive integrum sive ampla ex eo fragmenta *de Svitensium ortu, nomine, confoederatione moribus et quibusdam utinam bene gestis* ex veteri editione in lucem revocare et cum aliis. Helveticarum rerum scriptoribus vulgare promisit V. C. Jo. Conr. Fueselinus. *

FELIX Afer, *Gillitani*, sive *Guillensis* in Africa Monasterii Abbas, sive hegumenus, Quintae Synodo scriptis suis adversatus atque inde cum Rustico Diacono, quem ipse ad idem faciendum impulerat exilio damnatus a Justiniano Imperatore. Vide Sirmondum ad Facundi librum contra Mucianum Scholasticum tom. 2. Opp. Sirmondi pag. 268.

FELIX *Manichaeus*, cum quo perinde, ut cum FAUSTO et FORTUNATO disceptavit, sed auspicatiore eventu S. Augustinus: Felicem enim ad Ecclesiam reduxit Honorio septimum Consule, h. e. An. Christi 407. Vide libros duos Augustini de Actis cum Felice, tom. VI. Operum edit. Benedictinorum, et Possidium in Augustini vita cap. 16.

FELIX *Manilius* circa Annum 1511, scripsit libris duobus *vitam B. Gebhardi* secundi Constantiensis Episcopi et Confessoris defuncti An. 995. Prodiit in Canisii antiquis Lectionibus tom. VI. pag. 477 et editionis novae Basnagianae t. IV. p. 822.

Minucius FELIX, incertum an Afer patria, certe Romae, ut ex Hieronymo a) discimus, insignis causidicus, praeter librum *de fato* a) adversus Mathematicos, qui pridem intercidit, scripsit *Octavium*, sive Dialogum Caecilii Natalis, Cyrtensis Ethnici cum Januario Octavio Christiano, Ostiae de religione disputantis. Leguntur quaedam eadem in S. Cypriani libro adversus Idolorum vanitatem, quae non Minucium a Cypriano (ut Francisco Balduino visum) sed Cyprianum mutuatum esse a Minucio, rectius ni fallor, judicabat Rigaltius. *Si Tertullianicis*, inquit Rigaltius, *comparentur Minuciana, statim apparebit Minucium ab Tertulliano et argumenta et disserendi ordinem, atque ipsa plerumque verba sumsisse: Cyprianum vero in illo praesertim opere, quo vanitatem Idolorum redarguit, Minucianis verbis et sententiis usum esse tamquam suis, ut gloriari tamen debeat Minucius ea sibi in mentem venisse, quae Cyprianus usurpando sanxerit. Hoc amplius, ne quidem semel a Cypriano Minucium esse nominatum, neque a Minucio Septimium: rationibus utriunque, ut par est credere, haud improbandis.* Johannes Dallaeus Apologia contra Cottibium pag. 187 contendit Minutium ante Irenaeum, Clementem Alex. et Tertullianum scripsisse sub Antoninis, quia de *Frontone* Cyrtensi Oratore cap. 9 et 31 tanquam viro suae aetatis loquitur, et amico Caecilii, quem Minutii Octavius ad Christum adducit. Sane quidem in Antonini Mongitoris Bibliothecae Sicula tom 2. pag. 222 per errorem traditur Minutius Felix citare Lactantium, Svetonium, Plutarchum. Laudant Minucium etiam Lactantius lib. 1. cap. 11 et

a) Hieron. de S. E. cap. 58. Memorat et ipse Minucius cap. 2. judiciarias curas suas, vindemialibus feriis relaxatas. De Minutiorum sive Miniciorum familia videndus Paulus Galeardus Observationibus ad vetus marmor Brixiense: *Giornale dei letterati d' Italia* tom. XXX pag. 21. seqq. *Nouvelles Litteraires tom. X* pag. 281. seqq. In Ephemeridibus Eruditorum Parisiis 1692. pag. 161. ubi de tom. secundo Hist. Eccles. Claudii Fleury: *On trouve aussi l' extrait de Minutius Felix, qui a cela de particulier, qu' il rapporte mieux que nul autre les objections des Payens.*

a) Hieron. de S. E. c. 58. et in Epist. ad Magnum Oratorem. Miror Tillemontium, qui de Minucio ejusque Dialogo erudite disserens tom. 3 memoriarum Hist. Eccles. pag. 167. edit Paris. addit librum de fato tributum Minucio legi typis exscriptum in quadam Arnobii editione. *On luy a en effet attribuè un livre intitulè* du destin, *ou* contre les Mathematiciens, *qui se trouve imprimè dans une edition d' Arnobe.*

lib. 5. cap. 1 institutionum, et post Hieronymum pluribus locis Eucherius, qui inter clarissimos facundia refert, Epistola de contemtu Mundi et saecularis Philosophiae ad Valerianum cognatum suum. Minucii dialogus in primis editionibus male pro octavo venditatur Arnobii libro : Minucio auctori eum restituerunt Franciscus Balduinus et apud Hadr. Junium libro 3 animadversorum cap. 1. Antonius Morillonus. Analysin argumentorum Minucii praeter Abrahamum Scultetum in Patrum medulla tom. 1. pag. 388, seq. et Nicolaum le Nourry a) tom. 2 apparatus ad Bibl. Patrum exhibet B. D. Christianus Kortholtus, in diatriba qua in theses et Aphorismos resolutum Minucium exhibet, Kilon. 1685 4.

Minucii Felicis et Nicolai Contareni philosophemata de fato, notulis quibusdam illustrata, in Justi Sinceri parergis b) Germanice editis Wismariae 1724, 8. part. prima.

Editiones MINUCII.

Princeps editio est Romana cum Arnobio 1542, fol. a *Fausto Sabaeo* Brixiano ad Vaticani Codicis fidem facta, quem Leo X. Francisco I. Regi Galliae dono dederat. Inde secutae Basileenses ex *Sigismundi Gelenii* recensione 1546 et 1560.

Heidelbergensis 1560, 8. et Francof. 1610, 8. *Francisci Balduini.* c) Hinc ex *Fulvii Ursini* castigatione (Petri Ciacconii schedis adjuti) prodiit Romae 1583, 4. Et cum *Johannis Woweri* eruditis notis Basileae 1603, 8. addito S. Cypriani libro de vanitate idolorum.

Geverh. Elmenhorstii, Hanov. 1603, 8. et Hamb. 1612, fol. De simultate super Minucio edito Elmenhorstii ac Wowerii, confer Josephi Scaligeri Epist. 257, 260, seqq. Laudat Elmonhorstium Barthius pag. 2916. Adversar.

Desiderii Heraldi, Parisiis 1605, 8. 1613, 4. cum Tertulliani Apologetico et 1615, 4. cum Arnobio.

Omitto editiones in Bibliothecis Patrum, nec non Oxoniensem, quam memorat Petrus Antonius Buchardus, Slesvicensis, in dissertatione de Minucio, quam thesibus ex ejus libello excerptis et Chrestomathiae Minucianae praemisit et praeside B. D. Christiano Kortholto habuit Kiloniae 1685 4.

Nicolai Rigaltii, a) Parisiis 1643, 4. et 1645. cum Firmico et 1666, fol. per *Philippum Priorium*, cum Cypriano, Arnobio, Firmico et Commodiano, et cum Cypriano de Idolorum vanitate, et Wowerii Firmico Lugduni Batavorum 1645, 12.

Cum notis Variorum, curante *Jacobo Oiselio*, Lugduni Batavorum 1652, 4. 1672, 8. Oxoniae 1678 cum notis Nicolai Rigaltii. Giornale de' letterati di Roma 1679, pag. 137. Cum notis *Christophori, Cellarii*, Halae Saxonum 1669, 8. Cum notis Rigaltii et selectis Variorum novisque V. C. *Johannis Davies*, Cantabrig. 1707, 8. *Bibliotheqne choisie de Mr. le Clerc*, tom. 18. pag. 334. *Memoirs of litterature* tom. 1. pag. 353.

Cum integris Wowerii, Elmenhorstii, Heraldi et Rigaltii notis, aliorumque hinc inde collectis, edente *Jacobo Gronovio* qui emendationes et explicationes suas, tum libellum S. Cypriani, qui Minucii vestigiis insistit, de idolorum vanitate et Firmicum de errore profanarum relig. adjecit, Lugduni Batavorum 1709, 8. *Acta Eruditorum tom. 4 supplem.* pag. 423. *Bibl. choisie* tom. 18. pag. 341.

Denique ex secunda *Johannis Davisii* recensione cum Variorum notis excusus est Cantabrigiae 1711, 8. addito Commodiano. *Memoirs of literature* tom. 1. pag. 353. *Memoires de Trevoux* 1711. pag. 888. *Bibliotheque choisie* tom. 24. pag. 120. *Gallice* per *N. du Mas*, Paris. 1637, 4. et *Perroto Ablancurtio* interprete Parisiis 1646, 12. 1662, 12. atque Latinis e regione positis Lips. 1689, 12.

Anglice Londini 1682, 8. *Reevesio* in-

a) Ex Nourrio Memoriae Trevoltinae An. 1716. pag. 807. seqq.

b) Neben-Stunden.

c) Nonnulla in Balduini editione reprehendit Lud. Carrio lib. 2 emendatt. cap. 18.

a) Sarravius pag. 69. Epist. *Eruditissimi Rigaltii Minucius Felix sub praelo sudat. Miraberis ex uno MSto Regio tot diversas editiones prodiisse. Vidit tamen ille, quae caeterorum diligentiam effugerunt. Scilicet solus truuio vultures.*

terprete. quem aliquot locis reprehendit et alia Minutii illustrat auctor observationum in Auctores veteres et recentes Anglice editarum Londini 1731, 8. pag. 15, seqq. 228, seqq. tom. 2. p. 140 adde An. 1732. pag. 12. seqq. 36, seqq. et 84.

Belgice A. Elzevirio, JCto interprete, cum notis. Amstel. 1696, 12. *Boecksaal van Europae* 1697. pag. 165 et per M. Gargonum. Ulyssingae 1712, 8.

Hypercriticus Minucianus *Joannis Meursii* cum Critico ejus Arnobiano prodiit Lugd. Batav. 1598, 8. et in edit. Minutii posteriore cum notis Var. Lugd. Batav. 1672, 8.

Minucium ab Erasmo editum, cave credas Dupinio, qui etiam falsus est, quando impingit Minutio, quod animas simul cum corporibus mori docuerit. Longe enim alienum se ab hoc errore fuisse demonstrat cap. 34.

Antiquiorem quam vulgo creditur Minucium, extremis Marci Antonini temporibus scripsisse persuasit sibi etiam Henr. Dodwellus III, 16, diss. Cyprian. Et Blondellus libro Gallice edito de Eucharistia pag. 119. Minutium aequalem faciens Frontonis, qui M. Antoninum docuit circa Annum Christi 160. Salvianum nonnulla Minutii esse imitatum observavit Rittershusius. Locum insignem Minutii cap. 21 de veribus sive fulcris, Dianae simulacro apponi solitis illustravit Luc. Holstenius in singulari diss. ad symbolicam Dianae Ephesiae statuam a Claudio Menetrejo, cimeliothecae Barberinae praefecto expositam, Rom. 1688, fol. Eam Jacobus Gronovius in tom. VII, thesauri Graecar. Antiquit. pag. 393 et in sua Minucii editione integram exhibuit pag. 209.

FELIX *Narbonensis* Episcopus circa Annum 650 cujus *Epistola ad Desiderium*. Cadurcensem edita a Canisio tom. V. antiquar. Lect. (tom. I. edition. novae pag. 650 et Desiderii ad Felicem pag. 641 Eaedem Epistolae deinde editae in Marquardi Freheri Corpore Francicae historiae veteris, et in Andreae du Chesne tom. I. Franc. pag. 881. et 888.

FELIX I. Episcopus Romanus ab A. 270. Calend. Jan. ab An. 274. Decembr. 24. et Martyr cui *tres Epistolas* supposuit Isidorus Mercator, unam *ad Paternum* Episcopum, alteram *ad Episcopos Galliae* per provincias constitutos, et tertiam ad *Benignum*. Eas falsitate convictas exhibet Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 353. seq.

FELIX II. ab An. 355. ad 358. Jul. 29. Episcopus Romanus, quem intrusum indignatur S. Athanasius in historia Arianor. tom. 1, pag. 389. Huic in Pseudo-Isidori sylloge tribuuntur *duae Epistolae*, una *ad Athanasium et universos Ægyptiorum, Thebaidorum, Libyorum Episcopos* in sancta Alexandrina Synodo congregatos : et altera nomine Concilii Romani *ad universos spirituales fratres,* apud Blondellum in Pseudo-Isidoro pag. 499. seq. una cum notis, quibus falsitatis convincuntur. *Exstat et tertia*, inquit apud Ludovicum Jacobum Franciscus Joverius, *hujus Pontificis ad Episcopos Ægyptios Epistola* cohortatoria ad persecutiones et tribulationes ferendas patienter. Sed pro *tertia* apud Joverium haud dubie *secunda* legi debet, nam non nisi primam ille attulerat parte 3. pag. 126. Genuinum fragmentum ex Epistola hujus Felicis *ad Maximum Episcopum et Clerum Alex.* Graece ex Actis Concilii Ephesini Actione I. pag. 512. et Cyrilli Apologetico adversus Orientales, anathemate 6. et Latine ex Mario Mercatore pag. 178. et 240. edit. Baluzianae offert et Felici vindicat Petrus Coustant in Epistolis Pontificum pag. 298.

FELIX III. Papa ab An. 483. Febr. 13. ad An. 492. 25. Febr. de quo Acta Sanctorum tom. III. Febr. 25. pag. 502. seq. et Tillemontius tom. XVI. memor. pag. 436. seq. Hujus *Epistolae sexdecim* in tomis Conciliorum leguntur, de quibus tom. XI. Bibliothecae Graecae pag. 412. Epistola *ad Zenonem*, Episcopum Stapulensem, in Agvirrii Conciliis Hispaniae tom. 2, pag. 234. Felicem hunc Constantinopolitani Episcopi *Acacii damnatorem* vocat Facundus libro contra Mucianum Scholasticum, ad quem locum Sirmondus tom. 2. Opp. pag. 831. *formulam sive edictum damnationis* edidit, datum Venantio Consule (An. C.

484.) et in veteri Codice Epistolae Felicis ad Acacium de ipsius damnatione subjunctum. Illud ita se habet· *Acacius, qui secundo a nobis admonitus statutorum salubrium non destitit esse contemtor, meque in meis credidit carcerizandum, hunc DEUS coelitus prolata sententia de Sacerdotio fecit extorrem. Ergo si quis Episcopus, clericus, monachus, laicus, post hanc denunciationem ei communicaverit, anathema sit Spiritu S. exequente.* Conferendus Henr. Valesius diss. de duabus Synodis Romanis in quibus damnatus est Acacius, priore V. Cal. Augusti et posteriore Calendis Augusti, Anni ejusdem 484 ad calcem notarum in Evagrium. De *Decretis* aliis hujus Felicis Ludovicus Jacobus consulere jubet Gratianum, Carranzam, Barbosam, et alios Decretorum collectores.

FELIX IV. Beneventanus, a Theodorico Rege electus Papa ab An. 526. Jul. 12. ad An. 530. Septembr. 25. qui ut est in ejus ejus epitaphio:

Praelatus multis humili pietate superbis
Promeruit celsum simplicitate locum.

Cujus una extat genuina *Epistola* ad *Caesarium* Arelatensem, laudata etiam Gennadio cap. 86. de S. E. de qua adeundus Sirmondus tom. 1. Concil. Galliae pag. 214. Caeteras duas ex Isidori Mercatoris officina, alteram *ad omnes Episcopos per diversas provincias constitutos*, et alteram *exhortatoriam ad Sabinam*, exhibet et νοϑειας convincit Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 578. seq. De *Decretis* quae ad eum referuntur apud Ivonem, Gratianum, Burchardum aliosque referre minus necessarium esse existimo.

FELIX PETANCIUS Cancellarius Segniensis, legationibus ad Bajazethum secundum et Zelymum obitis circa An. 1480. ac deinceps clarus, ad Uladislaum Hungariae et Boëmiae Regem scripsit libellum *quibus itineribus Turci sint aggrediendi,* quem Jo. Cuspinianus subjunxit libro suo de Turcorum origine, religione et tyrannide, ut dixi supra tom. 1, pag. 408. Deinde Nicolaus Reusnerus edidit in tomo quarto Orationum et Consultationum de bello Turcico, Lips. 1596 4. pag. 116-126. Denique prodiit in Wecheliana collectione scriptorum rerum Hungaricarum pag. 610. Etiam Petancii hujus *Genealogias Turcicas* habuit idem Cuspinianus, nondum quod sciam editas. Vide Vossium pag. 607.

FELIX *Pratensis* Hetruscus ex Judaeo Rabbino Christianus, non Dominicanus ut Sixto Senensi visum, sed Augustinianus, cui Ordini An. 1518. nomen dedit. et defunctus est centenario proprior Romae 1539. Latine vertit ex Hebraico, et Leoni X. dicavit Psalterium cum argumentis in singulos Psalmos notisque editum Venetiis 1515. atque inde Basileae. Daniel Bombergius, cui Felix hic auctor fuit et adjutor Bibliorum Hebraicorum tam nitide et emendate excudendorum, testatur intra duarum hebdomadum spatium versionem Psalterium ab illo absolutam fuisse:

Omnia testificor Felicis acumine nostri
Non plus ter quina facta Latina die.

Versionem Jobi et aliorum librorum Biblicorum, quam Philippus Elssius memorat, nunquam puto lucem vidisse: quanquam constat in proposito habuisse totum Vet. Textamentum ex Hebraeo convertere, veniamque ejus rei a Leone X. potiisse, qui prius voluit ex Psalmorum versione de interpretis peritia judicium fieri. Vide Humfredum Hody pag. 461. operis eruditi de Bibliorum textibus Originalibus, versionibus Graecis et Latina vulgata. Porro de Pratensi praeter Elssium pag. 192. seq. encomiastici Augustiniani, consulenda Rev. Wolfii nostri Bibliotheca Hebraea tom. 1, pag. 981. et tom. 3. pag. 935. seq. et Colomesii Italia Orientalis, studio ejusdem Wolfii in lucem data pag. 19.

* Viri huius docti chronologiam texens Fabricius non semel a vero aberrat, nam Dominicus Gandolfo Genuensis non sine idoneis testibus affirmat Augustiniano coetui ant An. 1506 sese illum adiunxisse; quomodo ergo vera narraverit Fabricius, qui anno 1518 nomen ab eo datum inter Augustinianus scribit? Fabricium equidem in hac definitione anni coepti Monachatus errasse demonstrat opus ipsum a Felice evulgatum an. 1515. in quo Eremitanum Monachum ipse se profitetur. Mortalitatem

vero exuit Felix non quidem an. 1539 ut Fabricio creditum; sed an. 1557, idem scriptor domonstrat. Vide Gandolfum in Dissert. de CC. Augustinianis pag. 120 etc.

FELIX *Ravennatensis* ab Anno. 708. ad 717. Episcopus, qui *Petri* CHRYSOLOGI sermones digessit et *prologo* ornavit, ut dixi tom. 1, pag. 351. *Commentarium in Matthaeum*, quod coecitate laborans absolvere vel expolire non posset, fato propior flammis dare jussit. ut notavit Ughellus tom. 2. Italiae sacrae pag. 343.

FELIX ex Hispalensi *Toletanus* in Hispania Episcopus, praefuit Concilio Toletano XVI. A. C. 693. et XVII. A. C. 694 scripsitque *elogium* decessoris sui *Juliani*, Toletani Episcopi, quod Ildefonsi de scriptoribus Ecclesiasticis libro subjici solet, et exstat apud Aguirrium tom. 3. Conciliorum Hispaniae pag. 81 notisque illustratum in Actis Sanctorum tom. 1. Martii VIII. pag. 785. De hoc Felice Pseudo-Luitprandus Ramiresii pag. 379, seq. et 375. sed audire juvat Nicolaum Antonium V, 8. Bibliothecae veteris Hispanae tom. 1. pag. 310. *Hunc Felicem Pseudo-Luitprandus Chronico ad Annum* 693 *et* 700. *Iriensem fuisse ante alia Episcopum, Julianique Chronicon nonnihil auxisse, concionatorem magnum*, a) *nec non acerrimum Fidei defensorem, ac B. Virginis Mariae clientem extitisse, credere nos voluit.* Iriae *fuit revera* Episcopus Felix *quidam, ut ex subscriptionibus Conciliorum XII. An* 681, *XIII. An.* 683, *XV. An.* 688 *novimus. Hunc tamen Felicem Iriensem, Hispalensibus inde mactum infulis, ut credamus, aliis testimoniis pervincendum est. Quale autem* JULIANI Chronicon *idem continuaverit Felix, edoceri cupimus, qui nec fidem habemus Pseudo-Juliano, eundem libelli* de XII, scriptorum vitis b) *auctorem jactanti in Chronico num.* 363.

a) De alio hujus nominis Felice Pseudo-Hauber-tus in Chron. An. DXXXVII. num. 26. Caesaraugustae obiit Felix, Diaconus Ecclesiae S. Salvatoris. *Fuit concionatorius et valde doctus.* Conc. Toletano XVI. An. 693. subscripsit etiam Felix Calagurritanae (al Calahorritanae) Ecclesiae Episcopus.

b) Intellige non illum, qui inter *Bedae* Opera pag. 491. et ad calcem *Hieronymi* de scriptoribus Ecclesiastiais prodiit, in Bibliotheca Ecclesiastica a me edita pag. 226. Sed qui in eadem Bibliotheca legitur ad Ildefonsi calcem pag. 68. et in Agvirrii Conciliis Hispan. tom. tertio p. 84.

FELIX *Urgellensis*, sive *Urgelitanus* in Hispania Episcopus, cum ELIPANDO Episcopo Toletano, post *Theodorum* Mopsvestenum a) *Bonosianos*, b) sive *Bonosiacos*, et *Theodiscum*, c) Hispalensem Episcopum, ac *Fidelem*, Abbatem in Asturiis, d) propugnator acer haereseos de Christo adoptivo, non nativo DEI Filio: et licet visus semel iterumque recantasse, immortuus haeresi suae An. 818 e) Oppugnarunt Felicem, cujus sola fragmenta apud ejus adversarios exstant, et Elipandum AGOBARDUS, ALCUINUS, BENEDICTUS Anianensis, BEATUS et ETHERIUS sive HETERIUS, et PAULINUS Aquilejensis: de quibus singulis suo loco, sicut etiam de FOLMARO, qui Adoptianam haeresin revocavit. Ad *Concilium* vero *Francofurtense*, in quo An. 794 damnatus Felicis et Elipandi error est, f) vide B. Dorschei nostri collationem ad illud Concilium, editam Argentorati 1649, 4. pag. 101, seqq. et Gabrielis Vasquez, sive Vasquii dissertationes duas contra errores Felicis et Elipandi, editas ad calcem librorum trium de cultu adorationis atque tom. VI. Vasquii Operum. De locis vero *liturgiae Mosarabicae*, ad quae corrupta Felix provocavit, apud Alcuinum libro VII. pag. 895. Operum, Vide Jhoannem Pearsonum in Symb. pag. 249 et Johannem Pinium, Soc. Jes. dissertatione de liturgia Mosarabica, ante tomum

a) Vide Sirmondum ad Facundum tom. 2 Opp. pag. 707. 717.

b) Vide Garnerium ad Marium Mercatorem tom. 2 p. 515. seq. Sirmondum ad Aviti Epist. 5.

c) Sandii nucleus Hist. Eccles. pag. 555. Jo. Trellund sect. 1. §. 9.

d) Nic. Anton. VI. 2. Bibliothecae Hispanae veteris §. 29.

e) Vide Carolum le Cointe tom. 7 Annalium Francorum pag. 505. seq Joannem Trellund sect. 5.

f) HADRIANI Papae, Episcoporumque Synodicae contra Felicem et Elipandum leguntur etiam apud Agvirrium tom. 3 Conciliorum Hispan. pag. 91. seq.

sextum Actorum Sanctorum Julii. De loco Hilarii II, 27 de SS. Trinitate, ubi Felix legebat : *carnis humilitas adoptatur*, Alcuinus *adoratur :* adeundus Bartholomaeus Germon de veteribus haereticis Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus libri 2 parte secunda : sed et Petrus Coustant in Vindiciis Manuscriptorum Codicum, atque in iisdem Vindiciis confirmatis pag. 156, seqq. ubi lectionem Benedictinis in sua Hilarii editione pag. 802 etiam probatam *adoptatur*, contra Germonium defendit. *Concilium Narbonense* An. 788. quod edidit Baluzius ad Petri de Marca Concordiam Sacerdotii et Imperii lib. VI. cap. 25. *Concilium Forojuliense* An. 791. cui adde Baluzium t. 7. Miscellan. pag. 13 et *Ratisbonense* An. 792 de quo confer Sigebertum ad Annum 793. Sirmondum tom. 2. Conciliorum Galliae p. 160 et Pagium ad An. 788, n. XI.

De Feliciana haeresi consuli possunt praeter haeresiologos et Annalium atque Historiae Ecclesiasticae scriptores ac prae caeteris *Natalem Alexandrum* Sec. VIII.

Jacobus Basnage in dissertatione praemissa Beati et Hetherii diss. tom. 2 novae editionis lectionum Canisii antiquarum pag. 284, seq.

Georgius Calixtus, infra.

Johannes Conradus Dannhauer in der abgenechtigten Rettung pag. 130, seq. post partem VII. Lactis catechetici.

Johan. Georgius Dorscheus, supra p. 568.

Geverh. Elmenhorstius ad Gennadii dogm. Eccles. cap. 2. pag. 104.

Joannes Forbesius libro VI. Instructionum Historico-Theol.

Carolus Josephus Imbonatus in adventu Messiae ab haereticorum calumniis vindicato pag. 232, seqq.

Cornelii Dieterici Kochii disquisitio, Helmstad. 1721, 4. et in Rev. Joannis Vogtii Biblioth. hist. haeresiologicae p. 448 seq.

Joannes Tobias Major (ad quem Reinesii Epistola) in dissertatione de filiatione Christi ut hominis, Jenae edita et laudata Sagittario pag. 254. introduct. aliis.

Joannes Eusebius Nierembergius Epistola ad Laurentium Ramiresium de Prado, ad calcem Pseudo-Luitprandi pag. 518.

Dionysius Petavius dogmatibus Theologicis de Incarnatione lib. 1. cap. 22, et lib. 7 cap. 4.

Theophilus Raynaudus tom. 2. Operum pag. 44. seq.

Thomas Reinesius Epistola ad Johannem Tobiam Majorem, inter Gudianas pag. 312, seq.

Nicolaus Schatenius in Carolo M. lib. IV. cap. 5. et *D. Christianus Nifanius* in ostensione Hist. Theolog. pag. 412, sq. et apologia ostensionis pag. 658.

Jo. Trellund, Theologi Hafniensis, erudita dissertatio de Felicis et Elipandi haeresi Adoptiana. Hafniae 1699, 4. et in laudati Vogtii Bibliotheca Historiae Haeresiologicae, cujus fasciculum secundum mihi pro suo in me amore dedicavit, pag. 345. Ejusd. Trellundi assertio plenior genuini status Controversiae Orthodoxos inter et Adoptianos saeculo VIII, agitatae. Hafniae 1715, 4. et Quaestionum Theologicarum Felicianae controversiae affinium Decas. ibid. 1716, 4.

Gabriel Vasquez, supra.

Felicem et Elipandum excusant atque a Nestorianismi dica liberare instituunt post *Vasquesium*, *Joannes Henichius* systematis Theologici pag. 882, seq. et *Georgius Calixtus* in programmate singulari, quod festo Natalitio edidit.

Johannes FELTON, Anglus, Vicarius Ecclesiae S. Magdalenae extra muros Oxonii circa Annum 1440. Ejus *Lecturas Sacrarum Scripturarum*, *Alphabetum*, sive Dictionarium *Theologicum* ex Roberto Lincolniensi, memorant Baleus VII, 93 et Pitseus pag. 634 qui sermonibus ad populum ita suo tempore claruisse testantur, ut *Homiliarii*, sive *Concionatoris* cognomen tulerit. Praeter *sermones* proprios, etiam alii a Pitseo, et Oudino tom. 3. pag. 2432 ad eum referuntur, quos ex ODONE Parisiensi Episcopo aliisque selegit.

Pseudo FENESTELLA, vide infra, FLOCCUS Florentinus.

FERIUS (aliis *Levinus*) *Hilpericus* unus fortasse ex Alcuini discipulis, a) Monachus

a) Vide Vossium de Poëtis Latinis pag. 69.

Selingestadiensis. Exstat ejus carmen hexametrum, versuum 536 de laudibus Caroli Magni et celebrato ab eo Maicampo et venatione et *congressu* ejusdem et *Leonis III*, *Papae* facto An. 790. De ejus editionibus dicere me memini tom. 1. pag. 320. Hunc Hilpericum si audimus, Carolus

Grammaticae doctor constat praelucidus artis.
Nullo unquam fuerat tam clarus tempore lector,
Rhetoricae insignis vegetat praeceptor in arte,
Summus apex Regum, summus quoque in orbe Sophista.
Exstat et orator facundo famine pollens,
Inclyta nam superat praeclari dicta Catonis
Vincit et eloquii magnum dulcedine Marcum
Atque suis dictis facundus cedit Homerus,
Et priscos superat *Dialectica* in arte Magistros.
Quatuor ast alias partes b) quae jure sequuntur,
Discernit simili rerum ratione magistra
Doctus in his etiamque modo Rex floret eodem,
Solus iter meruit doctrinae adipiscier omne,
Occultas penetrare vias mysteria cuncta
Nosse DEO seriem revelante ab origine rerum,
Omnem quippe viam doctrinae invenit et omnem
Artis opacum aditum secretaque clancula verba
Omnia, solus enim meruit pius ille talenta
Suscipere et cunctis praefertur in arte Magistris.
Scilicet imperii ut quantum Rex culmine Reges
Excellit, tantum cunctis praeponitur arte.

FERNANDUS, sive FERDINANDUS, de Corduba, Hispanus, Subdiaconus Romanus, scripsit ad Xystum IV, *de jure beneficiorum vacantium medios fructus annatasque exigendi*, et *de potestate Papae in temporalibus*. Et ad Bessarionem Cardinalem *de artificio omnis et investigandi et inveniendi naturâ scibilis*. Et *de Pontificii pallii mysterio* ad Cardinalem Franciscum Piccolomineum. Vide Nicolaum Antonium X, 13. Bibliothecae veteris Hispanae tom. 2. pag. 209. Et *an sit licita pax cum Saracenis*. Praeterea Commentarium in magnam Bibliorum partem, praesertim in *Apocalypsin*. Tum *in Almagestum Ptolemaei*, et praefationem ad *Albertum Magnum* de animalibus, editum Romae 1478 fol.

FERRANDUS Diaconus Carthag. Infra, FULGENTIUS *Ferrandus*.

Petrus FERRANDUS *(Fernandez)* ex Gallaecia, Hispanus, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1270. *Vitam S. Dominici*, et *Chronicon Ordinis sui* a Dominico usque ad Humbertum, Magistrum Generalem quintum scripsisse traditur. Vide Nicolaum Antonium Bibliothecae Hispanae veteris VIII, 3 119 tom. 2. pag. 46. Jacobum Quetif tom. 1. pag. 127.

ANONYMI Gibellini, qui circa Annum 1310 scripsit Chronicon parvum FERRARIENSE ab origine Ferrariae, sive ab An. 658 ad 1264 editum a Clarissimo Muratorio t. 8 a) scriptorum rer. Italicarum p. 469.

Vita S. FERREOLI *Lemovicensis* Episcopi et Confessoris, qui Concilio Matisconensi An. 585 interfuit, *Vita* vulgata a Labbeo t. 2. Bibliothecae novae MSS. p. 527, 528.

FERREOLI Presbyteri *sententiae* in libello de Officio Rectoris Ecclesiae, Coloniae 1531, 8.

S. FERREOLUS, *Ucetiensis* in Gallia Narbonensi Episcopus, defunctus An. 581 de quo Sammarthani tom. 3. Galliae Christianae pag. 1145 et pluribus Carolus le Cointe in annalibus Francorum ad Annum 521 quo natus Ferreolus, et 528, 553, 555, 558, 581. ex veteri auctore *vitae*, quam ex Foxiensi MSto mitti sibi desiderabat Holstenius Epistola ad Lambecium tom. 6 pag. 271. Ejus *Regula Monasterii Ferriolacensis* ad Lucretium Papam, edita in Holstenii Codice Regularum parte 2. pag. 71 et apud Cointium tom. 1. pag. 833, seq. *Libros* aliquot *Epistolarum*, quos Sidonii exemplo scripsisse Ferreolum testatur Gregorius Turonensis lib. VI. cap. 7, nemo hactenus in lucem protulit.

S. *Vincentius* FERRERIUS, sive FERRARIUS Valentinus, Hispanus, Ordinis Praedicatorum, Concilio Constantiensi interfuit An. 1418 obiitque An. 1419, 5 Aprilis, Sanctis adscriptus An. 1455 de quo Acta Sanctorum tom. 1. Aprilis pag. 477, seq. et Vita scripta a *Petro Ranzano* pag. 482, seq. et de scriptis Ferrerii Labbeus tom. 2 de S. E. pag. 484, seq. Nicolaus Antonius Bibliotheca veteris Hispanae X, 2. tom. 2. pag. 136. Henricus Warthonus ad Caveum, et Jacobus Quetif t. 1. p. 766 et 767 ubi speciatim de ejus *Sermonibus*.

b) Geometriam, Arithmeticam, Musicam, Astronomiam.

a) In Clarissimi Koeleri Directorio historico pag. 65. typorum vitio pro tom. VIII signatur t. III.

* Animadvertere juvat S. Vincentii Sermones geminos de S. Jacobo Apostolo in editis frustra quaerendos legi in Cod. Lat. 844. Biblioth. Universitatis Taurinensis. Prior est in illud *Dic ut sedeant* etc. Incipit Augustinus. Alter in illud : *Unus ad dexteram tuam* etc. Incipit : *Festum et Sollemnitas.*

FERRETUS Vincentinus, poëta et Historicus magna libertate disertus atque elegans et Felice Osio judice iis accensendus, qui cum Francisco Petrarcha a) et paucis quibusdam aliis litteras instaurarunt. Claruit post saeculi decimi quarti initia, scripsitque circa Annum 1328 ut videtur, *suorum et paullo ante actorum temporum* praesertim in Italia *historiam libris VII*, ab An. 1250 ad 1318. quod opus extrema parte, ut opinatur, mancum edidit e MStis duobus Vincentinis Clariss. Muratorius t. IX, scriptorum rerum Italicarum pag. 935. Elegantiae studio arguitur, quod nomina vetera affectando passim obscuriorem b) se reddiderit. *Cimbricos* appellans pro Vincentinis, pro Florentinis *Faesulanos*, *Picenos* pro Pistojensibus. Notitiam Poëmatum Ferreti ex Vossio mutuari placet, simul annotatis iis, quae post viri hujus docti fata a laudato Muratorio edita sunt. *Carmine heroico Ferretus descripsit* gesta Canis Grandis Scaligeri. c) *Item reliquit versus CX, in obitum* Dantis, d) *poëtae Florentini. At CLV, in excessum* Beneventi de Campesanis, e) *poëtae Vicetini.* [*Item XLIX*, ad Albertum Mussatum, *vatem Patavinum.* a) *Item* Priapeia *reliquit, quorum initium ponit* Joannes Baptista PAJARINUS *libro sexto Historiae suae, in quam non pauca ex Ferreti historia derivavit. Item versus XXV*, ad Pulicem de Custoza, *Vicentinum Poëtam, de puero, qui natus erat,* Matthaeo de Scledo. *Item carmen aliud* in laudem Baxlardini de Nogarolis, *Veronensis, Scaligeri affinis, cum instaurandam curavit nobilem Urbis portam, quam disjecerant Patavini.*

ANONYMI Orationem in nuptias *Danielis* FERRETI vulgavit idem Muratorius tom. IX, pag. 1189.

Aurelianus FESTIVUS Imperatoris Aureliani libertus, scriptor *vitae Firmi* Imperatoris, ex qua, insolita refert nonnulla Vopiscus in ejus vita cap. 6. Firmum, *unctum crocodilorum adipibus, natasse, et elephantem rexisse, et hippopotamo sedisse, et sedentem ingentibus struthionibus vectum esse et quasi volitasse.*

Rufus FESTUS, (aliis *Sextus Rufus*) scriptor *breviarii de victoriis ac provinciis populi Romani* ad Valentinianum II. Augustum, et opusculi *de regibus Urbis Romae,* de quibus sicut etiam de *Rufo* FESTO *Avieno* dixi in Bibliotheca Latina lib. 3. capite undecimo.

Julius FESTUS, sive *Sextus Pompejus* FESTUS, Grammaticus, qui non diu ante Macrobium *commentarios priscorum verborum, cum exemplis* e Verrio Flacco contractos composuit, de quibus in eadem Bibliotheca Latina cap. 6. Vide et infra, PAULUS Diaconus.

FEUS, sive PHEUS *Belcharius*, (ita enim rectius quam alii *Febus*, vel *Maffeus*, b) *Belchamus*) Florentinus, obiit senex An. 1484. c) Scripsitque sed Italice non Lati-

a) *Johanni* FERRETO, Grammatice Ravennati, qui Petrarcham senem An. 1374. defunctum, puer noverat, Leonhardus Aretinus teste Leandro Alberto hanc laudem tribuit, quod primus studium poëseos et eloquentiae in Italia instaurasset, ex cujus schola praeter Aretinum prodiere Jacobus Angelus, Guarinus Veronensis, Omnibonus Leonicenus, Poggius, Robertus Rossius, Petrus Paulus Vergerius, Victorinus Feltrensis. Vide Diarium Eruditorum Italiae tom. IX p. 158. seq.

b) *Se rendant inintelligible par elegance*, Memoires de Trevoux A. 1733. p. 762.

c) Poëma epicum Ferreti de Scaligerorum Origine libris IV. circa Annum 1329 scriptum ad Canem Grandum Scaligerum, Veronae, Vicentiae et Patavii Dominum, edidit laudatus Muratorius tom. IX pag. 1195. Censuram vide, si placet, in Ephemeridibus Eruditorum Paris. A. 1733. Maj. p. 102.

d) Obiit Dantes A. 1321.

e) Etiam hoc carmen apud Muratorium p. 1183.

a) Hujus quoque carminis, quod pag. 1187. ibi sequitur, argumentum est obitus ejusdem Poëtae, *cui cognomen avis* Campus *dedit et* Bene *nomen cum* Venio.

b) Vide Diarium Eruditorum Italiae tom. XVII. pag. 333. seq.

c) Hieronymi Benivenii *deploratoria per la morte di Pheo Belchari, poëta Christiano*. in operibus Benivenii pag. 109.

ne a, tum alia tum An. 1449. ad Joannem Cosmae Medicem, Laurentii et Juliani Patruum, *vitam*. non S. Columbani, sed *Johannis Colombini* Senensis, qui A. 1365 Ordinem Jesuatorum b) instituit, editam Brixiae 1500. atque inde Florentiae in 4. et Venetiis 1554. 8. et novissime Latine in tomo septimo Actorum Sanctorum Julii 31. Vertit quoque sed itidem Italice Pratum spiritale Johannis Moschi, de quo dictum in Bibliotheca Graeca tom. IX, pag. 22. seq. aliaque scripta Ascetica, ut ipse c) in Epistola ad Johannem Cosmae testatur.

* Scripsit utique vitam B. Joannis Columbini ordinis Jesuatarum Institutoris, sed Italice, dicavitque opus Joanni Cosmae Medices. Primo vero prodiit historia ista in fol. sine loco et anno, quae tamen editio Florentiae, quantum ex forma typorum colligimus, adornata est, atque multo antiquior habenda est editione Brixiensi, quam Fabricius hic tamquam omnium primam indicat. (104 Neque editio Veneta an. 1554 unquam extitit. prodiit vero iterum in Siena an. 1541. in Roma 1556. et 1659. in Verona 1817. in Palermo 1818. In Milano 1832 etc. Sic Pratum spiritale Italice pluries antiquitus cum vitis Patrum, nuper vero *in Bologna* 1830 in 16 et cum vita antedicta, Epistolis et versione op. Rich. de S.Victore *De quattro gradi della Carità* etc. *Romae* 1843 in 16. curante Oct. Gigli, et ibi commentariolus meus de Pheo Belcari.)

FICARDUS Cirencestrensis, seu de Cirencestria, Historicus Anglus, scripsit *Speculum Historiale*. Haec de eo Pitseus p. 838.

Marsilius FICINUS, Canonicus Florentinus, Philosophus Platonicus, apud Laurentium et Cosimum Medices gratiosus celebratissimusque, quem Annus Christi 1499. rebus humanis abstulit, Politianus autem hoc decoravit epigrammate:

Mores, ingenium, musas, sophiamque supremam
Vis uno dicam nomine? Marsilius.

a) Latinis Historicis accensetur a Vossio p. 605.

b) A Clemente IX. Anno 1668. hic Ordo iterum suppressus. Vide Acta Sanctorum tom. V Julii p. 817.

c) Joachimus Hildebrandus de Religiosis Ordinibus pag. 72. Julius Niger de scriptoribus Florentinis pag. 162.

De ejus vita et moribus scriptisque cum apologia pro Ficino Magiae postulato erudita commentatio V. C. Joannis Georgii Schelhornii tom. 1. amoenitatum litterariarum, cui jungendus Jacobus Gaddius tom. 1, pag. 115 seq. de scriptoribus non Ecclesiasticis, Lambecius tom. 7, pag. 15 seq. (ubi etiam effigies eius, ut apud Jovium, Boissardum, Reusnerum, Sambucum et Bullartium) Henricus Warthonus in appendice ad historiam litterariam scriptorum Eccles. Nisseronus in memoriis clarorum virorum Gallice editis tom. V, pag. 214. et Julius Niger in historia scriptorum Florentinorum pag. 398. seq. Idem pag. 401 complures laudat de Ficini laudibus scriptores, sed in quibus uomina quaedam perperam expressa, ut Thomas *Coppe* Blount, pro *Pope*, *Davilliandus* in descriptione Urbium Italiae pro *Dn. de Villamont*: *Nicetius* de claris interpretibus pro *Huetio*, *Isidorus* Bullart pro *Isaacio*: *Levini* Consilia. pro *Elberti Leonini* etc. Vitam Ficini a Dominico Mellino scriptam, nunquam vidisse lucem idem Niger pag. 153 docet. (105 *Jo. Corsii Marsilii Ficini Vita cur. Ang. M. Bandinio* Pisis 1771, 8. et Florentiae 1847, 4 in vol. *Philippi Villani Vitae* etc.) Inter Opera junctim edita Venetiis 1516. Basileae 1561 et 1576 nec non Parisiis 1641, fol duobus Voluminibus, in priore familiam ducit liber *de Religione Chistiana et Fidei pietate*, de quo dixi in elencho scriptorum de Veritate Religionis pag. 540, seq. Caetera apud laudatos scriptores recensita videri possunt, et de versionibus Graecorum scriptorum *Platonis*, *Plotini*, *Speusippi*, *Xenocratis*, *Alcinoi*, et quorundam *Theophrasti*, *Prisciani* Lydi, *Synesii*. *Pselli*, *Hermetis*, *Dionysii* Areopagitae, *Athenagorae*, et aureorum *Pythagorae* carminum, mentio facta in Bibliotheca Graca suis locis.

* Quamquam catalogo operum scriptoris huius a Niceronio deducto nihil addendum succurrit, juvet tamen hic dare anecdotum quodam in edito eius volumine *De christiana religione* primae editionis in 4. sine loco et anno mihi casu obvium. Est autem illud epistola Marsilii; ipsa, ut ar-

bitror, eius manu scripta in pagella vacua ante titulum, qua opus amico dirigit. Illam nunc profero.

Marsilius Ficinus Magistro Donato Ugolino insigni Theologo et Vener. Abb. Cultiboni. S. D.

Dono tibi religionem meam, religiosi pignus amoris: non ut insignem pietate virum instruam ad pietatem, sed quia uno hoc munere puto magis quam cunctis disputationibus meis ipsi me pietati satisfacturum. Si forte nostra haec religio tibi videbitur pauperrima, memento Christianam religionem in paupertate fuisse fundatam. Memento praeterea apud nos non expressores librorum esse, sed oppressores. Verum qualiscumque sit; quandoquidem nihil est in re amata, quod amanti non placeat, amatore suo Donato satis formosa divesque videbitur. Taddeum et Bartholomeum fratres tuos literis amoenioribus ac moribus, ornatissimos meo nomine salvere jubeto.

Vale felix. XXV. Julii 1477. Florentiae

In principio operis eadem manu scribitur.

In omnibus quae aut hic, aut alibi a me tractantur, tantum assertum esse volo, quantum ab Ecclesia comprobatur.

Vide etiam Catalogum Bibliothecae Riccardianae pag. 188.

FINANUS qui Possevino, is in Bedae Codicibus III, 17. Hist. Angl. est SINAN, Aidani in Episcopatu Scotiae successor, quem idem Beda *de Paschatis observatione* minus recte sensisse ac scripsisse, ejusque sententiam libro de temporibus a se confutatam testatur.

FINUS *Adrianus*, sive *Adriensis*, a) Scripturarum Ducalis Fisci Estensis Magister septuagenario major An. 1503 coepit ex Petro Bruto, Jacobo de Valentia aliisque condere *flagellum adversus Judaeos*, cujus necdum absolutos *novem libros* reliquit defunctus An. 1517 aetatis 86. Hosce filius Daniel Finus, scripturarum Reipublicae Ferrariensis Magister vulgavit spisso volumine Venetiis 1538, 4. recusos ibid. 1569 et Ferrariae 1573, 4. Vide Rev. Wolfii Bibliothecam Hebraeam tom. 2. pag. 1128, seq. et Theophilum Sincerum commentario de libris rarioribus Germanice edito parte 2. pag. 93, seq. Hieronymi Spiritonis, Monachi et Abbatis Caelestini, (qui An. 1662 diem obiit) observationes ad Fini libros Italice editas memorat Prosper Mandosius t. 2. Bibliothecae Romanae p. 244.

a) Daniel Finus in opus Parentis sui:
Inclyta navifrago nomen dedit *Adria* ponte.
Et solium summis Regibus illa fuit.
Haec fuit aucloris genitrix: *Ferraria* nutrix,
Et genus et nomen *Fina* propago dedit.

FIRMIANUS, vide infra, LACTANTIUS.

Julius FIRMICUS *Maternus*, qui Anno 337. Constantino Magno adhuc superstite scripsit *libros VIII. Matheseos* sive de astrologia apotelesmatica, et deinde Christianus factus, librum *de errore profanarum religionum* ad Constantem et Constantium sacratissimos, quos passim appellat Imperatores. Dixi lib. 3. Bibl. Latinae cap. 8.

FIRMILIANUS Episcopus Caesareensis in Cappadocia, qui Synodo Iconiensi circa Annum 231 et An. 265. Synodo Antiochenae adversus Paulum Samosatenum interfuit, *Epistola ad S. Cyprianum* circa Annum 256 contra Stephanum Papam inter Cyprianicas Oxon. Pamel. et Baluz. LXXV. Latine legitur, sed ut videtur non Latine scripta a Firmiliano, sed ex Graeco versa, fortasse ab ipso Cypriano. Vide Baluzii notas pag. 311 et 316 et de Firmiliano Tillemontium tom. quarto memoriarum pag. 308, sed. Raymundo autem Missorio Franciscano paucos spero suffragaturos, qui utramque Epistolam Firmiliani et Cypriani, decreto Stephani, Episcopi Romani, oppositam, contendit nomina auctorum mentiri et suppositam fuisse a Donatistis arguit, in disputationibus Criticis editis Venetiis 1733, 4.

FIRMUS, itidem Caesareae Cappadociae Episcopus An. 439 defunctus, ad quem Epistola Johannis Antiocheni ex veteri Latina versione legitur in Synodico adversus tragoediam Iranaei, Graece non Latine scripsit, de cujus Epistolis a celeberrimo Muratorio editis dixi in Bibliotheca Graeca tom. 7 pag. 442.

FISCANENSIS in Normannia Coenobii *Chronicon* a nato Christo usque ad An-

num 1220. ex quo excerpta una cum appendice Brennacensi usque ad Annum 1246. edidit Labbeus tom. 1. Bibliothecae novae MSS. pag. 325-328 cum Catalogo Abbatum Fiscanensium ab An. 1000 ad 1650. pag. 328, seq.

Joannes FISTENPORT Moguntinus, Ordinis S. Sepulchri, Auctor continuationis *Chronici* ab HERMANNO Januensi scripti: *non proprio dictamine*, sed ut profitetur *ex aliis Chronicis* deductae ab Anno 1352 ad An. 1421. Exstat in D. Simonis Friderici Hahnii tom. 1 collectionis monumentorum veterum et recentium, Brunsv. 1724 8, pag. 397-405.

FITZ RALPH, infra, RICHARDUS *Armachanus*.

FLACCUS, supra, ALBINUS, sive ALCUINUS, tom. 1. pag. 49.

Antonius FLAMINIUS, alio nomine BIANANDER, Menensis Siculus, trium linguarum peritus, Romae docuit circa Annum 1489. cujus *Epistolas quasdam* et libros duos *de eccentricis*, *epicyclis* et *absidibus* memorat Antoninus Mongitor, qui de eo videndus tom. 1. Bibliothecae Siculae pag. 67. Adde etiam Colomesii Italiam Orientalem a Rev. Volfio nostro editam pag. 17.

Sebastianus FLAMINIUS Forocorneliensis, interpres *Vitae B. Ambrosii Sansedonii* Senensis, Ordinis Praedicatorum, An. 1286 defuncti. Vide Jacobum Quetif tom. primo pag. 403 et de Ambrosio illo Acta Sanctorum Martii 20, tom. 3. pag. 180, seqq.

Johannes Antonius FLAMINIUS, *Johannis* disertissimi Viri a) Filius, qui a patria Foro Cornelii, sive Imola Flaminiae civitate b) Flaminii nomen sibi cooptavit. Bonas litteras docuit Serravalle ac deinde Bononiae, ubi diem obiit An. 1536. *Epistolas* ejus quasdam cum narratione de ejus vita et laudibus edidit Joachimus Camerarius, Norimbergae 1571, 8. ex quo elogium Flaminii exhibet V. C. Johannes Georgius Schelhornius tom. X, Amoenitatum litterar. pag. 1148, seq. De caeteris ejus scriptis nihil habeo, quod addam Vossii industriae, quem vide sis lib. 3. de Histor Latin. pag. 682, seq.

* Codicem integrum Epistolarum Flaminii huius edidit P. F. Dominicus Josephus Capponi Ord. Praedic. typis Bononiensibus an. 1744 in 8. In ipso operis vestibulo praeter authoris vitam indiculum exhibet operum viri huius docti typis jam evulgatorum, tum et alterum de operibus ineditis. Desideratur ibi oratio, quam ad Julium II. P. M. recens assumptum ad honorem Pontificatus nomine Forocorneliensium suorum recitavit, cuius meminit lib. 5. epist. 5. *

Omitto etiam dicere de filio *M. Antonio* FLAMINIO Serravallensi, c) viro doctissimo, cui metaphrasin Psalmorum atque alia insignia scripta debemus, defuncto Anno 1550. De eo praeter Ghilinum tom. 2. p. 192. Gaddiumque tom. 1. pag. 187, seq. laudatae amoenitates litterariae tom. X. pag. 1148, seq. et Comnenus Papadopoli tom. 2. Gymnasii Patavini pag, 197. Nec non de *Lucio* FLAMINIO Siculo, qui seculo XVI, docuit Hispali, scriptor Commentarii *in proemium Plinii* naturalis Historiae. Hunc Lucium cum Antonio eundem facit Nicolaus Antonius tom. 2. Bibliothecae novae Hispanae pag. 357. Sed. diversum esse docet Mongitor loco laudato.

Qui sub *Marcelli* PALINGENII nomine M. Antonium Flaminium latere sibi persuasere viri clarissimi, eos falli dubium non est perinde ut eos, qui Marsilium Ficinum. Utrumque uno Palingenii versu perspicue refellitur, qui legitur in Aquario:

Vide ego, dum Romae Decimo regnante Leone
Essem . . .

Leo decimus regnavit Romae ab An. 1513 ad 1521. Ficinus An. 1499 jam diem obierat: Flaminius Romam venit post Annum 1522 dignitate Ordinis Equitum S. Petri ornatus inde a Clemente VII, quem Papam creatum constat mense Novembri A. 1523. Nihil certius quam verum esse no-

a) Amoenitatt. litterar. tom. X. pag. 1155.

b) Diarium Eruditorum Italiae tom. XXXI p. 28.

c) Hieronymus Lioni dissertat. de patria M. Antonii Flaminii, in Diario Eruditorum Italiae t. 31. pag. 26. seq.

men scriptoris Marcellum Palingenium Stellatum, hoc est Stellatensem, de Stellatas sive Stellada in ditione Ferrariensi.

Dominicus de FLANDRIA, supra p. 647.

Guido FLANDRINI scriptor libelli, sive *Epistolae* praesentatae Regi Francorum Carolo VI, An. 1402 *ex parte Studii Tolosani in facto Ecclesiae,* damnata decreto An. 1406 et Concilio Paris. 1408 habito adversus fautores Petri de Luna, sive Benedicti XIII. Vide Baluzium ad Papas Avenionenses tom. 1. pag. 1112, seq.

Petrus FLANDRINI, Cardinalis S. Eustachii ab An. 1371. Scripsit An. 1381 pro Clemente VII, contra Urbanum VI, oppugnatus a Petro Archiepiscopo Toletano. Vide Oudinum tom. 3. pag. 1191 ex Baluzii pag. 1111 et Raynaldum Ad Annum 1381.

FLAVIANUM in libro, qui *de vestigiis Philosophorum* inscribitur, laudat Johannes Sarisberiensis, Policratici sive de Nugis curialium II, 26. Ad idem opus respicit Flavium identidem allegans VIII, 11, et 12. Alius ut videtur Flavianus, ad quem Symmachi Epist. libro 2 et qui *Virius Nicomachus* FLAVIANUS V. C. et *Historicus disertissimus* vocatur in veteri Inscriptione apud Vossium pag. 743, seq. Valesium ad Ammiani XXVIII, ult. Reinesium pag. 441. Inscript. et Sponium Misc. pag. 123. Alius certe Flavianus, Antiochenus Episcopus, defunctus circa Annum Christi 303 et Flavianus CPol. ad quem Leonis M. Epist. De utroque dictum in Bibl. Graeca.

FLAVINIACENSE *Chronicon*, infra HUGO *Flav.*

Analecta monumentorum Coenobii FLAVINIACENSIS a temporibus Chilperici ad Annum CHristi 1085 in Labbei tom. 1. Bibliothecae novae MSS. pag. 269-272.

FLAVIUS *Blondus,* de quo t. 1. p. 230.

FLAVIUS *Claudius Gordianus Fulgentius*, infra, FULGENTIUS.

FLAVIUS *Vopiscus* Syracusius, de cujus *Vitis* quorundam *Imperatorum,* quos Constantini Magni temporibus scripsit, dictum libro III. Bibliothecae Latinae cap. 6.

FLAUVALDUS, sive FLOWALDUS, Monachus Remensis, apud Sigebertum cap. 131 et Trithemium cap. 307 de S. E. lib. 2 cap. 68 illustr. Benedictin. Vide infra, FLODOARDUS.

FLETA, seu *commentarius* insignis, faciem *Juris Anglicani* veteris, qualis fuit Eduardi I. temporibus, exponens *libris VI,* atque sic nuncupatus, quia Auctor *Anonymus*, qui circa Annum 1300 illos collegit ac descripsit, hoc fecit in Carcere, qui Anglis *prisona de Fleet* a praeterlabente fluviolo nuncupatus, cujus mentio in hoc ipso commentario lib. 2. c. 30. Vide Cangii glossarium Latinum in voce *Fleta,* et Johannem Seldenum dissertatione ad Fletam cap. X. § 3. qui primus hos libros vulgavit Londini 1647, 4. subjuncta erudita dissertat. quae recusa tom. secundo Seldeni Operum, Londini 1726 fol.

Guilelmus FLETE, seu FLETA, Pitseo *Fletaeus* Anglicus, Augustinianus temporibus Richardi II, circa Annum CHristi 1380 cujus *praedictiones ad Anglos* et Epistolas tres ad Ordinis sui in Anglia Professores, ad Provincialem eorum, ad doctores Provinciae, ad fratres in communi, Christiana eruditione plenas laudat Baleus VI, 41, et ex eo Pitseus pag. 521, seq.

* S. Catharinae Senensi interdum a sacris confessionibus, ad quem eiusdem sacrae virginis literae quaedam datae sunt; scripsit praeter notata hic a Fabricio. *Sermonem in reverentiam S. Catharinae Senensis*, quod ex Codici MS. Senensi se daturos in appendicem ad vitam S. Catharinae editores novissimi Operum S. Catharinae spoponderunt, nec obligatam fidem liberarunt Vide adnotation, ad Epist. 124. S. Catharinae Opp. t. 2 p. 725 scripsit et narrationem specialis doctrinae eiusdem S. Virginis, quam pariter ex Archivo Senensi sese edituros viri illi annunciarunt, neque adhuc in publicum prodivit. Vide Gandolfum in Dissertatione de CC. Augustinianis.

Johannes FLETUS itidem Anglus, Ordinis S. Benedicti et Presbyter in coenobio Westmonasteriensi suburbii Londinensis, scriptor *Chronici Westmonasteriensis* libris duobus teste eodem Pitseo pag. 875. ubi et *Homiliarum* liber hujus Fleti memoratur.

Stephanus FLISCUS Soncinensis. Vide supra tom. I. pag. 40 in ALBERTO de Eyb.

Andreas Dominici FLOCCUS, Florentinus, Emanuelis Chrysolorae discipulus, a) et ab An. 1427. Canonicus in Ecclesia patria Cathedrali, et Pontificis Eugenii IV. Secretarius, obiit An. 1452. b) Ad Brandem Cardinalem Placentinum c) scripsit *de Romanis potestatibus*, Sacerdotiis et Magistratibus *libros duos*, saepius editos sub *L. Fenestellae* veteris historici nomine, Plinio, Gellio, Svetonio, d) aliisque laudati Annalium scriptoris, qui Tiberii temporibus obiit. Ab aliis tributi sunt *Poggio Florentino*, e) *Pomponio Laeto* ab aliis sed Flocco auctori MSS. Codicum f) fide illos restituit Ægidius Witsius, Jurisconsultus Brugensis, et sub ejus nomine vulgavit Antwerpiae 1561. 8. unde saepius Flocci nomen praeferentes recusi sunt, ut Antwerpiae 1609. 8. et in Petri Scriverii Republica Romana, atque in Philippi Caroli Antiquitatibus Romanis. *Brandis* Cardinalis nomen, cui dicatos a Flocco fuisse Gyraldus auctor est, in nulla editione apparet. Sub Fenestellae nomine et nulla librorum distinctione prodierant sine loco et anno in 4. quam editionem habeo in manibus, tum in 8. ac deinde Basileae 1532 8. cum praefatione Valentini Curionis, recusi saepius ibidem 1538. 8. 1581 8. et minore forma 1556. 1561. nec non Parisiis, Lugduni, Coloniae ex Joannis Camertis g) recensione et cum ejus Concordantiis Historiae Romanae, et Italice versi a Francisco Sansovino ad Angelum Mottam h) Venetiis 1547. in 8.

FLODOARDUS, sive FRODOARDUS, Sigeberto et Trithemio FLAUVALDUS, Ordinis Benedictini Culminiacensis (*Cormiey*) i) Presbyter et Canonicus S. Remigii Remensis, obiit An. 966. 28. Martii aetatis 73 k) Ejus scripta sunt:

Annales, seu *Chronicon* aetatis suae ab Anno 919. ad 966. in P. Pithoei XII. scriptoribus coaetaneis, Parisiis 1588. et Francofurti 1594. 8. pag. 109-108. cum brevi appendice usque ad Annum 978. pag. 198. 201. et continuatione ab Anno 977. ad 990 ex Chronicis WILHELMI *Nangii*, Monachi S. Dionysii pag. 207-214. Hoc Chronicon licet Flodoardo non audet certo tribuere Pithoeus, tamen egregiam lucem praeferre illis temporibus non diffitetur, et sub Flodoardi nomine recusum est et ex Codice Thuano emendatius in Andreae du Chesne sive Quercetani, scriptoribus rerum Francorum tom. 2, pag. 590. Novam editionem hujus Chronici et omnium Flodoardi operum meliorem jampridem parari a D. de Targny, Noviodunensi, Thesaurario Ecclesiae Remensis et Bibliothecario Regio testatus est Jacobus le Long in Bibliotheca Historicorum Galliae n. 3746 et 6870.

* De Targnio intelligendus illustris Leibnitius Epist. ad celeb. V. Maturianum Veysserium la Crose in Epistolis ad diversos p. 420. *Quelcun a dessein a Paris de publier les oeuvres de Frodoardus. Il y ajuntera son* Carmen Pontificale *entier et quelques autres poemes du meme* de vitis Sanctorum. De Frodoardo altero, quem Reginaldus continuavit, infra.

a) Martinus Hanckius libro 1. de Romanarum rerum scriptoribus cap. 44. Julius Niger in historia scriptorum Florentinorum pag. 55. seq.

b) Diarium Eruditorum Italiae tom. XI p. 555.

c) Vide Gyraldum dialog. 4. de Poëtis tom. 2 Operum pag. 255 *Brandes* Cardinalis fuit ab Anno 411. defunctus Anno 1443. 5. Februarii.

d) Non etiam Livio, ut legas apud Polletum III, 14. hist. fori Romani.

e) Adi Vossium lib. 1. de Hist. Lat. cap. 19.

f) Inspectorum Blondo, Gyraldo, Witsio et Jamesio. Adde Voss. pag. 101. et 581, Catalogum MSS. Cotton. p 66. num. VI. 1.

g) Integrum hujus viri docti nomen *Johannes Ricutius Vellinus*, qui *Camertis* nomine notior Monachus Ordinis Minorum docuit Viennae Austriae sub saeculi XVI. initia. Vide Waddingum pag. 225.

h) Angelus Motta praeter rem interpres traditur in Diario Eruditorum Italiae tom. XI p. 558. Recte autem pag. 559. rejicitur Sandii conjectura, quem deinde secutus Hallervordus est, Dominico Flocco tribuentis *Poëma de vita et morte B. Virginis*, quod *Johannis* DOMINICI, Ordinis Praedicatorum, esse, notavi supra pag. 469.

i) Oudin. tom. 2 pag. 445.

k) Pagi ad Annum Christi 966. num. 4. Mabillonius praefatione ad Sec. II. Benedictin. § 64

Historia Ecclesiae Remensis, sive, ut Sigebertus cap. 132. vocat, *gesta Pontificum Remensium*, libris IV. usque ad Annum 948. quorum versionem Gallicam sed pluribus passim omissis ediderat Nicolaus Chesneau, sive Querculus, Decanus Remensis, Remis 1580. 4. Integros Latine primus vulgavit Jacobus Sirmondus Parisiis 1611. 8. cum appendice ANONYMI, Canonici Remensis circa Annum 1140. qui Flodoardum breviaverat, aliisque opusculis ad eandem Ecclesiam spectantibus: Post Sirmondum Georgius Colvenerius, qui Codice Latino, ex quo Chesnaeus Gallicam versionem suam adornaverat, contulisse se testatur, ac praeter scholia et vocum obscurarum explicationem addidit appendicem Sonacii de statutis Synodalibus Ecclesiae Remensis, et Catalogum Archiepiscoporum Remensium. Duaci 1617. 8. Colvenerii editionem expresserunt Bibliothecae Patrum Paris. 1639. et novissima Lugdunensis tom. XV p. 500.

De Romanis Pontificibus a B. Petro ad Leonem VII. poëmate heroico libris XV. quod Anastasiani operis de vitis Pontificum paraphrasin esse notat Papebrochius in Actis Sanctorum tom. VII Maji pag. 773. nisi quod variorum Sanctorum elogia passim interspersa habet. Insignem partem hujus operis a Gregorio II. A. 715. ad Leonem VII. A. 935. ex Codice Carmelitarum excalceatorum San-Germanensi vulgavit Mabillonius Sec-Benedict. III. parte 2. pag. 596. Etiam ex Sanctorum interspersis elogiis non pauca edidit idem Mabillonius, ut a praestantissimo Caveo jam notatum, S. *Columbani* Abbatis Sec. II. pag. 30. *S. Attalae* pag. 127. *S. Bertulfi* Abbatis Bobiensis: et ex libro XIII. carmen octavum de *S. Benedicto* ejusque miraculis, in supplemento ad Sec. I. ad calcem Seculi secundi pag. 1095. Ex eodem Mabillonio mutuatus Papebrochius Flodoardi carmen de *Paschali* Papa, quod exhibet in Actis SS. appendice ad XIV. Maji t. 7 p. 773.

Non dubium haberi debet, idem hoc esse opus Flodoardi, quod Treviris in summo templo asservari testatus est apud Miraeum ad Sigerbertum, Vossiumque Johannes Bonderius An. 1555 in Indice Codicum MSS. per Belgicam, *de triunphis Italicis Martyrum et Confessorum liber. XI*, metro scriptos. Clare hoc patet ex Theodorici Ruinarti observatione de MSS. Carmelitarum Sangermanensi, quam infra subjungam, cum prius notavero in eadem Bibliotheca Trevirensi, Bonderio teste, etiam asservatos *libros III, de triumphis CHristi et Sanctorum Palaestinae*, et *libros II, de triumphis CHristi et Antiochiae gestis,* itidem carmine epico, a priore opere diversos. Etiam lib. 3. Hist. Eccles. cap. 6. Flodoardus miracula in basilica B. Virginis Remensis credita referens, *quorum plurima*, inquit, *quae ante nostram aetatem sunt gesta, nobis habentur incognita. Nos tamen ea, quae coram positi vidimus, vel personis quae viderant referentibus agnovimus, silentio hic quoque praeterire incongruum rati sumus, licet ea* versibus *olim exaravimus.* Sed Ruinartum lingua sua, plerisque eruditis hodie familiari, quae in MSto illo Codice observavit, exponentem audiamus.

J'ai examiné ce Manuscrît, dont le commencement est déchiré; l' Ouvrage commence par la fin du prémier Chapître du troisiéme Livre. Il y est parlè des Martyres, qui ont souffert sous la persecution de Valerien.

Le 4. Livre commence par le Pape S. Felix, et traite des persecutions d'Aurelien, de Claude, de Numerien, et de Diocletien. Il y parle des Papes, selon le têms qu'ils ont vécu.

Le 5. et le 6. Livre ne s'y trouvent pas, quoiqu'il semble n'y rien manquer,

Le 7. ne traite que de la persecution de Diocletien.

Le 8. est intitulé de persecutione Maximiani. *Il commence par l'Histoire de S. Marcel, et de tous les Martyres, qui sont dans ses faux Actes; ensuite il parle des Saints Martyrs qui sont reverez dans les Villes d'Italie. Le Chapître* 15 *est de Sainte Afre d'Augsburg. Le* 16 *est de S. Eusebe Pape.*

Le 9. Livre parle de Sant Valentin Mar-

tyr à Rome, ensuite des Martyrs des environs : et des Actes de S. Silvestre de Gallican, de S. Jean et de S. Paul, et des plusieurs autres Martyrs que l'on met à Rome sous Julien l'Apôtat.

Le dixiéme Livre commence par Saint Jules Pape, et finit à Vitalien et à Adeodat. Il y mêle plusieurs autres Saints, comme dans le Chapître 2. Il parle d'Eusebe, qu'il appelle Praesul, *qu'on dit avoir souffert à Rome sous Constance avec Orose, etc. de Saint Eusebe de Verceil, de Victorin le Rheteur, et de Saint Denis de Milan, il fait mention de la Translation de ce dernier, faite par Saint Basile, qui envoya son Corps à Saint Ambroise. (J'ai la Lettre de Saint Basile adressée à Saint Ambroise d'un ancien Manuscrit, où il est fait mention de cette Translation.) Dans le 3. Chapître, où il traite de Saint Damase Pape : il y parle de Saint Jerôme. Dans le 8. Chapître il parle du Schisme de Laurens de Paschase Diacre.... Dans le 19 de Hormisde Pape, de la Paix d'Orient, de Saint Germain de Capouë, de la Restitution d'Afrique, de Saint Remy, de la Conversion de Clovis, de la Couronne qu'il envoya à Rome, des Habits Consulaires qu'il reçut de l'Empereur. Dans le 10. Chapître, de S. Jean Pape, de Symmaque, et de Boëce, que Theodoric fit tuer. Dans le Chapître 12 de Cassiodore, de ce qu'a fait Belisaire contre les Goths en Italie et en Afrique. Enfin il traite fort au long de Saint Gregoire, et de ce qui est arrivé en son Monastere.*

L'onziéme Livre comprend l'Histoire des Papes depuis Agathon jusqu'à Christophle. Dans le Chapître cinquiéme, il parle au long de Saint Boniface d'Allemagne, qu'il appelle Docteur et Martyr. Dans le Chapître sixiéme, de Carloman Prince François, qui se fit Religieux. Dans le Chapître 7 du Pape Estienne II, de son Voyage en France, de sa Guerison miraculeuse à l'Abbaye de S. Denis, etc.

Le douziéme Livre contient l'Histoire depuis Leon IV, jusqu'à Leon VII. Dans le Chapître 1 il parle des deux Palliums *d'Hincmar, de l'établissement de l'Octave de la Fête de l'Assomtion de Nôtre-Dame. Dans le Chapître 2 de Jean Evêque de Ravenne. Dans le Chapître 3 d'Hincmar et de Charles le Chauve. Dans le Chapître 4 de Foulques Archevêque de Rheims, et de plusieurs commissions que les Papes lui ont données. Dans le Chapître 5 de la Translation de Saint Calixte Pape à Rheims, qu'il appelle* Urbem nostram. *Il traite au long des Actions de Formose, à qui il dit que Charles Roi de France demanda de lui envoyer du Pain benit*, Panem Benedictum.

Le 13 Livre est des Saints dont Saint Gregoire traite dans ses Dialogues, et d'autres Saintes d'Italie.

Le 14 Livre est des Saints Patrons, Martyrs et autres des Villes d'Italie.

Il finit par Saint Colomban et ses Disciples.

A la fin est une Epitaphe de Flodoard même.

Ce Manuscrit n'est gueres moins anciem que Flodoard.

Guido FLONOCHERUS, sive ut Possevino et Altamurae FLONOCHETUS Narbonensis, Ordinis Praedicatorum Magister Generalis, cujus *Chronicon* Simlero, Possevino et Vossio memoratur, apud Jacobum Quetifum tom. 1. p. 808 vocatur *Guido* FLAMOCHETTI, traditurque diem obiisse Neapoli 1451 19 Novembris.

Bartholomaeus FLORARIUS, de quo dixi tom. 1. pag. 67. Ex ejus libro *de abstinentia* locum profert Joannes Wolfius tom. 1 lection. memorabilium pag. 801.

FLORENTIUS *Abbas* Britannus, scripsit *Vitam S. Judoci*, filii Regis Britonum et Confessoris medio Seculo VII, ad confratres transmarinos, per Francorum et Teutonicorum regna constitutos. Exstat apud Surium 13 Decembris. Florentius testatur se *de libro vitae ac gestorum B. Judoci* nescio cujus auctoris haec quae offert breviter excerpsisse, et prolixitatem miraculorum prorsus omisisse.

FLORENTIUS Gallus, *Tricastinus* Presbyter, ad Celsam Abbatissam scripsit vitam *Rusticulae*, sive *Marciae*, civis Vasionensis, Abbatissae S. Caesarii Arelatensis, defuntae circa Annum 632. ex qua fragmenta apud Andream du Chesne tom. 1 scripto-

rum rerum Francicarum pag. 564 565 integra in Mabillonii Actis Sanctorum Benedictin. Sec. 2. pag. 139.

FLORENTIUS *Bravonius*, Monachus in Anglia *Wiccensis*, sive *Wigorniensis*, scriptor *Chronici ex Chronicis* a) ab Orbe condito ad Henrici I, tempora, sive ad Annum CHristi 1117. Nam anno proximo 1118. Nonis Julii ex hac vita discessit. Primus edidit Guilelmus Howardus, postea Comes Northamptoniensis, Londini 1592, 4. subjuncta ANONYMI Veteris *continuatione* ab An. 1118 ad 1141. Cum eadem continuatione recusum est typis Wechelianis Francofurti 1601, fol. subjunctum Matthaeo Westmonasteriensi. Compositam a Florentio *Continuatione Mariani Scoti* (qui in An. 1083 desinit) ad sua usque tempora, laudat nullam Chronici faciens mentionem Lelandus cap. 149 cui Baleus II, 66 adjungit librum *de rebus sui Coenobii* et alium *de regali Anglorum prosapia*, a quo Pitseus pag. 197 male distinguit librum *de Genealogiis Regum*, quem notat Cantabrigiae servari MS, in Collegio S. Benedicti. Hunc Caveus recte monuit exstare ad calcem Chronici, edit. Lond. nam in illa pag. 566. *Incipit regalis prosapia Anglorum descendens ab Adam.* Sed eadem legitur etiam in Wecheliana pag. 688. Annos CHristi numerare incipiens Florentius, ita computat, ut anno primo secundum aeram Dionysii Exigui, annus XXIII, secundum Evangelium respondeat, illumque duplicem quem semper observat computum orditur his verbis: *Incarnatio secundum DIONYSIUM incipit*, *conscripta per ordinem, contraria Incarnationi secundum EVANGELIUM.*

FLORENTINUS Anonymus *Historiae Florentinae* auctor ab An. 1405 ad 1438 editus a celeberrimo Muratorio tom. XIX, scriptorum rerum Italicarum, non Latine scripsit, sed Italice.

a) Gildam, Bedam, Adonem, Marianum, Sigebertum et similes religiose secutus, sicut ipsum sequuntur et laudant Gualterus Coventriensis, Ranulphus Higdenus, Johannes Rossus et alii, notante Lelando cap. 149. et Baleo II. 66. Insertos etiam illi suis locis antiquos Anglo-Saxonum Annales, Vossius pag. 397. monuit.

FLORES *Historiarum*, infra, *Julius* FLORUS et MATTHÆUS Westmonasteriensis.

FLORES *Temporum*, infra, MARTINUS Franciscanus et HERMANNUS Januensis.

FLOS FLORUM Chronicon in An. 1399 desinens.

FLORETUS. Vide supra in BERNHARDO tom. 1. pag. 213 atque infra in *Johannes* GERSON.

FLORIACENSE Chronicon breve ab An. 615 ad 1060 in Baluzii Miscellan. tom. 2. pag. 303-307. FLORIACENSIUM Abbatum Catalogus. id tom. 1. pag. 491-493.

FLORIANA *de Seelsen*, de qua Chronicon Huxariense a Christiano Francisco Paullino editum ad Annum 1290 *docta monialis in valle DEI, et Priorissa ibidem, elegantem* homiliam de filio viduae Nain *ad* Henricum Hornburgicum *scripsit. Promte loquebatur Latine: in controversiis et articulis Fidei bene exercitata, ut sane, nisi silentium imponeret mulieri Apostolus in Ecclesia, erudite potuisset concionari, altera* Anastasia, Helena, Gorgania et Roswitha. Addit etiam Epistolam Henrici Abbatis Corbejensis, quam eodem An. 1290 ad Florianam lecta ejus homiliâ exaravit.

FLORIANUS *de Sancto Petro*, Bononiensis Jurisconsultus circa Annum 1435 cujus Commentarios in Digesta et Codicem laudat Trithemius cap. 788. De eo Pancirollus II, 85. Marcus Mantua pag. 465.

* *Florianus de S. Petro* agri Bononiensis Oppido circa an. 1400 florebat. Eius repetitio super *L. civitas ff. si certum petatur* Cod. 224. MS. in Bibliotheca Feliniana. Ibi pariter extat disputatio Floriani *in materia legitimationis*. Eiusdem Floriani tres elegantes disputationes editae in lucem per nepotem suum Hieronymum De S. Petro ex originali depromptae lucem viderunt Bononiae typis impressae an. 1492. Eiusdem super XXII. Digestorum titulis in fol. Neapoli per Bertholdum Rihing Argentinensem 1475 et Mediolani an. 1497, t. IV.

FLORIDI Horti Chronicon, supra in EMONE pag. 506.

FLORILEGUS inter Historicos, vide, MATTHÆUS Westmonasteriensis.

FLORILEGUS, qui FLORES *Poëtarum* de virtutibus et vitiis digessit libris decem: de superbia, de bona fama, de invidia, de ira, de avaritia, de gula, de luxuria, de remediis luxuriae, de donis Sancti Spiritus, sive de virtutibus, cum libro decimo, excerpto ex Alani Anti-Claudiano. Prodiit Coloniae 1505, 12. *Hos morum flores si carpseris, ut rosa flores.* Indicem Poëtarum, quorum versus a Florilego laudantur, dedit Daumius Epist. ad Reinesium LXXV. pag. 304, seq.

Magistri FLORINI Physiologus, sive liber de natura animalium versibus elegiacis MS. in Bibliotheca Lipsiensi Paulina inter libros Collegii majoris Principum, teste B. Fellero pag. 391. Alius Physiologus versibus Hexametris leoninis, de quo infra, THEOBALDUS Episcopus.

De *Drepanio* FLORO dictum supra p. 478 notatumque eundem videri cum *Magistro* FLORO, Diacono Lugdunensi a) Dictum quoque pag. 479 de FLORO *Tricassino* Episcopo, et de FLORO *Monacho S. Trudonis*, quem a Trithemio confictum esse non satis certis argumentis pugnat Oudinus tom. 1. pag. 1806, seq.

Julius FLORUS auctor sive Collector Chronici, quod *flores Historiarum* inscripsit a Nino Assyriorum Rege usque ad Annum 1041. Prologum et excerpta edidit Labbeus tom. 2. Biblioth. novae MSS. pag. 190.

Paulus FLORUS, qui temporibus Justiniani Imperatoris vixit, et res ejus Imperatoris panxit Latino carmine. Vide Vossium II, 19 de Hist. Lat. pag. 240.

FLOTILDÆ Virginis in Lavenna Remensis territorii villa, *Visiones* quas vidit An. 940 mense Martio in Quadragesimali Jejunio, inter Petri Pithoei scriptores XII, coaetaneos, Parisiis 1588 et Francofurti 1594 8. pag. 201-207 et in Andreae du Chesne scriptoribus rerum Francorum tom. 2. pag. 624, seq.

FOCAS, seu PHOCAS, Grammaticus Urbis Romae, scripsit *vitam Virgilii* carmine hexametro, quod praemisso versibus Sapphicis exordio exstat, sed extrema parte mutilum in veteribus poëmatiis Petri Pithoei, et in quibusdam Virgilii editionibus, nec non in Catalectis Virgilianis, ut in Bibliotheca Latina notare me memini. In eadem Petri Pithoei sylloge etiam occurrit Focae *Dodecastichon* in commendationem *Artis* suae *Grammaticae*, quod incipit:

Ars mea multorum es quos saecula prisca tulerunt,
Sed nova te brevitas asserit esse meam.

Artem de nomine et verbo et aspiratione edidit Putschius in Grammaticis Latinis pag. 1683-1687.

Ægidius de FOENO, supra tom. pag. 21.

FOLCARDUS, qui Vossio Cangioque auctor *Chronici Beneventani* ab An. 1113 ad 1140. quo usum se Baronius et pleraque ex eo in Annales suos transtulisse profitetur ad An. 1113 num. 1 *sincera plane et integra fide* scriptum celebrans, utpote qui retulit ea, *quae vel vidit vel ab iis qui viderunt audivit.* Hic non diversus est a FALCONE, de quo supra pag. 551 unde patet Baronium parte priore Chronici ab An. 1102 ad 1113 destitutum fuisse. Vide Pagium ad Annum 1113.

FOLCARDUS Monachus *Bertinianus* Ordinis Benedict. Audomaropoli in Artesia circa Annum 1050 scriptor *Vitae S. Audomari*, Episcopi apud Morinos Tarvanensium, et vitam *S. Bertini*, qui Audomaro successit et triennio post, An. 698 obiit. *Audomari* Vitam sed interpolatam edidit Surius 9 Septembris. Vitam S. Bertini idem Surius 5 Septembris, sed integros de vita et miraculis S. Bertini ad Bovinum Abbatem suum, Mabillonius Act. Sanctor. Benedict. Sec. III, parte 1. pag. 104.

FOLCARDUS, sive FOLCHARDUS, Anglus, Monachus Dorobernensis, sive Cantuariensis, Ordinis Benedictini Congregationi Cluniacensis circa Annum 1066 scripsit ad Aldredum, Archiepiscopum Eboracensem, libris duobus *vitam* et *miracula Joannis Beverlacii*, ex Hagustaldensi Episcopo An. 687. Archiepiscopi Eboracensis. Vide Lelandum cap. 140. Baleum II, 53 et Pitseum pag. 188. Vita illa MS. in Biblio-

a) De hoc Lugdunensi Floro nuper Dominicus de Colonia in historia litteraria Lugdunensi tom. 2 pag. 135. seq. et de ejus poëmatibus p. 142. seq.

theca Cottoniana, ut constat ex Thomae Smithi Catalogo pag. 74 b. Edita eadem a Mabillonio Sec. III. Benedictin. pag. 433, et in Actis Sanctorum tom. 2. Maji VII. pag. 168. Etiam *vitam S. Oswaldi*, Wigorniensis Episcopi, et aliorum Angliae Sanctorum historias suaviter a Folcardo compositas testatur Ordericus Vitalis lib. 2, histor. Eccles. ad Annum 1118 ut Caveo jam notatum, qui Dorobernensem a Bertiniano Folcardo non diversum fuisse opinatur. Hoc quamquam per temporum rationes fortasse possit admitti, tamen perquam dubium mihi videtur, ob scriptorum Anglorum silentium de Bertiniano Folcardi sui Monachatu.

FOLCUINUS, *Fulcuinus, Folquinus, Volquinus*, *Fulquinus*, ex Monacho Bertiniano Abbas in Belgio Laubiensis, sive Lobiensis ab Anno 965. ad 990. scripsit *Chronicon de rebus gestis Abbatum* a) *Laubiensis Coenobii*, a S. Landelino fundati ab Anno 697. usque ad sua tempora. Vulgatum a Dacherio tom. VI spicilegii pag. 541. (editionis novae tom. 2 pag. 730.) in eo de se Folcuinus capite 28. seq. pag. 740. Praeter ea, quae in eodem Chronico cap. 30. seqq. de miraculis S. *Ursmari* b) narrantur, *Historiam miraculorum* ejus singulari libro descripsit, quem cum notis exhibet Henschenius in Actis Sanctorum t. 2 April. XVIII. p. 563-573. *Vitam vero Folcuini*, Tarvanensis Episcopi in Flandria A. 854. defuncti, Mabillonius Sec. IV. Benedict. pag. 622. Hisce *homiliam de zizaniis* ad Matth. XII, 25, seq. MS. Lovanii ad S. Martinum licet addere ex Oudino tom. 2. pag. 475.

Gilbertus FOLIOT ex Abbate Canonicorum Regularium Leicestriensi, Episcopus An. 1147. Herefordiensis et ab An. 1163, ad 1187. Londinensis: scripsit *Expositionem in Cantica Canticorum*, ad Robertum Melidunum, suum in Episcopatu Herefordensi successorem. Edidit Patricius Junius Londini 1638, 4. cum ALCUINO in eadem Cantica. Praeterea Baleus III, 7 cum tradit scripsisse *pro causa Henrici II*, Regis Angliae, ad Alexandrum III. Pontificem, atque *invectivam in Thomam, Cantuariensem* Archiepiscopum, cujus etiam caedis An. 1170 auctor fuisse a) quanquam Thomam hunc discipulum primo, deinde Patronum habuerat, teste Lelando cap. 185 ubi Folioti opus *de Sacramentis Veteris Testamenti* laudat *plane undecunque luculentissimum. Vitas* aliquot *Sanctorum Angliae* litteris ab eo commendatas notat Vossius pag. 425 ex Possevino. Etiam *Epistolarum* ejus *librum* Pitseus post Baleum memorat sed idem fallitur cum pag. 152 scribit ad Foliotum hunc exstare Epistolam S. BERNHARDI XXIV. Nam illa data est ad GILBERTUM quidem, sed a nostro diversum, illum nempe, qui ex Canonico Autisiodorensi factus est Londinensis Episcopus ab An. 1128, ad 1135. *Veteris et Novi Testamenti glossator* eximius, atque *in cunctis hujus Mundi sapientum litteris* adsuetus *ludere*, eoque nomine *Universalis* apud S. Bernardum appellatus. Vide Mabillonii ad eum notas, tom 1, pag. 41.

Robertus FOLIOTUS de Melundino, Gilberti Folioti propinquus et in Episcopatu Herefordiensi An. 1163 b) successor, cujus *librum excerptorum de Chronicis Mariani Scoti*, et *Conciones de Sacramentis* Vossius pag. 423. laudat, Pitseus pag. 236. ex Balei III. 8. etiam *librum de Sacramentis antiquae et novae Legis*, quem Gilberto Folioto tributum a Lelando cap. 185. jam dixi.

FOLMARUS Praepositus Coenobii *Trufensteinensis*, sive *Triefensteinensis* c) (petrae stillantis) in Franconia in dioecesi Wirtzelburgensi, sive Herbipolitana circa Annum 1160. scripsit *ad Eberhardum*, *Archiepiscopum* ab Anno 1147. ad 1164. *Salisburgensem*, *Epistolam* in qua facit cum Berengario: et aliam *ad Praelatos in*

a) Laudat Sigebertus cap. 136. de S. E.

b) De S. Ursmaro, Episcopo et Lobiensi Abbate, qui A. 713. obiit, vitae scriptores ANSO, HERIGERUS, RATHERIUS Veronensis.

a) Vide Oudinum tom. 2 pag. 1482. seq.

b) Warthonus tom. 1 Angliae sacrae pag. 301.

c) Gerhohus contra Folmarum cap. 15. *insectandus est haereticus et quasi vulpes demoliens vineam, videlicet Ecclesiam Wirtzelburgensem, in qua latitat nectens truffas in loco qui dicitur Trufenstein* etc.

Bavaria et Austria constitutos, in qua sententiam suam revocat, et se in *libello,* quem *de carne et anima Verbi, ad Gerhohum* scripserit, plenius de argumento illo tractasse testatur. Libellus quidem intercidit: sed Epistolae illae Folmari duae editae sunt a Gretsero post scripta Waldensibus opposita tom. 1, pag. 329. 338. Ingolstad. 1613 4. una cum aliis quinque Epistolis ad Folmarum, Gerhohumque: et in Bibliotheca Patrum Coloniensi tom. 13, pag. 344. et Lugdunensi tom. 25, pag. 312. 315. Contra hunc Folmarum, quem *Follem amarum* vocant ac praeter alios errores etiam cum Felice et Elipando sensisse arguunt, scripsere GERHOHUS, Praepositus Reicherspergensis, qui An. 1169. et frater ejus ac successor ARNO, qui An. 1175. obiit, de quibus suo loco. Prologus autem et fragmentum operis Folmaro oppositi editum a Stevartio in sylloge veterum scriptorum pag. 243. (in nova editione Antiquarum Lectionum Canisii Basnagiana tom. 3. parte 2. pag. 200.) et in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom. 23, pag. 240. non BEATI nec HETHERII est, qui adversus Felicem et Elipandum multis ante Folmarum saeculis scripserunt, sed ADAMI, Lecani Reicherspergensis, qui vastum suum adversus Folmarum volumen dicavit P. Decano Herbipolensi, meminitque *Epistolae* Folmari *ad Tavanensem* Archiepiscopum, (lege *Juvavensem*, et Salisburgensem intellige, sed aliam quam quae exstat ad illum Folmari Epistolam) in qua injurias Gerhoho, Praeposito Reicherspergensi, irrogaverit. Denique Stevartius notavit in Boicis Bibliothecis praeter illud Adami opus exstare etiam GERHOHI librum *de investigatione Antichristi,* in quo Folmarum refellendum sibi sumsit, perinde ut in *libro de Gloria et Honore Filii Hominis,* ad Hermannum Episcopum Brixinensem, qui vulgatus est a Bernardo Pez tom. 1. Anecdotorum parte 2, pag. 163. Augustae Vindelicorum 1721. fol.

Jacobus FOLQVERIUS, Doctor Tolosanus atque Lector Theol. Ordinis Eremitarum S. Augustini, scripsit *Viridarium Gregorianum*, sive allegorias in libros Sacrae Scripturae S. Gregorii Magni verbis, ad Clementem VI. An. 1345. Opus MStum in Bibliotheca Eremitarum Augustinianorum majoris Conventus Paris. teste Oudino tom. 3, pag. 946. Prologum edidit Jac Hommey pag. 555. spicilegii.

FOLQVINUS, supra, FOLCUINUS.

FONTANELLENSIS Abbatiae S. Vandregesili in Normannia, dioecesis Rotomagensis, *Chronicon*, sive *gesta SS. Patrum Fontanellensis Coenobii*, a) ab Anno Christi 645. usque ad Annum 834. cum commemoratione Genealogiae *Arnulfi* progrediente ad Annum 885. et cum duplici appendice Chronici, quarum posterior desinit in An. 1053. in Dacherii spicilegio tom. 3 pag. 185. (editionis novae tom. 2 pag. 263-390.) *Fragmentum* ab Anno 841. ad 856. plane diversi a Dacheriano Chronici Fontanellensis apud Andream du Chesne tom. 2 scriptorum rerum Francorum pag. 387-390. ubi et aliud *fragmentum* ab Anno 841. ad 848.

GODFRIDUS DE FONTANIS, sive DE FONTIBUS, *bonus Episcopus* dictus, gessit autem Cameracensem Episcopatum ab Anno 1220 ad 1238. Scriptor librorum *de Divinis Officiis*. Vide Bulaei Academiam Paris. tom. 3, p. 680 et tom. 4, p. 465.

GALFRIDUS de FONTIBUS, Cancellarius Parisiensis circa Annum 1283 cujus *Quodlibeta* satis prolixa *quatuordecim* de variis argumentis exstant MSS. in Bibliotheca Regia et aliis Galliae Bibliothecis. Vide Oudinum tom. 3 p. 584.

Anonymi Benedictini Burani Historia FONTIS SALUTIS (Legenda de Hailprunne) A. 1159. in Bernhardi Pez Anecdotis tom. 3 parte 3. pag. 647-656.

Bartholomaeus FONTIUS, Florentinus, auditor non infrequens Hieronymi Savonarolae, b) Francisci vero Philelfi successor, in Cathedra patria Oratoriam et Graecas litteras c) docuit ab Anno 1480. Ugolino Verino quidem judice.

a) Interpolatum esse notat Carolus le Cointe t. V Annal. Francorum pag. 458. seq.

b) Julius Niger de Scriptoribus Florentinis p. 82.

c) Diarium Eruditorum Italiae tom. XVII p. 552.

Ille fuit Rhetor pubis moderator Hetruscae,
Judicio et nulli morum pietate secundus.

Deinde praefectus Bibliothecae Budensi a) a Matthia Corvino, quem Hungariae et Bohemiae Regem constat diem obiisse An. 1490. Scripsit Fontius *Commentarium in Persium*, post editionem Venetam A. 1482. fol. saepius exscriptum typis, ut dixi libro 2 Bibliothecae Latinae cap. 12. *Orationes* ejus junctim editae in 4. de Eloquentia, de Historia, de bonis Artibus: de Poëtica, de Sapientia, de Satyra et de studiis Humanitatis. Vita Pauli Guiaccheti. De Poenitentia, sive Resipiscentia ad Laurentium Medicem. De asse, mensurisque ac ponderibus. Poeticum, Saxettus. Dialogus de pudicitia et conjugio, cum aliis vulgatus Francofurti 1621. 12 cura Georgii Remi. De homine Oratio, cujus argumentum his verbis tradit Marsilius Ficinus: *Latissime a Medicis explicatam de humoribus, complexionibusque et mirabili humani corporis artificio, atque elegantiam Platonis in hominis corpore describendo adeo admiratus est Bartholomaeus Fontius noster, Rhetor egregius, ut praeclara oratione probaverit, neque Lactantium, neque Cornelium Celsum, neque Ciceronem ipsum in re describenda ad mentem Platonis accedere potuisse.*

Traditur etiam illustrasse *Livium et Juvenalem* et *Aristotelis Poëticam*: Praeterea scripsisse *Annales suorum temporum* ab Anno 1448. ad 1483. quos manu auctoris scriptos Latine servat Florentiae instructissima Bibliotheca illustris viri Francisci Riccardi. *Epistola* hujus Fontii ad Robertum Salviatum legitur inter Epistolas ad Johannem Picum Mirandulam pag. 173. in qua Orationis, Budae a se habitae meminit. Omitto Epistolas Phalaridis in Hetruscum idioma ab eo versas, Florentiae 1491. editas, et carmina ejus scripta Italice, unde illustribus poëtis Italis accensetur a Joanne Mario Crescimbenio tom. 4 histor. Poëseos Italorum vernaculae pag. 27. Alius

a) De hac Bibliotheca Johannes Alexand. Brassicanus praefatione ad Salvianum An. 1530. Basileae editum in fol. et Julius Pflugk Epistola ad illustrem Seckendorfium vulgata Jenae 1688. in 8.

Bartholomaeus FONTIUS, Venetus, discipulus Palladii FUSCI Patavini, clarus sub saeculi XVI. initia. De Fusco illo infra suo loco. Hujus Fontii nomen inter scriptores prohibitos legitur in Indice Tridentino.

**Bartholomaeus Fontius Florentinus Cardinalis Tusculani Secretarius de poenitentia non absque commendatione oravit*: haec lego in Diaria Jacobi Volaterrani ad an. 1484. Non dubito quin hanc ipsam orationem in opusculum de poenitentia conversam ad Laurentium Medicem direxerit, qua de re Fabricius hic. *Annales suorum temporum*, de quibus hic Fabricius, ita breves sunt, ut paulo plus impleant, quam unam alteramque pagellam. Vulgavit vero illos Cl. Lamius in Catalogo Bibliothecae Riccardianae pag. 193 etc. (106 Recusi in vol. *Phil. Villani de Famosis civibus. Florentiae 1847.*) In eadem vero Biblioth. Riccardiana extant alia eiusdem Fontii opuscula, quorum indicem hic dare juvat. *Versus: vocabularium et observationes Grammaticae, et Etimologiae praecipue ex Tortello desumptae, Calendarium Festorum Christianorum, et Ethnicorum, Castigationes in Persium* opus ut arbitror a commentariis diversum, *vita Pauli Diacceti. Translatio Argonauticorum Apollonii. Sylva variae lectionis. Excerpta de rebus naturalibus diversis. Excerpta ex antiquis et recentioribus authoribus.*

Johannes FORDENSIS, sive de FORDA, sive de FORDUN, Abbas Ordinis Cisterc. circa Annum 1210. Johannis Regis Anglorum a sacris Confessionibus, auctor Commentarii *in Jeremiam* ejusque *threnos*, et *in Cantica* ab eo loco, ubi GILBERTUS desierat, nec non libri *de Contemtu Mundi*, et *Homiliarum* CXX. Scripsit etiam *Vitam Walfrici*, Conodunensis Presbyteri, ad Bartholomaeum Iscanum, sive Exoniensem Episcopum. Vide Lelandum cap. 206. Baleum III. 66. qui addit librum *de triplici Cruce*, et *Acta quaedam Regis Johannis*, sicut Pitseus pag. 276. *Lectiones ordinarias*, et pag. 277. Scotichronicon, sed quod juniorem, ut mox dicam, auctorem habet.

Joannes FORDUN, Scotus, auctor *Scotichronici* libris sex usque ad Annum 1360. MSti in Cottoniana et aliis Angliae Biblio-

thecis. Vide Oudinum tom. tertio. pag. 1091.

Mauritius FORDANUS, Anglus, Monachus Bernardinus, cujus Carmen *de schemate Pontificali* ad Reginaldum, Badunensem sive Bathoriensem et Wellensem Episcopum, laudat Lelandus cap. 215. Reginaldus ille diem obiit Anno 1192. Vide Warthoni Angliam sacram t. 1 p. 113.

Rogerus FORDANUS itidem Anglus et Monachus Bernardinus, quem idem Lelandus cap. 205. ait, beneficio GVILELMI *Savignensis*, in unum volumen collegisse, et Baldevino, Fordano Abbati dedicasse, *Revelationes* S. ELISABETHÆ, Virginis Schoenaugiani Monasterii. Elisabetha illa defuncta est A. 1168. de qua supra pag. 504. seq. Iisdem revelationibus Rogerus subjunxit *Encomium B. Virginis* versibus scriptum.

Jacobus Philippus FORESTUS, *Bergomensis*, infra, JACOBUS *Philippus*.

FORLIVIENSES Annales ab Anno 1275. ad 1483. editi a celeberrimo Muratorio in scriptoribus rerum Italicarum tom. XXII Vide et infra, HIERONYMUS Forliviensis.

S. FORMOSUS, priore nomine *Damasus*, ex Portuensi Episcopo Papa Romanus ab Anno 891. Septembris 19. ad Annum 896. Aprilis 4. Ejus nomine Epistola *ad Episcopos Angliae*, revocando interdicto et *de Ecclesia Anglicana bene ordinanda* apud Wilhelmum Malmesburiensem libro 1. de gestis Pontificum Angliae, Baronium ad Annum 894. num. 14. Speelmannum tom. 1 Conciliorum Angliae pag. 388 qui Formosi nomen pro Leone V. putat irrepsisse: quanquam Gabriel Cossartius malit pro Johanne IX. et Papebrochius pag. 146. conatus Chronico-historici suspicatur merum esse figmentum Seculi XI. quo inter Cantuariensem et Eboracensem Archiepiscopos fuit contentio atque Eboracensis Cantuariensi aequari per omnia voluit, primatus autem Cantuariensi in hac Epistola vindicatur. Altera Epistola respondet Formosus ad Epistolam, quam *Stylianus* Neocaesariensis Euphratesiae Episcopus ad Stephanum V. scripserat. Utraque in tomis Conciliorum obvia, quibus accedit Epistola *ad Bernonem*, *Abbatem Gigniacensem*, de privilegiis ejusdem Monasterii, apud Baluzium tom. 2 Miscell p. 159. De ejus Epistolis *ad Falconem*, Archiepiscopum Remensem, Regesque *Carolum* et *Odonem*, sive *Othonem* Flodoardus IV. 2. seq. historiae Remensis, et e et e Flodoardo Baronius ad Annum 893, 894. Pro ordinationibus a Formoso Papa factis et pro causa ac negotio ejus contra Stephanum VII. Sergiumque Anti-Papam diligenter scripsit AUXILIUS, de quo supra tom. 1, pag. 49, seq. Huic Formoso incerta conjectura Oudinus tom. 2, p. 382, seq. tribuere non dubitat *librum Pontificalem* a), qui sub DAMASI fertur nomine: et minus verisimili etiam suspicione pag. 387 scripta in S. Hieronymi obvia operibus, sub titulo: *Eusebii de morte Hieronymi* ad Damasum, *Augustini ad Cyrillum* Hierosol. et *Cyrilli ad Augustinum* de miraculis Hieronymi.

* *Formosi Epistola ad Angliae Episcopos* dissidii Argumentum praebuit variis eruditis, ut Fabricius innuit. Omnium postremus Wilkinsius in Conciliis Britanniae censuit non Formoso quidem, aut potius Sergio III tribuendam esse, quanquam et ipsa titubans scribit. Formosi *Epistolam ad servum Dei Gerundensem Episcopum* dedit olim P. Martene Anecdot. t. 1. p. 239. sed integriorem ex ipso typo Gerundensi descripsit vulgavitque Dominicus Georgius in adnotationibus, quas una cum meis subiecit recentissimae Baronii una cum Pagio editioni Lucensi ad an. 892. ex quo ego illam dedi in supplem. Concil. t. 1. p. 1066. adiungendamque censui alteri datae *Monachis S. Theuderi* in territorio Viennensi ex Spicilegio Daucherii tom. III desumptae. Argumenta aliarum quarundam ex historia Remensi Flodoardi, et ex carmine eius in Romanis Pontificibus a Mabillonio in Analectis vulgato in eodem Suppl. exhibui.

Jacobus FORNERIUS, supra, BENEDICTUS XII Papa. Tom. 1, pag. 183, seq.

FORTANERIUS, sive *Sertorius* VASSELLI, Aquitanus, Ordinis Minorum Mi-

a) Supra pag. 15, 16, 17.

nister Generalis, Patriarcha Gradensis et Cardinalitiae dignitatis Candidatus obiit Patavii An. 1361. Ejus scripta laudata a Waddingo pag. 110, seq. praeter *Sermones*, et *Lectiones Theologicas*, ac *Quodlibetica disputata*, sunt Commentarii *in omnes fere sacrorum Bibliorum libros*, et in aliquot libros *S. Augustini* praesertim *libros XXII de Civitate DEI.* id enim puto verius quam quod apud Waddingum est, *librum XXII.*

Sulco FORTENA et *Hanco* FORTENA, Frisii, qui temporibus Caroli Magni scripsisse traduntur; ille quidem *Principum Regumque Frisiae genealogiam et res gestas*, hic, *expeditiones a se susceptas sub Imperatore Graeco*, *Rege Scotiae Angliaeque et Carolo Magno*, ex solo noti Suffrido Petri Decad. V. cap. 9. et Decad. VI. cap. 6. non certissimo in talibus auctore. Vide Vossium pag. 299.

FORTUNATIANUS, in Honorii Codicibus lib. 1. cap. 98 vitiose FORTUNATIUS, natione Afer, Aquilejensis Episcopus, interfuit Concilio Sardicensi An. 347. et teste Hieronymo cap. 97. scripsit *Commentarios in Evangelia*, *titulis* (ut apud Hilarium sit) *ordinatis*, *brevique et rustico sermone.* De rustico sermone Latino singularem se libellum conscribere proposuisse testatus est. V. C. Christianus Falsterus ad Gellii XIII. 6. parte 3. Amoenitatum Philologicarum pag. 286. De Fortunatiano hoc, qui ad Arianos denique deflexit, plura Tillemontius t VI memoriarum pag. 364-419.

Curius FORTUNATIANUS Rhetor, de quo supra tom. 1, pag. 405. Vide sis et infra, PORTUNIANUS.

Venantius Honorius Clementianus FORTUNATUS, Italus, Presbyter et in Gallia Episcopus Pictaviensis, celebravit carmine elegiaco nuptias Sigeberti Regis et Brunechildae An. 565. lib. VI. carmine 2. Carmen quod ad Chilpericum Regem tempore Synodi Brinnacensis An. 581. habitae scripsit, in libro nono primum locum occupat. Non ante Annum 600. rebus humanis valedixit. Vitam ejus scriptis praemisit Christoph. Browerus, S. J. qui Carmina Fortunati et alia opuscula, quae potuit reperire, cum notis sacris, historicis et Geographicis vulgavit Moguntiae 1603. et 1616. 4. inde recusa in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom. X. Indicem autem quem adjunxit Chronologicum, omnino mendosum esse, et ad exactiores revocandum calculos notat Labbeus tom. 2. de S. E. pag. 458. testatus omnia se opuscula Fortunati infinitis locis partim ex optimae notae Codicibus, partim ex certissimis conjecturis emendata atque editis auctiora praelo jamdudum parata habere. Hunc ejus laborem necdum vidisse lucem dolendum est, cum haec Labbeus jam scripserit An. 1660. Subjunxit Browerus etiam silvam sive indicem *enormium*, ut appellat, *quae contra Grammaticae vel Prosodiae Canonem, aut peregrina in Fortunati lectione occurrunt*, tom. X. Bibl. Patrum Lugd. pag. 617.

Poëmatia Fortunati pauca in Georgii Fabricii Poëtis Christianis, et in Corporibus Poëtarum Latinorum: plura in editione Jacobi Salvatoris Solarii, Venetiis 1578 8. atque inde in Bibliothecis Patrum Bigneanis: Sed longe plurima in editione Christoph. Broweri, S. J. digesta itidem *libris undecim*, cum praemissa ad Gregorium Turonensem amicum suum dedicatoria. In his libris praeter varias Epistolas, etiam alia scripta prosario sermone interspersa sunt, ut *expositio* a) *Symboli* libro XI. *Expositio Orationis Dominicae* et *Consolatoria ad Mummulenum in morte filiae decennalis*, libro decimo: Carmen *de resurrectione Domini* legitur lib. III. 9. quod LACTANTIO praeter rem antea tributum emendavit, Venantioque restituit Georgius Cassander, Carali 1573. 8. et pag. 228. Operum: prodiit et separatim cum notis Augusti Buchneri, Wittebergae 1627. 8. Difficilis quaedam et laboriosi artificii carmina (qualia Optatiani Porphyrii habemus et Rabani) exstant lib. II. 4. 5. 6. et V. 7. quae, ut multa alia, in editione Solarii et in Bigneana Bibliotheca Patrum, etiam Paris. 1624. desiderantur, cum Broweri Fortunatus tot jam annis semel antea atque

a) Orationis Dominicae et Symboli Expositio legitur etiam in Orthodoxographis pag. 1221 et 1227. Basilae 1569, fol.

iterum vulgatus extitisset. Singula Fortunati carmina, inter quae multis *Epitaphiis Virorum illustrium* locum dedit, enumerare longum esset, et factum hoc ex parte a Leysero in Poëtarum medii aevi historia pag. 152. seq.

Vita S. Martini Turonensis, quam libros SULPICII Severi prosa scriptos secutus, panxit Fortunatus hexametro libris quatuor, praemissa Epistola qua eos *Domino sancto atque Apostolico piissimo in CHristo, et peculiari patri GREGORIO Papae* Turonensi dedicat. In limine libri primi alios etiam ante se Poëtas Christianos celebrat his verbis:

Primus enim docili distinguens ordine carmen
Majestatis opus metri canit arte JUVENCUS,
Hinc quoque conspicui radiavit lingua SEDULI,
Paucaque perstrinxit florente ORIENTIUS ore,
Martyribusque piis sacra haec donaria mittens
Prudens prudenter PRUDENTIUS immolat actus,
Stemmate, corde, fide pollens PAULINUS a) et arte
Versibus explicuit *Martini* dogma magistri.
Sortis Apostolicae quae gesta vocantur et actus
Facundo eloquio vates sulcavit ARATOR.
Quod sacra explicuit serie genealogus olim,
ALCIMUS egregio digessit acumine praesul.

Exstat haec vita in editione poëmatum Fortunati Veneta et Moguntinis, et in Bibliothecis Patrum Coloniensi 1618. tom. VI. Parisiensi 1624. tom. VIII, pag. 752. et in Lugdunensi tom. X, pag. 597.

Carmen elegiacum *de excidio Thuringiae* ex persona Rhadegundis, quod incipit:

Conditio belli tristis, sors invida rerum.

tom. X. Bibliothecae Patrum Lugdunensis pag. 613. Confer Casparis Sagittarii Antiquitates Regni Thuringici pag. 323.

Hodoeporicon carmine elegiaco *ad Justinum juniorem, Imperatorem et Sophiam Augustam*, quod incipit:

Gloria summa Patris, Natique ac Spiritus almi.

tom. X. Bibliothecae Patrum Lugdunensis pag. 614.

Carmen elegiacum *ad Artachin*, quod incipit:

Post patriae cineres et culmina lapsa parentum.

ibidem pag. 615.

FORTUNATI Vitae Sanctorum.

S. Albini, Andegavensis Episcopi, defuncti circa Annum 550. apud Surium 1. Martii et apud Mabillonium Sec. I. Benedictin. pag. 108. et in Actis Sanctorum tom. 1. Martii pag. 57. cum notis.

S. Amantii, Episcopi Ruthenensis, apud Surium 4. Novembris, et sincerior in Labbei Bibliotheca nova MSS. tom. 2, pag. 474-481.

S. Germani, Parisiensis Episcopi, defuncti An. 576. apud Surium 28. Maji, et in Mabillonii Sec. I. Benedictin. pag. 319. atque in Actis Sanctorum tom. 6 Maji XXVIII pag. 778. cum notis Henschenii.

S. Hilarii, Pictaviensis Episcopi, qui An. 369. obiit, libris duobus ad Pascentium Papam, sive Episcopum Pictaviensem, scripta ante Annum 559. a) apud Surium 13. Januar. et ante Hilarii Opera pag. CXXVIII. cum notis Benedictinorum, et in Actis Sanctor. tom. 1. Januarii p 790. Liber secundus, qui est de Hilarii miraculis, an Fortunati hujus sit, dubium videtur viris quibusdam doctis.

S. Marcelli, Parisiensis Episcopi, apud Surium Novembris 1. Confer Gregorium Turonensem de gloria Confessorum cap. 89.

S. Maurilii, Episcopi Andegavensis, qui circa Annum 431. obiit, apud Surium 13. Septembris.

S. Medardi, Episcopi Noviomensis, defuncti circa Annum 556 interpolata apud Surium 8 Junii: sincerior in Dacherii spicilegio tom. VIII, pag. 391. et editionis novae tom. 2, pag. 70-71. atque apud Mabillonium Sec. I. Benedictin. pag. 234. et in Actis Sanctorum tom. 2. Junii pag. 79. cum notis Papebrochii, praemisso pag. 78. carmine elegiaco de ejusdem Medardi miraculis, quod incipit: *Inter Christicolas.*

S. Paterni, Episcopi Abrincensis, circa Annum 565. in Mabillonii Sec. 2. Benedictin. pag. 1100. et cum Henschenii notis Act. Sanctor. tom. 2. Aprilis XVI. p. 427.

S. Radegundis Reginae, quae An. 587. obiit, apud Surium 13. Augusti. Vitam a Fortunato scriptam supplevit BAUDONIVIA Sanctimonialis. Vide Pagium ad Annum 527. num. XVI.

a) Paulinus Petrocorius.

a) Labbeus tom. 2 de S. E. pag. 459.

S. Remigii, Remensis Archiepiscopi, apud Surium 1. Octobris.

Expositio Fidei Catholicae in Symbolum Athanasianum *Quicunque*: quam edere promiserat celeberrimus Muratorius tom. 1. Anecdotorum Latinorum pag. 15. vulgavitque tom. 2, pag. 212–217. subjuncta erudita de Symbolo illo dissertatione.

Hymnum ad baptizatos, ex MSto Pontificali Ecclesiae Pictaviensis, edidit Edmundus Martene de antiquis Ecclesiae ritibus pag. 181. qui cum brevis sit, etiam hoc loco non erit ingratus Christiano Lectori.

Tibi laus perennis auctor
Baptismatis sacrator,
Qui sorte passionis
Das praemium salutis.
Nox clara plus et alma
Quam luna. sol et astra,
Quae luminum corona
Reddis diem per umbram.
Tibi laus.
Dulcis, sacrata, blanda,
Electa, pura, pulcra,
Sudans honore mella,
Rigans odore chrisma.
Tibi laus.
In qua Redemptor orbis
De morte vivus exit;
Et quos catena vinxit
Sepultus ille solvit.
Tibi laus.
Quam CHristus aperivit
Ad gentium salutem,
Cujus salubri cura
Redit novata plasma.
Tibi laus.
Accedite ergo digni
Ad gratiam lavacri;
Quo fonte recreati
Refulgeatis agni.
Tibi laus.
Hic gurges est fideles
Purgans liquore mentes,
Dum rore corpus sudat,
Peccata tergit unda.
Tibi laus.
Gaudete Candidati,
Electa vasa regni,
In morte consepulti
CHristi fide renati.
Tibi laus.

Alius Fortunati hymnus ex Ecclesiae Mindensis antiphonario MSto, quod Helmstadii servatur, editus a Polycarpo Leysero pag. 168. Historiae Poëtarum medii aevi, quem et ipsum hic adscribere placet, licet repetitum in Diario Theologico Dresdensi a) An. 1722 pag. 532.

Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis.
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, germine.
Dulce lignum, dulce clavo
Dulce pondus sustinens.
Pangelingua gloriosi b)
Praelium certaminis,
Et super crucis tropheo
Dic triumphum nobilem.
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus viverit.
De parentis protoplasti
Fraude Factor condolens;
Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit.
Ipse lignum tunc notavit
Damna ligni ut solveret.
Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat.
Multiformis perditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde
Hostis unde laeserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis.
Missus est ab arce Patris
Natus orbis conditor,
Atque ventre virginali
Carne factus prodiit.
Vagit infans inter arcta
Positus praesepia,
Membra pannis involuta
Virgo mater alligat.
Et pedes manusque crura
Stricta cingit fascia.
Lustra sex qui jam peracta
Tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc
Passioni deditus,
Agnis in crucis levatur
Immolandus stipitem.
Hic acetum, fel, harundo,
Sputa, clavi, lanceae,
Mite corpus perforantur,
Sanguis unda profluit,
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavantur flumine,
Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,

a) Fortgesetze Sammlung von Alten und Neuen Theologischen Sachen.

b) Hinc Thomas Aquinas sumsit ansam hymni, sed diversi longe, qui in Festo Corporis CHristi frequentari consuevit, atque incipit: *Pange lingua gloriosi Corporis mysterium, Sanguinisque pretiosi quem in Mundi pretium Fructus ventris generosi Rex effudit gentium.*

Quem dedit nativitas.
Ut superni membra Regis
Miti tendas stipite,
Sola digna tu fuisti
Ferre pretium saeculi,
Atque portum praep rare
Nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit
Fusus agni corpore.
Sit Patri, Natoque summo
Gratiae cum Spiritu,
Sempiternae Trinitati
Laus, salus et gloria:
Quae creavit, quae redemit,
Quaeque nos illuminat.

* *Venantius Fortunatus.* Parcendum est Fabricio eterodoxo Scriptori, si ea, quae ex Breviario Romano notissima sunt ortodoxis, nova sibi accidant, et ignota ac dignissima judicaverit, quae sua opera typis recudantur. Hymnus ille: *Crux fidelis inter omnes*, cui non ortodoxo notus est ex Breviario Romano? Quin et ex libellis aliis sacrarum praecationum, quos pia fidelium religio diurna nocturnaque manu versat?

FORTUNATUS *Manichaeus*, Presbyter Hipponensis, cum quo Acta sive Disputatio S. Augustini adhuc Presbyteri per duos dies habita Hippone circa Annum CHristi 392 saepe prodiit inter hujus opera et tom. VI, editionis Benedictin. pag. 67.

FORTUNIUS Tubursicus in Africa *Donatianae* partis Episcopus, cui cum eodem S. Augustino intercessit disputatio circa Annum 397 de cujus Actis vide hujus Epistolam 173 ad Eleusium Glorium et Felices, (editionis novae XLIV.)

Ægidius FOSCHERARIUS, *Bononiensis* supra in ÆGIDIO tom. 1. pag. 18.

FOSSÆ NOVÆ *Chronicon* ab An. primo nostrae Salutis usque ad Annum 1217 auctore anonymo, editum ex MSto Coenobii Fossae novae a Ferdinando Ughello sub falso nomine Joannis de CECCANO, tom. 1. Italiae Sacrae An. 1644 in appendice pag. 450 et editionis novae An. 1722 tom. decimo, ubi inter anecdota Ughelliana ducit familiam. Novissime emendatius vulgavit celeberrimus Muratorius tom. VII, scriptorum rerum Italicarum pag. 851.

Gerhardus de FRACHETO, Lemovicensis Ordinis Praedicatorum, defunctus An. 1271 scriptor *Chronici* a) ab initio Mundi usque ad coronationem Caroli Francici in Regem Siciliae An. 1265. MS. in variis Bibliothecis Galliae et Italiae. Vide Oudinum tom. 3. pag. 493 et Jacobum Quetif tom. 1. pag. 260 ubi etiam de Fracheti hujus *Vitis Fratrum Ordinis Praedicatorum* scriptis jussu Humberti, Magistri Ordinis, editisque Duaci 1619, 4. et Valentiae Aragonum 1657, 4.

Nicolaus de FRACTURA, Decretorum Doctor et ex Monacho Cassinensi Abbas S. Vincentii de Vulturno in Italia absolvit An. 1299. *Commentarium in Regulam S. Benedicti* ad Abbates Fratresque Monachos illus Ordinis, quem MStum in Bibliotheca Sangermanensi Paris. evolverunt Cangius, et Oudinus tom. 3. pag. 649 qui in calce Codicis hos versus reperit:

Hic liber est scriptus, exponens sit benedictus:
Ut rosa flos florum, sic est liber iste librorum.

Rudolpus de FRAMEYNSBERG, miles, sive nobilis Bavarus, scripsit *investigationem et locorum distinctionem*, sive *descriptionem itineris* Landshuta An. 1346, b) suscepti absolutique in Palaestinam, ad montem Sinai et in Ægyptum: Edidit sed extrema parte mutilam Henricus Canisius tom. 6 antiquae Lectionis p. 320 (editionis novae Basnagianae tom. IV. pag. 358-360.)

Johannis Georgii ECCARDI c) Commentarii de rebus FRANCIÆ Orientalis, sive Germanicae, et Episcopatus Wirceburgensis usque ad Henrici Aucupis tempora, Wirceburgi 1729, fol. duobus vol. quorum utrique subjuncta varia antiqua monumenta, tomo priori quidem 1. *Annotatio temporis vetusta ex Codice MSto Homiliarum S. Burchardi antiquissimo depromta*, pag. 803 2. *Annales breves ex Codice Seculi noni*, pag. 804 3. *Annales breves An. 816 conscripti*, pag. 805 4. *Chronicon Wir-*

a) Hoc est quod *Chronicon Lemovicense* a Cangio appellatur.

b) Non 1336. ut typorum errore apud Oudinum tom. 3 pag. 914.

c) Acta Eruditorum An. 1732. pag. 145. et 249. Immortuus Eccardus vir doctus huic operi, Wirceburgi An. 1730. mense Februario. Bibl. Germanique tom. XXI p. 224.

ceburgense Baluzianum, pag. 806 5. *Anonymi Chronicon Wirceburgense An.* 1340 *conscriptum, et usque ad Laurentium de Bibra continuatum*, ex Codice MSto monasterii S. Stephani Wirceburgensis, pag. 816, 6. *Venerabilis Bedae liber de ratione temporum*, *cum Bibliothecae Cathedralis Wirceburgensis Codice collatus*, adjectis *binis Chronicis vetustissimis*, pag. 825 7. *Additamentum ad Bedae Martyrologium*, ex Codice Wirceburg. seculo IX, exarato, pag. 829 8. *Necrologium insertum Bedae Martyrologio*, ex Codice Wirceburg. seculi IX. pag. 830 9. Excerpta *ex Calendario Missalis Frisingensis vetustissimo*, pag. 834 10. *Euchardi, Episcopi Wirceburgensis, Codex Homiliarum*, ex Bibliotheca Cathedrali Wirceburgensi excerptus, cui nonnulla ex MSto, aere caelata inseruntur, pag. 837 11. *Glossae veteres lingua Hibernica*, Epistolis D. *Pauli* adscriptae, ex Codice Seculi IX. Wirceburgensi, pag. 847 12. *Glossarium Romano-Theotiscum*, ex Codice seculi octavi, in Fuldensi quondam, nunc Bibliotheca Hasso-Cassellana asservato, cui eruditas subjunxit notas editor, pag. 853. 13. *Fragmentum fabulae Romanticae, Saxonica Dialecto, Seculo octavo conscriptae*, ex Codice Hasso-Cassellano, cum interpretatione editoris et notis praeclaris, p. 864 14. *J. G. Eccardi Commentatiuncula de Anonymo Ravennate, ejusque aetate*, quippe quem gente Gothum, ac Seculo VII, vixisse, et jam ante Annum 647 sua conscripsisse, evincit, pag. 902 15. *Vita S. Chrodegangi*, *Episcopi Metensis*, ex Codice Seculi XII. Guelferbytano, pag. 912 16. *Ottonis, Ducis Brunsvicensis, Privilegium*, quo Jus Francorum civitati Mundensi, confirmatur. pag. 936.

Tomo posteriori : 1. *Diplomata Wirceburgensia*, ubi *Schannati*, Fuldensis Historiographi, errores acri sale perstringuntur. pag. 863 870 2. *Specimen Breviarii rerum Fiscalium Caroli Magni*, una cum *Capitulari de villis* ex Codice Helmstadiensi, pag. 902 3. *Annales breves Colonienses*, ex MSto Bibliotheeae Metrop. Coloniae, pag. 917 4. *Catalogus Abbatum Werthinensium et Episcoporum Colon.* ex Codice Seculi XI. Werthinensi, pag. 918 5. *Exorcismi et Ceremoniae in Judiciis DEI*, ex Codice Werthinensi Seculi XI. pag. 919 6. *Catechesis Theotisca*, ex Codice Bibliothecae, pag. 923 7. *Confessio Theotisca*, ex Codice Bibliothecae Cathedralis Wirceburgensis, pag. 930 8. *Homiliarum Theotiscarum Fragmenta*, ex Codice Caesareo, pag. 941 9. *Hymni Francici*, ex Codice Juniano Oxoniensi, pag. 948 10. *Rabani Mauri Glossarium in Vetus et Novum Testamentum*, ex Cod. Biblioth. Caesareae, p. 950 11. *Glossae Theotiscae*, ex Codicibus Bibliothecae Cathedralis Wirceburgensis, pag. 977 12. *Glossae Florentinae*, ex Bibliotheca Magni Ducis, pag. 981. *Glossarium Latino-Theotiscum*, ex Codice Bibliothecae Hamburgensis Sec. X. pag 981 14. *Glossae Theotiscae*, in *Bedae* artem metricam, ex Codice *Goldastino* Bibliothecae Bromensis Sec. X. pag. 1002 15. *Glossae Theotiscae*, ex Ebneriano Prudentii Codice Sec. XI. pag. 1003.

Petri PITHOEI Annalium et Historicorum FRANCORUM ab An. CHristi 708 ad Annum 990. *Scriptores coaetanei XII.* Parisiis 1588, et Francofurti typis Wechel. 1594, 8. Post praemissam ex antiquo Codice Legis Salicae, *brevem notationem Chronicam* ab An. 697 ad 713 in hoc volumine continentur :

I. *Annales* FRANCORUM ab anno incarnationis Domini DCCXIV, ad annum DCCCLXXXIII. Maguntiae, ut videtur, sub ditione Lotharii et Ludovici filii, scripti temporibus Rhabani Mauri, Archiepiscopi, pag. 1.

II. *Frodoardi* Presbyteri Ecclesiae Remensis Annales, sive Chronicon aetatis suae, i. ab anno CHristi DCCCCXIX, ad annum DCCCCLXVI, cum appendice annorum aliquot, pag. 109.

III. Continuatio ab An. DCCCCLXXVII, ad annum DCCCCXC, ex Chronicis *Wilhelmi Nangii*, Monachi S. Dionysii, tunc nondum editis, pag. 207.

IV. *Odoranni*, Monachi S. Petri Vivi Senonensis, Chronicon, quod ille jam sexagenarius collegit An. MXLV. pag. 214.

V. Fragmentum Gallici scriptoris ex *Conrado* Abbate, ad an. DCCCCXXII. p. 216.

Genealogia B. Arnulfi, Metensis Episcopi, ex antiqua membrana ejusdem Ecclesiae, pag. 219.

Fragmentum veteris scriptoris de Majoribus domus Regiae, ex Codice Floriac. Coenobii, pag. 226.

VI. *Vita Karoli Magni*, Francorum Regis et Imperatoris, descripta, ut videtur, magna parte *a Monacho S. Eparchii Egolismensis*, ex *annalibus plebejo et rusticano sermone compositis*, quos et *Regino* Prumiensis sequutum se ait ad annum DCCCXIV nonnullis interpolatis, paucis etiam additis, pag. 230.

Charta divisionis Imperii, quae in quibusdam exemplaribus *Karolo Magno* adscribitur, non certa fide, pag. 283.

VII. Fragmentum ex historia *Pauli Warnefridi* Longobardi filii, Diaconi Forojuliensis, de Episcopis Mediomatricum Ecclesiae, pag. 288.

VIII. Constantini Manassis de Karolo Imperatore versus Politici, Graece p. 290.

IX. *Thegani*, Chorepiscopi *Treverensis*, *de gestis Ludovici Pii* Imperatoris, cum praefatione *Wallafridi Strabonis*, Abbatis Augiensis, pag. 295.

Acta impiae et nefandae exauctorationis ejusdem Ludovici Imperatoris apud Compendium, An. DCCCXXII. pag. 322.

Praeceptum ejusdem Imperatoris de divisione inter filios, pag. 330.

X. *Vita* ejusdem *Ludovici Pii* incerto scriptore, sed tamen coaetaneo, pag. 336.

Chartae privilegiorum ab eodem Imperatore concessorum Hispanis, qui ad ipsum, Saracenorum metu confugerant, ex Tabulario Ecclesiae Narbonensis, pag. 427.

XI. *Nithardi*, Angilberti filii, Karoli Magni Imperatoris ex Bertha filia nepotis, de dissensionibus filiorum Ludovici Pii, libri quatuor, pag. 433.

Libellus proclamationis Karoli Regis adversus Guenilonem, Archiepiscopum Senonum, oblatus Synodo Tullensi, sive Saponariae, an. DCCCLIX. cui subjuncta est Epistola ejusdem Synodi ad Episcopos Britanniae sive Armoricanae provinciae p. 491.

Acta Coronationis Karoli Imperatoris Ludovici filii, pag. 498.

Sacramentum eidem Imperatori praestitum ab Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac reliquis Italiae optimatibus, pag. 506.

Subjuncta sunt alia fidelitatis sacramenta eidem Regi a Francis praestita pag. 508.

Fragmentum historiae Francicae a Ludovico Balbo, qui a quibusdam *illustris*, ab aliis *Nihili* dictus est, ad Hugonem regem. Ex vetusta membrana Floriac. Coenobii, pag. 510.

Aliud fragmentum Aquitanicae historiae ex pervetusta scida Lemovic. a morte Karoli Calvi ad Hugonem regem. Incipit: *Interea Carolo Calvo de seculo migrante*, pag. 517.

Epitaphia quorundam Regum, ex vetustis monumentis, pag. 427. 524. 525.

XII. *Abbonis* Levitae de obsidione urbis Parisiorum a Normannis ad Gozlinum fratrem, Libri duo, versibus hexametris, p. 530–572.

Petri PITHOEI Historiae FRANCORUM ab Anno 900. ad 1285. Scriptores veteres XI. extrema stirpis Carolinae et Capetiorum Regum res gestas, usque ad Philippum D. Ludovici filium explicantes. Francofurti 1596. fol.

1. *Glabri Rodulphi* ad Odilonem Abbatem Cluniacensem, Historiarum libri IV. ab Anno 900. et maxime ab Anno 1000. qui fuit Roberti Regis XIII. ad Annum 1045. pag. 1.

2. *Helgaldi*, sive *Helgaudi*, Floriacensis Monachi, Epitoma vitae *Roberti* Regis, ex alterius Monachi scriptis. pag. 621 praemisso Testamento *Leodebodi* Abbatis S. Aniani, quod factum est sub Chlodoveo Rege Francorum, filio Dagoberti senioris. p. 59.

3. Aquitanicae Historiae fragmentum, quod incipit: *Hugo Rex Francorum mortuus est.* pag. 79.

4. Fragmentum historiae Francicae a Roberto Rege ad mortem Philippi Regis, ex veteri exemplari Floriacensi. pag. 83.

5. *Vita Ludovici* Grassi Regis, Philippi I. filii, scriptore *Sugerio*, Abbate B. Areopagitae Dionysii, p. 95.

6. *Gesta Ludovici Regis*, filii Ludovici Grossi. pag. 136.

7. *Gesta Philippi Augusti*, Francorum Regis, descripta a Magistro *Rigordo*, Chronographo Regio pag. 158.

8. *Guilermi Britonis*, Armorici, Philippidos libri XII. carmine epico ad Ludovicum filium Regem, p. 226.

9. Fragmentum continens *gesta Ludovici VIII.* Regis, qui Sancto Ludovico Regi pater fuit. p. 396.

10. *Gesta Sancti Ludovici*, Francorum Regis, descripta per fratrem *Guilermum de Nangis*, Monachum S. Dionysii in Francia. pag. 400.

11. Ejusdem de gestis *Philippi Audacis*, Ludovici Sancti filii. pag. 471–504.

Marquardi FREHERI Corpus FRANCICÆ Historiae veteris et sincerae, ad Ludovicum XIII. Galliae Regem. Hanov. 1613. fol.

Ivonis Episcopi a) ab Anno 1092. ad 1115. Carnotensis, de gestis a tempore Regum Assyriorum usque ad Constantinum Magnum pag. 1. cum brevi Chronico de Regibus Francorum a Pharamundo usque ad Philippum, qui decessit anno regni XLIX. CHristi 1108.

S. Gregorii, Toronis sive Turonensis Episcopi, gesta Regum Francorum epitomata Capitibus LIII. usque ad Annum 720. pag. 55.

Nazariani Annales breves ab An. 707. quo Pipinus senior regnare coepit, ad 790. pag. 86.

Fredegarii Scholastici hist. Miscellae pars excerpta ex Chronica *Gregorii*, Episcopi Thoronachi (Turonensis) capitibus XCIII. pag. 90. ab originibus Francorum usque ad Chilpericum.

Ejusdem *Fredegarii* Chronica a Guntrammo Rege Francorum usque ad Annum 739. capitibus CX. p. 118.

Appendix ex alio Codice ab A. 742 ad 768. pag. 160.

Erchanberii, sive *Erchanberti* Fragmentum ex breviario Francorum et Majorum domus pag. 167. a Clothario, sive ab Anno 613 ad 737. et alterum egregium de Pipino seniore, Ansegisi F. ab Anno 688. ad 692. pag. 168.

Pauli Warnefridi, Langobardi F. Diaconi Forojuliensis, *de Episcopis Metensis Civitatis* ab Apostolicis temporibus, sive a Clemente ad Annum 777. seu usque ad Angilramnum, cui hunc librum Paulus inscripsit pag. 171.

Ejusdem Pauli *Supplementum Langohardicorum* e MSto Palatino pag. 178. ubi extrema regni Longobardici finiti A. 773. cum stetisset per annos 206. ex quo ipsi Italiam intraverant.

Anonymi fragmentum Chronici ab Anno 776. ad Annum 825. pag. 179. Postremo loco affertur Juramentum, quod Romano clero et populo Eugenius Papa facere imperavit: *Promitto ego ille per DEUM Omnipotentem, et per ista sacra quatuor Evangelia, et per hanc Crucem Domini nostri JESU CHristi, et per corpus beatissimi Petri Principis Apostolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero Dominis nostris Imperatoribus Hludovico et Hlothario, diebus vitae meae, juxta vires et intellectum meum, sine fraude atque malo ingenio. salva fide quam repromisi Domino Apostolico: et quod non consentiam, ut aliter in hac sede Romana fiat electio Pontificis, nisi canonice et juste, secundum vires et intellectum meum: et ille qui electus fuerit me consentiente, consecratus Pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in praesentia Missi Domini Imperatoris, et populi, cum Juramento quale Dominus Eugenius Papa sponte pro conservatione omnium factum habet perscriptum.*

Epistolae Francicae LXXXIII. pag. 182 repetitae deinde ab Andrea du Chesne t. 1. rerum Francorum pag. 847.

Gregorii Florentii, Episcopi *Turonici*, Historiarum libri decem, pag. 1. cum recapitolatione de Episcopis Turonicis a Gratiano primo (tempore Decii) usque ad Gregorium XIX. Episcopum. pag. 240.

Decem libros Historiarum, inquit pag. 243 *anno vigesimo primo* a) *ordinationis*

a) Sammarthan. tom. 2 Galliae Christianae pag 487. seqq.

a) Gregorii I. Papae quinto (CHristi 591.) Guntheranni Regis XXXI. Childeberti junioris XIX.

nostrae: septem Miraculorum, unum de Vitis Patrum scripst : in Psalterii tractatum librum unum commentatus sum: de cursibus etiam Ecclesiasticis unum librum condidi.

Aimoini Monachi, qui antea *Annonii* nomine circumferebatur, Historiae Francorum libri IV, ad Joannis Nicotii Codicem restituti, ex editione Wecheliana 1567, 8. pag. 245.

Adelmi Benedictini, sive secundum alios *Ademari* Monachi Annales Francorum Regum ab An. 741 ad 828. pag. 381.

Vita et gesta Caroli Magni per *Eginhartum* illius quandoque alumnum atque scribam adiuratum, Germanum pag. 435.

Vita Huludovici Pii Imperatoris, Karoli Magni filii, incerto auctore, sed coaetaneo et Astronomiae a) perito usque ad Annum 840. quo Ludovicus obiit, ante pleniorem Petri Pithoei editionem pro *libro quinto Aimoini* habita editaque: pag. 445. Et *Aimoini* Annales continuati ab An. 846, ad 1165. pag. 476.

Michaëlis, Ritii, Patricii Neapolitani, de Regibus Franciae a Marcomiro ad Ludovicum XII, libri III, ad Guidonem Magnum, Franciae Cancellarium, scripti Romae An. 1505 et in anno 1503 desinentes pag. 531.

Caroli Magni Vita per *Donatum Acciajolum* edita pag. 549-559.

Andreae du CHESNE Historiae FRANCORUM Scriptores Coaetanei. Tomus *primus* ab ipsius Gentis origine ad Pipinum usque Regem: *Secundus* a Pipino Caroli Magni Patre usque ad Hugonem Capetum. Parisiis 1636 et post Andream An. 1640 b) inopino fato extinctum. continuante laborem *Francisco du* CHESNE, filio, *Tertius* a Carolo Martello Pipini Regis patre usque ad Hugonis et Roberti Regum tempora. *Quartus* ab Hugone et Roberto Regibus usque ad regnum Philippi Augusti, Parisiis 1641 et *Quintus* denique 1649, fol. a Philippo Augusto Rege usque ad tempora Philippi IV, sive Pulchri. Quae singula in locuplete hac collectione Lectori offerantur, esset hic referendi locus, nisi distincte et accurate id factum esset nuper in Clarissimi Christiani Gotthlieb Buderi Bibliotheca scriptorum rerum Germanicarum, quae celeberrimi Burchardi Gotthelf Struvii Corpori Historiae Germanicae praemissa legitur Jenae 1730, fol. pag. 105-118. Longe ulterius autem progredi statuerat Chesnei utriusque patris et filii industria, nam simili studio voluerat persequi Historiae Francicae monumenta ad suam usque aetatem, per Tomos XXIV, quorum notitiam Chronologica serie consignatam jam tertium edidit Franciscus du Chesne Parisiis 1663, 8. atque ego recudendam dedi in isagoge in notitiam scriptorum historiae Gallicae, Hamburgi 1708, 8. una cum Christiani Gryphii commentatione de scriptoribus, qui res Gallicas seculo praesertim XVII, illustrarunt, et Hermanni Dieterici Meibomii dissertat. de Gallicae historiae periodis et scriptoribus edita Helmst. 1703, 4. Post Chesneorum tempus ab illustrissimo Colberto, a) qui An. 1676 apparatum integrum a Francisco du Chesne redemerat, ac deinde ab aliis spes facta est operis illius per eruditos Galliae non perficiendi modo, sed etiam supplendi augendique: hactenus tamen necdum quicquam in lucem prolatum, quanquam materiae tantum suppetat. ut illi complectendae non XXIV, sed ne XL, quidem Volumina satis videantur futura esse.

De ejusdem Andreae du Chesne *Normannicarum* rerum scriptoribus ab Anno 838 ad 1220. Paris. 1619, fol. dicere me memini tom. 1. pag. 98.

a) Ad Annum 839. pag. 471. ubi de Cometa et de Imperatore, quid ille portenderet sollicito: *antequam quieti membra committeret, accito quodam, itemque me qui haec scripsi, et qui hujus rei sapientiam habere credebar, percontari studerit.* Auctor fasciculi temporum Philosophum, cum quo Imperator attonitus de Cometa contulit, vocat Eginhardum.

b) Claudius Sarravius Epistola 24. data Rothomagi Nonis Majis A. 1640. *Andreas du Chesne nobilissimus Regni Geographus et Historiographus hac septimana miserabiliter obiit: e curru decidenti baculus illa ingressus est, unde magno cum cruciatu post unam aut alteram horum exspiravit.*

a) Jacobus le Long. Bibliotheque historique de la France pag. 954. Vide et p. 310. sq.

Vide et quae de FRANCORUM Annalibus supra in CAROLO M. et in EGINHARTO.

De *Stephani* BALUZII *Capitularibus Regum* FRANCORUM, Parisiis 1677, fol. duobus Voluminibus, abunde dictum Volumine XI. Bibliothecae Graecae pag. 493-515.

Jacobi BONGARSII *Gesta DEI per* FRANCOS, sive de expeditionibus Gallorum in Palaestinam ab An. 1095 ad 1420 scriptores veteres duobus Voluminibus Hanov. 1611, fol. recensitos Lector videre poterit in libro de propagatione Lucis Evangelicae pag. 522, seq. ubi etiam de tertio tom. adhuc inedito pag. 526 et de pluribus veteribus, quae illi collectioni addi possunt, monumentis pag. 527-533.

Carolus le COINTE, Trecensis, Congregationis Oratorii Presbyter, auctor Operis praecipui, quod *Annales Ecclesiasticos* FRANCORUM inscripsit, atque octo Voluminibus in folio deduxit ad Annum Christi 845. Octavum quidem Volumen in lucem proferre ipse non potuit, sed cum operi auctor esset immortuus, a) factum illud a Presbytero Oratorii altero *Gerhardo Boisio*, Parisiis 1683, fol. *Primus* Tomus lucem viderat An. 1665 atque ab Anno Christi 265 ubi Francorum prima mentio b) desinit in obitu Clotharii primi An. 561. in quo etiam terminantur gesta veterum Francorum libris VIII, descripta ab *Hadriano* VALESIO, Paris. 1646, fol. sive Volumen primum operis praeclari, cujus secundus et tertius tomus An. 1658 in lucem dati historiam deducunt ille ad Annum 584 hic ad 754. *Secundum* Cointii Volumen desinit in An. 632 quo obiit Clodoveus II. *Tertium* in An. 680. *Quartum* in An. 737. *Quintum* in An. 771. *Sextum* in An. 804. *Septimum* in An. 828 et *Octavum* in An. 845.

A *Martino* BOUQUETO denique, Benedictino erudito et Praefecto Bibliothecae S. Germani de Pratis proxime expectamus novam collectionum *Pithoei*, *Freheri*, et qui ab illis vulgata repetiit, sed meliora pleraque et pluribus aucta monumentis *Duschesnii*, longe emendatiorem locupletioremque editionem cujus duo singulis annis Volumina edenda a) promittuntur.

Amplissimam et diligentem atque accuratam notitiam scriptorum veterum recentiumque, qui res FRANCORUM exposuere vel quomodocunque illustrarunt, debemur Viro incredibilis industriae et candidi beneque sani judicii *Jacobi le* LONG, Presbyteri Oratorii et Bibliothecae Praefecti. Ejus Bibliotheca historica Galliae lucem vidit Parisiis 1719, fol. in qua recenset Opera majora et minora quoque, Vitas, Orationes etc. numero circiter 18000. Idem de aliis Bibliothecarum Gallicarum scriptoribus disserit num. 6545, seqq. pag. 310 seq. Diem obiit Jacobus le Long Parisiis An. 1721 13 Augusti, cujus opus supplendum continuandumque accepi in se suscepisse successorem ejus in Bibliothecae Praefectura Clarissimum *F. de Molets*: et secundae editionis mentionem injici video in Dominici de Colonia tom. 2 historiae litterariae Lugdunensis pag. 657. Pro supplemento etiam illius haberi possunt non paucae observationes, quae de rerum Gallicarum scriptoribus obviae sunt in t. quarto methodi historiarum *Langleti Fresnaei* editae Parisiis 1729, in 4.

S. FRANCISCUS Assisias Umber, Doctor *Seraphicus*, Auctor An. 1215. *Franciscani Ordinis Minorum* confirmati ab Innocentio III, et Honorio III. Hic post iter in Orientem An. 1219 susceptum redux diem obiit apud S. Mariam de Portiuncula An. 1226, 4. Octobr. Sanctis post obitum adscriptus a Gregorio IX. An. 1228. Vitam ejus praeter ANGELUM *Tancredum*, LEO-

a) *Cointius* defunctus est An. 1681. Januarii 18. aetatis 70. De eo consules Vitam a Boisio praefixam Tomo octavo Annalium, Ephemerides Eruditorum Paris 1681. pag. 89. Acta. Eruditorum A. 1685. pag. 240. Richardi Simonis Epistolas selectas Gallice editas T. 3. p. 89. sed Jacobi le Long Bibliothecam Historicam Galliae num. 1519. pag. 66. seq. Nisseroni memorias Virorum eruditorum Tomo IV. pag. 269. *Hadrianus Valesius*, Henrici frater, extinctus A. 1692. 2. Julii. De eo Ephemerides Eruditorum illius anni pag. 505. et Valesiana A. 1694. in lucem data a filo. Acta Eruditorum An. 1694. pag. 307. Claudii Perraulti vitae illustrium Gallorum Gallice editas Tom. 2. pag. 149. Nisseroni Memoriae Tomo 3. pag. 215.

b) Vopiscus in Aureliano cap. 7. et 33.

a) Bibliotheque raisonnée Tom. XI. pag. 485.

NEM Assisiatem, et RUFINUM *Sciffium*, aliosque, scripsit BONAVENTURA, editam in ejus Operibus et a Lipomanno, nec non a Surio 4. Oct. (107 Italice edita *in Milano* Zaroto 1477, f. et per XVI vices juxta Argelatum deinde recusa) quibus possunt e recentioribus scriptoribus adjungi Lucas Waddingus t. 1. Annalium Ordinis Minorum, Lugduni 1625, a) et cujus non ita pridem opus lucem vidit Gallice Candidus Chaliopus Parisiis 1729, 4. b) Nescio autem an de ullo homine tantum sibi indulserit credulitas, hypocrisis, superstitio quam de Francisco, cum cogito scripta similia qualia sunt Bartholomaei Pisani Conformitates, de quibus dixi supra in ALBICIO, et ex quibus excerpta nuper cum iconibus aere a Picarto nitide descriptis viderunt lucem Gallice ac Latine Amstelodami 1734, 12. duobus Voluminibus: c) quibus novissime non dubitavit testimonium suum adjungere P. Poissonius Franciscanus in panegyrico S. Francisci, quem edidit Parisiis anno superiore 1733, 4. d) in quo etiam celebrat Europam, Asiam, Africam Franciscanam, et pluribus quam XVII, provinciis Franciscanorum per Americam enumeratis, Mundum denique Franciscanum. Solus cum stimgatibus pingendus S. Franciscus ex bulla Sixti V, apud Edmundum Martene tom. 6 monumentorum pag. 1382.

Scripta S. Francisci collegit edique curavit *Lucas Waddingus* additis notis Antwerpiae 1623 4. Post Waddingum *Johannes de la Haye*, Parisiis 1641, fol. et Lugduni 1653, fol. adjunctis scriptis S ANTONII de Padua. Subjecit Waddingus etiam vitam S. Francisci, a Bonaventura scriptam: et Gregorii IX, bullam Canonizationis, *Nicolaique* LYRANI contemplationem in qua per decem antiphonas totidem Psalmorum loca ad Franciscum detorquentur.

In scriptis ejus, quae tribus parvis Tomis digesta sunt, in *primo* familiam ducunt *Epistolae XVII.* quarum tertia est ad B. *Antonium de Padua*, IV. et V. ad *S. Claram* et caeteras *sorores coenobii S. Damiani* prope Assisium: VI. VII. VIII. ad *Eliam*, Ordinis Vicarium Generalem: XVI. ad fratrem *Leonem*, et XVII. ad Dominam *Jacobam de Septem soliis.*

Admonitio ad omnes Fratres, Capitulis XXVII. pag. 70.

Verba ad humilitatem, obedientiam, devotionem et patientiam inducentia. p. 87.

De virtutibus S. Virginis et sanctae cujusque animae. pag. 88.

De vera et perfecta laetitia. pag. 93.

Expositio in Orationem Dominicam. p. 97.

Laus DOMINI altissimi. pag. 101.

Orationes, seu *Precationes XII.* p. 104.

Testamentum. pag. 120.

SECUNDO TOMO

Regulae duae pro Fratribus, una Capitum XXIII. pag. 132. altera Capitum XII. pag. 170.

Regula pro Sanctimonialibus S. Clarae, sive *Sororibus pauperibus*, Capitum XII. pag. 190.

Regula Tertiariorum, sive *Fratrum de Poenitentia*, Capita XX. pag. 223.

TOMO TERTIO

Collationes breves XXVIII. de variis argumentis ad vitam Monasticam spectantibus pag. 286.

Ordo recitandi Officium Dominicae Passionis ab hora Completorii Feriae quintae majoris Hebdomadae ad Completorium Sabbati sancti, et omnibus diebus ferialibus per annum: pag. 381.

Canticum Fratris Solis, Italice, cum Latina versione pag. 398. Alia *duo Cantica*, itidem Italice pag. 402. 406.

(108 Latine non Italice ea scripsisse acute demonstrare conatus est clar. F. Iraeneus.

a) Opus totum *Waddingi* septem Tomis absolvitur, quorum postremus lucem vidit An. 1648. His deinde notitiam Scriptorum Martyrumque Ordinis Minorum subjunxit Romae 1650. fol. Supplementum Bibliothecae Waddingianae a *Johanne a Divo Antonio* prodiit, ut mox infra sum dicturus.

b) Journal des Savans. A. 1728- pag. 404. et 1729. May pag. 49. Memoires de Trevoux A. 1729. pag. 303. 678. 858. 1014.

c) *L' Alcoran des Cordeliers.* Confer scriptum: Legende dorée, ou sommaire de l' histoire des freres mendians de l' Ordre de S. Dominique et de S. Francois. Amst. 1734. 12.

d) Journal des Savans· An. 1733. Aoùt pag. 544. 554.

Affò *De' Cantici volgari di S. Francesco.* Guastalla 1777 in 8.)

Apophthegmata LVII. pag. 422.

Familiaria Colloquia XLI. pag. 443.

Prophetiae XVI. pag. 474. *Parabolae* II. pag. 483. et *Exempla* V. pag. 387.

Benedictiones VII. pag. 492.

Oracula XXX. pag. 497. et *Sententiae* XVI. pag. 506.

Sermones breves VII. pag. 510.

Sex praecipuae rationes, quare DEUS Religionem Minorum suae concesserit Ecclesiae pag. 517.

Decem perfectiones Veri Religiosi et perfecti Christiani pag. 521.

Haec S. Francisci scripta etiam sine Waddingi commentariis edita Salmanticae, Alexandriae Statelliorum, Neapoli etc.

Scriptores quidam ad Historiam FRANCISCANI Ordinis facientes.

Johannis a Divo Antonio, Salmanticensis, Fratrum Minorum atramento vel sanguine scriptorum Bibliotheca, supplementum Bibliothecae Waddingianae. Salmanticae 1728. 4. Ejusdem Bibliotheca universalis Franciscana. Madrit. 1732. fol. duobus Voluminibus Hispanice.

Petrii Antonii, Veneti, Italice scripti, fasti Serafici, Venet. 1684. 8. Istoria Serafica, ovvero Cronica della riformata provincia di S. Antonio. 1688. 4. Vite e fatti de' sommi Pontefici e Cardinali assonti dell'ordine Serafico, Trevigi 1703. fol. Giardino Serafico istorico, Venetiis 1710. 4. duobus Voluminibus. Compendio dell'indulgenze, grazie, stazioni etc. 1719. 12 Legendario Franciscano, Venet. 1721.1722. Volumina 12. totidem mensibus respondentia in 4. in quibus Vitae amplius 500. Vite de' Santi, Beati et Venerabili Servi di Dio del terz'ordine di S. Francesco. Venet. 1725. 4.

Johannes Blancona vertit Gallice Tomum I Chronici Franciscani, quod Lusitanice edidit Marcus Ulyssiponensis.

Zachariae Boverii Annales fratrum Minorum Capucinorum, Lugduni 1632. fol. duobus Voluminibus, et ex Latino Italice, (109 a Bened. Sambenedetti Venet. 1641 48, 4 vol. 4.) et Labbeo teste auctiores etiam Hispanice tribus Tomis in fol.

Johannis de Cardillo Historia tertii Ordinis S. Francisci. Caesaraugustae 1620. 4. Hispanice.

Bartholomaeus Cimarellus et Horatius Diola scriptores sive interpretes Chronici Franciscani editi Venetiis 1617. 1621. 4. quinque Voluminibus.

Chronica Serafica. Vida del glorioso Patriarcha S. Francisco, i de sus primeros discipulos, escrita por el R. P. Fr. Damian Cornejo, *Chronista General de la Regular observancia. Parte primera. En Madrid por Juan Garcia Infanzon*, A. 1682. in fol.

Pars secunda apud eundem Infanzon, A. 1684. in fol.

Pars tertia apud eundem, An. 1686. in f.

Pars quarta apud eundem, An. 1698. in fol. Quae pars edita fuit Autore jam Episcopo *Aquarum calidarum*, vulgo *Orense.*

Horatius Diola, Bononiensis, Italice vertit ex Lusitanico Tomum I Chronici *Marci* Ulyssiponensis, Brixiae 1581, 4. (110 et Venetiis 1585, 86, 99, 1625 et Neap. 1680. Vertit et partes II. et III. Venezia Giolito 1589, 90. III. Ib. 1591, 1612. Quartam vero Italice a *B. Barezzi* Ven. 1607. quae latuit Mazzucchellio; et denuo a *B. Cimarelli.* Ven. 1621, 4.

Francisci Dionysii, Genuensis, Bibliotheca scriptorum Ordinis Minorum, Genuae 1691. fol. editio secunda auctior, vide Augusti Beyeri memorias Historico-Criticas librorum rariorum pag. 153.

Mariani, Florentini, fasciculus Chronicorum Ordinis Minorum MS. Vide Julii Nigri historiam scriptor. Florentinor. p. 397.

Johannis Franchini Bibliosofia e memorie letterarie degli Scrittori Francescani Conventuali ch' hanno scritto doppo l'anno 1585. Modona 1692. 4.

Angeli a S. Francisco Sacrarium Privilegiorum Seraphico Ordini concessorum, Duaci 1636. et Catalogus scriptorum Anglorum Seraphici Ordinis. ibid. 1649. 4.

Francisci Gonzagae, Episcopi Mantuani, de origine Seraphicae Religionis eju-

sque progressibus. Romae 1587. fol. et Venetiis Imberti 1603, 1607 in 4.

Francisci Haroldi etc.

Editum a *Thoma Hearne* Oxoniae 1726. 8. scriptum, the antiquities of the English Franciscans.

Hilarion de Nolay, Capucinus, qui Gallice edidit gloriam tertii Ordinis S. Francisci, sive Historiam originum ejus progressuumque. Lugduni 1694. 4.

Francisci Lanovii, Parisini, Chronicon generale Ordinis Minorum, Paris. 1631 f.

Marci Ulyssiponensis Chronicon Ord. Fratrum Minorum, Tomus I et II Lusitanice. Ulyssipone 1556. et 1562. fol. et utrique 1615. fol. Tertius Hispanice ad Philippum II. Salmanticae 1570. fol. De Hispanica primorum tom. Italica et Gallica versione vide Nic. Antonium t. 2 Bibliothecae veteris Hispanae p. 69. (111 De versione Polonica edente F. Bonaventura Posnaniensi. Cracov. 1610, fol. Vid. *Cionacci Storia della B. Umiliana de' Cerchi.* Fir. 1682, 4. p. 359).

Benedicti Mazzarae, Sulmonensis, de sanctis et illustribus Franciscanis, Venet. 1676. 79. 89. vol. 4. Italice. Leggendario etc.

Arturi du Monstier, sive *de Monasterio*, Martyrologium Franciscanum Observantium, Discalceatorum, Recollectorum, Conventualium, Capucinorum, Clarissarum, Urbanistarum, et Tertiariorum utriusque sexus tam Secularium quam Regularium, Paris. 1638. fol. et Germanice Wurtzburg 1644, 4.

Christophori Moreni de claris familiae S. Francisci Viris, Hispanice. Vide Nicolaum Antonium tom. I Bibliothecae novae Hispanae pag. 189.

Didacus Navarrus vertit Hispanice ex Lusitanico Tomum. I Chronici *Marci* Ulyssiponensis. Compluti 1564. fol.

Rodolfus Oswalter de Scriptoribus Ordinis Minor. An. 1559, 4. non nisi ex Labbeo mihi notus.

Antonii de Orvieto Cronologia della Provincia Serafica Riformata dell' Umbria, o d'Assisi, divisa in III libri. Perusiae 1717, 4.

(112 *Papini* (*P. Nicc.*) L'Etruria Francescana. Siena 1797 in 4, t. 1. tantum.)

Franciscus de Pisa, Toletanus, cujus Catalogus Sanctorum et Virorum illustrium tertii Ordinis Franciscani lucem vidit Hispanice Toleti 1617, 4.

Benedicti Puccii, Ordinis Camaldulensis, Compendio delle Chroniche de' frati Minori. Venet 1608, 8.

Ludovici de Rebolledo Chronicon generale S. Francisci et Apostolici ejus Ordinis. Hispali 1598, et 1603, fol. Hispanice duobus Voluminibus, cum Catalogo Sanctorum et Virorum illustrium ejusdem Ordinis.

Petri Rodolphi, Tossiniacensis, Historia Seraphica libris III. Venetiis 1586, 1595.

(113 *De Salazar* (F. Pedro) Coronica y Hist. De la fondacion y progresso de la Provincia di Castilla de la Orden del bienavventurado P. S. Francisco. Madrid 1612, fol.)

Philippus de Sosa vertit ex Lusitanico Tomum II. Chronici *Marci* Ulyssiponensis.

Henrici Sedulii elogia Sanctorum ex tribus S. Francisci Ordinibus, addita eorum imaginibus aere descriptis Antwerpiae 1602. Historia Seraphica, sive Sanctorum Ordinis Franciscani Vitae cum notis. ibid. 1613, f.

Chronica Serafica por el P. Fr. Eusebio Gonzalez de Torres, *Chronista General de la Regular observancia. Quinta parte. En. Madrid en la imprenta de la viuda de Juan Garzia Infanzon*, An. 1719, in fol.

Sexta parte. apud eandem viduam, An. 1725, in fol.

Septima parte, *apud eandem viduam*, An 1729, in fol.

Henrici Willoti, Leodiensis, Athenae Orthodoxorum sodalitii Franciscani, Leodii 1598, 8. Antwerpiae 1600, 8.

Lucas Waddingus in Scriptoribus Ordinis Minorum et Syllabo Martyrum ejusdem Ordinis, Romae 1650, fol. (114 *Sbaralea* F. Nic. Appendix. Romae Fulgoni 1806 f.) et in vasto Annalium Ord. Minorum opere, quorum primus tom. in An. 1250 secundus in 300. tertius in 1350. quartus in 1400. quintus in 1450. sextus in 1475. et septimus in 1500. desinit. Lugduni 1625-1648, fol. Tomus octavus, nonus, decimusque, quibus ad suam aetatem perducere Annales illos voluit, lucem quod sciam non viderunt. Necdum spes impleta quam Anno 1711 jam moverunt Diarii Eruditorum Ita-

hac auctores tom. VII. pag. 489 quorum verbis hunc elenchum finire placet.

« Il P. *Antonio Melissano di Macro*, de'Minori Osservanti Riformati già Lettore di Teologia, Provinciale, e Cronista del suo Ordine, ebbe commissione dal suo Generale di supplire, e continuare gli *Annali* della sua Religione già compilati in otto volumi in foglio dal celebre Luca Wadingo. La morte impedì a questo Padre di terminare, e di porre in luce questi suoi *Supplementi*, che egli pensava di dare in molti volumi; e probabilmente i suoi scritti sarebbono andati a male, se il P. *Antonio-Maria di Torre*, d'Aosta, Religioso del medesimo Ordine, al quale li 10 Maggio dell'anno 1705 fu commessa dal P. Ildefonso di Biezma suo Generale la stessa carica di Cronista, non si fosse presa la cura di raccoglierne le memorie confusamente disperse, il che fedelmente egli fece in un grosso volume in foglio di pagg. 523 senza le prefazioni, e la tavola, il quale si finì di stampare nel decorso anno con questo titolo: *Annalium O. M. Supplementa ab admod. R. P. Fr.* Antonio Melissano de Macro, *O M. Strictae Observ. Reform.* ec. *ab an.* 1213 *usque ad annum* 1500 *collecta. In lucem edita per F.* Antonium Mariam de Torre, *ab Aug. Praetoria*, ec. Si spera, che questo Padre ci darà un giorno la continuazione de' medesimi Annali dall'anno 1500 sino a' nostri tempi. »

** Scriptores ad Historiam Franciscanam facientes.*

Quamquam plures sunt qui catalogo scriptorum de rebus Franciscanis a Fabricio confecto adiungi rectissime possunt; adhuc ego tamen ne longus sim plerosque omittendos censui unum tantum vel alterum addixisse satis habens. Annales ordinis Minorum a Luca Wadingo confecti hodie creverunt ad t. XIX. quae voluminum complexio continet praeter VIII tomos a Wadingo vulgatos iterumque recusos, novem alios additos a F. Joanne Luca Veneto primum cui suppetias in postremis tomis, tulit Joseph Maria de Ancona. Desinit collectio ista in an. 1564. Coepit editio an. 1731 et desiit an. 1745. (115 Hodie vero ad an. 1590 prosecutionis eximii operis huius Rom. 1794 Anc. et Neap. an. 1844-47 f. tria hucusque volumina prodierunt).Praeter haec F. Dominicus de Gubernatis a Sospitello emisit Romae Orbem Seraphicum, idest historiam de tribus ordinibus S. Francisci, deque eorum progressibus per quatuor Mundi partes, idque operis excudi coepti an. 1682 et absoluti an. 1689 voluminibus pluribus conficitur.

F. Michael Angelus Neapoli vulgavit *Chronologiam historico legalem ord. Minorum ab exordio usque ad an.* 1633, t. 1. in fol. Neapoli 1650. Eidem subiuncta est continuatio usque ad an. 1718. per F. Julium de Venetiis t. 1. fol. Venet. 1718.

Rainerus Franciscus Marczic idest F. Innocentius a Casabasciana, quod oppidum est in Lucensi ditione, typis Lucensibus protulit librum, cui titulus: *Apologia dell'Ord. de Frati Minori in risposta al libro* intit. *Ragioni Sioriche da umiliarsi alla S. Congregazione de' Riti, colle quali dimostrasi tutti i SS. e Beati de' primi due secoli Francescani appartenere a' soli padri Conventuali.* Lucae t. III in 4. an. 1748. Opus istud quamvis a F. Innocentio de quo mox, confectum est, descriptum tamen stylo et calamo F. Valerii a Decimo Lucensis, qui sub nomine Warronatemburg delitescit. *

FRANCISCUS *de Abbate*, sive ut Waddingo pag. 111 *de Abbatibus*, de Civitate Astensi, Ordinis Minorum. Hujus Postillas super Evangelia Dominicalia totius anni et Sermones Quadragesimales memorat Sanderus in Bibliotheca Belgica MS. pag. 180.

FRANCISCUS *de Accoltis* Aretinus, Jurisconsultus circa An 1300 supra t. 1. p. 4.

FRANCISCUS *Accursius*, Vide ACCURSIUS.

FRANCISCUS *Accursius*, Francisci superioris filius, de quo ut de *Cervetto* fratre dixi tom. 1. pag. 5.

FRANCISCUS *de Aggregatis*, Cremonensis, Ordinis Minorum, Episcopus ab An. 1403 Bergomensis. Concilio Constantiensi An. 1414 interfuit, obiitque Bergomi An. 1427. Ejus *Orationes* aliquot in Con-

cilio illo habitas Willotus, Waddingusque memorant.

FRANCISCUS *Albertinus*, Florentinus scriptor libri de Mirabilibus veteris et novae Romae An. 1505. De laudibus Florentiae et Saonae An. 1509. De stationibus et reliquiis Urbis, ad Imperatorem Maximilianum. Vide Vossium et Julii Nigri historiam scriptorum Florentinorum pag. 181.

**Franciscus de Albertinis* Pontificius Doctor. Liber eius *de Miralibus novae et veteris Urbis*. Romae prodiit Romae an. 1510 in 4. In epistola Cornelii Cymbali ad authorem legimus scriptos ab eodem Albertino libros *De Urbis Stationibus*, *de confessione; de modo recte vivendi*, *de sacramento* (Altaris credo) *super orationem Dominicam et Salutationem Angelicam*. Haec tamen an unquam prodierunt ignoro. Liber *de laudibus urbis Florentiae et Saonae*, nihil est aliud quam postremum caput libri tertii et ultimi opusculi *de Mirabilibis Urbis Romae* una cum illo editum eodem an. 1510.

Editio anni 1510 erat quidem hic subiungenda, utpote Fabricio ignota, sed nec silendum fuerat editionem Romanam an. 1505 a Fabricio indicatam non latuisse eruditos.*

Antonius FRANCISCUS Patavinus, *Doctor* sive *a Doctoribus*, Jurisconsultus insignis docuit ab An. 1465. Patavii, et Ferrariae per annos tres et quinquaginta, cujus celebrantur additiones ad Abbatem Panormitanum et ad Alexandrum Imolensem. Obiit An. 1528 annos natus LXXXVI. Vide Pancirollum III, 52 de interpretibus Juris.

FRANCISCUS *de Aqua putrida*, Neapolitanus, Philosophus: Ordinis Minorum circa Annum 1340 scripsit Compendium Conclusionum universae Philosophiae, sive *Diadema Philosophorum* de reconditis Naturae arcanis. Vide Waddingum pag. III, et Nic. Toppi Biblioth. Neapolitanam p. 87.

FRANCISCUS Aretinus Vide *De* ACCEPTANTIBUS *De* ACCOLTIS t. 1, BENUCCIUS.

FRANCISCUS *Asculanus*, Ordinis Minor. inter Scholasticos *Doctoris Succincti* celebratus titulo, circa Annum 1340 scripsit Waddingo pag. 112 teste: *In quatuor libros Sententiarum, Reportata in eosdem*, *Opus Contradictionum*, et *Improbationes quasdam*, ni fallor contra Johannem XXII.

FRANCISCUS *de Bachone*, sive *Bacone*, Gerundensis Catalanus, Carmelita circa Annum 1448 scripsit *Repertorium Praedicantium*, et *super Sententias* libros IV. Vide Alegrii paradisum Carmelitici decoris pag. 349 et Nicolai Antonii Bibliothecam veterem Hispanam tom. 2. pag. 114.

FRANCISCUS *de Belluno*, Italus Trevisanus, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1342. Parisiis libros Sententiarum interpretatus, scripsit Commentarios *in Genesin*, *in Jobum* et *Tobiam*, MStos Bononiae apud Dominicanos. Superstes adhuc An. 1352. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 640.

FRANCISCUS *Caesar*, sive de Keysere, Dixmundanus Flander, Ordinis Cisterciensis, libros Magistri Sententiarum enarravit Parisiis, et deinde Religiosus Mariae de Dunis, in Flandria diem obiit An. 1294. Praeter *Commentaria in* jam dictos *Sententiarum libros*, Carolus de Visch pag. 111, memorat ejus *librum de tribus vitiis monasticis*, et *Vitam S. Bernardi* scriptam Carmine atque editam Parisiis 1483.

FRANCISCUS *Camenus*, Perusinus, cujus hymnus Sapphicus *in S. Nicolaum Peregrinum*, Tranensem Apulum, defunctum An. 1094. Sanctisque adscriptum An. 1098. exstat in Actis Sanctorum 2 Junii tom. 1. pag. 253 quem Papebrochius non diu post Canonizationem, certe ante An. 1117 compositum esse annotavit. Incipit: *Sidus ó Coeli Nicolae fulgens Magne protector populi Tranensis* etc.

FRANCISCUS *e Candia*, Ordinis Minor. *Doctor fertilis* nuncupatus, cujus nihil nisi commentarios in IV, libros Sententiarum Waddingus pag. 114 memorat.

FRANCISCI Monachi *Carthusiensis* Epistola ad *Aynardam* Priorissam domus Bertandi Ordinis Carthusiensis circa Annum 1440. Vitae formulam ei praescribens, in Edmundi Martene tom. 1. Anecdotorum pag. 1790-1801.

FRANCISCUS Reformator Monasterii *Castellensis* Ordinis S. Benedicti, circa Annum 1405. Opusculum *de Monacho ad exemplum Christi crucifixo* edidit Ber-

nardus Pez in Bibliothecae Asceticae tom. IX. pag. 179 illique pag. 217 subjunxit Ejusdem *libellum Epistolarem Quaestionum Regularium de Vita Sanctimonialium Virginum*, ad Magistrum Nicolaum Prolvin.

FRANCISCUS Dantis, *Castilioneus* supra tom. 1. pag. 331.

FRANCISCUS *Delbenius* Veronensis circa Annum 1500. cujus opus de familiis Veronensibus a Vossio pag. 674 celebratur.

FRANCISCUS *Eximenez*, Ordinis Minor. infra, XIMENEZ.

FRANCISCUS *Fabrianensis*, Ordinis Minorum, qui An. 1322 diem obiit, scripsitque praeter *Sermones* multos *Artemque Praedicantium*, Tractatum *de Officio et dignitate Praelati et Sacerdotis Evangelici*, et alium *de veritate et excellentia indulgentiae S. Mariae de Portiuncula.*

FRANCISCUS *Ferrariensis*, Ordinis Praedicatorum, circa Annum 1500. Scripsit *Vitam B. Osannae* Mantuanae libris VI. Mediolani 1513. itemque alia in Thomam et in Aristotelem. Vide Vossium pag. 676.

* Vitam B. Osannae Mantuanae scripsit; sed opus illud Mediolanensibus typis prodiit an. 1505. ut ego oculatus testis inspecto Codice agnovi.

FRANCISCUS *Florentinus*, cognomento *Paduanus*, Ordinis Minorum, post medium Saeculi XV, a Nicolao V, usque ad Sixti IV, tempora floruit, et teste Waddingo pag. 118 et Julio Nigro in historia scriptor. Florentinorum p. 207 composuit:

Christianarum institutionum librum ad Braccium Martellium, Florentinum, in XL, capita distinctum.

De excellentia conditionis humanae.

De Divinis item operibus.

De lapsu hominis. Praefatio incipit: *Coeperam, amantissime Bracci.*

Librum *de Astrologorum parvipendendis judiciis, ac de incantatoribus, et divinatoribus nullo modo ferendis*, ad Inquisitores haereticae pravitatis, et ad Nicolaum V. Pontificem Maximum.

Breviloquium, ac de Epidemia ad Petrum Cosmi filium Medicem.

De insensata cura mortalium ad illusos hujus vitae amatores. Proponens decem illusiones. Incipit: *Cum quotidie mecum cogito.*

Tractatus *de floccipendendo vulgo, et contemnendis ejus ineptiis, et de quidditate fortunae.*

Tractatum *de B. Francisco, Assisiate*

Extant ejusdem *Epistolae gratulatoriae ad Sixtum IV, et ad Petrum Medicem.* Incipiunt: *Felicissime Pastor.*

Praeterea *Orationes* coram Summis Pontificibus habitae.

Haec omnia, Julio Nigro teste, MSta in Bibliotheca Franciscana Conventus S. Crucis Florentini.

FRANCISCUS *Georgius*, Venetus, infra GEORGIUS.

FRANCISCUS *Gothus*, Ordinis Minorum, Theologiae Professor, scripsit *Compendium Biblicum*, singula capita Divinorum librorum quaternis dimetris Jambicis perstringens, quorum hoc specimen apud Waddingum pag. 120.

Ante fit, lux producitur,
Dividens aquas congregat,
Ornatus factis additur
Producta Adae subjungat.

* Compendium illud Biblicum cuius hic meminit Fabricius sub nomine Francisci Gotthi excusum in exordio Bibliorum. Lugduni an. 1515 in 8.

FRANCISCUS *Gravanus*, Genuensis, (Possevino et Cangio corrupte *Gratianus*,) Ordinis Praedicatorum circa Annum 1312. cujus memorantur Postilla et Collationes *in Evangelium Lucae, Sermones* in Dominicas, Quadragesimam et de Sanctis, nec non *Opuscula* alia. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 517.

(115 FRANCISCUS *Griffolini* Arretinus, qui adhuc juvenis Neapoli infelicissime obiit, vertit Epistolas Diogenis, cui praecedit Elegia ad Pium II. Florentiae an. 1487. 4 editas, ut ab Attilio Alessi *Storia d'Arezzo* docemur prope Lamium pag. 18. Catal. Biblioth. Riccardianae.)

FRANCISCI *de Luchanis* librum *de Justitiis* MStum evolvit Cangius in Codice Regio 1837.

FRANCISCUS *de Marchia*, Picenus, (non Pisanus, ut legas apud Jacobum le

Long, pag. 730. Bibliothecae Biblicae), Ordinis Minorum, scripsit, Waddingo p. 122 teste, Commentaria *in IV. Evangelistas, in IV libros Sententiarum*, et *in Aristotelis Physica atque Metaphysica.*

FRANCISCUS *Martini*, Carmelita, Barcinonensis Catalanus circa Annum 1390, scripsit *Compendium Veritatis de immaculata conceptione B. Virginis, Tractatibus septem* distinctum, editumque a Petro Alva et Astorga una cum aliis de eodem argumento scriptoribus. Vide Nicolai Antonii Bibliothecam veterem Hispanam tom. 2. pag. 116, seq. et novam tom. 2. pag. 134.

FRANCISCUS *de Mayronis*, Gallus, ex oppido Vallis Barcinonensis, Dioecesis Ebrodunensis: Scoti discipulus, inter Scholasticos *Doctoris illuminati* notus appellatione, nec non *Magistri Abstractionum*, et *Doctoris acuti*: Ordinis Minorum, defunctus Placentiae An. 1325. Scripta ejus ex Waddingo et Warthono referre placet:

Commentarii in Genesin. Incipiunt: *Quia secundum vulgatissimum.* Habentur in Bibliotheca Conventus Leodiensis Ord. Minorum M. S.

In primum Sententiarum, Basileae 1489 f.

In quatuor libros Sententiarum. Venet. 1504. 1520 et 1507 per Mauritium de Hybernia cum *Quodlibetis.*

Reportata in librum 2 sententiarum.

Reportata in quartum Sententiarum, quae, inquit Waddingus, penes me habeo nitido charactare exarata usque ad distinctionem 43. Incip. *Samaritanus, vulnerato apparens.*

Epitome in libros naturales Aristotelis. In Universalia et *Praedicamenta.* Venet. 1517.

Quadragesimale, quod Venetiis a Bernardino Novariensi excusum est, An. 1491.

Postillae per Annum.

De festivitatibus B. Mariae, Sermones.

De festivitatibus Sanctorum Sermones. Prodierunt Venetiis apud Peregrinum Pasqualium an. 1493. Basileae 1498 et habentur MSS. in archivo Servitarum Florentiae, in codice pergamineo simul cum vita Beati Philippi Benitii.

Super Missus est, lib. 1.

Determinatio paupertatis CHristi, et Apostolorum, de qua acriter sub supradicti Joannis XXII, tempore disceptabatur.

De virtutibus, et vitiis capitalibus. Incipit: *Circa multiplices mansiones.* Habeo, inquit Waddingus, in nostra secretiori Bibliotheca manuscripta.

De articulis fidei. Incipit: *Circa articulos.*

De decem praeceptis explicatio. Prodiit Parisiis apud Johannem Frelonum, an. 1619.

Theologicae Veritates, sive *Compendium librorum S. AUGUSTINI de Civitate DEI.* Tolosae 1488 et Venetiis 1489 una cum THOMÆ Anglici in eosdem commentariis.

Commentaria brevia in ejusdem sancti Doctoris librum Confessionum.

In librum de Mirabilibus S. Scripturae.

In libros Retractationum.

In libros diversarum Quaestionum.

In librum contra Epistolam Fundamenti, et in alios nonnullos.

Commentarii breves in Dionysii Areopagitae librum de Mystica Theologia; quos, ut adhiberet, rogavit Robertus Rex Siciliae.

Commentarii in aliquot libros D. Anselmi.

Tractatus varii, scilicet.

De Baptismo.

De Angelis.

De humilitate.

De suffragiis mortuorum.

De poenitentia.

De indulgentiis. Istum, inquit Waddingus, habeo MStum, in quo quidem egregie et clare hanc materiam pertractat.

De jejunio.

De Corpore CHristi.

De septem donis Spiritus Sancti.

De ultimo Judicio.

Commmentarius in Orationem Dominicam.

Alius in Canticum Magnificat. Omnes hos Tractatus excudit Basileae Jacobus Pfortzen An. 1498. Scripsit etiam.

Quodlibeta.

Tractatum de formalitatibus..

De primo principio,

De Divinorum Nominum explanatione.

De univocatione entis. Quae universim a Mauritio Hibernico correcta prodierunt, simul cum Commentariis in quatuor libros Sententiarum, Venetiis, expensis Haere-

dum Octaviani Scoti, an. 1507, 1520, 1569. Composuit insuper opus inscriptum:

Constatile, id est, variae Quaestiones, *de distinctionibus*, *relationibus*, *signis naturae*, *et formalitatibus*.

Mille quingentas quaestiones de variis locis Sacrae Scripturae et dubiis Theologicis. Incipiunt: *Utrum CHristus secundum naturam humanam.*

Interrogationes circa varias, difficilesque materias. Incipiunt: *Licet multi probatissimi viri.* Utrumque hoc opus habeo, inquit Waddingus, apud me manuscriptum in uno volumine, quod Fr. Franciscus Ferrariensis in sua patria exscripsit an. 1456.

Sermones de Sanctis, quos etiam habeo manuscriptos, incipiunt a festo S. Andreae, et ab illis verbis, *Ambulans JESUS juxta mare.* Prodierunt Venetiis 1493. et Basileae 1498.

* Juvat hic adnotationem quandam referre quam olim ego legi in MS. Codice membranaceo Biblioth. Malatestarum Caesenae. Scriptus est Codex Saec. XIV. *Explicit lectura F. Francisci de Mairono de Provincia provinciae repertata sub eo Parisiis* an. 1320. Quamquam hic dicitur *de provincia provinciae*, locus tamen iste erat forte professionis monasticae. In editione Veneta An. 1493 praeter sermones de Sanctis sunt etiam tractatus super *Pater noster de poenitentia, de articulis fidei*; *expositio in Magnificat; Tractatus de corpore Christi*; *de septem donis Spiritus S.* ac denique super *missus est.* Quare horum tractatuum editio praecedit Basileaensem an. 1498. quam veluti primam Fabricius commemorat.

FRANCISCUS *de Mileto*, Florentinus sub saeculi XVI. initia, cujus sententiam de Antichristo confutatam a Paulo ORLANDINO, Monaco Camaldulensi, memorat Johannes Mabillonius in Itinere Italico pag. 170. *Exstat in Coenobio Angelorum apud Florentiam, Ambrosii viri eruditissimi et aliorum Camaldulensium Patrum insigniorum secessu illustri aliud opus* Pauli Orlandini, *Monachi ejusdem Coenobii, et postea Ordinis praepositi generalis*, *dictum* Heptaticum, *inscriptum Antonio Puccio, Episcopo ab Anno* 1518. *Pistoriensi et Nuncio Apostolico ad Helvetios. Argumentum est de virtutibus et de triplici Theologia, conjuncta, discreta et mixta, de interpretatione Scripturarum sanctarum contra vanos ariolos: e quibus arguit nonnullos, qui jactitabant, Anno DOMINI MDXXX. Antichristum esse praedicaturum, et Ecclesiam Catholicam penitus exstinguendam: quorum hominum probationes vanissimas esse demonstrat. Agit vero praecipue contra quendam Astrologum Cremonensem, et contra alium Florentinum, qui* Franciscus de Mileto *vocabatur*, *duosque praecipuos conscripsit libros*, *quorum alteri* Convivium, *alteri* Quatrivium *titulos dedit. Porro auctor in eo refutando ait se* Theologorum Parisiensium more, *decem ejus argumenta proferre*; *ac postea totidem regulas, quibus Mileti argumenta refutantur.*

* De hoc viro juvat ea transcribere quae legi in Synodo Florentina anni 1517. cui ego in meo Conciliorum Supplemento tomo V. 407. locum assignavi. Ita vero ibi in Rubr. *De Magistris* etc. cap. 1. *Prae manibus sunt Francisci Mileti opera, qui cum laicus sit, et quidem idiota, ut vidistis omnes, ausus est ingentes Scripturae thesauros evertere, atque omnem Catholicorum expositorum sensum conturbare novas sibi et inauditas conclusiones formando.* Et cap. IX. *Opera quaedam* Francisci Mileti Convivii, et Quadrivii et expositiones Psalmorum titulus praenotat, quae plerosque sub huius praemissae amplificationi, pietate in errorem, atque hereseos et *schismata facile inducere possent,* velut venenosa et impia et in plerisque conclusionibus Catholicae veritati inimica, erronea, temeraria, praesumptuosa condennavit, et suspecta reddidit, nedum illa sed et omnia sua alia opera impressa et non impressa, donec fuerint per Sedem Apostolicam approbata, mandavitque omnibus in tota Florentina provincia commorantibus ut quaecumque et quotcumque qualiacumque ex praedictis operibus habent, deferant vel ad Vicarium RR. Archiepiscopi Florentini, vel ad presidentem Capituli Ecclesiae Florentinae vel ad R. haereticae

pravitatis Inquisitorem infra octo dierum spatium sub poena excommunicationis et Florenorum X. auri, ut flammis demandentur, sicut cremari digna sunt, et ita ea cremanda pronunciavit ».

FRANCISCUS *Niger*, Presbyter Venetus circa Annum 1480. cujus *Grammaticam* et *Epistolas* laudat Trithemius cap. 848. Exstat etiam ejus libellus *de modo* ut ipse vocat *epistolandi*.

* Huius *P. Francisci Veneti* est epigramma legendum in fine operis *Theorica* Planetarum Gerardi Cremonensis (sic ibi) editi Bononiae in 4. an. 1489 per Dominicum Fuscum Ariminensem En. illud.

Sydereos coeli motus, nutantiaque astra,
Et planetarum perlege, lector, equos
Impressi fuerant reges, impressaque bella
Quae gessere patres, auspice digna Jove.
Sed qui bella regit, pacis qui foedera jungit
Juppiter, et Mundus jure legendus erat.

Opusculum eius de arte epistolandi prodiit an. 1490. quae tamen editio an sit prior ignoro. Eius *brevis Grammatica* ad splendidissimum equitem Leonardum Bottam Ducis Mediolani ad Senatum Venetum oratorem lucem aspexit Venet. an. 1480, 4.

Plura de scriptore isto congessit P. Degli Agostini. Notizie degli Scrittori Veneziani t. 2, p. 473. quo docente disco Nigrum circa an. 1513. obiisse. Eius vero opus de arte epistolandi prodiisse primum Venetiis an. 1488 in 4. Quam vero ego hic indicavi, editionem anni 1490 sine loco idem vir doctus non vidit, sed illam penes me esse sancte profiteor. Reliqua viri huius docti opera apud eumdem scriptorem diligenter recensita reperies. *

FRANCISCUS Parmensis JCtus circa Annum 1226. Ferrariae.

FRANCISCUS *Passaviensis*, sive *Pataviensis*, cujus *Orationem de S. Leopoldo* a) An. 1487. habitam, post veterem editionem in Italia, et Surium 15. Novembr. edidit Hieronymus Pez in scriptoribus rerum Austriacarum tom. 1 p. 577.

FRANCISCUS, Patricius Venetus, qui A. 1454. obiit. Vide supra t. 1 p. 160. in *Francisco* BARBARO.

a) Vide Vossium pag. 612.

* FRANCISCUS *Patricius* Senas habuit patriam, tum vero Caietanum Episcopatum obtinuit, et an. tandem 1494 obiit. scripsit opus *De Regno* et *Regis institutione*, quod una cum scholiis Joannis Savignaei prodiit an. 1519 in fol. Dedit etiam *De institutione Reipublicae* libros IX. an 1494 loco incerto excusos et Parisiis una cum Scholiis Joannis Savignaei prodiit an. 1518. Postremum hoc opus versum Italice a Joanne Fabrini Florentino lucem aspexit Venetiis an. 1549 in 8. Prius vero illud eodem interprete Venetiis 1547 in 4. (147 Immo etiam in Venezia, Aldo 1545 in 8. Et opus primum : *Il Sacro Regno* eodem Fabrinio interprete. Ibid. 1553. in 8.) Itidem orationem habuit nomine Ferdinandi Regis ad Innocentium VIII novum Pontificem excusam sine anno.

FRANCISCUS *de Paz*, sive *de Pace*, Hispanus, Mercenariorum instituto addictus, cujus librum *de Regia potestate*, et Commentarios *in libros Regum* memorat Nicolaus Antonius tom. 2 Bibliothecae veteris Hispanae p. 263.

FRANCISCUS *Petrarcha*. Infra, PETRARCHA.

FRANCISCUS *Philelfus*, infra, PHILELPHUS.

FRANCISCUS *Pipinus* Bononiensis, Ordinis Praedicatorum, clarus circa Annum 1315. non modo *Marci Pauli* Veneti b) Iter Orientale ab Anno 1250. ad 1268. et ab Anno 1269. ad 1295. Latine vertit ex Italico, sed et ipse scripsit *de locis Terrae Sanctae a se visitatis* A. 1320. Hic liber MStus memoratur ab Antonio Sandero in Bibliotheca Belgica MSta pag. 284. una cum *Marci Pauli* de mirabilibus, sive de conditionibus et consuetudinibus Orientalium Regionum, quae ipsa est versio Francisci, sed hactenus inedita librorum trium Marci Pauli Veneti de Regionibus Orientalibus, MSta adhuc superstes in pluribus Bibliothecis, ut docet Jacobus Quetif tom. 1 de scriptis Dominicanorum p. 539, seq. Prologum et intium ex MSto Berolinensi

b) Nicolai Pauli Patris cum Mafeo fratre : et deinde Nicolai ejusdem cum Marco Paulo, filio.

vulgavit Andreas Mullerus, et ex Codice Regio Parisiensi Quetifius: Incipit versio: *Tempore quo Balduinus Princeps sceptrum* Alia Latina interpretatio nescio cujus scriptoris est, quae separatim primum edita, deinde in novo Orbe Simonis Grynaci pag. 330. Basileae 1532, fol. ac deinde saepius: praecipue singulari cura Andreae Mulleri, Greifenhagii, una cum Haithono Armeno vulgata est Coloniae Brandenburgicae 1671, 4. Incipit: *Balduino Principe inclyto regni Constantinopolitani sceptra tenente.* Exstat quoque typis exscripta ista Pauli Veneti lucubratio *Italice* in Joh. Baptistae tom. 2. Ramusii An. 1553. nec non Sam. Purchasii et aliorum similibus collectionibus, sed dubium adhuc videtur sitne ipsa Pauli originaria lucubratio, an interpretis nescio cujus versio ex Latino, sicut aliae quae feruntur interpretationes ejus *Anglicae*, *Gallicae*, *Lusitanicae*, *Hispanicae*, *Germanicae*, *Belgicae*. Commentarium in Paulum, quem promittit Andreas Müllerus pag. 98 dissertat. de Chataja, non vidisse lucem, dolebunt mecum, qui Mülleri eruditionem noverunt.

(118 Italica versio Saec. XIV exarata plures prodiit Saec. XV. XVI etc. Nuper vero. In *Firenze, Pagani* 1827-28. in-4 vol. 2 a Com. Jo. Bapt. Baldelli adiunctis 2 vol. cui tit. Storia delle vicendevoli relazioni dell' Europa e dell' Asia. Absque autem ipsis *in Venezia* 1829 vol. 2 in 16).

Idem Franciscus Pipinus ex Gallico vertit *Bernhardi Thesaurarii* librum *de acquisitione Terrae Sanctae* ab An. 1095 ad Annum circiter 1230. quam versionem in lucem dedit celeberrimus Muratorius in scriptoribus rerum Italicarum tom. VII. pag. 657. Ejusdem *Chronicon* ab An. 1176 ad Annum circiter 1314 tom. IX pag. 581. Vide BERNARDUS *Thesaurarius* I. 217.

FRANCISCUS *Pisanus* Jurisconsultus, Baldi praeceptor, docuit in patria et Perusii circa An. 1335.

FRANCISCUS *de Platea*, Bononiensis, Ordinis Minorum, Juris Canonici consultus circa Annum 1442. Scripsit, ut notat pag. 132. Waddingus:

De restitutionibus. Incipit: *Utrum Restitutio sit de necessitate salutis.* Venet. 1494.

De Censuris, et praesertim de Excommunicatione. Incipit: *Quaero, qui sunt casus excommunicationis majoris?*

De Usuris. Incipit: *Usura primo, scilicet in contractu mutui.* Haec tria opuscula habeo, inquit Waddingus, penes me MSta.

De actu matrimoniali, quando possit fieri sine peccato, et quando non. MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi. Vide Catalogum B. Felleri pag. 174.

De Censura Ecclesiastica, et de usuris liber alter, qui impressi sunt Patavii An. 1473.

Summam Mysteriorum Christianae Fidei.

Sermones varios.

* Opuscula de restitutionibus, usuris et excommunicationibus prodierunt junctim Venetiis 1474. extantque in Bibliotheca Feliniana Cod. 123.

FRANCISCUS *Poggius*, infra, POGGIUS.

* FRANCISCUS *Puccius* Florentinus, sed qui Neapoli agens prius quidem Politianum audivit, dein Graecas et Latinas literas ibidem publice docuit. Eius orationes tres legendas ad se missas ab Andrea Cambino memorat et laudat Ficinus epist. Lib. IX in ep. ad ipsum scripta. In Cod. MS. Felini lego huius Francisci epistolam vel brevem commentationem *de Rebellione Neapolis* a Carolo Francorum Rege ad Ferdinandum Aragonium, quod scriptum direxit Marino Caracciolo datum Neapoli XIII. Kal. sextiles 1495. Huius Francisci meminerunt Pocciantus in catalogo scriptorum Florentinorum et Julius Negri.

FRANCISCUM *Ragâtium*, Cremonensem, qui Concilio Constantiensi An. 1414 interfuerit, Episcopum Bergomensem, defunctum An. 1470. Waddingus pag. 134 confinxit ex *Francisco de Aggregatiis*, de quo supra pag. 597.

FRANCISCUS *Rubeus* de Pignano, Picenus, Ordinis Minorum, circa Annum 1300 scriptor Commentariorum in primum Sententiarum Scoti.

FRANCISCUS *de Sylvestris*, Ordinis Praedicatorum, supra, *Ferrariensis*. Hujus opusculum de libertate Evangelica edidit Claudius de Spina, Parisiis 1552 forma minore.

FRANCISCUS *Thomasius* ab An. 1428 ad Annum 1440 continuavit Historiam Senesem, quam ab An. 1402 descripserat proavus ejus *Johannes Bandinus de* BARTHOLOMAEIS, deductam per PETRUM *Russum* ad Annum 1468. Edidit laudatissimus Muratorius tom. XX. scriptorum rerum Italicarum.

FRANCISCUS *de Toleto* circa Annum 1480 scriptor Commentarii Theologico-Juridici *contra eos, qui ad dividenda et conferenda privatis factionibus regna impotenter aguntur.* Vide Nicolai Antonii Bibliothecam veterem Hispanam tom. 2. p. 202.

*FRANCISCUS *de Ubertis*, Caesenas, vide supra pag. 549. FACIUS *de Ubertis*.

FRANCISCUS *Vercellensis*, Jurisconsultus, in patria docuit circa Annum 1228, atque *Decretales* illustravit Commentario.

FRANCISCUS *Ximenius*, infra, XIMENIUS.

FRANCISCUS *Zabarella*, infra, ZABARELLA.

* FRANCISCUS *de Zanellis* Bononiensis medicus vivebat circa an. 1340. legit primo artes Perusii, tum lauream in medicina sumpsit, ni fallor, Bononiae; scripsit tractatum comminantium, quo adversus omnes veteres medicos nititur evincere: *nullum semen esse formaliter animatum.* Scriptum istud impugnavit Joannes de Penna Neapolitanus; utrumque vero libellum integrum in suam medicinae summam transtulit Thomas de Garbo lib. 1, tract. 5

FRANCO Abbas secundus Afflighemensis in Brabantia ab An. 1109 ad 1130 scripsit adhuc Monachus ad decessorem suum *Fulgentium*, Abbatem Afflighemensem, libros XII, *de Gratia*, seu *Beneficentia DEI*, prodiere Antwerpiae 1565. Friburgi 1620. qui praemissa Fulgentii, qua eum rogat, Epistola leguntur in Bibliothecis Patrum Coloniensis tom. XII, et Lugdunensis tom. XXI. pag. 293-327. Sub extremum libri XII. pag. 326 exstat Carmen elegiacum, quod signavit Henricus Gandavensis cap. 39 ac Trithemius cap. 367 et II, 104 illustr. Benedictin. cum Franconem *de statu futurae Gloriae*, metrice scripsisse perhibent, et Caveus praeter rem putabat intercidisse: Leyserus versus libris de Gratia DEI subjectos ab illo scripto praeter rem distinguit. Quoniam breve est, etiam hoc loco cum bona, ut spero, venia Lectoris legetur.

FRANCO, Abbas Afflighemensis, de statu futurae Gloriae.

Luctus ibi nullus resonat, quia nec dolor ullus:
Nil ibi, quod pigeat, taedeat, aut pudeat:
Non ibi peccatum, quod possidet hic dominatum.
Quod servit vitio, non ea scit regio.
Cunctis invisa mors, ipsa nec est ibi visa
Nec metuenda tibi: vita perennis ibi.
Non opus est aratris illic, aut imbribus atris
Semina, qui foveant arida, ne pereant.
Omnibus est unus panis, mirabile munus.
Quem semper comedas, nec comedens minuas.
Mirum; sed verum: facies illic nova rerum,
Qui vere cibus est, panis ibi DEUS est.
Anxietas, pestis, morbus, languor, procul estis:
Terrigenas premitis, coelicolas fugitis.
Qualis ibi vestis sit, adest sacra pagina testis.
Christo vestitur, qui lavacro abluitur.
Hanc custodieris, nudus non invenieris.
Nunc clarus sola, tunc in utraque stola.
Urbs ex aeterno stat illo monte superno.
Quae quam clara gerat moenia, quis referat?
Vallatur muro quadro, nunquam ruituro.
Stat suffulta fide, non alio lapide.
Turribus est fortis, duodenis pervia portis,
Perpetuo claret lumine, nocte caret.
Pax ibi tranquilla, nullus metus hostis in illa,
Gaudet turba pia perpete laetitia.
Concurrunt gentes, nullus vetat ingredientes,
Promissaque sibi sorte fruuntur ibi.
Accelerant quique, celeri pede, perfacilique,
Fertur turba senum, mixta choro juvenum.
Convocat hinc cives ad praemia, gratia dives,
Ut quotquot veniant, debita percipiant.
Erogat his dona, datur unicuique corona.
Sanguine purpureus clarus ibi cuneus.
Durius afflictus, praeclarius est et amictus,
In turba nivea, veste micans rosea.
Sunt quoque clara satis tunc praemia virginitatis:
Carnis ab illecebris libera, fit celebris.
Ob meritum magnum niveum sequitur comes agnum,
Ac removens speculum, figit in hunc oculum.
Hoc visu mentem sic explens esurientem,
Ut sibi quod doleat defore, nil maneat,
Felices cuncti tam largo munere functi,
Ut tantum capiant, plus nihil ut cupiant.
Talibus, in coelis donatur quisque fidelis:
Christi corde pio deditus obsequio.
Tanta suis natis confert pia gratia gratis,
Ipsius donum credimus omne bonum.
Sed percunctaris, si gratis, quid merearis?
Ipsium velle tuum, noveris esse suum.

Exstat praeterea Franconis hujus *Epistola* duplex tom. XXI. Bibliothecae Patrum p. 327. *Quod Monachus abjecto habitu non possit salvari.* Et pag. 328 *ad Moniales ac sorores in Bigardis ad forestum*, *Consolatoria.* Tractatum *de cursu vitae spiritualis* per distinctiones XII, sive tomus digestum, quem Oudinus tom. 2. pag. 959, memorat, non puto diversum a libris XII, de Gratia. Sed apud eundem Oudinum laudantur etiam Franconis MStae lucubrationes duae, una *de jejunio quatuor temporum*, et altera *de laudibus B. M. Virginis.*

* Ad quem potissimum huius nominis scriptorem referendus sit liber *de institutione Eucharistiae*, ignoro. Reperit illum P. Martene in Coenobio *de Agonia Christi* Canonicorum Regularium S. Augustini prope urbem Tungrensem cum hac inscriptione. *Franco humilis monachus de* institutione Eucharistiae. Vide Itineris Litterarii t. I, p. 198.

FRANCO Scholasticus *Leodiensis*, ab Affligemensi Abbate utique a) distinguendus circa Annum 1050 scripsit ad Hermannum secundum, b) Coloniae Archiepiscopum, *de quadratura Circuli*, et alium *de ratione computi*, teste Sigerberto cap. 164. Fertur et *in sacris Scripturis* nonnullos composuisse Tractatus, teste Trithemio cap. 346 sed qui negat ad notitiam suam illos pervenisse.

FRANCOFURTENSIUM Dominicanorum Annales ab An. 1360 ad 1500 scriptos a *Petro* HERP, Ordinis Praedicator. edidit. V. Cl. Henricus Christianus Senckenberg in tom. secundo Selectorum Juris et Historiarum Anecdotorum, Francofurti 1734, 8. Idem tom. primo dedit *Deplomatarium Francofurtense* et Statuta Francofurtensia An. 1352, seq. sed Germanice pleraque: et pag. 507, seq. Historiam Juris statutarii Reipublicae Francofurtensis, quam ipse composuit, et pag. 634, seq. Varia ad Judaeos Francofurtenses et Fridbergenses spectantia. Atque in prolegomenis disserit de historicis rerum Francofurtensium antiquioribus, ENTRANDO, *Petro* HERPIO, *Philippo* SCHURGIO, *Bernardo* ROHRBACH, *Johanne* LATOMO, *Michaële* SCHAUBILLERO, *Wolfgango* KOENIGSTEIN, *Laurentio* BULLA, *Caspare* CAMENZ, et de recentioribus *Johanne Friderico Faustio ab Aschaffenburgo*, et *Johanne Maximiliano zum Jungen*, *Caspare Sagittario*, *Achille Augusto von Lersner*, *Gebhardo Floriano*, *Philippo Ludovico Anthaeo* aliisque.

a) Dubitat clarissimus Caveus.

b) Hermannus II. Archiepiscopatum Colon. gessit ab Anno 1036. ad 1055.

Joannes de FRANCFORDIA, infra JOANNES.

Theodoricus FRANCONIS, vide, THEODORICUS *Pauli.*

FRECULFUS ex Monacho Ordinis Benedictini et Abbate Fuldensi Episcopus ab An. 823 ad 851 in Gallia Lexoviensis, scripsit *tomos duos Chronicorum;* quorum a) prior in VII, tributus libros ad ELISACHARUM, Praeceptorem suum, quem *Venerandum Sacerdotem* b) appellat, a conditione primi hominis usque ad CHristi nativitatem Domini, sive Annum Mundi 5129. Tomus posterior dicatus Judithae, Ludovici Pii secundae Conjugi, libris quinque a CHristi Servatoris nativitate ad Bonifacium III, qui Papatum gessit ab An. 607. Qui exstant Chronici Freculfiani libri duodecim prodiere Coloniae 1539, fol. ex Egenolphi officina, et emendatiores ex Commeliniana 1597, 8. nec non in Bibliothecae Patrum auctario Parisiensis 1639 et in Bibliothecae Patrum Coloniensis tom. IX, et Lugdunensis tom. XIV. pag. 1061. Anonymo Mellicensi cap. 64 hic est *Fricholphus*, *Episcopus scientia doctrinaque praecipuus,* quem praeter *veraces historias ab exordio Mundi usque ad tempora Nortomannarum*, ait scripsisse *explanationes in Genesin.* Sed RABANUM Maurum quidem hortatus Freculfus fuit, ut explanationes in Genesin componeret, sicut ex *Epistola* Freculfi ad Rabanum constat, quae in tomo secundo Rabani Operum praemittitur libris quatuor huius enarrationum in Genesin, quos praemissa Epistola, Fre-

a) Solum priorem Tomum inspexit Sigebertus c. 90 et Trithemius cap. 259.

b) In Carmine hexametro, quod ad eundem Elisacharum praemittitur.

culfo relegendos et examinandos Rabanus misit et dedicavit.

FREDEGARIUS patria Burgundus, Scholasticus, post Gregorium Turonensem scriptor, parum politus licet, Historiae Francicae praecipuus, clarus circa Annum Christi 641 de cujus opere, editionibus et continuatoribus breviter referam, quae post Freherum, Canisium, Chesneum, viri docti Lambecius, Adr. Valesius, a) Ruinartus, Jacobus Basnagius et Jacobus le Long b) annotarunt. Scripsit Fredegarius *Chronicon* ab Orbe condito usque ad annum secundum Clodovei II, sive Annum Christi 641 *libris quinque*. Priores *libri I, II, III.* MSti. sine nomine auctoris in Bibliotheca Caesarea, ab Adamo narrationem deducunt usque ad tempora Justiniani, et Belisarii ab Aucelino c) victi mortem, hoc est ad Annum Christi 561. *Praefationem* ex Codice Caesareo edidit Lambecius tom. 2. p. 850 et *postremum caput libri tertii* pag. 851, seq. unde patet d) eosdem esse tres libros, quos sub titulo *Collectionis Historiae Chronographicae* edidit Henricus Canisius tom. 2. Antiquarum Lectionum p. 569. (editionis novae Basnagianae tom. 2. pag. 154-194.) Liber *primus* ex *Julio Africano*, (vel *Hippolyto* potius) exstat etiam emendatior in Labbei Bibliotheca nova MSS. tom. 1. pag. 298 *secundum* et *tertium* ex IDATIO magnam partem mutuatum se Auctor profitetur. *Liber quartus* Epitome et supplementum est librorum sex primorum GREGORII Turonensis (qui THOROMACHUS vitiose dicitur) et in morte Chilperici desinit, hoc est in Anno Christi 584. Prodiit in Freheri scriptoribus rerum Francicarum pag. 90. Andreae du Chesne tom. 1. pag. 722. in Ruinarti Gregorio Turonensi pag. 541 et in nova editione Lectionum Canisii tom. 2. pag. 195-217. *Liber quintus* a Fredegario Gregorii Turonensis historiae continuandae adjunctus eandem persequitur ab An. 584 ad 641 editus cum Gregorio Turonensi ex S. Nazarii Laureacensi Codice a Flacio, Basileae 1568, 8. deinde in Bibliothecis Patrum tom. XV. Lugd. pag. 815 et a Frehero pag. 117-159. Duchesnio tom. 1. pag. 740 et Ruinarto pag. 585. Ex Capitibus 118 quae Ruinartus exhibet sola 90 priora in indice, quem ex MS. praemisit Freherus et in Codice Sirmondiano, Fredegarii esse indicantur, pro qua sententia pugnat etiam Henschenius in S. Sigeberti vita tom. 1. Actorum Sanctorum Februarii pag. 214. Praeter *primam* a cap. 91. *Continuationem* ANONYMI scriptoris ab An. 641 ad 680 aliae adhuc tres ibi exstant *Continuationes* Auctoribus diversis et ignotis, *secunda* a cap. 97 ab An. 680 ad 735. *tertia* a cap. 109 circa medium, ab An. 736 ad 752. utraque auctore Anonymo *Austrasio,* qui jussu Childebrandi Comitis scripsit. *Quarta* denique cap. 118 ab An. 752 ad 768. Auctore Anonymo qui jussu Nibelungi, Childebrandi filii scripsisse se profitetur. Ea quae post caput 110 apud Freherum et in Andreae du Chesne tom. 1. pag. 772 leguntur a verbis: *Chiltrudis quoque filia ejus, faciente consilio nefario novercae suae* etc. primus ediderat Canisius tom. 2. pag. 708. Jacobus vero Basnagius in nova sua editione tom. tom. 2. pag. 219-226 exhibet sub titulo *libri sexti* Chronici Fredegariani. Fredegarium cum Gregorio Turonensi *Gallice* a se redditum vulgavit Michaël Marolles, Parisiis 1688, 8. Circa res aliarum nationum Fredegarium frequenter hallucinari, notavit Carolus le Cointe tom. 2. Annal. pag. 577.

FREDEGIS, sive FREDEGISUS Caroli Magni et Ludovici Pii clarus aetate, a Theodulfo Aurelianensi lib. III, carminum celebratur his versibus 175, 176.

Stet Levita decens Fredegis sociatus Osulfo,
Gnarus uterque artis, doctus uterque bene.

Ad quae verba haec notat Sirmondus: a) *Exstat* Alcuini *ad Fredegisum hunc libel-*

a) Dissertat. de Fredegario ejusque operibus, tomo 2 historiae Francorum pag. 445. Vide et Dominicum de Colonia t. 2 hist. litt. Lugd. p. 45.

b) Bibliotheque Historique de France num. 6606 seqq. qui num. 6612 etiam Apologiam Fredegarii a Renato Auberto Vertoto scriptam memorat.

c) Lambec. a *Bucelino.*

d) Adde Sandium ad Voss. pag. 472. seq. edit. a me curatae.

a) Tom. 2 Operum Sirmondi pag. 1066. et in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom. XIV. p. 64.

lus, b) *in quo propositis ab eo de SS. Trinitate quaestionibus respondet, fuerat enim ipsius discipulus, ut et Osulfus. Exstat Fredegisi quoque ipsius Diaconi* de Nihilo et Tenebris Epistola *nondum edita, cujus hoc est exordium:* Omnibus fidelibus et domni nostri Serenissimi Principis Caroli in sacro ejus Palatio consistentibus, Fredegisus Diaconus. Agitatam diutissime a quampluribus quaestionem de Nihilo etc. *Abbatem postea fuisse Monasterii S. Martini, et Cancellarium, ex variis Ludovici Pii diplomatibus compertum est*

Epistola haec Fredegisi *de Nihilo et Tenebris* ad Proceres Palatii, a) qua probare contendit *Nihilum* et *Tenebras* esse aliquid, vulgata est a Baluzio tom. 1. Miscellan. pag. 403-408.

Epistola *ad Agobardum* intercidit: sed exstat AGOBARDI liber contra objectiones Fredegisi Abbatis saepius excusus inter Agobardi opera et tom. XIV. Bibliothecae Patrum editionis Lugdunensis pag. 275-280 tractatque de variis incommodis locutionibus, quae objiciuntur vel defendendae suscipiuntur ultro citroque.

FREDERICUS, infra, FRIDERICUS.

Berengarius de FREDOLA, aliis STEDELLIUS, b) Narbonensis Gallus, Episcopus ab An. 1298. Biterrensis, Magnus Papae Poenitentiarius, et Cardinalis ab Anno 1305 ad 1321. Fuit hic inter eos, quorum judicio Bonifacius VIII, subjecit Decretales libri sexti, collectas a Guilelmo Ebredunensi et Richardo de Senis. Eidem Guilelmus de Mandagoto, Archidiaconus Nemausensis, nuncupavit librum de electionibus Praelatorum. Huic Mandagoto vicissim Berengarius dicavit *Oculum* c) suum, sive *Inventarium Juris Canonici*, *atque Elucidarium super summa Ostiensis*, d) per seriem Alphabeti, cum illa Summa editum Basileae 1573. Lugduni 1597, fol. atque alibi. Scripsit et Tractatum: *De excommunicatione atque interdicto, omnibusque casibus Juris, in quibus quis est excommunicatus*: Nec non *de forma degradationis in reis et morti addicendis Sacerdotibus.* Et *de casibus spectantibus ad Curiam Romanam.* Quae MSS. in variis Bibliothecis Italiae, et Galliae quoque. Vide Oudinum tom. 3. pag. 692.

FRETELLUS, Archidiaconus Antiochenus, tempore belli sacri consignavit *Terrae Sanctae descriptionem*, qua MSta usum se profitetur Christianus Adrichomius Delphus, in ejusdem argumenti opere, quod Theatrum Terrae Sanctae inscripsit, acceptum ex Bibliotheca Crucigerorum Coloniensium una cum Jacobi de Vitriaco libro de terra sancta et de mirabilibus quae ibidem vidit.

* Libellum hunc *Fretelli* nactus ego sum in Codice MS. Collectaneor. ex diversis chronicis auctore Nicolao Cardinale Aragonensi. Integrum ibi opusculum recitatum dirigitur ab auctore *Domino suo Venerab. et fratri Raymundo Dei gratia Toletano* (legendum utique Tolosano) *Comiti.* Incipit: *cum ad Orientalem Ecclesiam causa tuorum peccatorum confugisti* etc. In fine Patriarchae Hierosolymitani recensentur hoc ordine: *Patriarchae Hierosolymitani: Corillus I. Joannes, Parachilius, Juvenalis, Joannes, Zacharias, in tempore cuius Cosdra Rex Persarum Hierosolymam venit et Ecclesias Judaeae destruxit, et occidit 36 millia Christianorum Modestus ipse constitutus Patriarcha ab Heraclio Imp. quando de Perside rediit dominicum deferens lignum. Sophronius. In tempore huius Saraceni Christianos omnes de Hierusalem excepto Patriarcha eiecerunt. Theodorus, Ilia, Gregorius, Thomas, Basilius, Sergius, Leonicos, Athanasius, Christodolus, Ioannes, Mestus, tempore cuius Archisodorus nepos Orestis Patriarchae Hierosolymam misit exercitum suum ad destruendum omnes ecclesias Patriarchatus, quatuor millibus indestructis, avunculum suum Patriarcham*

b) Opera Alcuini pag. 759. Idem *Fridugisus*, ad quem Alcuini Epistolam de tribus generibus visionum edidit Dacherius, ut dixi supra t. 1 p. 155.

a) Hilduinum, sacri Palatii Antistitem, Walam Abbatem etc. Ad eosdem proceres, Agobardi Epistola t. 14 Bibliothecae Patrum Lugdunensis p. 280.

b) Georgius Josephus Eggs in pupura docta t. 1 p. 285. Supra tom. 1 p. 199. seq.

c) Ita hoc opus vocatur Trithemio cap. 515. Neque *Repertorium Juris* ab illo *Oculo* diversum esse existimo, licet distinguit Purpurae doctae scriptor.

d) Henrici de Segusio, Cardinalis.

deduci fecit Babiloniam, eumque ibi occidi. Theophilus qui reaedificavit hanc Ecclesium favente Archisodoro. Sophronius, tempore cuius Turci Hierosolymam expugnantes Saracenos occiderunt.et obtinuerunt civitatem. Christiani autem in ea remanserunt. Guitinus Simeon cuius tempore Franci venerunt regnum David sublimantes, Ecclesiasque Deo reddentes et urbem.

Sequuntur Patriarchae Hierosolymitani Latini. Patriarchae Latini. *Daybertus Pisanorum Archipraesul; Ibelinus Arelatensis Archiepiscopus; Arnulphus Archidiaconus Hierusalem.*

Denique commemoratione dignum censeo Fretellum hunc nullibi in eo libro Antiochenum Archidaconum appellari, sed tantummodo se Archidiaconum dicere nulla facta designatione Ecclesiae cui erat addictus.

FRETULPHUS non notus nisi ex Aventino, qui eum inter antiquiores Bojorum Historicos laudavit, ut a Vossio, aliisque annotatum est. Suspicabar FRECULPHUM sub illo nomine latere, cujus Chronico usum Aventinum non dubito. Quia tamen cum SCHRITOVINO, altero antiquissimo Bojorum Historico Fretulphum memorat, libenter adhuc ampliandum censeo.

Fridericus FREZZIUS, Ordinis Praedicarum. in Umbria Italiae Episcopus Fulginensis ab An. 1403 ad 1416 2 Januar. Conditor *Academiae Conciliorum* eo fine ac scopo, ut membra illius, Dominicani fratres, in dijudicandis doctrinae, morum, rituumque controversiis ad normam probatarum Synodorum decidendis, Fulginii adsuefierent. Omitto ejus poëma Italicum *Quadriregii* titulo, a) laudatum Ughello tom. 1. pag. 703. Italiae sacrae: non sane commentarium in quatuor libros Regum, ut Ludovicus Jacobillus in Bibliotheca scriptorum Umbriae, pag. 102. sibi persuasit, sed de quatuor regnis, enthei Amoris, Satanae, Mundi ac Virtutis, ingeniose multa confingens opus prolixum, Dantis aemulum, quod post veteres editiones raro obvias, Perusinam 1481. Bononiensem 1494. Venetam 1501. aliam 1508 sine loco, Florentinam sine anno, et Venetam 1511. nuper cum notis recudi fecerunt Academici Rinvigoriti. Fulgin. 1725, 4. vol. 2.

Johannes FRIBURGENSIS, sive Lector de FRIBURGO, Teutonicus, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1320. (distinguendus a Johanne Teutonico seniore, qui ex Episcopo in Hungaria Bossunensi A. 1241. Magister Ordinis Dominicanorum Generalis, fato functus est A. 1254.) Huic juniori praeter *Summam Confessariorum*, Reutlingae 1487. Lugduni 1618. et *Quaestiones Casuales*, atque *Glossas in* RAYMUNDI *de Pennaforti summam de Poenitentia et Matrimonio, Manuale* et *Confessionale*, et *Commentar. in libros Sententiarum*, MSS. in variis Bibliothecis: videtur etiam tribuendum *Chronicon* ab Orbe condito ad Annum Christi 1361. de quo Lambecius pag. 873. Vide Oudinum t. 3, p. 734. seq. et Jacobum Quetif t. 1, p. 523. seqq. et 113.

FRIDEGODUS, Monachus fani Servatoris, Duroverni Cantiorum sive Cantuariensis, Ordinis Benedictini circa Annum Christi 960. *Vitam S. Audoeni*, Archiepiscopi Rothomagensis An. 677. defuncti, prosa scriptam sub hujus nomine edidit Surius ad 24. Augusti. *Vitam S. Wilfridi*, Eboracensis Archiepiscopi, (qui An. 687. obiit,) versibus hexametris ad Odonem, Archiepiscopum Cantuariensem, vulgavit Mabillonius Sec. III. Benedictin. pag. 169. et supplementum ejusdem ex Codice Cottoniano Sec. IV. pag. 722. Johannes Baleus II. 32. eumque secutus pag. 174. seq. Pitseus huicce Fridegodo praeterea tribuunt Tractatum: *De peccatrice in Evangelio*, qui incipit: *Dum pietate multimoda DEUS;* et alium: *De Hierusalem supera* et *visione Beatorum*, scriptum versibus, hoc initio: *Cives coelestis patriae regione superna.* Denique *Contemplationes varias.* Eodem Baleo notante, *Graece eruditus fuit iste Fridegódus, ut in opere suo de Pontificibus Anglorum Guilelmus Malmesburiensis habet.* Guilelmi verba haec sunt lib. 1. de gestis Pontificum Anglorum pag. 200. *Et ut clarissimum patriae jubar* (Wilfridum) *produceret in speculum* (Odo Archiepiscopus Cantuariensis) *heroïco metro vitam*

c) Acta Eruditorum tom. IX supplem. sect. 8. pag. 374.

illius texi praecepit Executus est id munus Fridegodus *quidam versibus non ita improbandis, nisi quod Latinitatem perosus, Graecitatem amat, Graecula verba frequentat, ut merito dictis ejus aptetur illud Plautinum: haec quidem praeter Sibyllam leget nemo.* Scripsere S. Wilfridi vitam ante Fridegodi tempora, notante Lelando cap. 134. BEDA Girovicensis, HEDUUS cognomento STEPHANUS, Accae Episcopi Hagustaldensis familiaris, et ODO, Cantiorum Archiepiscopus. Idem fecit postea PETRUS *Blaesensis*, Archidiaconus Baduensis, homo Gallus, ac opusculum Gallofrido Plantagenistae, Eboracensi Archiepiscopo, dedicavit. Fridegodi denique esse verisimiliter satis suspicatur Casimirus Oudinus tomo 2. pag. 467. seq. carmen epicum *de Pontificibus et Sanctis Ecclesiae agri Eboracensis,* quod sub ALCUINI nomine vulgavit Thomas Galeus in Scriptoribus XV. Historiae Anglicanae An. 1691. pag 730-732. Certe Alcuino illud non esse tribuendum, haud inficiandis laudatus Oudinus probat argumentis. *Vitam Audoeni,* qualem edidit Surius, non genuinam veteris scriptoris, sed interpolatam esse notat Cointius tomo 2. pag. 607. adde eundem tomo 1. pag. 754. seq.

FRIDERICUS I. Barbarossa, sive Ahenobarbus, Imperator Romanus ab Anno 1152. ad 1190. quo post septem in Italiam expeditiones, occubuit in medio adversus Turcas et Saracenos cursu victoriarum. *De* illa *expeditione in Asiam* Anno 1189. suscepta, *obituque* a) *Imperatoris, narratio* a quodam ejus Comite scripta, cum ADRIANI IV. Papae et Friderici *Epistolis* duabus amoebaeis, prodiit in Petri Pithoei scriptoribus rerum Germanicarum, Basileae 1569. fol. cum scriptoribus rerum hujus Friderici OTHONE Frisingensi, RADEVICO, GUNTHERO etc. Calcatum ab Alexandro III. Pontifice Friderici collum, inter fabulas cum Baronio ad Annum 1177. et Gretsero ad calcem dissertationis de Imperatorum et Regum donationibus, Christophoro Lehmanno in Chronico Spirensi V. 16. pag. 505. Felice Contelorio in narratione concordiae Alexandri III. et Friderici I. referunt Reinesius Epist. ad Rupertum pag. 516. seq. Rupertus ad synopsin Besoldi pag. 663. seq. H. de Bünau in vita pag. 242. seq. Jac. Perizonius praef. ad thesaurum Historiae Italiae Graevianum, G. G. Leibnitius in Leibnitianis pag. 419. et singularibus dissertationibus Georgius Remus, recusa 1728. 4. Ludovicus Liebhardus, Baruth. 1668. Jo. Burchard. Majus, Kil. 1701. Fridericus Georgius Lautensack, Helmst. 1707. Christophorus Augustus Heumaunus, Isenaci 1710. Affirmantium argumenta ex B. Johannis Gerhardi praefatione ad lib. 1. Confessionis Catholicae specialis repetit Joannes Daniel Artopoeus dissertatione edita Lips. 1673. et auctor Critici eruditi Germanice editi tom. 1. qu. 49. pag. 552. seq. Singulari scripto probandum idem in se susceperat Elias Ehingerus, quod MStum fuit apud Theophilum Spizelium τον μακαριτον Joannes Georgius Graevius Epist. ad Marquardum Gudium pag. 47. *Vidistine vitam Alexandri III. a Joanne Francisco Loredano. Veneto. scriptam? fertur is ex actis suae patriae accurate prosecutus esse fastum illius Pontificis in conculcando collo Friderici Ahenobarbi.*

(117 editam *in Venetia Sarzina,* 1637. 4. pluries recusam.)

Vitam gloriosi hujus Imperatoris et res gestas Germanico stylo luculenter et accurate nuper tradidit illustris Henricus de Bünau, Lipsiae 1722. 4. subjuncta p. 392. seq. locuplete diplomatum Fridericianorum notitia.

Friderici ejusdem *Constitutiones* plures apud Goldastum tom. 3. Constitutionum Imperialium pag. 330–343. *Authentica* de iis, qui studiorum causa. publica Gymnasia frequentant, publicata in Comitiis apud Roncalias An. 1158. quae incipit: *Habita quidem*, legitur inserta Codici Justinianeo lib. IV. ad calcem tituli 13. *filius pro patre,* atque illustrata est tum ab aliis tum a Johanne Volcm. Bechmanno, Jurisconsulto Jenensi, in tractatu *de studiosorum privilegiis,* jam quartum recuso Lipsiae 1712. 4.

Friderici I. *Epistolas* quasdam tempore

a) Inget Petrus Blaesinsis Epist. 172.

schismatis An. 1159. seq. scriptas, vulgavit Freherus tom. 1. scriptorum rerum Germanicarum et Andreas du Chesne tom. IV. cujus editionem cum Freheriana contulit Burchardus Gotthelf Struvius in nova Freheri editione tom. 1. pag. 419. seq.

In eodem tom. pag. 407–416. exstat TAGENONIS, Decani Pataviensis, descriptio expeditionis Asiaticae Friderici I. An. 1189. conferenda cum illa quam a Petro Pithoeo editam dixi, et cum uberiore ANONYMI, quam postrema parte mutilam vulgavit Canisius tom. V. Antiquarum Lectionum parte 2. pag. 44. (editionis novae Basnagianae tom. III. parte 2. pag. 499-526.)

Epistola Friderici *ad Ottonem Frisingensem*, Patruum suum, apud Urstisium tom. 1, pag. 403. et Petrum Pithoeum ante libros duos de gestis Friderici. Ex AMANDO *de primis actis a Friderico peractis in Imperio*, fragmentum affert Christophorus Gewoldus cap. 6. de Septemviratu p. 78. Ingolstad. 1621. 4. Vide et de BURCHARDO notario supra t. 1, p. 279.

Mandatum diffidatorium *ad Saladinum* An. 1188. pro restitutione terrae sanctae, apud Goldastum tom. 3, pag. 362.

*Praetereundus non est *Rhythmus Chronicus* de Rebus Friderici I. Imp. vulgatus a PP. Pez et Huebero Cod. Diplom. p. II. pag. 29 incipit

Aetas nostri temporis brevis non senescit.
Vetera temporum reminisci nescit.

FRIDERICUS II. Imperator ab An. 1212. et Siciliae utriusque Rex, defunctus Anno 1250. Princeps egregie litteratus et Patronus Eruditorum, peritus linguarum praeter Germanicam, Graecae, Latinae, Italicae, Turcicae et Arabicae. Huic plurimum debent condita vel instaurata domicilia illustria Musarum et Academiae: Viennensis, Patavina, Ferrariensis, Neapolitana, Salernitana, Bononiensis. Idem ex Graeco vel Arabico idiomate verti curavit Aristotelis Opera, magnam Ptolemaei syntaxin, Gregorii Nysseni de natura hominis, Galeni non pauca et aliorum Medicorum sicut Astronomorum quoque. Italico etiam carmine ita valuit, ut aliis etiam praeiverit ad hanc laudem aucupandam, atque inter primos Italos poëtae celebretur a Bembo, Castelvetro aliisque apud Antoninum Mongitorem in Bibliotheca Sicula pag. 247. et 248. ubi etiam de Allatio, qui carmina Friderici Hetrusca edere voluit ex Codicibus Vaticanis, Barberinis et Ghisianis. Latine exstant ejus *Epistolae IX.* apud Baluzium tom. 1. Miscellan. pag. 446. De aliis dicturus sum infra, ubi de *Petro de* VINEIS: cujus meliorem editionem jampridem a Clarissimo Viro, Joanne Hermanno Schminckio exspectamus. *Aurea bulla pro libertate Principum* S. Rom. Imperii exstat in tom. VII. reliquiarum MSS. diplomatum et monumentorum ineditorum pag. 515. cum notis Joannis Petri de Ludewig pag. 520. 560. De *aurea bulla pro Ecclesiastica libertate*, consulendus Goldastus in replicatione contra Gretserum pag. 378. seq. Constitutio ipsa exstat tum alibi tum apud eundem Goldastum tom. 1. Constitutionum Imperialium pag. 289. ubi et aliae ejusdem pag. 292. et *contra haereticos* pag. 293. longeque plures varii alterius argumenti, sed et *Ordinatio testamentaria* An. 1251. pag. 307. Varia rescripta LXXX. tom. 2, pag. 51. seq. cum Constitutione de Libertate concessa Gentibus ad Catholicae Fidei unitatem conversis pag. 77. Aliae tom. 3, pag. 372. seq. Prima Teutonico a) idiomate exarata Moguntinensis Anno 1235. Plures itidem constitutiones apud Raynaldum, Bzoviumque, et in Aquila Sveva Joannis Palatii, libro XXVI. *Siculae* quaedam et *Neapolitanae* etiam apud Baronium ad Annum 1097. ne dicam de indice Graeco Constitutionum Sicularum Friderici II. apud celeberrimum Montfauconum in Palaeographia Graeca pag. 416. qui *diplomata* ejus *quatuor* etiam Latine subjunxit pag. 428. seq. Idem pag. 319. videndus de libris tribus *βασιλικῶι διατάξεον* Friderici II. scriptis circa Annum 1230. atque obviis in Bibliotheca Regis Galliarum, ubi hunc Codicem confert cum *Constitutionibus Siculis,* sive *Neapolitanis* Rogerii et Guilelmi et Friderici II. Latine editis in Friderici Lindenbrogii Codice Legum antiquarum pag.

a) Johannes Michaël Hallwachsius in positionibus de Friderico II. §. 40. Tubingae 1720.

691. In easdem Leges laudantur notae et commentarii Bartholomaei de Capua, Marcelli Flori, Jacobi de Ayello, Lalli a Tusaea, Sebastiani Neopodani, Marini de Caramanico, Lucae de Penna, Nicolai Superantii et Matthaei de Afflictis. Quod vero Oudinus tom. 2, pag. 66. memorat Jus Navale, editum Germanice An. 1561 1572. 8. non Imperatoris est, sed Friderici II. Regis Daniae.

Latine autem prodiere Friderici II. Imperatoris reliqua *de arte venandi cum avibus*, una cum additionibus MANFREDI Regis, et ALBERTI Magni de falconibus, asturibus et accipitribus ex ejus libro XXII. de animalibus. Augustae Vindelicorum 1596. 8. Confer Velseri Opera pag. 843. 844. 847. et quae de aliis hujus argumenti scriptoribus notavi in Bibliotheca Graeca lib. 1. cap. 25. §. VI.

ANONYMUM de rebus Friderici II. et filiorum ejus, Apuliae et Siciliae Regum Conradi ac Manfredi ab Anno 1210. ad 1258. vulgavit Ughellus tom. 8. Italiae sacrae (editionis novae tom. X. inter anecdota) pag. 561-654. Eccardus tom. 1. Corporis scriptorum medii aevi pag. 1025. Carusius t. 2. Bibliothecae Siculae Historicae p. 675. et novissime Muratorius tomo octavo scriptorum Italiae p. 489. a quo docemur nomen scriptoris esse NICOLAUM *de Jamsilla.*

Incredibile Johannis Harduini commentum est, qui persuadere lectoribus suis voluit, suppositos fuisse scriptores quos pro antiquis atque probis libenter evolvimus magnique facimus, plerosque omnes Graecos et Latinos, et Fridericum II. fuisse cujus auspiciis artibusque perfecta fraus haec fuerit. Horribile istud arcanum obscuro involutum aenigmate, acute investigavit ac deprehendit, docteque confutavit vir praeclarus Maturinus Veisserius la Crose in dissertationibus historicis Gallice Anno 1707. editis pag. 197. seq. atque in Vindiciis Veterum Scriptorum An. 1708. 12. Praetereo non magis credibilem hostium calumniam putidam de tribus impostoribus blaspheme a Friderico hoc, ut ajunt, jactatis, quam refellerunt Struvius, Oudinus aliique. Sic diu post mortem ejus fama fuit *Fredericum adhuc vivere in castro Kufhusen*, ut est apud Theodoricum Engelhusium pag. 1115, Chronici, *cum senex quidam in Civitate Nutz finxisset se esse Fredericum, ad quem multi nobiles confluxerunt, quos omnes noscens propriis nominibus suscipiebat. Qui cum ad tempus regnasset, tandem a Coloniensibus crematus est.*

(118 Friderici Epistolas IV. Italice exaratas edidit Lamius Florentiae 1742, in vol. II. III. Delic. Erudit. Ibidem an. 1853 in *Miscellanea* a F. *Corazzini* cum aliis ineditis recusas.)

FRIDERICUS III. a) Imperator ab An. 1446 ad 1493, 8. Septembris, cujus vitam et res gestas descripsit ÆNEAS *Sylvius*, ut dictum supra tom. 1. pag. 26. Conferenda et Freheri editio tom. 2 scriptorum Germanicorum pag. 81. quo in volumine sicut in tertio quoque plura ad historiam rerum Friderici III, laudatissimi Principis facientia leguntur. Ipseque Fridericus, qui Bibliothecae Caesareae Vindobonensis amplificandae primus auctor b) fuit, *Diurna Vitae suae Acta* variasque miscellaneas Observationes manu sua Germanice consignavit, quae MStae Vindobonae servantur, ex quibus nonnulla annotata a Lambecio in Diario sacri Itineris Cellensis pag. 7. seq. editionis a me curatae. In eadem Bibliotheca exstat NICOLAI *Langkmanni* Historia inedita desponsationis et Coronationis Friderici et Conjugis ejus Eleonorae, teste eodem Lambecio tom. 2. p. 698. De *libello precationum* Friderici III, adeundus Gaspar Bruschius in historia Monasteriorum Germaniae pag. 623, seq. ex quo precationem pro Imperii incolumitate etiam repetiit Freherus tom. 2. pag. 407 a quo etiam pag. 402, seq. praemittuntur *quatuor* ejus *Epistolae* ad Carolum VII. Francorum Regem, ad Nicolaum V. Papam de

a) Revera *Quintus*, sed tertius ex iis, qui coronati Romae Imperatores Friderici fuere. *Tertius* etenim Fridericus Pulcher Austriacus, A. 1314. electus contra Ludovicum Bavarum Imperatorem, et *Quartus* Fridericus, Dux Brunsvicensis, electus A. 1400. sed non diu post occisus. Vide Lambecium tom. 2 p. 710.

b) Idem tom. 1 pag. 116.

amissione Urbis C.Pol. (inter Æneae Sylvii Epist. 153.) ad Eugenium IV, et ad Cardinalem Episcopum Senensem. Ejus *Avisamenta* tempore Concilii Basileensis An. 1440. *Concordata Nationis Germanicae* An. 1447. aliaque apud Goldastum tom. 1. Constitutionum Imperialium pag. 403, seq. et tom. 3. pag. 322, seq. ubi *Sacra* ad Papam de regnis legitimo heredi non auferendis, et alia de expeditione contra Turcas facienda.

FRIDERICOS, Germaniae Imperatores, Electores, Principes litterarum amantes studiorumque Patronos singulari schediasmate celebravit M. Henricus Augustus Schumacherus, edito Grimae 1728 4.

FRIDERICUS *Apocrisiarius* Leonis IX. Papae (postmodum et ipse An. 1057. Papa mutato in STEPHANUM IX, nomine) scripsit insignem tractatum *contra haeresin Fermentaceorum*. Haec de eo Anonymus Mellicensis cap. 86 ad quem illustrandum conferenda haec Wiberti Archidiaconi in Vita S. Leonis IX, a) lib. 2. cap. 5. *Ea tempestate orta est haeresis* Fermentaceorum, *quae calumniatur sanctam Romanam sedem, imo omnem Latinam et Occidentalem Ecclesiam, de azymis vivificum DEO offerre sacrificium Quam calumniam etiam scripto ediderunt Episcopi Michaël Constantinopolitanus et Leo Achridanus* : (erat Achris seu Achrida Metropolis tunc Serviae et Bulgariae) *pervicaciter exhalantes pestiferas mephites adversus sanctam et Apostolicam fidem. Haec quidem calumnia Graeco sermone edita, et Joanni Tranensi Episcopo* (in Apulia sc. Peucetia, qui cum Graecis colludens, a Nicolao II, anno MLIX, depositus est) *in sugillationem omnium Latinorum directa. cum fuisset Trani exhibita fratri HUMBERTO sanctae Ecclesiae Sylvae Candidae Episcopo, in Latinum est translata ejus studio, atque delata domno Papae Leoni IX. Itaque gloriosus Apostolicus (LEO nonus) libellum composuit luculentissimum adversus jam dictas praesumtiones et nimias vanitates corum, conatus eos ad viam veritatis adducere: sed postmodum incorrectos, Ecclesiastico damnavit anathemate. Praedictus etiam frater HUMBERTUS edidit contra eorum putida scripta responsionem instar dialogi, ab ipso Latine scriptam Apocrisariatûs sui tempore Constantinopoli: et jussu Imperatoris religiosi et orthodoxi Constantini Monomachi Graece editam, sub nominibus Constantinopolitani et Romani, anno Domini MLIV.* (hic dialogus exstat ad calcem tom. XI. Annalium Baronii, et in Bibliotheca Patrum Lugdunensi t. XVIII.)

Domnus quoque FRIDERICUS tunc Cancellarius, post a DEO electus Romanae sedis Apostolicus (dictus in Pontificatu Stephanus IX.) *invective respondit quibusdam objectionibus, quas ediderat* Niceta *Monachus Constantinopolitanus, qui et* Pectoratus, *contra Latinam Ecclesiam: quem libellum titulaverat, de Azymo, de Sabbato, et de nuptiis Sacerdotum. Quae invectio de Latina translata et publice coram ipso Imperatore est recitata, idemque Niceta coactus est damnare et comburere sua scripta: habita disputatione apud monasterium Studii in urbe Constantinopolitana. Siquidem gloriosus Apostolicus direxerat Constantinopolim Sanctae Romanae Sedis Apocrisarios, praefatum scilicet Humbertum et Petrum Amalfitanorum Archiepiscopum* (scilicet in Picentinis, nunc Principatu citeriore), *Fredericum quoque tunc Diaconum et Cancellarium. A quibus Niceta, accipiens perfectam propositionum suarum solutionem, iterum sponte anathematizavit omnia dicta et facta vel tentata adversus primam et Apostolicam Sedem, sicque ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus.* Plura infra in STEPHANO IX.

FRIDERICUS *Closnerus*, res Urbis *Argentinensis* a Rudolpho Habspurgensi exorsus perduxit usque ad Annum Gratiae 1362. teste Vossio pag. 530 de Historicis Latinis. Neque plura de eo Hertius in Bibliotheca Germanica num. 1216. aut in Bibliotheca Philosophica pag. 98. Lipenius, Cangiusve, vel Koenigius, aut Struvius: neque alibi ejus mentionem vel apud Ge-

a) Edita a Sirmondo Parisiis 1615. 8. et in Actis Sanctorum tom. II Aprilis 19. Vide ibi pag. 662. et Antonium Pagi ad Annum 1055. num. 12.

suorum ejusve continuatores, Lexicorumve auctores historicorum repperi, neque ipsum memini me videre, ut non editum existimem.

FRIDERICUS *Erlenbacensis,* Franco, ex Professore Lipsiensi, ubi Aristotelis libros interpretatus fuerat, Guardianus Chemnicensis, Ordinis Minorum An. 1398. Huic in centuria scriptorum a Madero edita num. XLIV, tribuuntur hae lucubrationes: *Expositio Epistolarum Pauli. In quatuor libros Sententiarum. De decem Praeceptis. De septem vitiis. De ordine rerum Universi. De excidio oppidi Hallensis. De arte bene moriendi. Sermones de tempore, de Sanctis, Collationes ad Clerum, Quadragesimale, Sermones XX, super Salve Regina. De modo studendi. De modo loquendi. De modo versificandi. Elegia de duobus amantibus.*

FREDERICUS *de Senis,* Jurisconsultus, Doctor Decretorum, Baldi a) Praeceptor, qui tum in aliis Italiae Academiis, tum Perusii docuit circa Annum 1340. Ejus *Consilia*, Romae 1472, fol. cum tractatu de permutatione beneficiorum ad Dominum LAPUM *de Podioboniti*, qui fecit additiones, quae sunt praemissis quaestionibus insertae.

* *Fridericus de Senis* Abbas S. Galgani Tractatus de rerum permutatione cum additionibus ad dictum tractatum per Alexandrum de Antola extat in MS. Cod. 224. Biblioth. Felini. In altero pariter chartaceo Cod. MS. n. 400 sunt disputationes quaestiones et consilia D. Friderici de Senis J. V. D. et sunt n. 304.

Rematus Profuturus FRIGERIDUS, sive FRIGIREDUS, non notus nisi ex Gregorio Turonensi, qui lib. 2 historiae Francorum cap. 8 nonnulla refert ex ejus *libro duodecimo Historiae*, de rebus ad tempora Valentiani III. An. 425 et cap. 9 de Roma a Totila Gotho capta An. 547.

Henricus de FRIMARIA, sive FRIMELIA, aliis de *Vrimaria, Wrimaria, Vrimach*, pago Thuringiae, prope Gotham, Augustinianus docuit Parisiis, atque exinde Provincialis Saxoniae et Regens studiorum Coenobii Pragensis, defunctus octogenario propior An. 1340. Scripsit *de discretione spirituum*, sive *de quadruplici instinctu* Divino, Angelico, Diabolico et Naturali, a) Antwerpiae 1652, 8. edente Cornelio Dialmanno, qui vitam Henrici praemisit. *Praeceptorium* sive *de decem praeceptis*, quod alii Codices Henrico, ALEXANDRO *Halesio* alii, editio vetus Parisiensis *Nicolao* LYRANO tribuunt. *Sermones de Passione Domini* et *de Sanctis*, Parisiis 1514, et Haganoae 1517. *Additiones ad libros Sententiarum*, cum ÆGIDII Romani Commentariis in eosdem editas Coloniae 1513. *De perfectione spirituali*, sive *Expositio in Orationem Dominicam*, et *super Ave Maria*, sive *Angelicam salutationem,* saepius edita inter THOMÆ Aquinatis Opuscula IV et V. His adde MSta in variis Bibliothecis *Flores ex collatione Patrum, libros XXIV.* Commentarium *in libros Ethicorum Aristotelis. Quodlibeta duo. De occultatione vitiorum. De incarnatione Verbi. De libertatibus Ordinis Minorum. Expositionem Decreti de celebr. Missa*, *super Decretali*, cum Matthae etc. Vide Trithemium cap. 589. Oudinum tom. 3. pap. 911, seq. et Philippum Elssium in Encomiastico Augustiniano pag 274, seq. qui testatur scripsisse praeterea: *In Cantica Canticorum. De quatuor sensibus Scripturae. De quatuor Virtutibus. De origine Ordinis Fratrum Eremitarum. De exemptione. Manuale Sacerdotum. De vitiis capitalibus. De nocturnis illusionibus. De mortificatione propriae voluntatis.*

FRISINGFELDUS Sudvolciensis Anglus. Grammaticus, cujus *Practicam Grammatices* et *Verbarium* memorant ex Bostono Buriensi, Johannes Baleus XI, 8. et Pitseus pag. 840.

FRISIONUM veterum *Leges* digestas sub titulis XXII, cum *additione Sapientum*, *Vulemari, Saxmundi* etc. edidit Johannes Heroldus in Legum veterum sylloge, Basileae 1557, fol. p. 131-148 et Fridericus Lindebrogius in Codice Legum antiquarum, Francofurti 1613, fol. p. 487. Eaedem Leges Frisicae separatim cum notis Sibrandi

a) Thomasinus Catalogo MsS. Venetorum p. 4.

a) MS. Quedlimburgi sub nomine *Francisci* MAYRONIS, vide Catalogum Tobiae Eckarti pag. 20. In editione Venet. 1498. Henrico, Ordinis Praedicatorum, tribuitur.

Siccamae, Arnhemii 1617, 4. et novissime curante D. Carolo Guilelmo Gaertnero, a) Lipsiae 1730, 4. cui editioni praeter editoris notas accessere tres Leges temporibus Caroli Magni promulgatae.

Theotatus, sive *Deus dedit* FRITHONA, Anglus, Visisaxo, carus fuit Gregorii I. Papae discipulo Honorio, Cantuariensi Archiepiscopo, qui et in ea dignitate Anno 655, b) successit. Laudant eum Beda, c) Guilelmus Malmesburiensis, d) Gervasius Dorobornensis, e) ut de Lelando f) taceam, quem Baleus, g) ut Baleum Pitseus h) exscribunt. *Vitas Archiepiscoporum Cantuariensium* accurate penicillo Orationis suae depinxit. Obiit Anno Christi 664. Ercomberti, Cantianorum Regis, temporibus. Haec Vossius pag. 750 qui in eo fallitur cum Pitseo, quod Vitas Archiepiscoporum Cantuariensium ait a Frithona accurate scriptas fuisse, nam de Gervasio, non de Frithona hoc traditum a Lelando, Baleoque, legerant.

FRODOARDUS Remensis, qui An. 966 obiit, auctor Chronici plus simplici vice editi ab An. 919 ad 966 supra, FLODOARDUS. Ab hoc diversus:

FRODOARDUS Monachus S. Albani circa Annum 1000. auctor Chronici ab Octaviano Imperatore usque ad Annum Christi 996. et continuati a REINALDO, sive REGINALDO, Archidiacono S. Mauricii Andegavensis, usque ad Annum 1277. MS. in Vaticana i) inter libros Reginae Christinae num. 264 et cum continuatione in Bibliotheca Cottoniana, cujus vide Catalogum a Thoma Smitho editum pag. 69.

Johannes FROSSARDUS (*Froyssart*) Valencenensis, sive Valentianus ad Scaldim, Canonicus ac Thesaurarius Chimacensis in dioecesi Leodiensi, inter Historicos Latinos a Vossio III. 4. celebratur, quanquam Gallice scripsit *Historiam rerum ab Anno 1326. ad 1400. gestarum* ad Eduardum II. Angliae Regem, cujus Conjugis *Philippae* Reginae, Guilelmi III. Boni, Hannoniae Hollandiaeque Comitis filiae *laudes duobus libris* itidem fuit complexus. Historia illa, in qua tum aliae res illo tempore per Europam gestae, tum bella Gallorum cum Anglis narrantur, prodiere Gallice a) cum Anonymi continuatione ad Annum 1498. Parisiis 1503. quatuor Voluminibus fol. et 1505. tribus Voluminibus, et cum continuatione ad Annum 1513. tribus Voluminibus fol. denique ex Dionysii Salvagii recensione Lugduni 1559-1561. quae nitidior rariorque est editio, et Paris. 1574. fol. quatuor Voluminibus. Has Gallicas editiones viri docti conqueruntur b) parum accuratas esse, nominibus numerisque passim corruptis: sed justior etiam querela est, quam collatio Codicum MStorum ejusdem operis suppeditat, c) qualis exstat insignibus picturis exornatus Vratislaviae in Bibliotheca Rhedigeriana quatuor ingentibus Voluminibus, et de quo haec Vir Clarissimus Gottlob Krantzius in memorabilibus illius Bibliothecae A. 1699. 4. editis pag. 87. *Non nego magnam picturarum elegantiam esse; sed majora hic sunt, quae animum meum afficiunt. Putat orbis Eruditus, se textum* Froissardi *egregie possidere, quem* Dionysius Salvagius, d) *Regis Henrici II. jussu, quinquagesimo nono su-*

a) Acta Eruditorum An. 1730. pag. 525.
b) Warthon Angl. sacr. tom. 1 pag. 95.
c) Lib. III. hist. Angl. cap. 20. et IV. 1.
d) Lib. I. de gestis Pontificum Anglorum p. 196.
e) In Actibus Pontificum Cantuarens. p. 1636. inter X. scriptores Lond. 1652. fol.
f) Cap. 56.
g) X. 11.
h) Pag. 109. seq. de scriptoribus Angl.
i) Jacq. le Long Bibliotheque Historique de la France num. 14719.

a) Ibid. num. 7295.
b) Plerosque horum errorum correctos esse in editione *Anglicana* Johannis Burchierii, jussu Henrici VIII. vulgata, notat Wilhelmus Nicolsonus in Bibliotheca historica Anglic. pag. 67. *Belgicam* versionem MStam habuit Vossius. Et typis exscriptam memorat Longus per Gerritum van der Loo, in fol.
c) De aliis MStis Valerius Andreas Bibliotheca Belgica pag. 503. Oudinus tom 3 pag. 2225. etc.
d) Joannes le Laboureur apud Longum Biblioth. histor. Gallic. pag 368. *Denis Sauvage, qui a remis sous la presse plusieurs anciens livres, et plusieurs autres qui ont travaillé après lui, ont plûtot disgrâcie qu'illustré nôtre histoire, et n' ont servi qui à rendre les originaux et les prémiéres editions plus rares et plus chéres, de la vieille Chronique de Flandres, de Froissart, de Monstrelet, de Philippe de Comines, de Joinville, et d' autres excellens Historiens*

perioris Seculi anno Lugduni publicavit, sed foede decipitur, dum Codex hic imposturam detegit, et Salvagii *manu omnia, quae Aulae Gallicae displicebant, deleta, vixque decimam Historiae partem integram relictam esse, manifestum reddit.* Similiter Joannes Sleidanus, cujus epitome historiarum Frossardi *Latine* composita saepissime cum Philippo Cominaeo ex ejus versione praela exercuit, Parisiis 1537. 8. 1562. 12. Heidelbergae 1587. fol. Hanov. 1606. 12. Amstelodami 1640. 1656. etiam ipse arguitur minus aequus Anglis, et multa digna memoratu fuisse praetervectus. Ex Sleidano expressa *Anglica* P. Goldingi epitome. Lond. 1608. 4.

FROTHARIUS ex Abbate S. Apri Episcopus ab Anno 813. Tullensis in Gallia, defunctus post Annum 837. cujus *Epistolas* XXV. ex antiquo MSto Carnotensi vulgavit Andreas du Chesne tomo 2 scriptorum rerum Francicarum pag. 712-723. scriptas ad Imperatorem *Ludovicum Pium*, ad *Juditham* ejus Conjugem, ad *Anglemarum* Abbatem, *Drogonem*, *Einhardum*, *Gerungum* summum sacri palatii ostiarium: ad *Hetti* Archiepiscopum, *Hittonem* Episcopum, *Hilduinum* Patrem et Magistrum, *Hugonem*, *Sichardum* Magistrum *Teutdericum* et *Ragenardum* venerabiles viros, et ad *Æighardum* Abbatem: adjunctis sex Epistolis ad Frotharium scriptis a *Wicardo* sive *Wighardo* Abbate, ab *Aldrico* sive *Alberico*, *Hieremia*, *Hetti* Archiepiscopo, et ab Episcopo *Lingonensi*.

FRUCTUOSUS Regio ortus sanguine Hispanus, ex Dumiensi Episcopo Archiepiscopus An. 656. Bracarensis, successor Potamii, defunctus A. 665. Augustinianum alii, alii Benedictinum faciunt, neutri idoneis instructi argumentis. Vide Henschenium tomo 2. Actorum Sanctorum Aprilis 16. pag. 430. seq. et Nicolaum Antonium Bibliothecae veteris Hispanae libro V. cap. 5. pag. 283. seq. Extat ejus *Regula Monastica* duplex, sive una potius, tributa in duas partes, quarum prior capitibus constat XXV. altera, quae *Regula Monastica communis* inscribitur, XX. Capitibus. Utraque exstat in Codice Regularum S. Benedicti Anianensis Holsteniano parte 2. pag. 137. et 147. sed prioris capita ultima duo *de Senibus* et *de die Dominico* desiderantur. Hugo Menardus in praefatione ad Concordiam Benedicti Anianensis pag. 62. posteriorem partem ab alio auctore esse putat: *Altera regula*, inquit, *est cujusdam alterius FRUCTUOSI, qui in hac Concordia* (pag. 140. 179. 732. 793. 958. 960. 961.) *a superiori distinguitur, etsi interdum hi duo Fructuosi, ex scriptoris incuria confundantur. Quis autem sit alter hic Fructuosus, non mihi plane compertum est. In Chronico S. Maximi, Caesaraugustani Episcopi, ad Annum 569. fit mentio cujusdam* FRUCTUOSI, Abbatis Constantiae, *in agro Braccarensi. . . Sed, ne quid dissimulem, hoc Chronicon, ut inter legendum animadverti, multa continet absurda, et S. Maximo prorsus indigna. Est enim multis erroribus maculatum a quodam nebulone, qui passim huic Chronico multa inepta adjecit pro sua libidine . . . Haec tamen Regula, ut mihi videtur, potius tribuenda est* Fructuoso, Abbati Constantinae: *fere sequitur Regulam S. Benedicti.* Sed nullam fidem deberi Pseudo-Maximo, recte notavit post Menardum ipsum Nicolaus Antonius pag. 284. et Benedictum Aniensem errasse, cum duos Fructuosos finxit, probatum a Mabillonio: cui Henschenius merito suffragatur. Regulae Fructuosi tres Codices MStos laudat Antonius Jepesius apud Miraeum in Codice Regularum parte 2. pag. 130. Codicem Treverensem, Coloniensem et monasterii Arlanza in Hispania, ex quorum uno fortasse suppleri possint capita duo postrema, quae in priore Regula desiderantur. Priorem Regulam Complutensi duntaxat Monasterio, cujus ipse conditor erat, alteram pro aliis etiam Monasteriis, in villis praesertim atque agris condidisse Fructuosum, bene videtur annotasse Oudinus tomo 1, pag. 1624. *Apud Canisium T. V. Antiquar. Lect. notante Miraeo exstat fragmentum quod in regulis nominatis non reperitur* Hoc est *de diversitate culparum super Regulam S. Benedicti*, quod Fructuoso indignum esse judicavit etiam Mabillonius.

Ambrosius Morales XII. 36. Chronic. general. Hispan. laudat Paulo Emeritensi citato teste *Epigrammata* Fructuosi in laudem Petri, Narbonensis Episcopi, Regisque Sisenaudi et nescio cujus Diaconi. *Epistolam ad Recceswinthum Regem* edidit Ramiresius ad Luitprandum, atque emendatiorem in collectione τον ανεκδοτον vulgare promiserat Cardinalis de Aguirre. Vide Nicolaum Antonium tomo 1. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 285. ubi Pseudo-Juliani de Fructuoso commenta explodit.

Vitae Fructuosi, quam sine nomine auctoris habent Ambrosius Morales XII. 35. Chron. Hispan. Prudentius de Sandoval in appendice fundationum Monasticarum Hispaniae, Johannes Tamajus parte 1. Martyrologii Hispan. Aprilis 16. Joannes Mabillonius Act. Sanctorum Benedictin. Sec. II. pag. 581. et Henschenius tomo 2. Actorum Sanctorum Aprilis, pag. 431. additis notis, scriptorem esse S. VALERIUM, monasterii S. Petri de monte Abbatem, contendit Nicolaus Antonius pag. 283. Huic vitae etiam HUGONIS, Archidiaconi Compostellani, narrationem de translatione S. Fructuosi et aliorum Compostellam, subjungit Henschenius p. 436. 437.

FRUTOLPHUS S. Michaëlis Bambergae Monachus Benedictinus circa Annum 1144. Ab hoc *Evangelium S. Matthaei* copiose tribus Voluminibus expositum, Possevinus annotavit, ex Eysengrenio pag. 69. b. Catalogi testium Veritatis.

FUCRALDI librum de Musica laudat Anonymus Mellicensis capite 107. incertum relinquens quo tempore ille floruerit: cum Anonymum hunc credibile sit non esse saeculo duodecimo juniorem.

FULBERTUS, (Anonymo Mellicensi c. 93. FOLBERTUS, Scholae publicae Carnotensi a) Praefectus, Doctor multorum clarorum ingeniorum, atque in his Berengarii: (b inde Cancellarius ac denique Episcopus Carnotensis ab Anno 1017. defunctus An. 1028. Ejus scripta a Carolo de Villiers, Theologo, Parisiis 1608. 8. edita, atque in Bibliotheca Patrum Coloniensi 1618. Tom. XI. et Lugdunensi tomo XVIII. cum ejus notis recusa haec sunt:

a) Launojus de Scholis celebrioribus cap. 40.

b) Anonymus Mellicensis cap. 93. Trithemius cap. 315.

Epistolae CVIII. quibus aliae aliorum subjectae sunt XXVI. Ex istis Fulberti Epistolis, de quibus consulendus Dupinius in Bibliotheca Ecclesiastica seculi XI. et quarum aliquas vulgaverat Baronius ad Annum 1007. seq. e Codice Vaticano, duae primores etiam in primis Bibliothecae Patrum Paris. editionibus prodierant.

Sermones IX. quorum tertius est de purificatione Mariae, 4. 5. et 6. de ejus nativitate, c) et 7. 8. 9. contra Judaeos, quod scriptum laudat Henricus Gandavensis c. 1. Sermones plerosqua Fulberti recensuit Combefisius in Bibliotheca Concionatoria.

Poenitentia Laïcorum, et *Mulierum poenitentia* per Fulbertum Episcopum.

Prosarii hymni in S. Pantaleonem, in S. Piatum, et de Nativitate Domini et de Sancta Trinitate. In festo S. Ægidii, natione Graeci. a) De divo Martino, b) de S. Lamberto et pro Rege.

Versus et Hymni de B. Virgine, de S. Cruce: De timore, spe et amore: De seipso: c) De signis, et mensibus, et diebus, et horis, compéndium computi. De philomela. De S. Carauno. Castitatis gradus. Preces ad DEUM. Hymnus in natum CHristum et alius DEO trinuni. Denique versibus descripta ex vitis Patrum vet. narratio de homine quodam, qui imperitus vitam eremiticam vivere tentaverat, eamque non valens sustinere et ad fratrem reversus *cum Angelus non potuit, vir bonus esse didicit.*

Praeter haec a Carolo Villiers edita, sparsim feruntur:

Fulberti *hymnus in S. Paschate*, qui in-

c) Similia quaedam in scripto de Nativitate B. Mariae inter S. Hieronymi Opera. Vide Caveum.

a) *Vitam S. Ægidii* a Fulberto scriptam testatur Anonymus Mellicensis cap. 93.

b) Confer Barthium XIX. 13. Adversar.

c) Hic primo versu auctior apud Baronium ad Annum 1007. num. 3. *Angele Consilii magni Te consulo, CHriste, Mi factor, mea Vita.*

cipit: Chorus novae Hierusalem. Exstat in Georgii Fabricii Poëtis Christianis, p. 799. in Georgii Cassandri hymnis Ecclesiasticis pag. 234. Operum, et in Bibliothecis Patrum Bigneanis Parisiens. An. 1589. 1624. 1644. 1654.

Epistola de rebus Ecclesiae religiose et caute distribuendis, in Dacherii spicilegio tom. 2, pag. 827. (editionis novae tom. 3, pag. 387.) Alia *contra milites Episcopos* in Edmundi Martene tom. 1. anecdotorum pag. 130.

Sermo in festo assumptionis B. Mariae, in appendice ad sermones S. Augustini in editione Benedictinorum t. V. sermo 208.

Vita S. Autberti, a) Cameracensis et Atrebatensis Episcopi, apud Surium 13. Decembr. sed mutila. Integram legi in MStis Codicibus notarunt Sammarthani tom. 1. Galliae Christianae pag. 233. et Miraeus ad Henrici Gandavensis cap. 1.

Tractatus, sive *Sermo* in Actor. XII. 1-11. editus a Casimiro Oudino in opusculis sacris veterum aliquot Galliae et Belgii scriptorum, Lugduni Batavorum 1692. 8. praemissa ejus icone aere descripta, et compendio Vitae, ut tom. 2. de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 519. seq. et quale exstat etiam in Sammarthanorum Gallia Christiana tom. 2, pag. 485. seq.

Liber de Sacramentis devotionis, quem IVONI tribuunt alii, Combefisius ex Petri Damiani auctoritate refert ad Fulbertum.

Labbeus in Bibliotheca nova MSS. pag. 58. ex MSto Vaticano commendat Fulberti *de virtutibus*, et *sententias antiquorum de summo bono*, rhythmo trochaico, nec non *versus de pace*. Notat etiam Fulberto tribui Versus *de libra et partibus ejus*, quos nescio an sint editi, versus autem *de uncia et partibus ejus*, et *de scrupulo et partibus ejus*, dedit Carolus de Villiers notis ad Fulberti Epist. 113. tom. 8. Bibliothecae Patrum edit. Lugdunensis pag. 55.

a) Baldericus in Chronico Cameracensi lib. 1. cap. 77. *Quod si quis latius* (de Autberto) *scire desiderat, librum quem Fulbertus, Doctor Clarissimus, de Vita S. Autberti, jubente domino Episcopo Gerhardo inscripserit, legat.* Gerhardus Episcopus Cameracensis fuit ab Anno 1012. ad 1049.

FULBERTI, Archidiaconi Rothomagensis, *Praefationem in Vitam S. Romani*, Archiepiscopi Rothomagensis, vulgavit Edmundus Martene tom. 1. Anecdotorum p. 182. 183. Vitam Mabillonius tom. 2. Actorum Sanctorum Benedicti pag. 952. *Vitam Aichadri*, Abbatis Gemmeticensis, edidit Surius 15. Sept. cujus auctor FULBERTUS Peccator, Vossio Monachus Gemmeticensis. FULBERTI, Monachi S. Audoeni Rothomagensis, *de miraculis S. Audoeni*, ad Nicolaum, S. Audoeni Abbatem, MS. in illa Abbatia. Acta Archiepiscoporum Rothomagens. quae edidit Mabillonius tom. 2. Analect. pag. 424-455. (pag. 222. editionis novae in fol.) non dubitat huic FULBERTO, qui circa Annum 1080. vixit, tribuere.

FULCHERIUS Carnotensis, Robertum Normanniae Ducem An. 1095. secutus in Palaestinam, et deinde Regis Balduini I. et II. Cappellanus, circa Annum 1127. scripsit *gesta peregrinantium Francorum cum armis Hierusalem pergentium*, sive Historiam Hierosolymitanam et res quibus ipse interfuerat: quod opus ab Anno 1095 ad 1124. primus in lucem protulit *Jacobus Bongarsius* in Gestis DEI per Francos tom. 1, pag 381-440. divisum in Capita LVI. *Caspar Barthius* Codice Basileensi (non auctiore tamen) usus divisit in Capita XCIX. illustravitque notis, quas ex MS. Bibliothecae Ittigianae publicavit *Johannes Petrus Ludewig* tom. 3. reliquiarum MStorum etc. pag. 291-360. Apud *Andream* vero *du Chesne* tom. 4. scriptorum de rebus Francicis pag. 816. exstat eadem Fulcherii Historia Hierosolymitana, ex Codice Coenobii S. Quintini de Monte prope Peronam tributa in *libros tres*, et auctior extrema parte anni 1124. annorumque 1125. 1126. et 1127. a pag. 879. ad 889. Liber *primus* incipit ab An. 1095. *secundus* ab initio regni Balduini I. hoc est ab An. 1100. (editionis Bongarsianae capite XXII.) liber *tertius* ab initio Balduini II. An. 1118. (editionis Bongarsianae medio capite XLIV.) Denique *Praefationem* ex Codice S. Germani a Pratis vulgavit *Edmundus Martene* tom. 1. Anecdot. pag. 364. seq. in qua Fulcherius ait *comparium suorum quorum-*

dam pulsantibus precibus aliquoties, *motum* ea se quae oculis ipse suis perspexerit, *stylo rusticano, tamen veraci, diligenter digessisse*. Ut a Vossio notatum est, reprehenditur Fulcherius a Guiberto Abbate in bellis Antiochenis cap. 29. 30 31 et 38. Sed a bona fide eum commendat Ordericus Vitalis lib. IX. historiae Ecclesiasticae, item Guilelmus Malmesburiensis lib. IV. qui addit usum esse *stylo non quidem agresti, sed ut dici solet* sine nitore et palaestra, *et qui alios commonere potuerit, ut accuratius scriberent*. Idem hic Fulcherius, qui in obsidione Antiochena An. 1098 caute ac fortiter rem gessit, de quo Gilo Parisiensis libro VII. apud Chesneum tom. 4, pag. 909. (sive libro IV. apud Edmundum Martene tom. 3. Anecdotorum pag. 241.)

. . . . Fulcherius imminet ante
Per tenebras legit ille vias gressu titubante,
Illis temporibus radios ducente cometa
Praemonstrabatur regni mutatio laeta etc.

Et pag. 241.

. . . . . . Fulcherius ille
Natus Carnoti, proceres praecedere mille,
Non timet invictae properans ad moenia villae.
Non hunc tardus onus clypei, sed ad ardua pronus
Evolat arma gerens scalaeque viriliter haerens :
Illum Veneticus sequitur : stupet hostis iniquus.
Ut stetit in muris Fulcherius, ense a) necantur
Fulmineo vigiles, et ad infima praecipitantur.
Exultat victor etc.

FULCONIS *Historia gestorum viae sui temporis Hierosolymitanae*, versibus scripta hexametris ab Anno 1096. Libris tribus. Libri tertii haec est clausula :

Haec de principiis callis Hierosolymitani
Scripsimus, ut nostrae permissum rusticitati.
Caetera describit domnus GILO Parisiensis
Cujus turpatur nostris elegantia nugis.

sequuntur deinde liber IV. V. VI. VII. additi a GILONE Parisiensi, genere Carminis simili. Hos septem libros subjectos Fulcherio primus ex Codice Sirmondi edidit laudatus du Chesne ad calcem tomi IV. scriptorum rerum Francicarum, in Gilonis libris autem plures lacunae, itaque laudandus iterum Edmundus Martene, qui ex Codice S. Germani de Pratis non modo illos quatuor libros emendatiores suppletisque lacunis in lucem dedit tom. 3. Anecdotorum pag. 213. seq. sed et libri quarti (apud Chesneum septimi) versus ultimos XXXIX. et libros quintum atque sextum Chesneo non visos adjunxit, quorum postremus desinit in capta An. 1099. Hierosolyma.

Anno milleno de centeno minus uno
Jerusalem capitur Julii cum dicitux Idus.
Haec ego composui HILO nomine Parisiensis
Incola Tuciaci non inficiandus alumnus.

Gilonem hunc Oudinus tom. 2, pag. 1722. non diversum esse putat ab ÆGIDIO Parisiensi, unumque adeo ex tribus illis Ægidiis Poëtis Parisiensibus, de quibus supra tom. 1, pag. 22. quique eodem tempore vixerunt post Annum 1200. quod si constat, etiam Fulconem necesse fuerit ad Seculi XIII. non cum Bulaeo t. 4. Academ. Paris. pag. 731. Cangioque ad Seculi XII. initia revocare. FULCONIS Paris. *condemnatio quorundam articulorum* tom. 4. Bibl. Patrum Paris 1654.

FULCO *Bonus*, Comes *Andegavensis*, cujus *Historiae Andegavensis* fragmentum scriptum circa An. 1089 edidit Dacherius tom. X. spicilegii pag. 392 (editionis novae in fol. tom. 3, pag. 232-234. subjunctis ANONYMI, Monachi Benedictini Maioris Monasterii, *Gestis Consulum Andegavensium*, in quibus *Fulcones* plures illustres, maiores Comitis celebrantur, a Caroli Calvi temporibus usque ad scriptoris tempora, sive ad Annum 1137 pag. 234-266 *Epistola ad Odonem*, Abbatem Cluniacensem, in Bibl. Patrum, et Bibl. Cluniac. p. 114.

FULCOIUS Bellovacensis; Meldensis Ecclesiae Subdiaconus circa Annum 1070. de quo Mabillonius Actis in Sanctor. Benedictin. Sec. IV. pag. 658 seq. Scripsit

I. Opus metricum, de quo elogium a nonnemine Fulcoio scriptum ita « Tria volumina per septem libros sapienter et decenter heroice composuit. Primum simplex in epistolis, in titulis, quibusdam quasi nugis, quod experientiae causa *Utrum* nominavit. Secundum vero duplex, quod *neutrum* appellavit : eo quod in quorundam vita sanctorum ingenium exercens, nec adhuc quod desiderabat aggredi prae-

a) Ita legendum puto, non *ecce*, ut habet Martenii editio, nam apud Chesneum vox tota desideratur.

sumens, nec primo volumini, nec ultimo medium continuavit. Tertium autem per septem libros septiformi afflatus spiritu, sub dialogo spiritus et hominis, fideli opere, mirifico carmine contexuit. Hac de causa quod vetus et Novum maritans Testamentum Christo JESU, Verbo Patris, latori gratiae, qui fecit utraque unum, uni viro virginem castam, Ecclesiam videlicet despondit.

Pulcre composuit libros Fulcoius istos.
Fecit *Utrum*. fecit *Neutrum*, profecit *Utrumque*
Scidit *Utrum*, sparsit *Neutrum*, collegit *Utrumque*
Tentat *Utro*, fidit *Neutro*, desponsat *Utroque*
Solus *Uter*, *Neuterque* duplex, septenus *Utroque*
Suntque decem, nonumque triplex. trinumque volumen.
Solvitur his demum merito Denarius ille. »

II. *Epistolas metricas*, quarum una *Alexandro Papae II.* alia *Gervasio* Remensis Ecclesiae Antistiti, Manassae decessori directa est.

III. *Epitaphium Otgerii et Benedicti* elegiacum, a Mabillonio pag. 664. editum hoc initio:

Quam male discernit, quod emat, vel qualia spernit.

Haec Polycarpus Leyserus de poëtis medii aevi pag. 352, seq. cui addere juvat, quod *Vitam S. Pharonis* metro scriptam ab hoc Fulcoio, evolvit Cangius in Bibliotheca S. Germani de Pratis, Codice 738.

FULCUINUS, supra pag. 524. FOLCUINUS. Emendandum quod apud Cangium Fulcuinus Abbas S. Bertini ab Abbate Lobiensi diversus traditur, cum ex Bertiniano idem fuerit, Abbas Lobiensis.

FULCUS, sive FULCO, Placentinus, ex Placentino, Episcopus Papiensis ab Anno 1216 ad 1229. Vide Ughellum tom. 1 editionis novae pag. 1098 ubi Honorii III. Papae bulla, qua ei honorem pallii et Crucis concedit. Fulci *Sermones* laudari in Petri Mariae de Campis Historia Ecclesiae Placentinae tom. 2. pag. 141 notavit Cangius, neque aliud de eo mihi compertum.

* Optime quidem monuit Fabricius Sermones Fulci in Historia Ecclesiastica Petri de Campis indicari; sed monendi erant eruditi ex testimonio eiusdem Campi extare in MS. Cod. PP. Dominicanorum eiusdem urbis Sermones Fulci huius LX quorum titulos ibidem Campus describit: dat insuper praefixam ab eodem Fulco Sermonibus hisce praefationem, in qua testatur scripsisse se librum *de tribus ordinibus Salvandorum*; item *de signaculo animae*: tandem *de eiusdem animae Salvatione*. Obiit Episcopus iste an. 1229 die 26 Octobris.

FULDENSES Annales Francorum ab An. Christi 714 ad 883 editi a Petro Pithoeo in limine statim XII, scriptorum, Parisiis 1588 et Francofurti 1594, 8. et meliores semper a Frehero et usque ad Annum 900, tom. 1 scriptorum German. ab Andrea du Chesne tom. 2. p. 1531 et in nova Freheri editione Struviana, in qua notae etiam accedunt Burchardi Gotthelf Struvii. Supplementum breve apud Leibnitium tom. 1 scriptorum Brunsvicensium pag. 192 et Supplementum ab An. 882 ad 887 et Annorum 894, 895, apud Muratorium tom. 2 parte 2.

FULDENSES annales ab An. 714 ad 817 vide infra, LAURISHAMENSES. Lambec. tom. 2. pag. 366, seq, Murator. tom. 2. parte 2.

Vetus Diptychon FULDENSE, in quo nuda nomina defunctorum Regum Francorum a Pipino, Reginarumque et Episcoporum ac Comitum, exstat in praeclari Viri *Johannis Friderici Schannat* pleno bonae frugis opere, a) quod Vindemias litterarias inscripsit pag. 16. Fuldae et Lipsiae 1723, fol. Sed longe plura ejusdem sollerti industriae debemus, hoc loco non praetereunda, inprimis *Corpus Traditionum*, sive *Donationum Fuldensium* b) ab An. 744 ad finem Seculi XIII. Lipsiae 1724, fol. et *Clientelam Fuldensem* c) beneficiariam nobilem et equestrem, Francofurti 1726, fol. cum elencho clientum, et *Codice probationum*, in quo diplomata DCXXXVI, deinde Historiam Fuldensem in tres divisam partes, ab An. 744 ad praesens usque tempus, Francofurti 1729, fol. a) cui su-

a) Acta Eruditorum An. 1724. pag. 51.
b) Ibid. A. 1725. pag. 293.
c) Fuldischer Lehn-Hof. Acta Eruditorum An. 1726. pag. 24.
a) Acta Eruditorum An. 1730. pag. 91.

bjicitur *Codex Probationum*, b) in quo habes *Acta vetusta* Abbatum Fuldensium ab An. 744 ad 916. pag. 1. *F.* CORNELII Monachi Breviarium Fuldense historicum, ex editione *Chist. Francisci Paulini*, ab An. 744 ad 1468. pag. 3. *Christophori Broweri*, Societatis Jesu, Acta Abbatum Fuldensium ab An. 744 ad 1606. pag. 15. *Vitam Sturmii* primi Abbatis Fuldensis, per ÆGILEM Abbatem, ex *Broweri* Sider. Ill. Sanct. per Germaniam pag. 67. Excerpta ex vita *Sanctae Liobae*. Abbatissae Bischoffsheimii, scripta a RUDOLFO Fuld. Monacho sub initium Seculi IX. pag. 79. *Vitam Ægilis* Abbatis Fuld. auctore CANDIDO Monacho, ex iisdem Broweri Sider. p. 88. *Vitam Rabani* Abbatis Fuld. per RUDOLFUM Presbyterum, ex Broweri Antiq. Fuld. pag. 117. Litteras *Henrici* Abbatis Fuldensis de An. 1253 ad Leodiensem et Lobiensem Abbates, ut juxta statutum Francofurti, ab Innocentio Pontifice confirmatum, adversus Margaretham Flandriae Comitissam ob non petitam a Wilhelmo Rom. R. investituram feudorum, terris privandam procedant p. 203. Anonymi *Vitam Henrici VI*, Abbatis Fuldensis ex MSto pag. 304. *Notitiam de bello* inter Abbatem Fuldensem et Nobiles a Riedesel exorto, ex veteri Chronico MSto pag. 311. *Fundationem Ordinis Equestris* utriusque sexus, in honorem S. Simplicii a Johanne Abbate instituti pag. 327. *Mandatum Maximiliani I.* Imperatoris, quo vetat subditos Ecclesiae Fuldensis citari ad Dicasterium Provinciale Episcopi Herbipolensis pag. 330. *Vitam Johannis II.* Abbatis Guldensis ex *Spangenbergii* Chron. Henneb. pag. 343. *Acta publica* circa litem inter Joannem, Coadjutorem Fuldensem, et Philippum, Hassiae Landgravium, Anno 1526. Erico Brunsv. Duce mediante compositam, pag. 375. *Vitam Johannis III*, Abbatis Fuldensis ex *Spangenbergii* Chron. Henneb. pag. 414. *Philippi Abbatis* Constitutionem de moribus Religiosorum observandis, pag. 416. in qua se vocat *Abbatum Ordinis S. Benedicti per Germaniam et Galliam Primatem. Joachimi Abbatis* deductionem juris sui adversus Equestrem Ordinem Buchoniae An. 1648 pag. 434. *Indicem emortualem* Abbatum Fuldensium ex MSto pag. 463. *Necrologium Fuldense* autographum ab An. 779. usque ad 1065. pag. 464.

b) Idem pag. 102.

Quae contra Schannatum objecta sunt a Johanne Georgio Eccardo, a) Johanne Chiliano Mainbergio, b) et Johanne Georgio Estore, ad ea respondit Schannatus in Vindiciis quorundam Archivi Estensis diplomatum, c) Francofurti 1727, fol. De *Christophori Broweri* Antiquitatum Fuldensium libris IV. Antwerpiae 1612, 4. Vide B. Johannis Hübneri nostri Bibliothecam Hamburgensem Historicam Centuria 3. pag. 253, Omitto quod *Eberhardus Fabricius,* Cancellarius Comitis Mansfeldici, Abbates Fuldenses Ordinis S. Benedicti ab An. 744 carmine celebravit edito Giessae 1655, 8. et quae de nupera An. 1711. Fuldae instituta Academia Historico-Theologico-Ecclesiastica commentatus est G. Conradus Sieglerus, d) Svinfurt. 1711, 4.

FULGENTIUS SS. Leandri et Isidori frater, *Astigitanus* in Baetica, et Carthaginis novae in Hispania Episcopus post Annum CHristi 619 de quo Bollandus ad 14. Januarii, tom. 1. pag. 971, seq. Varia reliquisse hunc Fulgentium ingenii sui monumenta affirmant recentiores, quorum nec Isidorus, ejus Germanus, nec Ildefonsus, nec alii veteres meminere. Mariana lib. VI. cap. 1. *Scripsit Fulgentius librum de Fide incarnationis, aliisque nonnullis quaestionibus, qui ad nostrum tempus conservatur.* Enumerant Johannes Vasaeus, Sandovallius, Quintanaduennas Fulgentii commentarios *in Evangelia, Esaiam, XII. Prophetas minores, Pentateuchum, libros Regum:* Addunt Quintanaduennas et Sandovallius Commentarium *in Psalmos:* Pau-

a) In Animadversionibus Historicis et Criticis. Wirceburgi 1729. fol. Acta Eruditorum Anno 1728. pag. 486. Confer quae supra pag. 552.

b) Frenctische Acta, XIII. pag. 51.

c) Acta Eruditorum A. 1728. pag. 492. Francische Acta. XIII. pag. 166.

d) Acta Eruditorum A. 1711. p. 555.

lus Spinosa lib. 2. Antiquitatum Hispalensium ait quaedam eum *Hebraice* scripta reliquisse. *Mirum est*, inquit Bollandus, *ea opera non proferri in lucem*, *quorum alioquin*, *quia antiquiorem neminem testem habemus*, *neque affirmata opinione nostra esse volumus*, (unde parum fidei illis quoque tribuit Nicolaus Antonius, qui consulendus lib. V. Bibliothecae veteris Hispanae cap. 1.) *nec pro vanis praetermissa. Alii probabilius compositos ab eo existimant tres Mythologiarum libros*, de quibus rectius in FULGENTIO *Placiade*.

Fabius Claudius Gordianus FULGENTIUS V. C. auctor libri prosa scripta et distributi in libellos XXIII, quorum titulus: *De aetatibus Mundi et Hominis, opus mirificum*, *sine litteris*, nam in toto primo libello de Adamo nullum A, in secundo de Abele nullum B, in tertio de Caino nullum C, atque ita in caeteris. Edidit ex Codice Sorbonico (in quo perinde, ut apud Sigebertum cap. 28. Fulgentio Ruspensi praeter rem tribuebatur) et notis illustravit Jacobus Hommey, a) Pictavii 1694, 8. addito etiam specimine PETRI de Riga, recapitolationum Utriusque Testamenti, versibus elegis, quas integras publici juris fecit Polycarpus Leyserus in historia poëseos medii aevi pag. 705-727 in quibus similiter prima sectio sive distinctio nullum habet A, secunda nullum B, atque ita ad Z usque. Hujusmodi Iliadem λειπογραμματον singulis litteris per singulos libros diminutis, Graecis olim versibus scripserat Nestor Larandensis, atque Odysseam Tryphiodorus, de quibus dictum libro 2. Bibliothecae Graecae cap. 5. Fulgentiani scripti alium Codicem manu exaratum, sed posterioribus libris mancum, laudat Sanderus parte 2. Bibliothecae Belgicae MS. pag. 23. In hoc non *Fabius*, ut ab Hommeyo, sed *Flavius* Claudius Gordianus Fulgentius appellatur. Tamen Bollandus eodem mutilo usus Codice etiam *Fabium* appellat tom. 1. Januar. pag. 972. *Libycum sive Afrum se non uno loco auctor fatetur*. *idque opus*, Xenophontis *poëtae Graeci imitatione aggressum*: *Conjectet aliquis* Claudium *fuisse*, Gordiani *filium*, Fulgentii *Ruspensis patrem*, *qui ex Italia quo Genserici furor parentem exturbarat*, *reversus in Africam*, *avitis possessionibus ac domo spoliatus merito in publicas rapinas invectus lib. 1 queri potuit* etc. Haec Bollandus.

a) Journal des Savans A. 1694. pag. 737.

FULGENTIUS Donatista, cujus libellum confutasse existimatus est Augustinus: sed librum scripto hujus Fulgentii oppositum, qui inter Augustini opera saepius editus, atque a Benedictinis in appendicem tomi noni rejectus legitur, Augustino indignum viri docti judicant. In eo plura hujus Fulgentii fragmenta servata occurrunt. Ea juncta in unum continuum sermonem, Germanice vertit ediditque Godfridus Arnoldus in historia haeresium tom. IV. pag. 75. 76.

FULGENTIUS *Ferrandus*, Fulgentii Ruspensis discipulus, et Diaconus Carthaginiensis celebratur a Victore Tononensi in Chronico ad Annum CHristi 547. et a Facundo IV. 3. Opera Ferrandi quae potuit reperire, collegit junctimque edidit Petrus Franciscus Chiffletius, Soc. Jesu, Divione 1649. 4. unde recusa sunt in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tomo IX. Sunt autem 1. ad *Reginum* Comitem paraeneticus *de VII. Regulis innocentiae*, pag. 494. quo in scripto Ferrandus persequitur, quae Fulgentius Ruspensis Epistola XVIII. absolvere morte praeventus non potuit. 2. ad *Anatolium*, Diaconum Romanum, de duabus in CHristo naturis, et quod unus in SS. Trinitate natus passusque dici possit. p. 502. 3. ad *Eugippium* de essentia SS. Trinitatis et de duabus naturis Epistola p. 509. quae exstat etiam in appendice operum Fulgentii Ruspensis, 4. ad *Severum*. Scholasticum Constantinopol. quod Dominus noster JESUS CHristus sit unus de Sancta et individua Trinitate. p. 509. 5. ad *Pelagium* et *Anatolium*, Diaconos Urbis Romae, *pro Epistola Ibae Edesseni*, pag. 515. In hac Epistola pag. 516. G. leguntur verba, quae allegat Catalogus XII. Scriptorum, subjunctus Ildefonso de viris illustribus, narrans Ferrandum a Pelagio Anatolioque consultum *utrum liceat quenquam*

damnare post mortem. 6. et 7. Epistolae duae ad *Fulgentium* Ruspensem, inter hujus quoque opera saepius editae. 8. *Vita* ejusdem *Fulgentii* illius praemissa operibus, quam tamen a Ferrando scriptam esse non est plane exploratum. 9. *Breviatio Canonum Ecclesiasticorum,* c. CCXXXII. a) contrahens praecipua, quae continentur Canonibus Conciliorum *Ancyrani*, *Anquiritani*, *Antiocheni*, *Carthaginiensium. Cellensis*, sive *Zellensis*, *Constantinopolitani*, *Gangrensis*, *Hipponensium*, *Jucensis*, *Laodicensis*, *Macrianensis*, *Marazianensis*, *Mazaranensis*, *Milevitani*, *Nicaeni*, *Novaecaesariensis*, *Septimunicensis*, *Suffetulensis*, *Tenitani* et *Tusduritani*, et denique *Zellensis* ex Epistola Siricii Papae. Variis naevis scatere hanc breviationem docet Quesnellus dissert. XV. ad Leonem Magnum pag. 738. et pluribus ostensurus erat Franciscus Florens in nova Ferrandi editione. Primus edidit cum Cresconio (de quo supra tom. 1. pag. 401. seq.) *Franciscus Pithoeus* ex Codice MSto Ecclesiae Trecensis, sive Tricassinae, Parisiis 1588. 8. deinde ad calcem Codicis Canonum Ecclesiae Romanae, Parisiis 1609. 8. Inde cum Dionysii Exigui, qui utramque praecessit, collectione Canonum *Christophorus Justellus* Parisiis 1628. 8. Hinc post *Antonii Dandini Alteserrae* editionem, Augustoriti Pictonum 1630. 8. in qua indiculus breviationi antiquus cum notis annectitur, et post editionem *Petri Francisci Chifletii*, S. J. Divione 1649. 4. recusa est haec breviatio una cum Cresconio in tom. 1. Bibl. Canonicae Voëlli et Justelli t. 1. pag. 448. Parisiis 1661. fol. et in Bibliotheca Patrum Lugdunensi 1677. tomo IX. pag. 481. ex Chifletii editione: et cum Codice Canonum Ecclesiae Romanae et Petri Pithoei Miscellaneis Ecclesiasticis Parisiis 1687. fol. Conferendus etiam Aguirrius tom. 3. Conciliorum Hispan. Joannis Ferrandi, Soc. Jesu, sanctum Ferrandum redivivum, in vita S. Hectoris Fulgentii Ferrandi edita Lugd. 1650. 4. quem vult *Episcopum* fuisse *Carthaginis*

a) Non XXXII. ut errore typographi legis, in B. Gebh. Theod. Meieri historica relatione de collectionibus canonum §. 17.

Spartariae in Hispania, commentitium ostendit Chifletius animadversione edita An. 1656. ad calcem quinque opusculor.

Fabius Furius FULGENTIUS *Placiades*, de cujus libris III. Mythologicon, libello de continentia Virgiliana et alio de prisco sermone ad Chalcidium, dixi in Bibliotheca Latina.

S. FULGENTIUS Ruspensis in Byzacena Africae provincia Episcopus, defunctus Cal. Januar. 533. a) Anno Episcopatus XXV. Vitae LXV. Vitam ab ejus discipulo (minime certum an FERRANDO) ad *Felicianum*, Presbyterum, b) Fulgentii in Abbatia Monasterii Sardiniae successorem, accurate prescriptam exhibet post Surium, Molanum, Sirmondum, ad MStos Codices castigatam Bollandus tomo 1. Januarii pag. 32. 45. Legitur etiam novo recensita studio ante Opera Fulgentii in praeclara editione Parisiis 1684. 4. *Fulgentius*, inquit, *fulget super caeteros scientia mirabili, eloquentia speciali.* Idem Isidori Hisp. judicio cap. 14. de scriptoribus Eccles. *in confessione Fidei clarus, in Scripturis Divinis copiose eruditus. in loquendo dulcis, in docendo ac disserendo subtilis scripsit multa* etc. Sed de scriptis praeclari hujus Doctoris iuvat cum Lectore communicare B. Doctoris mei Thomae Ittigii notata, c) mei quibusdam interpolata observationibus.

Cum S. Fulgentii Ruspensis Episcopi eximium opus d) *contra Faustum* Rejensem, genuinam responsionem *adversus Pintam*, e) librum altercationis *cum Thra-*

a) Vide Norisium II. 24. hist. Pelag. et Pagium ad Annum 529. num. 12. quibus malo accedere quam Blondello pag. 40. de S. Eucharistia, qui Baronium secutus obitum Fulgentii ad Annum 529. refert.

b) Episcopum aliis, sed alterum hoc verisimilius.

c) Act. Erud. A. 1684. pag. 513.

d) Contra duos Fausti Semi-Pelagiani, libros VII. laudatos ab Isidoro cap. 14. de S. E. et Episcopis Africanis Epist. ad Johannem Venerium p. 276. Hos libros habuit et cum notis edere voluit Hieronymus Vignerius, teste Dupinio. Vidi etiam me morari Pauli Erymachi, Theologi Gratianopolitani, Triadem SS. Patrum de Gratia Christi et libero arbitrio, Augustinum contra Pelagium, Prosperum contra Cassianum, et Fulgentium contra Faustum

e) Episcopum Arianum.

simundo Rege, librum sive Commonitorium de Spiritu Sancto *ad Abragilam*, duos de jejunio et oratione libros *ad Probam* scriptos, Epistolam *ad Carthaginienses*, pluresque epistolas et alia scripta non amplius superesse constet, quorum recuperandorum spes aut nulla aut exigua apparet, praeclare de bono publico meruisse dubium non est, quorum studium et vigilantia, ne et reliqua sanctissimi et sua aetate doctissimi Antistitis monumenta intercciderent, praecavit.

In his *Bilibaldus Pirckheymerus*, qui exemplum operum B. Fulgentii mirae vetustatis, ex reliquiis Bibliothecae Trithemianae ad re delatum, et a *Johanne Cochlaeo* pro librariis *operis* descriptum edi curavit cum Jo. Maxentio, oppugnatore Arianorum, Haganoae 1520. f. impensis Kobergerorum Norimb. *Johannes Ulimmerius*, cujus studio Fulgentii opera post editionem Moguntinam Anni 1515, Coloniensem Anni 1516. et aliis Antwerpiae Anno 1574. 8. una cum *Johannis Molani* prolegomenis ex officina Plantiniana prodierunt; *Henricus Justus*, qui telam a *Christiano Urtisio* coeptam pertexuit, et Anno CHristi 1587. 8. Fulgentii opera, addito Petri Diaconi de incarnatione et gratia libello, Basileae, ubi etiam jam Anno a) 1566. 8. Fulgentius excusus fuerat, Sebastiani Henricipetri typis exprimenda dedit; *Jacobus Sirmondus*, b) qui Anno CHristi 1612. Fulgentii librum de SS. Trinitate ad Felicem Notarium, librum contra sermonem Fastidiosi, epistolam ad Ferrandum de baptismo Æthiopis moribundi, aliaque Fulgentii opuscula, et iterum An. CHristi 1653. fragmentum ex ejusdem libris contra Fabianum e tenebris protraxit; *Guilelmus Camerarius* Scotus, qui Anno CHristi 1634. 12. Paris. Fulgentii responsionem ad interrogationes Scarilae de mysterio incarnationis, et vilium animalculorum authore, una cum aliis quibusdam veterum Patrum monumentis publicavit; *Theophilus Raynaudus*, S. J. qui Lugd. 1633. et 1652. fol. a) in heptade Praesulum, Fulgentii opera, 80. sermonibus et aliis accessionibus locupletavit, et *Petr. Franc. Chifletius*, S. J. qui A. 1649. 4. cum operibus Ferrandi sub Fulgentii nomine librum pro fide catholica adversus Pinta, et A. 1656. 4. triginta novem excerpta ex libris Fulgentii contra Fabianum, et tredecim fragmenta ex libro Fulgentii ad quaestiones Scarilae, una cum Alcuini confessione fidei, Rabani Mauri libro adversus Judaeos, et anonymi commentariolo de damnatione Berengarii, Divione luce publica donavit.

Quanquam vero ea Fulgentii opera, quae Sirmondi, Camerarii, Raynaudi et Chifletii studio publici juris facta sunt, junctim exhibentur in Bibliotheca Patrum Lugdunensi An. 1677 tom. IX, tamen operae pretium est visum novo illa studio, ad fidem impressorum et manuscriptorum codicum collata recensere proprioque et peculiari volumine complecti: unde nova Fulgentii editio nata, cujus autores se non exiguam in repurgandis mendis operam collocasse profitentur. Accesserunt variae lectiones, et nonnunquam aliae annotatiunculae ad paginarum calcem et marginem pro illustrando Fulgentio adjectae, cui etiam ex partitione capitum, ob confusionem in prioribus editionibus deprehensam aliquoties mutata, nova lux accessit. Totius operis post praefationem de ordine, occasione et argumento scriptorum Fulgentii, novae hujus editionis instituto haec est series:

S. Fulgentii Episcopi Ruspensis vita a quodam ejus discipulo, qui nonnullis *Ferrandus* Ecclesiae Carthaginensis Diaconus videtur, conscripta.

Libri tres ad Monimum b) unum e praecipuis Fulgentii amicis, cui *lib.* 1 ad quaestiones *de duplici praedestinatione*, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad poenam, *libro 2 de sacrificii oblatione, de missione Spiritus Sancti*, et *de supererogatione D. Pauli* ad 1. Corinth. VII, 25 re-

a) Ad hanc editionem observationes Latini Latinii in ejus Bibliotheca sacro-profana p. 83-89.

b) Praefationem vide in Sirmondi Operibus t. 4 pag. 615.

a) Vide Labbeum t. 2. de S. E. p. 529.

b) Filium carissimum vocat Fulgentius.

spondet, *tertio* nonnullas *Arianorum* argutias refellit. pag. 1.

Contra Arianos liber unus ad decem objectiones, quarum miram barbariem et obscuritatem editores notant, totidem responsiones luculentas et ad Patrum superiorum doctrinam exactas continens pag. 51.

Libri tres ad Trasimundum, Vandalorum Regem, quibus ad ea, quae ex subitaria prolixioris libri, bajulo Felice, Regis jussu oblati, sed statim iterum extorti lectione memoriae inhaeserant, regio mandato compulsus discutit. pag. 69.

Epistolae in unum corpus collectae numero *octodecim* varii argumenti, quarum postremam ad Reginum Comitem directam pag. 323. Fulgentius morte praeventus Ferrando supplendam et absolvendam reliquit. *Prima* est de Conjugali debito et voto continentiae a conjugibus emisso pag. 144, II. ad *Gallam* viduam pag. 151, III. et IV, ad *Probam* de Virginitate pag. 163. (cujus pag. 159 mentio) et de oratione ad DEUM et compunctione Cordis pag. 177. V, ad *Eugyppium* Abbatem pag. 182. VI, ad *Theodorum* Senatorem pag. 186, ad Venantiam pag. 190. Accensetur autem his Fulgentii epistolis etiam VIII, *libellus de fide ad Donatum*, quo mysterium SS. Trinitatis et incarnationis a variis haereticorum erroribus vindicatur pag. 197. Insertae quoque Fulgentii epistolis IX. pag. 208 *epistola VICTORIS ad Fulgentium* ipsius preces enixe flagitantis, et *FASTIDIOSI Ariani sermonem*, qui Victoris epistolae pag. 210 subjicitur, confutandum transmittentis; item *epistola* SCARILÆ, X. pag. 212 qui duas quaestiones, unam de incarnatione Filii DEI, et alteram de vilium animalium auctore, Fulgentio proponit; *duae epistolae Diaconi* FERRANDI, quarum una XI. pag. 213 ad duas quaestiones de baptismo et salute Æthiopis moribundi, altera XIII. p. 228 ad quinque quaestiones diversi argumenti a Fulgentio responderi desiderat; XII, et XIV, ad *Ferrandum* p. 216. XV. Episcoporum Africanorum, DATIANI, *Fortunati, Boëthi, Victoris, Scholastici, Orontii, et aliorum in Sardinia exulum* Episcoporum ad *Johannem* quendam Presbyterum et Archimandritam, et *Venerium* Diaconum responsoria, qua doctrina de gratia et praedestinatione explicatur, pag. 269. obvia etiam in appendice Operum S. Augustini tom. X. pag. 102. editionis Amstelod. XVI. PETRI *Diaconi* et aliorum, qui in causa fidei ex Oriente Romam se contulerant, de incarnatione et gratia Domini nostri JESU CHristi ad Fulgentium et alios Africae Episcopos libellus, pag. 277. et in eadem t. X. Augustini appendice pag. 98 eo tempore scriptus quo de phrasi, *unus e Trinitate crucifixus est*, et de *Fausti* Semi-Pelagiani scriptis gravissimae controversiae exortae fuerant; et XVII. *Fulgentii* caeterorumque Africae Episcoporum exulum *de eodem argumento liber*, pag. 286. quo suum de his controversiis judicium, approbata Petri Diaconi et sociorum sententia, expromunt. XVIII. et postremam ad *Reginum* Com. directam pag. 323 quam Fulgentius morte, ut dixi, praeventus FERRANDO supplendam et absolvendam reliquit.

Liber de SS. Trinitate, quo Fulgentius *Felicem Notarium* ad retundendos haereticorum insultus non satis instructum, ut desideriis ipsius satisfaciat, de hoc mysterio aliisque fidei capitibus fideliter informat pag. 328.

Liber ad Victorem contra sermonem Fastidiosi, qui desertis orthodoxorum castris ad Arianos defecerat, et ex essentiali Patris, Filii et Spiritus Sancti unitate, Patris et Spiritus Sancti incarnationem sequi argutatus fuerat pag. 340.

De remissione peccatorum libri duo ad Euthymium, in quibus nec extra Ecclesiam, nec extra vitae hujus spatium, locum poenitentiae relinquit pag. 360.

Liber ad Scarilam, quo et *de incarnatione CHristi, et de vilium, et noxiorum animalium procreatione* Fulgentius disserit, quippe cujus arbitrium elegerant, qui in convivio quodam de utroque capite diversis sententiis concertaverant. pag. 406. Edidit primum Guilelmus Camerarius Paris. 1634. 12. cum aliis monimentis de quibus vide Labbeum t. 2. de S. E. p. 333.

De veritate praedestinationis et gratiae DEI ad *Johannem* et *Venerium*, libri tres

pag. 434. quorum tertium primus integrum cum Ferrandi operibus Chiffletius edidit Divione 1649. 4.

Liber de fide seu fidei regula, Augustini operibus admixtus, a) sed Fulgentio jam pridem restitutus, *ad Petrum*, qui in aliis Fulgentii editionibus vulgo Diaconus cognominari solet; quod cognomen expungendum duxerunt, qui novae huic editioni praefuerunt, cum ex horum sententia Petrus ille neque Diaconus, ut in titulo hujus libri hactenus dictus est', neque Monachus fuerit, quod *Blondello* primum et postea *Norisio* placuit, sed vir militaris, qni Hierosolymam profecturus, fidei regulam, qua se adversus haereticae pravitatis insidias muniret, a Fulgentio flagitaverat. p. 500. Caput ultimum XLV. adjuuctum ab alio auctore.

Liber pro fide Catholica adversus Pintam Arianum, pag. 534. quem genuinae Fulgentii adversus Pintam responsioni suppositum, inepta et Fulgentio Graecae linguae non imperito indigna Homousii etymologia, et aliae rationes arguunt. Editus primum a Chifletio.

Decem Sermones, pag. 546. de quibus an omnes Fulgentii sint, nondum liquet, etsi plerique Fulgentio non indigni videantur. *Sextus* pag. 366. est de S. Cypriano Martyre. *Nonus* pag. 507. de S. Vincentio.

Fragmenta XXXIX. ex libris X. Fulgentii, contra gesta quae adversus eum FABIANUS haereticus Arianus falsa confinxit, pag. 577. item duo fragmenta ex Fulgentii libro *quaestionum de processione Spiritus Sancti*, pag. 665. servata ab Hincmaro et Ratramo contra Graecorum objectiones.

Duo Fulgentii sermones, unus de circumcisione Domini, pag. 664. alter de purificatione Virginis Mariae, pag. 668. quos hactenus ineditos *Lucas Holstenius* e Vaticana Bibliotheca quondam descripsit, et *Cardinalis Barberinus* Lutetiam transmisit. Ex his priorem quidem Fulgentio, posteriorem autem alteri cuipiam auctori, qui Fulgentio junior fuerit, in admonitione praemissa, Fulgentianae hujus editionis curatores censuerunt.

Appendix operum S. Fulgentii, complectitur I. *Librum de praedestinatione et gratia*, pag. 1, a) in quo Lovanienses Theologi aliique eruditi viri nihil Fulgentio dignum, imo multa Fulgentio contraria deprehenderunt, quamvis *Theophilus Raynaudus* b) in Censura inofficiosae censurae *Lovaniensium*, *Bellarmini*, *Possevini* et aliorum, ut librum hunc Fulgentio asserat, maximopere contendat. II. *Epistolam* FERRANDI *Diaconi ad Eugyppium* Presbyterum, p. 11. quam cum nec a Fulgentio, nec ad Fulgentium scripta ab ejus operibus semotam in appendicem rejicere placuit; et III. *Sermones LXXX.* Fulgentio perperam tributos, pag. 13. Primum editos a Raynaudo An. 1633. in quibus phraseos quandam affectationem atque inde obscuritatem notat Combefisius.

Indices rerum in Fulgentii operibus contentarum, locorum Scripturae ab ipso explicatorum, codicum ad quos de novo, Fulgentii opera recognita sunt, variarum lectionum ex praetermissis selectarum, et postremo erratorum.

Quamvis vero qui huic Fulgentii editioni Parisiensi operam dederunt, nomina sua latere voluerint, de publica utilitate magis quam de fama solliciti et egregii facti conscientia contenti, neminem tamen latere voluere, multum se a Jesuita *Petro Francisco Chifletio* adjutos, qui variantes in omnia fere Fulgentii opera lectiones. quas olim ex variis codicibus Bibliothecae Carthusiae ad Portas exscripserat, benignissime cum iis communicavit. Ab eo tempore Fulgentii opera prodiisse ex recensione *Bernhardi Borghi*, Ordinis Praedicatorum, Venetiis 1696. 4. didici ex Jacobi Echardi Bibliotheca Dominicana tom. II. pag. 744.

Confessionem Fulgentii Episcopi *ad Poenitentiam dandam* edidit Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii Magni pag. 225.

a) Tom. VI. edit. Amst. p. 499.

a) Exstat etiam in tom. X Operum Augustini in appendice pag. 51. editionis Amstelodamensis.
b) Raynaudus tom. XI Operum pag. 157. seqq.

Damasi Blyenburg epitome operum Fulgentii sub titulis XXX. Amst. 1612. 8.

FULGENTIUS inter Episcopos in *Sardinia* exules, ad quos Epistola PETRI Diaconi et sociorum, An. 520. et quorum nomine Epistola Synodica An. 523. exstat in appendice tomi X. S. Augustini pag. 98. et 102. edit. Amst. non diversus a *Fulgentio Ruspensi.*

Baptista FULGOSUS, Italis FREGOSUS, a) quibusdam CAMPOFULGOSUS, filius Petri, Ducis Genuensis et ipse Dux ab An. 1478. sed principatu a Paulo Cardinali patruo suo An. 1483. b) dejectus et Frequentum relegatus scripsit ad Petrum filium suum, Valerii Maximi exemplo, non indignos lectu *libros IX. factorum dictorumque memorabilium*, in quorum ultimi capite 6. quod est de perfidia et proditione, illatam a patruo injuriam hunc in modum perstringit pag. 723. *Postrema in parte eorum, quos proditio insignes fecit, dignus erat, qui commemoraretur Paulus Fulgosius, Cardinalis Genuensis, patruus meus; sicuti etiam scelere atque perfidia, graviora quam alii admisit: nam cum opera mea Cardinalatum accepisset, a quo imperitia atque vitae turpitudine prohibebatur, quemadmodum patris quoque mei ope, ad Genuensem Archiepiscopatum conscenderat, haud incongruum erat, ut posteritas intelligeret, eum illum esse, qui patris mei meisque stipendiis enutritus, dignitate honestatus, ac parentis loco a me cultus, mihi nepoti, atque ejus honorum bonorumque authori, item quoad seculare imperium pertinet, domino, proditione ac scelere in patria principatum ademit: quem tamen, cum ipse male administrando, ac nimia, illegitimi filii in cives superbia retinere non posset, emendationi tanti sceleris proximum erat, ut quod impie ademerat, mihi, agnito tandem errore, restitueret: sed sceleri assueto in mentem nihil venire poterat, quod vel virtutem saperet, vel vitae emendationem aliquam polliceretur. Itaque ita actum est, ut penes eum, ex principatu, praeter ejus mihi scelus adempti infamiam, nihil remaneret. Inurenda igitur haec ejus memoriae nota erat, sed majorem modestiae meae dicendi de eo, quam ipse in me agendo, sui ipsius habuerit rationem habiturus sum, itaque eo relicto etc.*

Inter Latinos Historicos mentio facta Fulgosi est a Vossio p. 612. quanquam Italice ille scripserit non Latine, testatus Latine scribendi stylum ac rationem sibi defuisse, aulae et non studiis adsueto, itaque libros hos per RAYMUNDUM *Soncinatem*, praeceptorem suum Latinos facere decrevisse. Sed illo impedito laborem hunc in se suscepit *Camillus* GILINUS Alexandrinus e Ducatu Mediolanensi, Ducis Francisci Sfortiae ad Carolum V. legatus, defunctus in Sicilia An. 1545. sive pater ejus *Joannes Jacobus* GILINUS Ducum Mediolanensium ab Epistolis qui diem obiit An. 1532. auctor *descriptionis Telinae vallis*, *Lariique lacus*, de qua dixi in conspectu thesauri literarii Italiae pag. 88. nec non *historiae bellorum in Italia gestorum A.* 1498 et 1499. quae eleganter scripta Latine fuit apud Hieron. Gilinum. a) Quanquam Camillus diserte testatur a patre impulsum se, b) ut necdum quidem pueritiae egressus metas, illum laborem exequeretur, atque inter themata quae ad alendam dicendi facultatem pueris proponuntur, quotidie hujus operis particulam in Latinum verteret. Prima editio librorum Fulgosi Latina (Italice enim nunquam viderunt lucem) est Mediolanensis An. 1508. fol. quam secutae complures Basil. 1541. 8. 1567. 8. Antwerp. 1561. 1565. 8. et cum Justi Gallardi, advocati Parisiensis auctario, Parisiis 1534. 8. 1564. 1578. 1585. 8. Colon. 1604. 8.

Exstant quoque Fulgosi libri in sylloge Exemplor. Basil. 1556. fol. in qua 1. *Nic.* HANAPI, Patriarchae Hierosol. circa An. 1291. exempla Virtutum et Vitiorum ex utroque Testamento, quas lucem viderant separatim Tubingae 1533. Venetiis 1537. Antwerp. 1544. Lugd. 1544. forma minore.

a) Giornale de' letterati d' Italia tom. XXI p. 399. Nisseron tom. IX pag. 1.

b) Non 1463. ut legas apud Augustinum Oldoinum in Athenaeo Ligustico p. 85.

a) Id. pag. 405.

b) Jac. Thomasius de plagio literar. §. 444.

Vide Jac. Quetif de scriptoribus Ord. Praedicat. tom. 1, pag. 425. seq. 2. *Valerius Maximus.* 3. *Æliani* Variae Historiae, Graeca cum Herm. Vulteji versione. 4. *M. Antonii Cocceji* SABELLICI exemplorum libri X. 5. *Baptistae* CAMPOFULGOSI libri IX. 6. *Parthenii* erotica cum versione Jani Cornarii. 7. GUIDONIS *de Fonte Nayo*, Bituricensis, liber variorum exemplorum scriptus An. 1516. 8. M. MARULI, Spalatensis, de vita religiosa per exempla instituenda libri VI. ex edit. Basil. 1513. 4. 9. *Heraclides* de politiis, Graece et Latine e Joannis Stobaei florilegio. 10. *Julii* Frontini strategematon libri IV.

Vita Martini V. Pontificis ab An. 1417. ad 1431. quam Fulgosius scripsisse traditur apud Raph. Sopranem de scriptoribus Liguribus pag. 54. et Augustinum Olodinum pag. 85. nondum lucem vidit.

De foeminis quae doctrina excelluerunt, inter alios de foeminis claris et illustribus scriptores, Paris. apud Sim. Colineum 1521 fol. nihil aliud est quam libri VIII factorum dictorumque memorabilium caput 3.

Anteros dialogus inter Platinum Baptistam et Claudium libris duobus ad equitem Jo. Franciscum Pusterlam. Mediol. 1486. 4. a) apud Leonardum Pachel, et Gallice *deux livres du Contramour de Baptiste Fulgose, ou le dialogue de Baptiste et Platine contre les folles amours*, Paris 1581. 4. Platinus ad Baptistam Campofulgosum:

O me felicem, quem tantus nominat auctor
Saepius in libro nec sine laude suo.
Plenum fulgoris FULGOSUM Gallia nostrum
Nunc habet, o quantum Gallia lumen habet.

* Liber eius *Anteros* idest in amorem inscriptus non Latinum sed Italicum est opus dialogi more deductum. Qui in dialogum inducuntur viri prioris quidem libri sunt Baptista Fulgosus et Platinus Plato in alterum vero librum tertius inducitur Claudius de Sabaudia. Epilogum operis exhibet Latina authoris apostrophe ad librum. Prodiit vero Mediolani non quidem an. 1486 ut hic mendose Fabricius, sed anno 1496 apud Leonardum Pachel.

FULPERTUS, supra FULBERTUS.

FULQUINUS, vide FOLCUINUS.

Andreas FULVIUS, Praenestinus, b) edidit *de Urbis Romae antiquitatibus* libros duos epico carmine ad Leonem X. Rom. 1513, 4. quo describit Urbis Reges, Consules, Imperatores, portas, vias, montes, pontes, aquaeductus, thermas, fora, templa, simulacra, columnas, aliaque. Tum illustrium virorum, et mulierum, *imagines* Romae e numismatis a Jac. Mazochio expressas anno 1517. temporibus nempe ejusdem Leonis X. quibus accessio facta est sub Clemente VII. atque iterum sub Paulo III. Hoc de opere judicium Antonii Augustini vide dial. XI. Idem Fulvius etiam orationis genere soluto antiquitates Urbis Romae libris V. complexus est: quod opus, cum aliis ejusce libellis, itidem Romae, sed anno demum 1545. 8. a M. Valerio Dorico excusum fuit, addita etiam Oratione de Urbis antiquae laudibus, ad Quirites. libro 5 meminit rei quae contigerat a. 1525 die 20. Iunii. Meminit quoque Fulvii Onuphrius Panvinus praef. in commentarios suos de Rep. Rom. *Patrum,* inquit, *memoria Andreas Fulvius multis libris carmine et soluta oratione Urbem celebravit.*

FULVIUS *Asprianus*, de quo Vopiscus in Carino c. 17. *Longum est si de ejus luxuria plura velim dicere. Quicunque ostiatim cupit noscere, legat etiam* Fulvium Asprianum, *usque ad taedium gestorum ejus universa dicentem.* Imperium gessit Carinus A. C. 283, seq.

Jo. Vitalis a FURNO Vasatensis Aquitanus Ord. Minor. et Cardinalis Episcopus Albanensis a Clemente V, creatus Anno 1312, b) obiit Avenione An. 1327, 16. Aug. c) Scripsit pro sententia Franciscanorum, *CHristum Dominum ejusque Aposto-*

a) Laudant alii editionem 1469. quod sphalma videtur M. Augusto Beyero in memoriis historico criticis librorum rariorum p. 56. qui de hoc libro consulendus.

a) Vossius de Hist. Lat. pag. 680. Hanckius t. 2, de Rom. rer. scriptoribus p. 126.

b) Ughellus tom. 1 Italiae sacrae pag. 270. Waddingus tom. 3 Annal. Ord. Minor. An. 1312. n. 10.

c) Epitaphium apud Waddingum et G. Josephum Eggs purpurae doctae t. 1 p. 305.

los non habuisse bona aliqua nec in speciali nec in communi. a) Edidit Odoricus Raynaldus ad An. 1322 n. 67.

Speculum morale totius S. Scripturae An. 1305 compositum, editumque Lugduni 1513, 4. Venet. 1594 et 1600.

Commentaria *in Proverbia Salomonis*, *in IV. Evangelia* et *in Apocalypsin*, MSS. Bononiae apud Patres Dominicanos, et cura Cardinalis Sarnani, Waddingo teste, Venetiis edita.

In IV, libros sententiarum commentarii MSS. in Bibl. Vaticana.

Quodlibeta Theologica.

De conceptione B. Mariae Virginis.

Sermones in diebus solennibus habitos et *Commentarios Concionatorios* anniversaria ratione praecipue *in Quadragesima* ad reformandos aulicorum mores, praesertim ministrorum Curiae Romanae, Reges Hungariae celebrantur, quorum quartus obiit An. 1275.

D. Vitalis de FURNO Cardinalis, Archiatri *pro conservanda sanitate, tuendaque prospera valetudine ad totius humani corporis morbos et aegritudines. salutarium remediorum curationumque liber utilissimus.* Mogunt. 1531, fol. Hujus auctorem scripti a superiore diversum esse probat Baluzius p. 679. Paparum Avenionens. ex capite 298. Ubi Vitalis hicce profitetur se antiquiorem illo fuisse et scripsisse temporibus Belae Regis Hungariae. *Expertum est temporibus nostris, quod Rex Ungariae nomine Bela in coitu cum uxore sua smaragdum in digito habuit, qui propter coitum in tres Partes fractus est.* Belae quatuor inter Baluzii Papae Avenionens. p. 50, 78 et 109.

Ægidius de FUSCARIIS, supra tom. 1. pag. 18 in ÆGIDIO.

Palladius FUSCUS sive NIGER clarus, circa An. 1470. Patavinus laudatus Antonio Sabellico dialogi de Linguae Latinae reparatione b) aliisque in locis c) et Ludovico Carrioni II, 19. Antiquarum Lectionum, d) scripsit *in Catullum notas* editas tum alibi tum Venetiis 1500, fol. et Andreae Naugerio vehementer celebratas: Deinde *Notitiam Geographicam* quam M-Stam habuit laudatque Laurentius Pignorius in Originibus Patavinis cap. XIV. pag. 94 tum libellos duos *de situ orae Illyrici*, qui additis notis Johannis Lucii prodiere Venetiis 1673, 4. cum ejus Inscriptionibus Dalmaticis: et Amstelodami 1666, fol. et in Thesauro Siciliae Burmanniano parte XIV, Lugduni Batavorum 1722, in folio, et sine notis Lucii cum Bartholomaei Fontii dedicatione e) ad Cardinalem Casp. Contarenum, qua Fuscum preceptorem suum celebrat, Romae 1540, 4. *Elegiam* Palladii Fusci *in laudem Cippici*, sive *Coriolani Cepionis*, Episcopi Famaugustani, edidit idem Lucius pag. 56. Alia ejus, ut *de bello Turcico* librum, *de Insulis* libros tres, et *Collectanea rerum non vulgarium*, quae ad imitationem Auli Gellii elucubravit, memorata Bernardino Scardeonio f) Vossio, g) et Nicolao Comneno Papadopoli, h) edita non esse existimo. Diem obiit Fuscus circa Annum 1483.

Anonymus FUXENSIS, scriptor coaetaneus *de gestis Innocentii III.* Pontificis, qui Friderici II. Regis Siciliae Balius seu tutor fuit, et Papatum gessit ab An. 1198 ad 1216. editus e Bibliotheca Collegii Fuxensis a Francisco Bosqueto, Tolosae 1632 fol. deinde emendatior a Baluzio ante Innocentii III. Epistolas, Paris. 1682, fol et a Muratorio t. 3 scriptorum Italiae p. 486 et in Johannis Baptistae Carusii Bibliotheca Historica Siciliae t. 2. Panormi 1723, fol.

a) Id. p. 505. seq. Oudin. tom. 3. p. 745. Baluzii Papae Aven. p. 676. seq.

b) *Nec est*, inquit, *ut ad Palladium Nigrum, per quem proximis annis Romanae in ea terra litterae in antiquum statum sunt restitutae, ejus studia referas.* Loquitur ibi de Coriolano Cippico. Et pag. 535. *Franciscus Niger difficile est judicare major ne Orator sit an Poëta.* t. IV. Opp. Sabellici.

c) Giornale de' letterati d'Italia tom. XVII p. 281. seq.

d) *Palladii Fusci haec emendatio est, qui ut scriptorum ejus aetatis captus erat, homo doctus ante centum et aliquot annos in Catullum satis diligenter scripsit.* tom. 5 Lampadis artium Gruterianae pag. 54.

e) Fallitur igitur Sandius, qui dedicationem illam ipsius Fusci esse existimans reprehendit Vossium: et Fuscum An. 1540. vixisse sibi persuasit.

f) Antiquitat. Patavin. pag. 240.

g) Voss. pag. 691. de Hist. Lat.

h) Hist. Gymnas. Patavin. tom. 2 p. 177.

D. SEVERINI EPISCOPI

DOCTRINA.

Dilige DEUM.

Sapientiam disce.

Omnia cum mensura age.

Quod odis, et tibi fieri non vis, aliis non facias.

Semper spera in DOMINO.

Tempus futurum exspecta.

Necessitati subditus esto.

Justitiam sequere.

Jurejurando uti noli.

Doce quod utile est.

Injustitiam odio habe.

Sapientes homines cole, insipientes fuge.

Quod bonum est, discere non erubescas.

Linguae tuae impera.

Magnanimus esto.

In nullo mentiaris.

Fidem tuere.

Veritatem testificare.

Noli aliena concupiscere.

Pecuniae amator ne fueris: quantum ad usus tibi sufficiat, quaere: cum habueris, dona petenti.

Tuis negotiis vaca, alienis autem noli commisceri.

Loquacitatem odio habe: bona est enim taciturnitas, mala est verbositas.

Boni consilii amator esto.

Nullum contemnas.

Majorem natu venerare: adolescentiorem, si sapiens fuerit, ut senem honora.

Lauda veritatem, et quae animae prosint discere elabora.

De amicis bene opinare,

Inimicos noli exasperare: utilius est enim eos amicos facere, quam inimicos habere.

Cum justis hominibus loquere.

Filios tuos bene educa.

Simplicibus inserere.

Misericordiam faciens noli contristari, nec dubitare.

Quod daturus es, ex animo da, quia futura ignoras.

Misericordia, et veritas non desint tibi, et caritas: et haec bona cooperient multitudinem peccatorum

Nemini opprobrium dixeris.

Animaequus, et suavis, et continens esto.

Iram fuge, mater est enim peccati.

Justitiam operare in iudicio.

Servos dilige.

De nullo malum loquaris.

Testimonium in tempore opportuno verum dic.

Simultates odio habe.

Litigantes concorda.

Mala quae tibi accesserint, patienter sustine.

Juste judica: memineris enim te hominem esse.

De rebus nonnullis noli anxius esse: sapiens homo cito non conturbatur.

Cum nullo litiges.

Linguam bonae famae habe.

Sectare silentium, quia absque poenitentia est: tumultum poenitentia subsequitur.

Inimicitias dissolve.

Noli incredulus esse; et elabora in bono non esse jactantior.

Inanem gloriam fuge.

Tuis mansuetus esto, et extraneis necessarius.

Concupiscentias animi tui vince.

Amicos noli cito comparare: quos autem comparaveris noli cito reprobare.

Peccantium curam habere noli: nihil enim tibi proderit.

Brutis sapientiam ne dederis: postea enim persequentur te.

Sacramenta DEI nisi dignis non aperias.

Imprudentium primatum ne eligas, ne dux Daemonum efficiaris.

Contra legem DEI nihil agas.

Differentiam habe inter bonum et malum: et manifestum apud te sit inter justum et injustum. INJUSTITIAE enim opera haec sunt: odium, fornicatio, furtum, rapacitas, veneficia, mendacium, falsum

testimonium, cupiditas, detractio, dolus, superbia, malitia, temeritas, improbitas, jactantia, contentio, simulatio, maliloquium, amor pecuniae, impietas, et omne quod alienat a doctrina DEI. JUSTITIÆ autem opera sunt haec: semper DEO gratias agere, DEI cultores amare, nemini nocere, nec contristare quenquam, pudice vivere, misericordem esse, proximum suum sicut seipsum diligere, esurientes saturare, sitientibus potum dare, nudos vestire, hospitalem esse et humanum, et indigentibus tribuere cum hilaritate

Noli esse amarus his qui in tristitia sunt.

Omne quod pertinet ad justitiam fac.

Leges hominum ut homo utere, et legem DEI ut DEI.

Noli invidere bono: non enim immortalis es.

Sicut lucerna ardens ita esto: et Angelus DEI vocaberis.

Cum conscientia mala noli accedere ad orationem: condemnaberis enim per tuam conscientiam. Confessio peccati initium est salutis.

Supplex esto DEO semper; et sic age ut irreprehensibilis habearis.

Neminem male loqui permittas, ne ut fautor iniustitiae habearis.

Absentem noli condemnare: praesentem juste accipe.

Ex argumentis noli condemnare, ne et tu condemneris, quia displicent DEO talia; et quomodo vis videri agere, sic judica.

Mulierem in testimonium noli recipere.

Omne peccatum indulge a), praeter homicidium et adulterium.

Injuriam facienti noli consentire, ne sicut adjutor injustitiae puniaris: quem vero reprobaveris, sit tibi quasi ignarus.

Servos ut filios enutri: apud Dominum enim aequales sunt, quia personas non accipit.

Super mensuram nihil feceris, et superbis noli conjungi, ne amicus injustitiae habearis.

Facies seniorum semper inquire, ut instruaris verbis eorum: sapientum enim sensus pleni sunt fructibus vitae.

Ducem vitae tuae ut DEUM habe: a DEO enim tibi missus est ut salveris: et in omni substantia tua participem eum habe: qui enim in divinis te comparticipat, debet in humanis particeps esse.

Misero noli exprobrare, ne et tu exprobrabilis efficiaris: circa omnes enim judicium DEI est, et ut justum est judicat.

Misericordiam faciens absconse facito, et non confundes personam tuam. Si facis ut ab aliis publice videaris, et ut magnificeris ab hominibus, nihil tibi proderit.

Adorans Dominum secreto adora, et noli notabilem locum eligere, ubique enim est DEUS, et ubicunque invocatus fuerit, adest. Quotidie autem illi gratias age, vigilans et dormiens, ut propitium eum habeas, et desideria tua impleat. Et orans noli multum loqui, b) ne stulto similis habearis. Scit enim DEUS petitiones tuas antequam petas, et quae cogitas non ignorat.

a) Datâ veniâ capitalis supplicii.

b) Matth. VI. 7.

ADDENDA ET EMENDANDA

Piget seq. ex notis posterius in calce t. II et VI adiectis, suis locis adponere omisisse.

Pag. 373. Jo. COLUMNA. Consilium edendi operis illius a Joanne Columna adornati depositum plane fuisse jam olim ab aliquot annis per literas Roma ad me datas intellexi; atque extare insuper didici in Bibliotheca Casanatensi adnotationes MS. claris. P. Zoannelli, quas ad praelum paraverat. Importuna forte viri docti mors obstitit ne communi eruditorum desiderio satisfieret.

Pag. 435. DECTHUS. Joannes le Paige in Bibliotheca Ord. Praemonstratensis pag. 307. laudat eius *Sermones* plurimos in Synodis et Capitulis habitos, et *Commentarios in Jus Canonicum*. Idem de Viconensis etiam Abbatiae laudibus videndus p.529.

Pag. 453. Disciputi sermones de tempore sub nomine Joannis Herolti prodierunt Norimb. 1492. fol.

Pag. 467. *Dominicus de Dominicis.*

* Plura de operibus auctoris hujus tum manu scriptis tum editis congerit P. de Augustinis in op. vernaculo de Scriptoribus Venetis I. p. 413. Ex eo vero discimus opusculum *de cardinalium legitima erectione* prodiisse impressum post quatuor priores libros prioris Voluminis operis *de Republica Ecclesiastica* auctore Marco Ant. de Dominis Londini 1617. et Heidelbergae 1618. Diversum vero ab hoc est opusculum eiusdem auctoris *de creatione Cardinalium ad Pium II. Consilium* quod in MS. Codice Barberino superesse idem P. de Augustinis testatur. t. I pag. 416.

*Pag. 473. Hieronymus DONATUS. Quid mihi fucum fecerit ignoro. Profecto oratio illa Donati ad Julium II nomine Venetorum ab eo ipso Donato ad hoc misso a senatu suo est habita, nihilque in ea de loco, in quo edita est legitur. quare ea quae hic scripsi imprudens, volens prudensque retracto.

Pag. 476. Dorlandus *de miraculis S. Andreae* in Actis Sanctorum t. VI. Julii 26. p. 261. 286. 259.

Pag. 480. DULCITIUS, Tribunus et notarius, ad quem S. Augustini Epistola 61. (edit. novae 204.) et ad cuius *octo Quaestiones* de variis capitibus Theologicis circa Annum 421. propositas, responsio ejusdem Augustini exstat t. 6. Operum edit. Amst. p. 89. Vide et lib. 2. retractation. cap. 59. et 65.

Pag. 486. Ad hunc Ebbonem (Archiepisc.) Agobardi Epistola de spe et timore, t. XIV. Bibl. Patrum Lugd. p. 320.

Pag. 487. Delenda nota g) *Hosidius Geta* etc.

FINIS TOMI II.